

1332

1332
XV-4

1.195

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PROVINCIAL Y BIBLIOTECA - PALENCIA

1.195

PRIMA PARS

# QVADRAGESIMAE

## PRO DOMINICIS, QVARTIS

Ferijs ac Sextis : à Feria quarta Cinerum vſque ad Quartam Dominicam excluſiue continens. Authore GVNDISSALVO LOPEZ Teuariēſi de Alarcon, in Sacra Theologia Doctore, ſanctiq; INQVISITIONIS officij Commiſſario.

* * *
* *

Cum duplici copioſo Indice.

BIBLIOTECA PROVINCIAL DE LA DIPUTACION DE PALENCIA

CVM PRIVILEGIO.

Salmanticæ,
Apud Petrum Laſſum. Anno. 1584.

Eſta taſſado en

# EL REY.

POr quanto por parte de vos el Doctor Gonçalo Lopez de Teuar commissario de la Inquisicion, nos fue hecha relacion diziendo que vos auiades cõpuesto vn Quadragesimal en Latin y otras Homilias para el Aduiento, lo qual era muy vtil y prouechoso para la republica Christiana, lo qual auiades hecho cõ mucho estudio y trabajo, suplicando nos os mandassemos dar licencia para que se pudiessen imprimir y Priuilegio por tiempo de veynte años, O como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro consejo y como por su mãdado se hizieron las diligẽcias que la Pragmatica por nos nueuamente hecha sobre la impression de los libros dispone, y por os hazer bien y merced fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razõ e nos touimos lo por bien. E por la presente os damos licencia y facultad para que por tiempo de diez años que corran y se quenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula vos o la persona que vuestro poder ouiere podays imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion, y por la presente damos licencia y facultad a qualquier impressor destos nuestros reynos que vos nõbraredes para que por esta vez lo pueda imprimir, cõ que despues de impresso antes que se venda lo traygays al nuestro consejo juntamente con el original que en el se vio, que va rubricado y firmado al cabo de Pedro del Marmol nuestro scriuano de camara de los que en el nuestro consejo residẽ, para que se corrija con el, y se os tasse el precio que por cada volumen ouieredes de auer, e mandamos que durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir ni vender, so pena que el que lo imprimiere o vendiere aya perdido e pierda todos e qualesquier libros e moldes que del tuuiere o vendiere en estos nuestros reynos, y mas incurra en pena de cinquẽta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere, la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona que lo acusare y la otra tercia parte para el juez que lo sentenciare y la otra tercia parte para nuestra camara, y mandamos a los del nuestro consejo presidente y oydores de las nuestras Audiencias, alcaldes alguaziles de la nuestra casa, corte y chãcillerias, e a todos los corregidores, assistente, gouernadores, alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades villas y lugares, de los nuestros reynos y señorios, assi a los que agora son como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que assi vos hazemos, y contra el tenor y forma della ni de lo en ella contenido vos no vayan ni passen, ni consientan yr ni passar por alguna manera, so pena de la nuestra merced y de diez mill marauedis para la nuestra camara. Fecha en Madrid, a xvj. dias del mes de Nouiembre, de mill y quinientos, y setenta y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado de su Magestad. Antonio de Eraso.

# Ad Lectorem.

HAbes candide Lector, in hac Quadragesimæ prima parte, Christiano Dei zelo & animarum accenso pectore: accedens, centum fere Homilias, testimonijs scripturæ interpretatis & figuris refertas: Conciliorum, Canonum ac Decretorum plenas: sanctorum Doctorum testimonijs & sententijs copiosas: similitudinibus tanquam sagittis corda vulnerantibus abundantes: vt ipse animi oculis aperte videbis, neque enim obsignatum, aut inuolutum opus tibi afferimus, quod videri non possit. Vnde non tantum pro ista prima parte, vt ipsæ promittunt, donec alteram adiungamus non minus tibi gratam, atq; vtilem futuram, quam primo quoq; tempore dabimus Deo adiuuante, & beatissima virgine MARIA aduocata nostra intercedente, sed etiam pro totius anni, ne dicamus vitæ, curriculo, tibi famulabuntur & deseruient: si modo ad Dei laudem & matris eius, Ecclesiæ Romanæ decus, animarum salutem, errorum & vitiorum destructionem, illis vti & frui volueris. ad quæ omnia & plura ipsæ Homiliæ tendunt. Gaudebis etiã, ad hoc facilius & ferè sine labore consequẽdum, duplici indice: primo, loca scripturæ sacræ (non vtcunq; & pertrãsennã recitata) cõtinẽte: sed accurate interpretata adiunctis antecedentibus & sequentibus ad audientium & Ecclesiæ vtilitatem. Altero sententiarum ad totam ferè vitam deseruiente, & ad quãcunq; concionem congruente: & tibi alteram virtutum & vitiorum summam componente. Videbis, & si ita res se habuerit, lætaberis & dilatabitur cor tuum: si orationi instans: deuotioni, lectioni, & præcipue, rectæ & perseuerãti operationi deditus fueris: & Dei amore & animarũ dolore vsq; in finem

perſeueraueris. Hæc interea dum primũ, qui de Aduentu inſcribitur, Tomum non vides, vbi nũcupatoriam & ad Lectorẽ Epiſtolam reperies: admonitione digna cenſuimus. Conuiuium ciborum iuge non male conditum, tantum faſtidioſis & AEgris obeſt: ſic & noſtræ Homiliæ, ſi non hodie, craſtino die, ſi non tibi alijs multis orationi inſtantibus, aliquod leuamen afferent. Quãdo non citatur ſanctus aut doctor, eum indicari locũ puta, quem tunc interpretamur. In principio cuiuſcunq; Euangelij in margine, Chriſti ſeruatoris ætatem iuxta veriorẽ Doctorum ſententiam, & euangelijs conformiorem ponimus, annos A. menſes M. dies ſignat D. Cæterum vt aliquid de nomine ipſo dicã Homilia, quæ vitioſè à quibuſdam, ſcribitur ac profertur Homelia, Græcum nomen eſt: & Eccleſiaſticis ſcriptoribus valde vſitatum: colloquium cœtumq; ſignificans. Sed illi propriè hoc nomen tribuunt concionibus Eccleſiaſticis, quæ ad populum habentur, nec immerito, quãdoquidem ὁμιλεῖν vnde Homilia dicta eſt, proprie ſignificat concionari, aut ſermonem cũ aliquo conferre. Vale, & pro nobis vt ad vlteriora meritorie procedamus, Chriſtum exora, cui laus ſempiterna. Amen.

# HOMILIAE SVPER EVANGELIA, A FERIA QVARTA CINERVM, VSQVE ad Dominicam in Passione, exclusiuè: pro Dominicis, Ferijs quartis & sextis: auctore Gundisaluo Lopez Teuarensi, in sacra Theologia Doctore, sanctique Inquisitionis officij Commissario.

* * *

TOMVS SECVNDVS.

## Feriæ quartæ Cinerum Homilia prima.

*Thema.* ¶ *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in Ieiunio, & in fletu & in planctu, Ioel. 2. c.*

*Textus.* ¶ Conuertimini ad me in toto corde vestro.

SALVTATIO AD VIRGINEM.

VIRGO Fidelissima, miles, imò & dux fortissima omnium hominum & mulierum: quis inter omnes, tam humanas quã angelicas creaturas, ità fideliter duci supremo Deo optimo, & maximo, semper sic fide & opere adhæsit vt ipsa? Ad bellum contra dæmonem & vitia, post filium, prima omnium fuisti, in omni virtutum genere semper præcedens. Fortis fuit, & multùm ad Deum conuersa

illa Iudith vidua, quæ in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur,
*Iudit. 8. A. Figura.* habens super lumbos suos cilicium durum (vt constat ex eius historia) ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata & neomenias, & festa domus Israel. Quæ mulier fortis, populum suum, Dei auxilio, liberauit à crudeli Holoferne, in magna existentem angustia: & à militibus rabidis vallatam ciuitatem defendit, aquæductum fontis interdicentibus, & centenarios milites per gyrum fontes seruantes constituentibus. Tam miseri erant sui ciues, & desperati, vt ad Oziam sacerdotem supremum, gemitu incredibili dicerent: contestamur hodie cœlũ & terram, & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, vt sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis Et cum hæc dixissent, factus est fletus & vlulatus magnus in ecclesia ab omnibus. Et per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus: tu quia pius es miserere nostri. Qui tamen Dei auxilio, sanctitate atque pulchritudine, ieiunio & oratione sanctæ Viduæ Iudith, à tám crudeli hoste fuerunt liberati.

O milites Christiani, quare tam graui sopore desidiæ & ignorantiæ depressi estis? Quando ab orbe Christi sanguine redempto, à crudelissimo Holoferne, diabolo nempe, homines tam turpiter fuerunt vallati & delicti gladio victi, vt hodie cernere licet? Quando sic Sacramentorum ecclesiæ aquæductum diuinum, suis nouis & veteribus erroribus, iste maliguus & crudelis lupus hominibus fidelibus interdixit, vt modo videmus? Quando, à temporibus Apostolorum, ita in mundi angulo & à canibus inferni, & paganis circundati fuerunt fideles, & cum hoc plus terrena quam cælestia sitientes, voluptates magis quam virtutes diligentes? Ita vt multi sanguine Iesu deliniti dicere possent dolenter, cum Bethuliæ ciuibus: sit finis noster breuis & in ore gladij, & cito ense moriamur, ante quã vltra procedamus in tam graui ariditate sitis, nociua bibendo & semper plus sitientes. Vtinam in isto Dei templo & in omni, vbi cunque populus fidelis congregatus est, fieret magnus fletus, à corde procedens, pro miseris à dæmone per vitium oppressis

oppreſsis & in ſiti voluptatis exiſtentibus. Fratres mei, clamemus omnes vna lugubri voce, & vno cordis mœrore, ploremus coram Domino qui fecit & redemit nos, dicentes: peccauimus cum patribus noſtris contra te Domine, iniuſte egimus contra proximos, iniquitatem contra animas noſtras fecimus, tu quia pius es miſerere noſtri: mala quæ patimur circa ſacramenta impedita, & circa donorum riuos, delicta noſtra meruere. Sed nunc Domine, volumus in iſto quadrageſimali bello ad te nos conuertere, quid faciemus? Quis defendet nos à tantis malis imminentibus? Pulcherrima Virgo Dei mater, ipſa intercedat pro nobis ad Dominum vt nos ad ipſum conuertat: ipſa dux noſter in tam grauiſsimo bello ſit: vt à patre luminum, filij ſui amore obtineat Spiritus ſancti calorem: & mihi efficaciam ad dicendum, & omnibus aſtantibus fortitudinem ad optime contra vitia præliandum. Hoc ſine gratia quando contigit? Virgo ad te clamamus dicentes. Aue.

## ¶ Conuertimini ad me.

*Tex. Ioel.*

¶Libet, Dei gratiæ auxilio, quandam commiſtionem ex epiſtola hodierna & ſacro Euangelio contextam componere: forſan non inſipidam, ſed guſtui à virtutibus ieiuno atque faſtidioſo circa bonum, ſaporem non parum vtilem adducentem. O vtinam, tali cibo à te miles Chriſti iam tandem obtineam, vt cibis carnalibus vitiorum, & animæ tuæ ita nociuis, ſpretis, atque maligno duce relicto, ad veras virtutum dapes, & meritorum menſam, & ad ducem verum Ieſum, vere & cito ſis reuerſus, opere & dilectione, ſicut fide in eccleſia illius es. Sufficiat iam totius anni tempus ô miles eccleſiæ, quo tantum ducem es perſecutus tuis ſceleribus, Dominum & redemptorem tuum, ex parte dæmonis exiſtens, in crudeli vitiorum bello, in magnum animæ tuæ damnum, & Dei iniuriam.

Pro cuius belli introductione, ingrediatur ille miles ſenex, peritiſsimus atque in vitiorum pugna contra diabolum valde expertus Iob: quem ſolum fere in toto orbe inuenit Deus ſuo tempore, in ducem contra dæmonem, obijcientem Domino, paucos habere bonos ſub vexillo ſuo

virtutum, dicẽtemque: Circuiui terram, & paucos inueni milites tuos. Vnde Dominus dixit: conſideraſti ſeruum meum Iob, quàm bonum militem & ducem? Talis videns huius vitæ pericula & bellum inteſtinum, quod contra nos dæmon gerit inceſſanter: imò & nos ipſi contra animas noſtras, exiſtens in ſterquilinio ſuſpirans & amaro animo dicebat.

*Iob. 1. B.*

*Iob. 7. A.* Militia eſt vita hominis ſuper terram: & ſicut dies mercenarij, dies eius. O homo, quid aliud eſt vita tua, quam militia continua: aut malitia, vt alia litera legit: quia vtrunque verum eſt. Quia continuò hoſtes viſibiles & inuiſibiles ad pugnandum contra te inſurgunt, vt cœleſtia tollant à te: & quod magis timere debes, inimica caro tua eſt inceſſanter contra ſpiritum rebellans. Quod Ieremias plorabat dicens: foris interficit gladius tentationis, à dæmone vel à mundo proueniens contra me: heu tamen, quia domi mors ſimilis eſt: ideſt, concupiſcentia mihi intus adhærens, ad mortem culpæ ſemper inuitans. Et iſta militia Iob, quam diu homini ádeſt? dum eſt ſuper terram. Quia ſi in gratia Dei à vita victor diſceſſeris, rex in cœlo, ſine bello, in æternum manebis: vbi nec pugna interior, neq; violentia exterior reperitur: ſed pax quæ exuperat omnem ſenſum (vt ait D. Pau.) Caue tamen ne in aliquo mortali delicto à mundo egreſſus ſis, & à tuis actibus proprijs & à dæmone victus; aliâs ſub diaboli pedibus in perpetuum ſub terra manebis, captus & vinctus in mendicitate & ferro, ſine viribus ad reſiſtendum, ſine auxilio alicuius. Vnde hîc ſuper terram tantùm, tibi militia grauis manet, & etiam ſuper terram corporis tui eſt bellum, agnoſce vilitatem tuam vt victor euadas.

*Iere. 1. G.*

*Ad Phi. 4. B.*

Etſi militia ſit contra te per omne tẽpus vitæ tuæ, præcipue tamẽ in hoc Quadrageſimali tempore, quando hoſtis antiquus videt fideles virtutum arma ſumentes, & ad bellum contra vitia calore debito inſurgentes, Dei adiutorio fretos, & Eccleſiæ precibus, & verbi Dei clamore adiutos, relinquẽtes ducem malignum, & ad Dominum ſuum vero cordis dolore, Ieiunio & fletu reuertẽtes, modó draco tenebroſus vocat milites ſuos execrandos & ſocios tartareos ad arma, & ad bellum contra fideles & virtutes, nouo impetu acrioribuſque technis. Nam conſiderans malignus in nobis tam ſubitam mutationem ad bonum, & conuerſionem ad Deum noſtrum, vitio ſpreto, & ipſo

nc

neglecto: qui ſub peccati vexillo ſuo, per totum annifere tempus, militabamus: nil non mouet dolens, vexilla ſua infernalia iubet in altum attolli, per cauernas tetras triſtia tympana pulſari, omnes inuitat contra nos ad bellum, & vt noua tela, nouaque arma, tota ſolicitudine quærant.

Dices forſan, neſcio quid de diaboli ferocitate, & de armis eius prædicas, & terres nos, aut de bello illius: nam certe per totum hunc annum illum contra me pugnantem non ſenſi: nec arma ſumentem vidi. Ego credo, nam quantum malignus eſt dæmon, tantum in malo aſtutus & callidus eſt. Quid iudicaſſes ipſe de duce aut tyranno contra caſtrum ſibi ſubditum, aut ciuitatem claues illi libenter tradentem, & omnia quæ in ea ſunt, arma ſumente, iacula fortia emittente, munitiones parante, & illã obſidente? Stolidum eſſe dicerem, & ſtultum iudicarem. Vt quid fruſtra oppugnas? Contra gentem tibi ſubditam pugnas? Contra milites iam tuos vallos componis, & ſagittas perdis? Tamen ſi ciuitas rebellatur tyranno, ianuas fortiter claudit, ingreſſum illi impedit, ſepem componit, turres de nouo ædificat, munitiones acquirit, milites multiplicat, arma quærit, legationem ad inimicum mittit vt ad bellum ſe præparet; tunc quid mirum vt hoſtis, ſi fortis, crudelis, ſimul & potens ſit, ira ſuccenſus arma de nouo accipiat, complures & fortes milites conducat, equites innumeros iungat, & magno furore vt canis debellare incipiat, atque contra talem ciuitatẽ rebellem ſibi fortiter pugnare aggrediatur, cum videat illam totis viribus ſe defendere conantem? *similitudo.*

De te narratur talis ſimilitudo homo inermis, contra vitia & dæmonem. Nam ſi cordis tui caſtrũ maligno ſubdidiſti, omnibus ſuggeſtionibus nociuis illius conſentiendo, ianuaſque ſenſuum tuorum & potentiarum fere ſine tentatione dæmonis illi aperiendo, & omnia merita libenter & facillime tradẽdo, & te ipſum omni vitio dando: quid opus erat antiquo ſerpenti contra te arma tentationum accipere, & ſuggeſtionum telis laborare? Aſtutus eſt, & voluit, vt culpa tua maior eſſet, & maiori pœna digna, cum maiorem iniuriam ſic duci tuo cæleſti abſque dubio irroges, ſine dæmonis tentatione peccando, & à Deo per gratiam recedendo etiam ſi ſub fidei illius vexillo manes, tentatus à concupiſcentia tua: vnde noluit dæmon fruſtra tela con-

te emittere, iam ſuam ciuitatem & in omnibus ſubditam.

Tñ frater mi, per viſcera miſericordiæ Dei nñi, vt tuũ miſerã dũ ſtatũ cõſideres, & tyrannũ cui ſeruias, & in quibus operib⁹: & qualẽ Deo tuo iniuriã irroges, & in quãto ſis periculo conſti tutus dãnandi. Et hodie primo die belli, ſi vocẽ Dñi audis, noli obdurare cor tuũ, ſed ad te reuertere cõſideratione debita, inuoca ducẽ tuũ Ieſum toto corde, ſenſuũ tuorũ ianuas, atq; potẽ tiarũ fortiter claude, ne mors animæ per tales ingrediatur feneſtras (vt ait Ieremias) fac ſepẽ vi tutũ, qua animã tuã circundes: meritorũ munitiones acquire: ad caſtrũ Dñi tui toto corde con tritione vera, Dei auxilio data, reuertere, & cito, aliena veris Do minis reddendo, vere cõfitẽdo, conſuetudines prauas ex radice relinquẽdo: & tunc ſenties aduerſariũ, ſi fortis eſt, ſi cõtra accin gitur ad bellũ a duerſus ciuitatẽ animę tuæ. Tñ ne timeas illum, ſed accede ad ſeruitutẽ Dei ducis tui & ad eius crucis vexillũ, & ſta perſeueranter in iuſtitia erga proximum & te, & in timo re Domini, & præpara animã tuã virtutibus, ad tentationem de nouo venturam contra te, & pugnam à te nunquam viſam.

*Ieré. 9. F.*

*Eccli. 2. A.*

Malignus inſidiator habet ſe cum peccatore de peccatis con triſtato, vt Sichem cum Dina: qui quandiu hilarẽ in delicto il lam vidit, non legitur illi dediſſe ſolatium, triſtem tamen (quia talem Patriarcham & parentem Iacob offenderat & fratres reliquerat) delinuiit impius blanditijs: vt in voluptate perſeueraſſet. Quandiu gaudes peccator in delicijs & exultas in rebus peſsimis, & de contritione non cogitas in toto anno: quid neceſſe habet dæmon tentamenta, aut fomenta ſolatij adhibere? Ho die tamen, quia triſtem conſideratte, & lugentem merito, quia talem parentem diuinum offendiſti, & ipſum & Angelos, & fratres in gratia exiſtentes per culpam, & ſi non per fidem, reliquiſti, opus & operam addit vtte triſtem blanditijs liniat vt in voluptate perſeueres. Sic ſe habuit Laban cum Iacob; Pharao cum populo Iſraelitico, perſequendo illos fugientes: vt dixim⁹ dominica præcedenti, dũ qui præibant cæcum increpabant.

*Gene. 34. A Figura.*

*Gene. 31. C. Exo. 14. Luc. 18. G. Ser. 93. de tẽpore.*

Vnde acutiſsime (vt omnia alia) D. Aug. in de tempore dixit: tandiu aliquis diabolũ contra ſe pugnantẽ non ſentiet, quã diu opera illius exercere voluerit. Qui vero illũ reliquerit & de petra bibens, Chr̃um ſequi elegerit, neceſſe eſt vt illũ patiatur infeſtũ, cui iuſto iudicio voluit præponere Chriſtũ. Vt filij Iſ-

rael,

rael, ſtatim quod Pharaonē reliquerūt & de petra biberūt, Amalech pugnātē cōtra illos crudeliter experti ſunt. Quis quis igitur Chriſto coniungitur, tanquā miles duci, nō ad voluptates, ſed ad bellū præparetur. Quia de petra, id eſt, de Chriſti ſanguine bibit, ad arma virtutum ſurgat contra infernalem Amalech. *Exo. 17. C.*

Igitur bellū inteſtinum, & pluſquam ciuile eſt nobis fidelibus in hoc ſacro quadragenario tempore, contra tenebrarū principes, & eorū arma, nempe vitia: caſtrum in quo pugnandū eſt, Eccleſia ſancta atque Romana eſt. Nā extra Eccleſiā exiſtentibus nō eſt pugna, cum dæmonibus, cum ſint ſub pedibus eorū. Dux noſter Chriſtus Dei filius eſt. Milites ſumus omnes Chriſtiani, ſub fidei vexillo vere dimicantes: vexillum noſtrum, crux Chriſti eſt: arma virtutes ſunt, & ſacramenta, & Chriſti merita: tuba maxime ad bellum prouocans, verbum Dei eſt, calore debito propoſitum militibus: belli præmium ipſemet Deus eſt, iuxta illud quod Abrahæ dixit: ego merces tua magna nimis. Et Paulus, corruptibilem coronam accipiunt victores mundani: nos autem incorruptā gloriæ cœleſtis, & æternā. *Gen. 15. A.* *1. Cor. 9. D.*

Ex parte tamē contraria, Lucifer eſt rex & dux omniū malorū, iuxta illud Iob à Dño dictū, Behemot iſte, eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Vbi ſtupenda dicit Dñs de iſto maligno duce, quæ per duo capita videre tibi licet, vt timeas ſciens contra quē ducē pugnes ita negligēter. Et audi aliqua: reſpōdens Dñs Iob de turbine dixit: dæmon eſt fortiſsimus, habet caudā quaſi cedrū: oſſa eius velut fiſtulæ æris, cartilago illius quaſi laminæ ferreæ. Per gyrū dētiū eius formido eſt. Corpus illius quaſi ſcutata fuſilia cōpactū ſquamis ſe premētibus: ſternutatio eius ſplendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi de ore eius lāpades procedūt ſicut tedæ ignis accenſę. Attēde homo ſegnis contra quem ducem ita ſomnolenter pugnes. De naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ atque feruentis, halitus eius prunas ardere facit, & flāma de ore eius egreditur. Cū ſublatus fuerit, timebunt Angeli, ideſt boni fideles, quāto magis impij reputabit enim quaſi paleas ferrū, ideſt fortitudinē hominū: terribilia certe ſunt iſta, quæ in duce Lucifero affirmat Dominus reperiri, & alia quæ ibi videre potes, & in moralibus D. Grego. expoſita ſatis optime: vt ab hinc timeas debellare, ſicut vſque hanc diem, & arma virtutum melius diligas! *Iob. 41. D.* *ibi. 40. & 41.*

Vexillum huius antiqui hostis circulum est, quia in circuitu
*Psal.* 11. de vitio in vitium eius impij milites, teste Dauid, ambulant cõtinuo: arma eius vitia, crimina, & scelera grauissima & septem capitalia peccata sunt, quibus mũdum destruere satagit: & etiã errores, hæreses, & falsæ interpretationes scripturæ sanctæ: præmium militibus suis reseruatum, carcer infernalis est, & tormenta eius: milites qui seruiunt illi tetri, dæmones eius sequaces sunt: pagani, hæretici, & quod magis dolendum est, multi Christiani: vtinã nec sacerdotes nec prælati, monachi aliqui, aut moniales. Qui tamen fideles (etiam si sub fidei vexillo sunt, quãdiu per hæresin ab ecclesia non recedunt) per scelera sua non sunt sub virtutis vexillo pugnare, neque in Christi ducis cœlestis amicitia permanere, & per consequens, neque alios milites Dei amicos adiuuare virtutum armis: quibus magnam iniuriam irrogant, & Christum inhonorant. Et sic tanto duce diuino relicto, non fide, sed charitate, abierunt infelices ad ducem Luciferum & ad satellites suos dæmones, eorum societatẽ magis diligendo, quam Christi & eorum militum. O graue malũ in quo consistit omnis culpæ malitia: ô delictum incognitum, etiam ab ipsis quotidie illud patrantibus.

Quilibet vestrum qui mortaliter contra Deum deliquit, de quo pœnitentiam non fecit, fuit iste fugitiuus miles, qui ad castra dæmonis (Christo à te per gratiam, non per fidem relicto) fugere non erubuisti: &, quod magis doleo, nec te graue scelus in hoc perpetrasse intellexisti: aliãs aliter doleres, & veram pœnitentiam, Deo auxiliante, faceres. Vultis fideles qui per maiorem anni partem in Luciferi castro per vitia fuistis contra ducẽ vestrum Iesum, apertè facinus grauissimum à vobis commissum esse videre, & proditionis crimen contra Deum? Cupitis etiam euidenter agnoscere quali pœna dignum erat tale scelus vestrum, nisi Dei pietas & amor ad pœnitentiam vos expectaret, & veram conuersionem ad ipsum desideraret?

Accipite similitudinẽ, vt tremore corda vestra concutiantur,
*Simile.* quãdo aperte de malitia vestra constet: quam graue scelus, imó & crimẽ læsæ maiestatis, vos ipsi iudicate, milites nostri Hispani perpetrassent, si anno præterito, quando erant sub regis grauissimi Philippi vexillo dimicãtes, cõtra canes illos regni Granatensis: templa diuina destruentes, relicto D. D. Ioanne ab

Austria

Auſtria inuictiſsimi Caroli quinti Imperatoris filio, animo & dexteritate atq; religionis Chriſtianæ fidelitate, vere patris ſui filio: vt eſt videre in victoria belli naualis contra Turcas menſe Octobri præterito habita, valde omni Chriſtianitati neceſſaria: quam, fere miraculoſe, Dominus noſter operatus eſt, reſpiciens non merita noſtra, ſed ſuam miſericordiã & Eccleſiæ neceſsitatem, & Pontificis Maximi Pij quinti Sanctitatem, & D.D. Ioannis ab Auſtria maris totius Principis humanitatem & bonitatem, & Sanctæ ligæ vnitatem, faxit Deus vt omnes Eccleſiæ Reges ad tam Sanctam vnionẽ veniant, vt ſic ad Sanctam ciuitatem Ieruſalem perueniant, fiat.

Si relicto, inquam D.D. Ioanne ab Auſtria, & vexillo Regis Philippi, & relictis militibus noſtris fortiſsimis & religioni Chriſtianę fidelibus, aliqui milites noſtri ad illos canes Mahumeticos fugiſſent (quod nec vnum audiui tale crimen perpetraſſe) & arma ad illos deportaſſent, & in fauorem illorum contra noſtros fideles, & tẽpla, in Regis Philippi iniuriam, imò & in Dei contemptum, & religionis Sanctæ vilipenſionem crudeliter pugnaſſent, multosq; milites ex noſtris trucidaſſent, & tormẽtorũ genera inaudita contra illos, vt ipſi Mauri fecerunt, exercuiſſent: armaq; tollerent, munitiones & ſpolia lucrata & captiuas mulierculas & paruulos portaſſent ad regulum ſuum irriſionis: quid de tanto ſcelere iudicaretis? Qua pœna dignos eſſe, venientes ad Regis manus? Omnium hominum eſſe peſsimos, & ſupplicijs grauiſsimis dignos, & equuleo ſuſpendi atq; diſtrahi putaremus.

Arrigite cordis aures fratres mei, nam etiam ſi vir rixę ſim & diſcordiæ (vt Ieremias dicebat) & nuntium durum vobis portem, non poſſum aliter facere, quam affirmare veſtro ore voſmet fuiſſe iudicatos: & vos eſſe, qui contra Regum Regem grauiſsime deliquiſtis, & contra omnes milites eius Chriſtianos fide & charitate Deo ſeruientes, viriliter contra dæmones & vitia dimicantes. Nam grauiſsimum bellum eſt Chriſto duci & paucis militibus eius, (nam ipſe ſcit quam magna hominum pars ſub fidei vexillo militet) cõtra omnes inferni poteſtates, & contra peccata, & malos homines à fide alienos. Et tamen (quod valde dolendum eſt) ex his noſtris militibus Chriſti, etiam ſub fidei vexillo manentes, abierunt alij auaritiæ ſtuden- *Iere. 15. C.*

tes, pauperũ ſanguinem rapinis & iniuſtis contractibus vt lupi fugentes: alij inflati ſuperbiæ vento ad Luciferi ſeruitiũ fugerũt: aliqui veſtrũ voluptatũ magis amatores (vt ait Pau.) fuiſtis quã Dei ducis veſtri: alij odio, blaſphemis, detractionibus vacantes, prius quã orationibus & ſanctis meditationibus: vnde, etſi non fide (quod ſic debet intelligi ſemper quod de Chriſtiano loquor ne animam maledictis hæreticis demus) tamen charitate & amicitia, multi ex vobis fugiſtis per ſcelera veſtra ad diaboli caſtra ſerui illius facti, iuxta illud ducis noſtri Ieſu, omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Quid infelicius tibi militi Chriſti accidere poteſt, quam peccati & nihili ſeruus fieri, cũ eſſes Dei filius cũ eras in gratia? Quoties filius Dei àiure peccati, ne te occideret, liberauit? A minis & tyrannide mortis, ne te dãnaret, & à Satana ne te perderet? Vnde vera captiuitas eſt à peccato, cui oẽs naſcimur ſerui, quouſq; per Chriſtum liberi efficimur.

*2. Ti. 3. A.*

*Ioan. 8. D.*

Non ſolũ peccati ſeruũ conſtituis te ò homo, quoties mortaliter peccas, ſed etiam dæmonis ſeruũ, iuxta illud D. Petri, à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. In quo loco D. Th. ait, loquitur ad ſimilitudinẽ ſeruitutis acquiſitiuæ, qua olim capti ab hoſtibus eorũ ſerui efficiebãtur. Similiter capti à diabolo & à peccato, ſerui ſunt & diaboli & peccati: vnde cũ ſeruus, in quantũ talis, minor ſit Dño ſuo, & impij homines ſint ſerui peccati, & peccatũ ſit nihil, ipſi in quantũ peccant ſunt minus quã nihil, & minus quã dæmõ, cuius ſerui fiunt. O peccati ignominiã: vnde & Pau. ad Romanos ait: an neſcitis quoniã cui exhibetis vos ſeruos ad obediendũ: ſerui eſtis cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam.

*2. Pe. 2. D.*

*Rom. 6. C.*

Vere millies vellem quota hora illam Salomonis ſententiã repetere, & in corde meo & veſtro ſanguinis guttis ſcribere: quã do dicit, miſeros facit populos peccatũ. Quid magis miſerabilius quã facere te ex milite Chriſti, dæmonis ſeruum, & ex filio Dei per adoptionem filium nihili & damnationis? Nil mirum vt ſic peccati grauitatem multoties repetam, nam quod magis in hoc opere de ſidero intimare, poſt Dei ſeruitium, & animarũ ſalutem, eſt delicti mortalis malitiam fidelibus diſcooperire, & eius grauitatem oſtendere, etiam ſi totaliter non poſsit fieri, vt ſic homines tanquam à facie colubri peccatum fugiant, ex conſilio Salomonis.

*Prou. 14. D.*

*Eccli. 21. A*

Multi

Multi igitur ex vobis in dæmonis adiutorium contra filium Dei & eius milites per annum insurrexistis, quos grauissima affeciſtis iniuria, tollendo auxilium quod illis impendebatis, dū simul cum illis in Dei gratia eratis contra diaboli castrum: insu per multos ex nostris, vestro pernicioso exemplo, & verbis ad malū inuitantibus, occidistis: & cōplures mulierculas captiuas & peccatis oneratas ad dæmonis dominiū pertraxistis, modo voluntate modo vi. Multorū arma ideſt virtutes tulistis, quibus in Dei seruitiū fortiter pugnabant. Meritorū munitiones tam vestras quā aliorum, quos ad malum induxistis, destruere non timuistis. Tēpla Dei viua polluistis. Quo supplicio digni sitis, vos ipsi iudicate: nam hæc omnia feciſtis mala. 2. *Ad Tim.* 3. *B.*

Audite & amplius, nā velim maxime culpā vestrā pro viribꝰ & posse grauissimā fuisse ostendere coram cordis oculis, & qua pœna dignā, vt inde magis vobis Dei, expectantis ad pœnitentiā, misericordia constet, & impœnitētiū ingratitudo, & scelus aliquando puniendū suspendio æterno. Si talis fugitiuus miles ducē regis inimicum in domo sua reconderet, nutriret atque defenderet, imo pictum in fronte contra regem suum, & coram illo & in domo regia deportaret: quid de malitia illius iudicaſles? Qua pœna dignum dixisſes? Hæc omnia longius & fusius & mirifice Raymundus in sua Theologia naturali, nunquam satis laudata, ponit: nos vero summatim. *Simile.* *Titu.* 301.

O peccator, ipse es miles ille infelix & proteruus & à Domino tuo fugitiuus, qui diabolum Christi inimicum in domo cordis tui in hospitem recepisti, & eum vitijs nutriuisti, & verbis defendisti, imo pictum in corde contra Dei honorem portasti, & coram illo, & in Ecclesiam ausus fuisti illum tecum adducere, cum sit domus regia. Et vtinam aliqui altaris ministri, ad consecrandum filij Dei corpus, ne accedant tali societate comitati ad altare, quod faciunt in mortali accedentes. Tantos, contra Deum & milites suos bonos, erexisti satellites, quanta peccata mortalia perpetrasti: cum à rege cœlesti stipendium conseruationis & sustentationis incessanter accipias. Quo supplicio dignus es? Si talia feci, æterno suspendio sum dignus.

Audite hæc milites duci vestro Christo traditores, quis auderet talibus militibus proditoribus, & fugitiuis venian promitte

re ſine regis conſilio, ad nos reuertere volentibus, & inimicos relinquere? Nullus, ſed ſuſpendium, ſed crucem, ſed furcam, & mortem atrocem. Si tamen Rex noſter Philippus (vt eſt miſeri cordia ſicut iuſtitia præditus, imò & magis) iuberet per fideliũ caſtra tale diuulgari præconium, Omnis miles fugitiuus, qui à caſtris regis ad Mauros receſsit, in ducis ſui iniuriam, & commilitonum damnum, reuertatur ſtatim ad Regis ſui caſtrum, & delictum eius erit dimiſſum, & ſtipẽdia integra accipiet, & nec verbum durum ſuæ proditionis à duce nec à militibus vnquã audiet, quis regis benignitatem & clementiam ſatis laudare poſſet? Quis hucuſque talia audiuit? Quando legiſtis hoc contingere? Quis militum ſtatim ad caſtrum regis non eſſet reuerſus? Væ militi talia audienti, & cito non reuertenti.

O Rex Regum Chriſte, ò benignitas tua immenſa, ò pietas
*Ezech. 18. E.* tua tibi digna, qua motus dixiſti: nolo mortem animæ peccatoris, & militis mei traditoris: ſed vt conuertatur ad caſtrum virtutis & vita gratiæ viuat. Vidiſti Domine, multos ex his militibus tuis fidelibus, per omnes fere anni menſes à te dux diuine, per culpam ad canes infernales fugientes, in grauem tui ignominiam & non minimum tuorum fidelium damnum: & in magnam animarum ſuarum perniciem, contra bonos, in dæmonis adiutorium debellantes, & cõtra te mille peccatorum telis. Quis noſtrum, imò & ſanctorum, imò & angelorum tanti ſceleris & proditionis, illis veniam promittere audebit? Quis niſi flagella & ſuſpendium illis manere affirmabit? Ego angelorum dux benignus & miſericors pater, cum ſim multus ad ignoſcendum, hodie in capite ieiunij, in vniuerſali Eccleſia mea, tale edictum per Ioelem præconem meum iubeo diuulgari libenter. Vnuſquiſque veſtrum fidelis & meus miles, qui in iſto anno præſenti, me duce relicto per culpam & iniurijs laceſſito, quãuis ſub fidei vexillo manens, & militibus meis fide & charitate ſpretis & damnificatis, fugit, ſuo malo, ad dæmonũ & infernalium ſocietatem; reuertatur obſecro ad me cito, & vere, & ad fideles meos per gratiam à me dandam, & ego omnia delicta contra me & fideles meos perpetrata illi remitto. O magna Dei clementia. Et amplius faciam: quia recipies ſtipendia meritorum iuxta contritionis tuæ qualitatem: & nec verbum vllum exprobrationis à me audies, cum merito poſſem tibi

tibi dicere, O peſsime miles, quid in me, aut in Eccleſiæ meæ caſtro, aut veris meis militibus vidiſti, quia ſic aufugiſti à me? Quid tibi defuit? quo modo tibi fuit in hoſtium caſtris? de hoc nec vllum verbum. Sed conuertimini ad me milites fugitiui, & citò, & verè, & ego parcã vobis, atque corde recipiã.

Quis veſtrùm eſt corde ſic pertinaci & in lapidem obſtinationis conuerſo, vt tantæ miſericordiæ verbis non fiat mollis vt cera, & ſtatim ad tam benignum parentem perfectè conuertatur? Quis veſtrum relicto dæmone, & peccato ad talem ducem eius adiutorio non reuertitur modo, ante quã ab Eccleſia egrediatur? O hominum duritia, ô conſuetudinis prauæ damnum, O magna Chriſti benignitas, homines fugitiui & impij non cogitant de ſua vtiliſsima reuerſione ad te Domine, & ipſe qui bonorum militum, quanto magis impiorum, non eges, inuitas illos & magno deſiderio iubes, vt in nomine tuo hodie dicatur: conuertimini ad me & citò? Illis incumbit non minus quã vita æterna & fugere mortem perpetuam, & nil minus quã de reuerſione ad te cogitant: & ipſe miſericordiarum pater, cui accedere non poteſt gutta beatitudinis, magnum præconium per omnes Eccleſias tuas hodie reſonare iuſsiſti, dicens: conuertimini ad me miſeri milites mei, qui à vobis & à me malo veſtro receſsiſtis? Venite ad me contritione peccatorum debita, & contra inimicos veſtros, fortitudine mea vita & ſanguine meo vos adiuuabo. *Pſal. 15.*

Nam ſi rex pro viribus militem ad ſe reuertentem adiuuaret contra illum impedientes: quanto magis ego rex cœli, ſi vultis peccatum pœnitentia deſtruere, adiuuabo vos? quis Dominus vnquam iniuriam à ſeruo patiens, prius ad pacem inuitat, & ſeruum rogat vt ad ſuam reuertatur amicitiam? nullus niſi Dominus Ieſus: qui iniurijs multis affectus, à ſeruis ſuis ſanguine proprio redemptis, rogat prius illos circa illa quæ pacis ſunt dicens: Eia fratres conuertimini ad me, reconciliamini mihi: nam pro me (vt ait Pau.) omnes concionatores legatione funguntur, tanquã Deo exhortante per illos, Obſecrantes pro me Chriſto hoc, vt reconciliemini Deo, diuinus eſt locus & alibi fuſius à me expoſitus. *2. Cor. 5. D.*

Sine peccatores Domine, & milites traditores, qui per ſcelera (etſi non per fidem) à te receſſerunt, vt ipſi magno gemitu ad

te

te veniant indulgentiam ſcelerum ſuorum cordis lacrymis pe tendo: ne prius ipſe ad pacem inuites: cum ſis qui iniuriam paſſus es ab ipſis, & neminem vnquam læſiſti. Alias credent crimen læſæ maieſtatis contra te ab ipſis perpetratum cum ſit grauiſsimũ, multum leue eſſe. Sine vt prius fletibus & omniũ ſanctorum precibus toto corde veniam petant à te vt ſciant quid ſit contra talem Dominum peccare. Nil tale faciam: ſed ne animum demittãt, aut de bonitate mea deſperent, prius ego etiam ſi iniurijs laceſsitus: ad reconciliationem illos vocabo, di cens: conuertimini ad me vere, meo auxilio adiuti, & abſque dubio recipiam vos in mei amicitiam, cum inuitem ipſe ad cõuerſionem, quia etiam ſi potuerunt me ſuis delictis relinquere, & ad inimicum pergere: cum libero arbitrio præditos fecerim illos: & ſe dæmonis fugitiuos ſeruos cõſtituere, & culpis occide re, propria voluntate peruerſa abutentes: impoſsibile tamẽ eſt illis tam duram diaboli ſeruitutem fugere, & ſe gratia viuificare & ad me per ſe reuertere, ſine me & auxilio meo: ideo prius dico, conuertimini ad me.

Item ſi ego dux cœleſtis prius illos nõ inuito, & gratia mea non præuenio, ipſi nil minus quam de ſua conuerſione cogitant: & ne aliquis terreat illos, ad me reuertere volentes. Nã ob
*Luc. 15. F.* hoc de prodigo dico, quod pater ſuus vidẽs illum cum adhuc à longe eſſet, miſericordia motus occurrit illi, ante quam filius in terceſſores mitteret & oraret & ad patrem veniſſet. Vt ſciant omnes impij prodigo ſimiles, qui à me receſſerunt per crimina viuendo luxurioſe, & ciui infernali adhæſerunt, ſi ad ſe reuerti voluerint & ad me conuerti citò, me non expectare illorum ad uentum ad me, ſed gratia mea illos præuenire: quia miſericordia motus, cum adhuc longe ſint à me & à ſalute, illis occurro: ne aliquis obſtaculum ponat, & illis dicat, me iratum eſſe contra ipſos, vt prodigos & dæmonis ſeruos & vitiorum cuſtodes, ita vt non velim recipere illos, vnde pereant in fuga: ideo præuenio ipſos. O Dei pietas & amor.

Fuimus fratres mei, multi hic aſtantes, qui aliquod mortale crimen contra Deum hoc anno perpetrare non ſumus veriti, & ipſum cœleſtem ducem relinquere, vt oues errantes à paſtore diuino, vnde perimus à gratia. Imo lupi rapaces exiſtentes, vnuſquiſque in viam ſuam prauam declinauit contra di-

uinum

uinum ducem. Alius ad herbam facultatis alienæ cucurrit, alius ad vxorem proximi vt equus: alius ad honorem, vnde tales in ore dæmonis per hoc tempus non timuerunt esse contra Dominum suum: nec doluerunt, imò de tanto crimine non cogitauerunt, nec de reuersione ad tantum patrem, qui sanguine suo illos acquisiuit. Ingreditur hodie benignus dux & pastor amore plenus, quasi dolens de perditione vestra à vobis incognita, dicens: conuertimini ad me ducem, vos milites mei, ad me pastorẽ, lupo relicto, vos oues meæ errantes, de crimine dolentes verè, & recipiã vos & ab omni malo defendam.

Quod per Isaiam promisi adimplebo: vsquam ad senectam ego ipse, & vsquam ad canos ego portabo vos in humeris meis. Ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo. Locus iste (vt Adamas annotat hic) in primis est aduertendus: quia exprimit mirabilem Dei affectum erga peccatores, ad ipsum reuertere volentes. Acsi dixisset Dominus: quod mater indulgens & affectibus amoris plena erga filium suum tenerum facit: hoc ego præsto vobis, etiam si me offendistis, & culpis me dereliquistis. Tamen vsque ad senectam vestram ego ipse portabo, & tolerabo pueritias vestras. Mater enim aliquando curam filij sui deponit, quando scilicet factus est vir aut ingratus illi: ego autem nunquam curam vestri deponam, nec ob peccati vetustatem, nec ob vestram ingratitudinem. Nam ego non solum vos creatione feci, sed etiam sanguine rede mi: & sic qui super humeros meos peccata omnium vestrum in ligno pertuli, quomodo non feram modo delicta vestra, si ad me cito & verè conuersi fueritis? Conuertimini ad me amabo, & ego feram crimina vestra parcendo vobis: ego portaui in humeris meis: ego saluabo vos, tantum conuertimini ad me adiutorio meo vobis oblato. *Isai.46.3.*

Vultis ampliùs malitiã vestrã, in peccato mortali inclusam, qua Deum reliquistis, intelligere: vt ipsam detestemini, & velocius ad Dominũ reuertamini? Iuxta omniũ Theologorũ sententiã in scholis receptã, omne mortale crimen duplicẽ habet malitiam, quãuis vnica sit culpa: primam auersionẽ à Deo vocant, & secundam ad creaturas conuersionem. Nos tamẽ triplicem malitiam, in quolibet mortali peccato inuolutam ponamus, cũ D. Bonauentura, in suo breuiloquio, sic dicẽte: in omni peccato *To.1. par.7. c.6.fol.89.*

peccato actuali mortali, est deordinata auersio â summa luce & bonitate, & inordinata conuersio ad bonum commutabile: & deinde est deordinatio voluntatis contra dictamen rectæ rationis: quod est tertium merito ab ipso additum.

*Iere. 2. c.* Hoc theologorum dictum ex Ieremia capite secundo sumptum est: vbi ait: Trãsite ad insulas Cethim & videte: & in Cedar mittite, & considerate vehementer: & videte an inter illos paganos factum sit huiuscemodi: si mutauit gens illa Deos suos falsos, & certe ipsi non sunt dij: sed dæmones. Populus vero meus fidelis, mutauit me gloriam suam & gratiam in idolum: id est, in voluptatem aut odium, quod vt idolum amat plusquã me. Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus & omnis homo, quoties contra me peccauit (imò & tria vt dictum est) in quolibet delicto mortali. Primum, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. & foderunt sibi cisternas dissipatas vitiorum, quæ non valent continere aquas gratiæ: ecce secundum, ad creaturas conuersionem. Et nolle aquam è fonte sine labore, sed velle laborare in cisternarum fossione, hoc non est contra dictamẽ rationis? Obstupescite cæli, id est, ex admiratione motum amittite, & nolite cursum vestrum in hominum obsequium peragere, cum ipsi, rationales cum sint, contra me per vitia currere non dubitant, me fontem viuum relinquendo & ad dæmonem pergendo labore non minimo, cum inique agãt. Et vos portæ cœli desolamini vehementer, ne sit ianua qua in cœlum ingredi valeat, tam traditor miles, qui sic iniuriã mihi irrogauit.

Vt quid Domine mi, tam graue supplicium cõtra populum tuum? duo enim mala fecit contra me, si non sunt tria, in quolibet mortali delicto inclusa, populus meus, & omnis fidelis miles meus mortaliter delinquens: primum, me dereliquit, me Deum suum patrem, & redemptorem, me fontem aquæ viuæ
*Ioan. 4. B.* gratiæ vitam dantis, & vsque in vitam æternam salientis: quam gratiæ aquam sine labore ferè haurire poterat meo auxilio: nã ideo me fontem appello, in quo aqua stat saliens supra, non vt in puteis. Si te fontem reliquerunt ob alium fontem dulcem, quid mirum? Et quis riuus aut fons tam dulcis potest reperiri,
*Cant. 4. D.* vt ego Iesus fons hortorum? Tamen non ob fontem me dereliquerunt

querunt, sed propter cisternas disipatas fœtidas & gratiæ aquã continere non valentes, nec verum gaudium: sed magno dolore simul & labore illas foderunt: ambulando vias difficiles (cum illis damnatis qui in sapientia de hoc conqueruntur) lassati in via perditionis & iniquitatis. Et postquam voluptatem aut vin dictam magno labore & fosione obtinuerunt, statim gaudium effunditur, & manet mœror intolerabilis & reatus ad pœnam. Ideo cisternam putridam & serpentibus plenam, atque disipatam, non valentem gaudij guttam continere, voco omne quod homo contra me diligit, & complectitur. *Sap. 5. A.*

Reliquisti peccator, me fontem dulcẽ bonis infinitis plenũ, clarum, ex quo multa bona tibi prouenire poterant: vt quid ad cisternas vitiorum & aluercas peccatorum abijsti? Obstupescite cœli & influentias vestras, nolite in tam insensati hominis fauorem emittere, vt antea vita careat quam ad vitia properet, me diuino fonte relicto; contra rationis dictamen, absque dubio illi proponens, vtilius illi esse ex fonte claro sine labore, & gratis Dei auxilio meritorũ aquam & gaudij veri haurire: quam magno labore conscientiæ remorsu & dolore, neque sine magno facultatũ sumptu, honoris, vitæq; dispendio & animæ iactura, cisternas fodere putridas ad cœnum voluptatis captandum.

Esto iudex ipse de homine, cibos sapore & sanitate refertos abhorrente, & vinum optimum odiente: interim tamen toxicum comedente & venenum mortiferum bibente. Obstupescite cœli, dignum quocunque supplicio esset. Et si reiecta, à se purpura & bysso, stercora & cœnum amplexatus esset? Obstupescite cœli de homine potius bruto. Et si fueris à me cõiectus ò homo te similia feciisse quoties mortaliter peccasti, & hoc scriptura sacra attestante, quid de inde dices: Obstupescite cœli de insania peccatorum, dicat Ieremias in lamentis, nam qui vescebantur voluptuose, fideles cibum corporis Christi in gratia recipiẽtes, vnde dapes cœlestes gratiæ & aliorum donorum solatij & gaudij veri gustusque superni, hæreditabant: ad toxicum peccati, & voluptatis venenum, gratia Dei spreta, conuersi sunt: vnde interierunt spiritualiter in vijs suis prauis, & in operibus malignis. Vtinam contra me & alios altaris ministros, hoc vere nõ esset dictum: qui in eadem hora aut die & sacram buccellam recipiunt, & interemptos illos videas spiritualiter, in vijs suis pra- *simile.* *Thre. 4. A.*

uis, à se multoties iteratis, & in via ad literam.

Et qui nutriebãtur in croceis & vestibus charitatis, pulchris, & odore bonæ famæ plenis: relicta & contempta charitatis pur pura, & castitatis byſſo, amplexati sunt stercora peccaminum fœtida, pessimum dantiũ odorem infamiæ & scandali. O Deus meus, vtinam & multis sacratis vestibus Ecclesiæ vtentibus, istud Ieremiæ lamentum vere non applicaretur: qui diuino officio peracto & vestibus benedictis nudatis in sacrario, eodem die, aliqui illorum (non omnes, cum multi sint altaris ministri deuoti, charitate & castitate decorati) non abhorrent vitiorum cœnum & voluptatis stercus amplecti. Obstupescite cœli de tam præpostero & execrando ordine, me Deum, ob dæmonẽ relinquere: me fontem diuinum, ob voluptatis cisternam: me cibum Angelorum ob vitiorum toxicum: meam charitatis vestem abhorrere, ob maledictionis indumentum. Conuertimini ad me homines à dæmone fascinati, & à vobis ipsis decepti, & recipiam vos.

*simile.* Quis vnquam vidit hominem sic stolidum & insanum, qui cum rex optimus & grauis ipsum inter brachia gaudenter presſum haberet, nisus esset manibus & pedibus regem pulchrum odoriferum & beneuolum, in magnam ipsius contumeliam relinquere: & hoc vt ad nigrum, fœtidum, leprosum, deformem, senem & pessimum amplectendum se conuerteret? Obstupescite cœli, imo & omnes cœlicolæ admiramini, & insurgite contra hominem fidelem, vtinam ne sacerdotem, sic quoties mortaliter peccatâ gratia cadendo, mecum se habentem Deo vero. Nam cum ego rex benignissimus Deus, pulchritudinem omnium rerum in me eminenter continens, inter brachia mea amplexum per gratiam haberem libenter: ipse vero stolidus parui pendens honorem suum, quem mecum habebat, totis viribus cogitatione & opere nisus est peccato me relinquere, & culpæ morsu manus meas percutere, vt illum dimitterem. Et quare hoc? Vt dæmonem nigrum, deformissimum, senem maledictum ac pessimum, obstinatione leprosum amplexus esset, & peccatum diabolo deformius.

Obstupescite cœli de tanta peccatoris militis mei insania, & de mea benignitate: quia etiam si tanta me affecit ignominia, veniam illi promitto reuertenti ad me. Audite me quam dul-

cibus

cibus verbis ipsum alloquor: conuertere ò homo in te & ad me, à tam detestando nigro, & recipiam te: vide animi oculis sinistram electionem tuam. Non sic eligebat sponsa Christi Catharina Alexandrina, pulchra valde & sapiens, non sic vt ipse peccator, quæ, Maxentio Imperatori dicenti, recole quod tibi dixi Catharina, non te quasi famulam retinere cupimus: sed vt regina potens & electa in regno meo triumphabis, respondit: attende & tu obsecro & iudicij tui veridica ratione discerne: quem magis eligere debeam, Christum Dominum omnipotentem, æternum, glorioſum & decorum: an te infirmum, mortalem, ignobilem & deformem? Veni Catharina, modo ad nostrum infelicem mundum, & in multis fidelibus hanc præpostera electionem quota hora inuenies, quoties gratia relicta peccatum amplectuntur. Et vtinam ne reperias tam execrandam electionem inter moniales Christi sponsas, plus hominem pestiferum & sua praua colloquia diligentes, quam Christum sponsum earum & horas canonicas: væ tamen illis sic se habentibus. Cœli obstupescite de sponsæ monialis tali electione.

*D. Anto. 1. p. hist. tit. 8. §. 38. cap. 1.*

Nam quis sanæ mentis spretis rosis, spinas esset amplexatus? Dignus esset vt totus maneret cruentatus. Quis, etiam canis, pane conculcato, lapidem comederet? Quis aqua contempta, cœnum biberet? Quod animal brutum, hordeo relicto, terram manducaret? Quis sic in insaniam versus est, vt mel odio habeat, & fel auide bibat? Obstupescite cœli, nam solus homo peccator has sinistras detestandas & execrãdas animæque sic valde nocuas, quota hora non timet facere electiones: me Deũ verum inhonorando & per culpam amicitiam meam relinquẽdo, & se meritis spoliando atque crimine occidendo.

*similia.*

Solus peccator est ita sensibus destitutus, & recta ratione orbatus, qui relictis virtutum floribus & meritorum rosis, non timet spinas voluptatum & diuitias male partas, sicà Domino appellatas in euangelio seminis diuini, cordis sui manibus attrectare & amplectere. Solus homo vitio deditus, est canis rabidus qui panẽ gratiæ & corporis mei cibum, non vereatur conculcare, dummodo panem voluptatis mendacẽ, & deliciarũ cœnũ comedat. O bruto animali stolidior homo, cibũ animæ, virtutes nẽpe, spernẽs: & terrena mãducans: mel cœlestis solatij, &

*Luc. 8. B.*

bonæ conſcientiæ guſtum odio habens, & peccati fel tam amarum & inſipidum, tam libenter bibens. Cœli obſtupeſcite, de tanta hominis inſania, ignem concupiſcentiæ & vindictæ auidius ſumentis, ad Salamandræ ſimilitudinem, quam veras virtutum & charitatis dapes recipientis.

*Simile.* Eſt ne aliquis veſtrum ſic ad malum audax, & temerarius homo, qui coram auditorio iſto Chriſtiano, auderet, Virginis Deiparæ imagini terga vertere, data opera, & publice hoc ipſum dicere? Quid ſi talem impudentiam, contra imaginem crucifixi Burgenſis, quis perpetraſſet? Obſtupeſcite cœli, omnes hic aſtantes dentibus dilacerare voluiſſetis huiuſmodi peſtiferum hominem. Portæ cœli deſolamini, nam omnes hic aſtãtes, qui paruo Dei timore moti, maieſtatem diuinam aliquo mortali crimine offendere hoc anno non timuerunt, hoc ipſo facto, nõ ſolum Dei matris imagini, ſed ipſi virginum reginæ: non tantum crucifixi ſimulachro, ſed ipſi Deo viuo & vero terga verterunt gratis, & faciem ad dæmonem & vitia mortifera.

Conuertimini ad me, etiam nunc poſt flagitia tanta, & reuera recipiam vos libenter, neque opera veſtra maligna exprobrabo, neque inurbanitatem veſtram, qua contra me vſi eſtis, terga vertendo. O Hieruſalem Hieruſalem, ò anima ad viſionẽ pacis cœleſtis creata, conuertere iam tandem ad me ducem tuũ, paſtorem & Deum tuum. Audite peccatores, querimoniam & quæſtionem corde ruminandam, à duce veſtro diuino vobis & contra vos poſitam: forſan non eſt alia cordi meo magis dolenda, in magna ſcripturæ parte, & eſt in Ieremiæ prophetia poſita: vbi, relictis Iudæis modo, ad nos loquatur Deus.

*Iere. 2. A.* Hæc dicit Dominus, quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, aut vos, quia elongauerunt ſe à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, vnde vani facti ſunt? Interrogo & vos fideles mei, hic in ſacro Cinerum die aſtantes, & verbum diuinum audientes, hanc dolendam quæſtionem: quid iniquitatis tyrannidis, aut malæ ſolutionis, inueniſtis in me duce ſacro diligente vos, ſeruante, alente, defendente, & ſanguine meo redimente? Aut quid beneficij & bonitatis in me non inueniſtis, quia ſic, per bonam iſtius anni partem, corda veſtra elongaſtis à me, dilectionem debitam & ſeruitium ſubripiendo, & poſt vanitatẽ veloci greſſu pergendo? Iuſto Dei iudicio vani facti eſtis, id eſt

inepti

inepti ad beatitudinem, ad quam eſtis creati, obtinendam: reſpondeat quilibet, quia.

Cõuertimini ad me poſt omnia iſta, & ego recipiam vos. Magna eſſet impudentia ſerui ſubſannatoris, qui vocatus à domino ſuo, noluiſſet faciem ad illum conuertere. Quid ſi talis ſeruus diciſſet Domino ſuo: conuerte faciem tuam ad me, & Domino faciem conuertenti ad ipſum, irridens terga vertiſſet, quibus erat pœnis & flagellis dignus? Obſtuporem induite cœli & omnes qui in cœlis eſtis, de multorum fidelium hic aſtantium impudentia, qui multoties à me vocati multimodis, vt ad me conuerterentur, & tamen (vt per Ieremiam conqueror) indurauerunt facies ſuas ſupra petram, ideſt conſcientias obſtinatione, petra duriores fecerunt, & ſic noluerunt ad me reuerti, & multoties per annum graui peccatorum pondere preſsi, & à proprio conſcientiæ verme afflicti, aliqui illorum rogauerunt me Dominum ſuum, dicentes: conuertere ad nos, vſque quo auertis faciem tuam à nobis? & tamen hodie, imo & ſæpe ſæpius, faciem pietatis meæ ad illos conuerto dicens, magno ſuæ conuerſionis deſiderio & ſiti, conuertimini ad me paſtorem veſtrum oues errantes: & vt corde adamantino noluerunt, nec vultis, reuerti?

*Simile.*

*Iere. 5. A.*

Eſt ne credibile, quod inter tot militum impiorum, qui hoc anno à me per culpam, etſi non perfidem, receſsiſtis, aliqui veſtrum aliqua hora, ad ſe reuertentes, plorantes cum Ieremia nõ dixiſtis, orationem ſui lamenti, amaro animo & eiulantes, Recordare Domine, quid acciderit nobis? Hoc eſt, fac nos in mentem reducere, quid damni grauiſsimi acciderit animabus noſtris, poſtquam temeritate inaudita, à te receſsimus peccando, & dæmonis vexillo adhæſimus. Quid acciditvobis oues paſcuæ meæ? multa experti ſumus mala, & alia innumera quæ neſciimus, nec vidimus: ſed inter alia intuere & reſpice oculis miſericordiæ tuæ opprobrium noſtrum, ad quod peccando peruenimus: nam aquam noſtram voluptatis putridam, pecunia, ideſt, facultatum diſpendio, & animæ iactura, magno labore & dedecore bibimus, per inſtantis ſpacium durantem: vnde ligna noſtra, ideſt vitia: quibus incenſi erimus in inferno, ſi noſtri non fueris miſertus Domine, pretio magno corporis & animæ cõparauimus: & nobis laſsis in peccatis, à malignis non dabatur

*Thre. 5. A.*

requies. Quia cum essemus filij tui per gratiam, delinquendo mortaliter serui infernales, & illis peiora vitia, dominati sunt nostri, & non est in nobis qui redimat nos, nisi tu creator noster, de manu graui eorum.

Vnde quia talem patrem nostris malis ad iram prouocauimus, & tam duræ diaboli seruituti nos subiecimus, defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia grauiter peccauimus. Tamen conuerte nos Domine, tuo auxilio ad te & ad amicitiam tuam, & conuertemur: id quod ex parte nostra ad conuersionem petis, etiam si parum est, tribuendo: sit vocationi tuæ assentire: id quod sine auxilio tuo non fit, vel non dissentire. Innoua dies nostros, vt sint sicut à principio nascentis Ecclesiæ: aut à principio cuiuscunque status aut religionis sanctæ, quando est cor vnum & anima vna in Domino. Et hodie dico, sit ita, conuertimini ad me vere & ex animo, & ego pater vester & dux cœlestis conuertar ad vos. Et tamen hinc egressi statim ad vestras consuetudines prauas faciem conuertitis, & mihi terga. Vt quid ausi estis loqui mecum ioco? Conuertimini ad me, & attente pensate, quanta vilipensione affecistis me, quando diuisi per culpam fuistis à me, & quam graue damnum simul & periculum animæ vestræ incurrerunt.

*Concili. Tri. Sess. 6. cap. 5. & can. 4.*

*Iuxta ritum Missalis veteris.*

Vt quid cogitatis, ab hodie vsque in Feriam quartam maioris hebdomadæ, velum istud inter vos & sacerdotem sacrum facientem positum esse ante altare? Quid sibi vult ceremonia ista sacra & antiqua Ecclesiæ? Pia mater à spiritu diuino edocta, dolens vos per totum fere annum diuortium contra Dominum vestrum per culpam fecisse, illi terga vertendo: tali velo tam miserandam diuisionem inter vos & sacerdotem Iesum insinuat, & dignos vos esse sua visione cœlesti perpetuo carere. Nam culpa vestra mortalis, fuit murus æneus tã fortis, durus & vsque in cœlũ eleuatus, & tã stupendã diuisionẽ inter vos & Deũ vestrũ faciens, vt illo permanente & stante: nec vos ad videndũ Deum beatifica visione potestis accedere, nec Deus vult ad se vos introducere. De vobis ipsis conqueritе peccatores tam dolendam diuisionem componentibus.

Audite querimoniam non contemnendam à creatore vestro contra vos ob talem de testandam peccati materiam, à vobis

bis contra ipſum fabricatam, propoſitam: per illuminatiſsimum Iſaiam exaratam: ecce, non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat: neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate male operando: labia veſtra locuta ſunt mendacium contra proximum & blaſphemiam contra Deum: & multa alia mala feciſtis. Ecce, aperite mentis oculos, dicat Dñs Ieſus, eſtne abbreuiata manus mea & non potius in cruce extenſa ad effundēdum ſanguinem meum abunde, quo vos abluerem? eſt ne potentia mea curta, aut paſsio crucis inſufficiens ad ſoluendum pro delictis veſtris, ita vt non valeam aut velim animas veſtras à culpæ captiuitate redimere? Potentiſsimus ſum vt valeam, ſapientiſsimus vt ſciam, optimus vt velim, quare in honoraſtis me de hoc iudicando manum meam eſſe abbreuiatam? Certe bene poſſum & volo liberare vos. *Iſai.59.A.*

Domine, vnuſquiſque noſtrum in peccato exiſtens clamauit ad te, & poteſt dicere cum Habacuc, vſque quo Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Et ipſe per Iſaiam dixiſti cuilibet peccatori, cum multiplicaueris orationem non exaudiam. Et Ieremiæ pro populo peccante oranti, dixiſti: ne obſiſtas mihi, quia non exaudiam te: vnde videris Domine, non velle ſaluare nos in tantis conſtitutos anguſtijs, & quod poſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio noſtra ad aures tuas, vt plorat Ieremias, quid faciemus? Confitemini vere delicta veſtra in confeſsione, & toto corde dicite cum Ieremia ibi: nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus te: idcirco tu inexorabilis es: alias eſt ne aggrauata auris mea vt non exaudiam? Non, ſed ſi vultis veritatem huius rei ſcire, ſcitote quia iniquitates veſtræ diuiſerunt, & ſtupendum murum ferreum fecerunt, inter vos peccatores, & me Deum veſtrum: & inde eſt, quod nec vos, nec oratio veſtra, ad me tranſit vt decet. *Habac.1.A.* *Iſai.1.D.* *Iere.7.D.* *Thre.3.F.*

O tremenda diuiſio, hominis miſeri à Deo per culpam, ô murus ſatis infelix, & terribilis à Deo ſeparatio, a Domino dominorum, medio deteſtando fabricata, nempe mortali crimine & flagitio puniendo. Modo tamen miſericors & miſerator

Dominus ſua pietate motus ingreditur dicens: rumpite iam murum iſtum ferreum, quem ſceleribus veſtris in mei contumeliam ædificare, magno animæ labore & ſumptu, non eſtis veriti: & ego ad illius deſtructionem iuuabo, nam ideo dico cõuertimini ad me, vt meo auxilio, & veſtra contritione, tam durum culpæ parietem rumpamus. Saltim quia iam per me mo-
*Matt. 27. F* rientem in cruce velum iſtud peccati ruptum fuit, in cuius ſignum velum templi ſciſſum fuit in duas partes, quia non ſolum à me ſciſſum eſſe oportebat: à ſummo, id eſt, à me Deo ſupremo, vſque deorſum, hoc eſt vſque ad te ò peccator in imis degens, quia & ipſe debes ſcindere tale culpæ velum: & ideo crucifixus ego ſum, quare audes iterum texere illud.

Quare creditis me ſaluatorem veſtrum, tãta in corpore meo fuiſſe tormenta paſſum, quouſque per prophetam dicerem: vt quidirruitis Iudæi & milites præſidis in me hominem verum
*Pſal. 61.* & Deum, poſt mortem lancea latus meum aperiendo? Quo vſque interficitis vniuerſi vos hominem defunctum, acſi parieti inclinato incumberetis minanti iam ruinam, & maceriæ de pulſæ, quæ debilis eſt ſine ligamine? Iam inclinato capite tradidi ſpiritum: iam maceriem corporis mei mors dura in cruce proſtrauit, vt murum peccatorum veſtrorum milites mei Chriſtiani, inter me & vos criminibus veſtris fabricatum, deſtruerem. Quæ vos dementia cepit, aut quod factum faſcinauit animas veſtras, vt iterum atque iterum tam execrandum peccati murum reædificare non dubitetis: vnde irruitis millies in me Deum veſtrum non in cruce exiſtentem, ſed ad patris dexteram ſedentẽ? Quouſque irruitis in me olim pro vobis mortuũ, & velut maceriem de pulſam in cruce exiſtentem?

Conuertimini ad me & cito cum diem, imo nec mortis horam ſciatis: non tardes homo, ſi intellexiſti quam graue malum ſit te vertiſſe terga Deo tuo, conuertere te ad illum, & audi illũ
*Iere. 2. D.* per Ieremiam te admonentem: arguet te malitia tua in vita, ſed terribilius in mortis hora, & auerſio tua à me Deo vero, heu quomodo increpabit te in iudicio finali tuo: ſcito experientia, & vide fidei oculis, quia malum culpæ & amarum pœnæ eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum peccando, & non eſſe timorem eius apud te: vnde valde tibi neceſſarium eſt conuerſionẽ tuam auxilio Dei adiutũ accelerare, & dictum Salomonis cor-

dis

dis auribus accipere & opere adimplere.

Misericordia Dei & ira cito proximant, misericordia erga pœnitentes, & in peccatores obstinatos respicit ira illius. Ideo non tardes peccator conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, voce coruina vtens, cras cras: subito enim veniet ira Dei & in tempore vindictæ, scilicet, in hora mortis & iudicij disperdet te. Terribilis est iste sapientis locus, contra multos conuersionem suam, in magnum animæ suæ detrimentum, differentes: stupenda est minatio contra vos veloces ad malum & valde pigros ad bonum. Destructus eris ab ira Dei peccator in tempore vindictæ, si conuersionẽ tuam distuleris post vitam: & merito ob multas causas, & multiplicia scelera à te perpetrata. *Eccli. 5. B.*

Primum, quia inurbanitatis est & malæ indolis sic Deum irridere te vocantem, & tuam conuersionem desiderantem. Cõuerterehomo, ad Dominum tuum saltim ob reuerentiam expectantis Dei. Deinde conuersionem tuam nedifferas, ob vitæincertitudinem, & ob multas dæmonis insidias. Auis enim quamuis parui sit valoris aut passer, videns aucupem baculo aut sagitta cõminantem, aut retia tendentẽ, non expectat post horam aut dimidiam, sed statim auolat, vt vitam custodiat: alias interfecta esset. Sola columba felle carens non suspicans malum, multoties, ante quam à terra aut ob arbore surgat, arcu percutitur. *Simile.*

Fugeà terrenis aut á voluptate virente anima misera, stulta que auis, & conuertere ad Dominum tuum expectantem te maiori desiderio quam Noe columbam. Nam dæmon cũ mundo in malo igne posito, non cessat carnis retia contra salutẽ tuã æternam ponere, & cadauera vitiorum ante te constituere, vt ante coruum, vt ad gratiæ arcam ne sis reuersa. Deus etiam tetẽdit arcum suum iudicij & mortis contra te. Infernus tibi minatur, in peccato existenti. Caue ne pœnæ æternæ sagitta vt colũba incauta antequam à terrenis surgas, sis à dæmone percussa: conuertere & cito ad me. *Gene. 8. B.*

Item ne differas conuersionem tuam ob temporis breuitatẽ & mortis incertitudinem. Iam vides qua cura & vigilia simul & labore, in frigore gelu & caumate agricola seminare in hyeme non cessat: quia tempus seminandi breue est: & comedendi longum: alias in Augusto quid colligeret? Tempus breue est, *Simile.*

1.Cor.7.F. vt ait Paulus, ad recte seminandum, virtutis triticum, per multos labores oportet nos intrare in regnum cœlorum. Si talia patitur agricula, vt triticum colligat, quid nos facere debemus vt
Ouid. epist.8. cœlum tollamus in morte? Tolle moras (dicebat alter Ethnicus) semper nocuit differre paratis. Et quãtô maior peccator es, & obstinatior in malo, tanto magis cito tibi mortem venturam
Simile. formida. Tu ipse, è duabus plantis, vitibus aut ficulneis, quam illarum citius euellere curas, infrugiferam, an fructibus abundãtem? Dempta est quæstio, infructiferam euello igni, fructus dantem mihi in hæreditatem reseruans. Vt quid ergo tibi peccator in fructuose, longiorem vitam promittis, quam homini virtutum fructibus pleno, quem quotidie mori vides? Non faciet Dominus tecum vt ipse cum arbore fructum non dante? Audi
Luc.13.B. illum dicentem filio suo Iesu: ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & in anima istius Christiani: & non inuenio. Succide ergo illam per mortem, & mitte in ignem æternum: vt quid terram Ecclesiæ sanctam vane & infructuose occupat? Gratias posibiles filio dicenti, dimitte illam pater mi, & hoc anno fructum reddet, aliasvæ tibi esset. Ergo da fructum pœnitentiæ cito.

Psal.54. Non audisti Dauid dicentem: viri sanguinum & dolosi, non
Lib.5. Mora cap.28.in Iob.3. dimidiabunt dies suos? Dies quippe dimidiare (vt ait D. Greg. in moralibus) est tempus vitæ male in voluptatibus ductum, ad pœnitentiæ lamenta diuidere: atque illud ad bonum vsum parciendo reparare. Sed heu quia iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia peruersam mentem neque in medio vitæ, sed neque in extremo, mutant in melius. Redimamus tempus ex Pau
Ephe.5.D. li consilio, reparando flentes vitam, quam lasciuiendo perdidimus. Aut non dimidiabunt viri sanguinolenti & peccatores dies suos, Quia non peruenient ad medietatem temporis, quam ipsi sibi metipsis promittunt, sed subito venit ira mortis cõtra ip
Luc.12.C. 16.E. sos, vt cõtra regis inimicos. Attẽde euãgelij diuites & Balthasar.
Dani.5.G. In tempore Noe, non concessit Dominus hominibus tunc in mundo existentibus, & si pestiferis, centũ viginti annos, ad pœnitendũ de suis criminibus? Audite illum sic dicentẽ: erunt
Gene.6.A. dies hominis, scilicet ad pœnitentiã agendã, centũ viginti annorũ. Tamen quia conuertere ad Deũ neglexerunt, sed de die in diem distulerunt, abstulit Deus viginti annorum tẽporis concessi,

ceſsi, iuxta ſententiam Strabi: nō ex inuidia, ſed ſua miſericordia vtens, ne addentes peccatis peccata maior eſſet illorum dānatio & pœna grauior: & ſic venit diluuiū & perdidit omnes. Idem ſupplicium timete omnes peccatores conuerſionē veſtrā, falſa ſecuritate, differentes, ne tēpus vitæ veſtræ Dominus diminuat, vt in maiora ne irruatis crimina. Fœlix multū erit qui ſubito diuino auxilio fretus hic in tempore opportuno conuerſus fuerit vere, vt iterum flenda ſcelera non perpetret. De tali populo aut homine dicit Dominus, cōuertetur populus meus, *Pſal.72.* & a me valde dilectus, hic: hic, in vita, in ſalute, in iuuentute, cito & in tempore pœnitentiæ. Mali tamen & peruerſi obſtinati nolunt conuerti in die vitæ, ſed ad veſperam mortis, ſcilicet, poſt vitæ diem: & ſic gratiæ famē & gloriæ patientur vt canes, & non erunt ſaturati, quia nemo illis refrigeriū dabit: & ideo murmurabunt, vt ait Dauid, contra ſe ipſos, contra parentes, cō *Pſal.58.* tra prælatos, concionatores & confeſſarios: vtinā ne cōtra Deū.

Homo, cuſtos animæ tuæ, ait Dominus per Iſaiam, quid de *Eſai.21.C.* nocte? Non intelligo verbum iſtud abbreuiatum Domine. Nō? Quid de nocte culpæ cogitas facere? Quid tibi cum nocte mortis ad conuerſionem tuam? Non ne magis ſecura eſt in vita, & in ſalute quam in ægritudine? Quia dicis: veniet mane cras & ad Dominum conuertar, & ſi non, veniet nox mortis, & tunc pœnitentiam agam. O faſcinate peccator te ipſum decipiens, ſi quæris me, ſit cito, conuertere ad me, & ſtatim.

Sit ita ò homo in mortali exiſtens, quod alia ratio vrgens ex vitæ breuitate non eſſet, nec alia animæ tuæ vtilitas, neque alia contra Deū irreuerentia, ex tuæ conuerſionis dilatione, niſi inurbanitas & minimus reſpectus quo vteris contra parentē tuū ſic grauiſsimū, benigniſsimū Deum, tanto deſiderio per menſes, per dies, imo per horas & earū momenta, reuerſionē ad ipſum per gratiā, cupientē & anhelantem: hæc erat valde efficax cauſa vt ſtatim, ſuo auxilio conceſſo, ad ipſum conuerſus eſſes.

Nam ſi Tobias Iunior, cum eſſet ſanctus & in Dei gratia, fi- *Figura.* liusque Tobiæ ſanctiſsimi, & ab Angelo S. Raphaele ſociatus *Tob.9.A.B.* & ab omni periculo à Deo liberatus dicebat Angelo, quē quidē hominē exiſtimabat, Azaria frater, peto vt auſcultes verba mea, ſcis enim ipſe quoniā numerat pater meus dies: & ſi tardauero vna die plus, contriſtabitur anima eius. O homo ſic Dño

tuo

tuo rebellis effecte, & in malo obdurate, quæ te insania cerebrũ absorbuit, vt in mentem non veniat tuam toto temporis spatio quo in mortali delicto es, quod non es sanctus vt Tobias, sed peccator, dæmonis seruus, non Dei filius: à dæmonio comitatus non à S. Raphaele, & in magno probabili, atque minante periculo constitutus, & à tãto parente Deo, miserabiliter relegatus.

Quare cum longe à salute sis, & sic à Deo elongatus per culpam, & sic exul ab omni bono, & propinquus omni malo, in te reuersus & toto corpore inhorrescens, ob damnandi periculum, cordis gemitu angelo custodiæ tuo non dicis: volo frater mi, & comes peregrinationis meæ, vt auscultes verba mea, scis enim ipse multa, scis me tanto domini mei fuisse sanguine redemptũ, & ad magnam beatitudinem creatum, & ideo ipse datus es mihi in custodiam, & vt seruias Deo mihi auxilium præstando: scis quia delicto meo auersus sum à Deo nostro, vnde scis melius quam ego, quomodo multum indigeam conuersione vera, subita & non procrastinanda, vere dignum & iustum est, vt cito ad tam benignum patrem vero cordis dolore pergam, scis enim comes fidelis, quoniam numerat pater meus dies conuersionis meæ, imo & momenta, ac si nil aliud maiestas eius diuina gubernasset: & si tardauero vna die plus, imo & hora, anima filij Dei esset sic tristis vt fuit inter oliuas quando cæpit pauere, in nocte qua traditus & illusus est pro me: si tamen modo ad dexteram patris sedens, alicuius tristitiæ aut doloris capax esset, credo ita se habere, dicit angelus, igitur accelera conuersionem ad patrem.

Quam grauiter & rigide ille regis supremi concionator Paulus, contra peccatores de die in diem conuersionem suam differentes inuehitur, & contra benignitate Dei expectantis
*Rom. 2. A.* abutentes sic insurgit dicens, in ea quæ ad Romanos scripsit: an diuitias bonitatis Dei patientiæ & longanimitatis contemnis homo, nolens cito bonitate Dei vti ad conuersionem? certe omnia ex parte Christi exhibita spernis. Nam si ignoras quare non occidit te in tam periculoso statu, dicam ego, ait Paulus, an ignoras, quia benignitas Dei, vt pœnitentiam ageres expectauit te hucusque tu autem vt duro corde & impudens, & futura contemnens, ex bonitate Dei expectantis, tamquã ex flore, vt aranea venenosa, thesaurizas animæ tuæ irã Dei (pretio

sum

ſum theſaurum quidem) & ad tempus indignationis, nempe in diem iræ iudicis, & quando iudicabit te, & in calamitatis & miſeriæ tempus.

Conuertimini ad me ò peccatores & ſtatim, alias eſtis impij erga me, & infidi erga angelos meos ſpectantes quota hora cõuerſionem veſtram: crudeles in vos ipſos volentes omnia quæ poſsidetis bona eſſe, & cito, & vos tantum malos. Eſtis etiam falſi in proximos, quos veſtro exemplo inficitis, & in bello ſpirituali, non ſolum non adiuuatis illos, ſed potius ex dæmonis parte contra illos belligeratis, conuertimini & ad me, vt per Ieremiam peto dicens: ſi reuerteris ad me Iſrael, ad me conuertere. Domine, ſi ad te reuerſus eſt, ad quem niſi ad te erit conuerſus? Quia multi conuertuntur, tamen de vno in aliud peccatum, & de malo ad malum egreſsi ſunt, vt per eundem Ieremiam dixi, & me non cognouerunt, aut ad me conuertere plene, vere & ad ſemper, ſi pœnitet te peccaſſe, & crede quem negaſti fide formata: nam tunc erit plena conuerſio, vt ait ibi D. Hieron. conuertimini ad me filioli mei, quos tantis parturiui doloribus: vt pullus aquilæ legitimus ad ſolem. Nam naturalis eſt aquilæ vt omnes pullos ſuos ſoli exponat: & eos quos viderit ad ſolem cõuerti, & irreuerberatis luminibus ſolis radios intueri, vicinius & familiarius fouet ac nutrit: alios vero tanquã degeneres de nido proijcit.

*Iere. 4. A*

*Ibi. 9. A.*

*D. Aug. tra. 36. in Ioan.*

Sic & pater meus cœleſtis vobiſcum ſe habebit fideles: fælices, qui ad me ſolem iuſtitiæ conuerſi fueritis & cito peccati dolore debito, & irreuerberatis animi oculis fidei & operis radios mandatorum meorum aſpexeritis. Certe pater meus familiariter nutriet vos ac fouebit, & multa vobis promiſſa donabit. Vç tamen vobis filij degeneres nolentes ad me & ſtatim animæ oculos conuertere, ſed ad terrena, nec mandatorum meorum radios operatione neceſſaria aſpicere: è nido corporis cito proiecti eritis, & de nido eccleſiæ (quod dolendum eſt) gratiæ & gloriæ conuertimini ad me, nam conuerſus ad ſolem reſpicit radios illius, & in ſe recipit illos: tamen auerſus à ſole, vmbram facit ſibi, nec illius radijs fruitur, ò fælices ad ſolem iuſtitiæ conuerſi vere: & cito, qui ipſum gratiæ oculis videtis, & donorum eius radijs vtimini, vnde ad illius fruitionem tenditis, væ auerſis à tali ſole, vmbram tenebrarum interiorem horrendam

anima

*Matth.22.B* animabus vestris hic facitis, quibus ipse sol & iudex promisit in morte dicturus: ite in tenebras inferni exteriores, & mittite malum inuitatum.

*Ser.2. In capi. Iciunij.* Quid sibi vult dilectissimi (ait D. Bernar.) quod conuertamur ad eum. Vbique enim est & replet omnia, & complectitur vniuersa: quo domine me vertam vt ad te conuertar? Si ascendero in cœlum tu illic es, beatis gaudia magna tribuendo: si descendero in infernum ades pertuam iustitiam damnatos punié do. Quid iubes conuertimini ad me? Quo conuertar ad te, cum non valeam fugere te? Supra, an infra, ad dexteram aut siniſtrã.

*Pſal. 138.*

*Matth. 18. A.* Iam dixi discipulis meis, quod & tibi dico: nisi conuersus fueris à vijs prauis, & effectus humilis vt paruulus, non intrabis in regnum cœlorum. Vide an sit necessaria conuersio & subita, cõuertimini ergo ad me humilem, humilia semper respicientem amoris oculis, quamuis excelsus valde sim, humiles corde effecti, & sic recipiam vos.

Conuertimini ad me, vt missus ad dominum suum carnis frustum ostendentem. Iam vobis carnem virgineam meam & immaculatã cruentatã flagellis & in crucis ara vestri amore immolatam ostendi, & sub specierum velamine in altari demonstro,

*Eſai.44. E.* Audite quid per Esaiam dicã: memẽto horum Iacob & Israel: hoc est luctator contra vitia fidelis, & ad visionem cœlestem create, horum beneficiorum meorum recordare: Quoniam seruus meus es tu, quia formaui te, non obliuiscaris mei. O dolendum Dei verbum & cordis secreto retinendum, quo admonet vnumquemque fidelem, ne obliuiscatur illius: certe ex tam noxia obliuione homini Christiano omnia sua dãna proueniunt, & omnia bona venient, si Deiuere recordatus esset, operãdo ne cessaria ad salutem. Quid amplius mei amore fecisti domine, deleui vt nubem iniquitates tuas, quæ (vt ait glos.) solis calore dissoluitur, vel vento raptãte tenuatur: sic gratiæ meæ calore, & spiritus sancti afflatu nubes peccatorum tuorum à me deleta fuit, & quasi nebulam peccata tua deleui, & tamen nil horum tibi obijcio vt ad me reuertaris, nisi quia sanguine meo & morte crucis redemite: vnde sequitur, reuertere ad me, quoniam redemite & non auerti faciem meam à conspuentibus metui causa, nec scapulas à flagellantibus illas ob tua adulteria, quare tu auertis conscientiæ tuæ faciem à me, ad me reuertere, quod si feceris, cælum

& ter-

& terra & omnia elementa, in salute tua lætabuntur, siue Angeli qui morantur in cœlis & aliæ potestates quibus terræ fundamenta portantur. Hæc Hiero. ibi in Esai.

Conuertimini ad me peccatores, saltim vt pulli perdicis ad genitricem suam veram. Nam (vt ait D. Hieron. in Ieremiam) aiunt scriptores naturalis historiæ, tam bestiarum & volucrum, quam herbarum & arborum: quorum principes sunt apud Græcos, Aristoteles & Theophrastus: apud nos Plinius secundus, hanc perdicis esse naturam, vt oua alterius perdicis, id est, aliena furetur, & eis incumbar foueatque: cunque fœtus adoleuerit auolare ab eo, & alienum parentem relinquere. Glossa adducit etiam ista verba in Ieremiam: & si de diuite aliena rapiente absque iudicij Dei cogitatione, Hieron. intelligat, qui subito furta relinquere debet, dum illi dicatur: stulte, cuius erunt quæ iniuste parasti, modo quando dæmones animam tuam secum ad tartara trahant? Nos tamen (cum similitudo non sit naturalium tantum nec D. Hiero. sed Spiritus diuini) illam ad peccatoris conuersionem applicabimus. *Ierem. 17. B.* *D. Hiero. ibi.* *Luc. 12. C.*

Ait igitur Ieremias, perdix fouet quæ non peperit tamẽ pulli industria quadam naturali, mox vt audiunt vocẽ illius, quæ illos in oua generauit, dimittunt nutricẽ, sequentes suam genitricem. Fideles Conuertimini ad me, ego sum mater vestra verissima, ego creaui & redemi vos, & sicut gallina pullos suos cõgregat, ita & ego raucus factus sum in cruce: quando raucæ factæ sunt fauces meæ amore vestri ob sanguinis effusionem, ego nutrix vestra, etsi mater infantis sui fuerit oblita (vt per Isaiam dico) ego non obliuiscar vestri. Venit dæmon accipiter vnguibus nigris, & furatus est vos, vestro tamen consensu, & vitijs fouit vos, quẽ per totum annum estis secuti: hodie si vocem meã, matris nempe vestræ, quæ tot doloribus in cruce vos genui, audieritis, dicentis: Conuertimini ad me parentem vestram charissimam multumque vos amantem, nolite ergo obdurare corda vestra adamantina, neque tanta ingratitudine vti erga me creatorem vestrum, quãta pulli perdicis erga matrem suã: sed venite statim, relinquite furem nutricem fallacem atque tyrannam: venite iam corde vero & contrito ad me genitricem vestram. Ego creaui vos ego conseruabo vos, ego redemi diuino sanguine, ego corpore meo vos reficiam & visione mea. *Ierem. 17. B.* *Psal. 68.* *Isai. 49. D.*

Con-

Conuertimini ad me ſaltim quia valde gaudeo de peccatoris conuerſione. Vultis ſcire quam magna res ſit peccatoris con
*Simile.* uerſio? Attendite & audite: magni reges & ſapientes & grauiſſimi ſimul & optimi de modico non delectantur, neque de paruis rebus multum gaudent. Sed Deus magnus & optimus & grauiſsimus, & infinite ſapiens, de nulla alia re (cum ſua curia cœleſti) ita, ſicut de peccatoris cõuerſione delectatur & gaudet, magna igitur res eſt peccatoris conuerſio. Quod valde gaudeat Deus & Angeli lætentur de tua conuerſione, audi ipſam
*Luc. 15. B.* met veritatem dicentem: gratulamini mecum Angeli ſancti, quia inueni ouem quam perdideram: imo ipſa aberrauerat & terga mihi verterat. dico vobis gaudium eſt in cęlo maius ſuper vno peccatore ad me per pœnitentiam conuerſo: quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Et etiã hoc ipſum collige ex effectu. Quia qui creauit mundum ſe ſolo, non iuſtificat peccatorem ex lege ordinaria, niſi adiutus ab ipſo. Iuxta illud Auguſt. feci te ſine te, ſed non ſaluabo te ſine te. Igitur magna res eſt conuerſio, cum illam Deus ſolus noluerit operari, ſed etiam debet homo auxilio Dei non repugnare.

*Seſſ. 6 cap. 5.* Audi Concilium Sacrum Tridentinum de iuſtificatione tractans, quid de neceſsitate præparationis ad iuſtificationem in adultis & vnde ſit dicat: exordium iuſtificationis in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia eſt ſumendum, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur: vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando, diſponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per ſpiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, hoc eſt aliquid agat, inſpirationẽ illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vnde in ſacris literis cum dicitur: cõuertimini ad me, & ego
*Zacha. 1. A* conuertar ad vos: libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpon-
*Thre. 5. D.* demus: conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: Dei gratia nos præueniri confitemur. Conuertimini igitur meo auxilio ad me, adiuuando me.

Si omnia iſta te ad conuertendum ad Deum non inuitant, &

inſuper

insuper gratia, quã in cõuersiõe accipies a billo, & beatitudo quã obtinebis, si vsque in finem in gratia perstiteris; moueat tandẽ terribile supplicium tibi futurum non conuerso, nam illi tripli ci malitiæ quam in omni mortali peccato, supra diximus, inclu sam esse, triplex pœna grauis & æterna respondebit, auersus fui sti à Deo illum relinquendo fontem viuum in quolibet morta li? Sit pœna contra te (quam theologi pœnam damni vocant) æterna & grauissima, vt in æternum faciem Dei non videas, Quid terribilius audiri potest? Nil mali potest isti coæqua ri, vt est videre in sententia Iudicis in verbo, ite, conuertisti faciem tuam ad creaturas contra Deum, & fodisti cisternas dis sipatas? Veniat pœna sensus contra te, vt ipsæmet creaturæ ignis, grando, glacies & gelu & dæmones in perpetuum animã tuam crucient. Habuisti insuper deordinationem voluntatis cõ tradictamẽ ratiõis, operãdo malũ contra id quod ratio tibi dicta bat? Cõscientia tua mordeat & dilaceret viscera tua in inferno *Isai.66.G.* sine fine & hoc dicat Isai. in vltimis suę prophetię verbis: & egre dientur, & videbunt cadauera eorum qui præuaricati sunt in me vermis, scilicet conscientiæ, eorum non morietur, sed sem per viscera eorum corrodet, & ignis eorum non extinguetur. Imo triplex pœna in hac auctoritate ponitur: pœna damni, dum dicitur: egredientur, nempe à facie mea, pœna sensus, ignis eo rum non extinguetur, & vermis conscientiæ, dum dicitur ver mis eorum non morietur. Vnde D. Bonauen. sic ait: hinc est, *7. p. brev. ca. 6. infine. to. 1. fol. 89.* quod omnes actualiter peccantes, qui erunt damnati, punien tur pœna triplici: propter auersionem, carentia visionis Dei, pro pter conuersionem, pœna incendij materialis: propter pugnã voluntatis & rationis, pœna vermis: vt sic ex hac multiplicitate pœnarum afflicti, & varie & acerbe, & æternaliter crucientur, & tormentorum fumus ascendat in secula seculorum. Amen, ait *Apoc.14.C* D. Ioan. certe Iudex posuit triplicem pœnam in Marco dicens, *Mar.9.F.G.* ite, ignis, & vermis.

Dices forsan, Iam ob ista quæ de conuersione peccatoris di xisti, etsi fusius, tamen necessarissima, in modicum fundes mẽ ad dominum conuerti: sed dicam cum nostro Ioel, quis scit si con uertatur & ignoscat mihi Deus, quando ego ad illum faciem meam conuertam, quid scio si mihi scapulas ipse auertet? Præ cipue cum scriptum sit in Ieremia: conuertentur ipsi ad te, & *Iere. 15. D.*

tu non conuerteris ad eos. Conuertere ad dominum Deum tuum frater mi, & fac quod in te est, & vtere Dei auxilio pro posse, & absque dubio Deus erit ad te conuersus: quia magis desiderat ipse conuersionem tuam quam ipse optas. Videamus enim quis maiora posuit media, Deus, an tu ad salutem tuam, & sic desiderium vtriusque sciemus, de conuersione tua. Videamus quis maiores pertulerit labores vt salvus sis. Et audi ipsum
*Iere 3. A.* Deum in Ieremia: vulgo dicitur, si dimiserit vir vxorem suã, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta erit, & cõtaminata mulier illa? Tu autem ô anima, à me ob peccatum tuum dimissa es, & recessisti à me, & dæmonem in virum accepisti, & polluta es & contaminata, & fornicata es cum amatoribus multis & vitijs: tamen reuertere ad me vera contritione, & ego absque dubio suscipiam te. O dei misericordia & pietas erga ingratos.

Deinde ego voco te ad conuersionem, ergo si ad me conuerteris certe & ego ad te, nam irrisor non sum, vt tu fuisti contra me: præcipue cum dicam: nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à vijs suis & viuat? quia nolo mortẽ
*Ezech. 18. E.G.* morientis, reuertimini ad me & viuite: ego promisi, ego adimpleboillud, in Zacharia audies me dicentem: conuertimini ad me & conuertar ad vos. Conuertimini de vijs vestris malis (di-
*Zach. 1. A.* xerunt patribus vestris concionatores) & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt neque attenderunt ad me, dicit Dominus: & hoc ipsum vobiscum accidit. Cõuertimini ad me, nam ego do verbum meum quod conuertar ad vos. Quia impossibilis est conuersio tua ad me sine hoc quod ego conuertar ad te, cum sint correlatiua. Imo cum impossibile sit vt homo ad Deum conuertatur sine Dei gratia, & Deus non auertat faciem suã ab amico suo: ita impossibile est, si tu ad Deum fueris vere & suo auxilio conuersus, vt ipse non conuertatur ad te. Conuertimini ad me.

Quod tamen nullus peccator possit ad Deum conuerti sine illius gratia, præter quam est fidei, & iam decretũ Concilij audi
*Ioan. 6. D.* stis, & ex Ioanne nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit illum: est optima ratio: nam cum peccator distet à Deo in infinitum, quantum distat Deus à creatura quam plusquam

Deum

Deum peccando dilexit, indiget potentia infinita ad conuersionem ad Deum in infinitum distantem: & cum Deus tantũ potentiam infinitam habeat, sine illo impossibilis est conuersio peccatoris. Quemadmodum ad formandam visionẽm, lumen & oculus apertus requiritur simul, itaque vnum sine alio visionem non potest causare: nam si lumen non est aut lux, nil prodest oculos apertos habere: si oculos claudis, etiam si lux adsit, non videbis. Ita gratia causatur in homine: & à lumine auxilij diuini, siue gratiæ præueniẽtis, & etiã ab oculo liberi arbitrij recte illo auxilio vtentis, vnũ sine alio cõuersionem nõ causat. *simile.*

Conuertimini ad me & certe conuertar ad vos. Quis scit si cõuertatur Deus. Imo quis scis si tu velis ad illum conuerti? quid opus habet infirmus, molestum esse medico, semper interrogãtem: Domine, saluus ero ab infirmitate ista? Liber euadam? Fac infirme, omnia quæ peritus iubet medicus, accipe pharmaca necessaria, sine scindi venam, & si natura illum adiuuat, & Deus aliter non disposuit, incolumis euades. Quis scit si conuertatur ad me Deus? Tace infirme, accipe medicamina à perito & bono confessario, restitue sanguinem putridum alienarum facultatum & honoris, fac quod in te est, & absque dubio medicus diuinus sanitatem tibi conferet, sciam de te quod illi obedies, nã de eius bonitate & peritia certus sum, & quia adiuuabit te. *simile.*

Habet quis litem cum altero, quid necesse est, vt multoties iudicem interroget: Domine, erit in mei fauorem prolata sententia? Adduc testes fideles & veros, omnes pro te dicentes, & si iudex est iustus quid de sententia dubitas? Quis scit si conuertatur Deus? Litem geris ó homo, contra omnes infernales potestates, de cœlestibus obtinendis bonis, vt quid interrogas frequenter, si iudex Christus sententiam pro te proferet & si conuersus erit ad te? Adhibe testes veros & bonos, opera nempe in Dei gratia facta, & natura bona, vt sit probatio iuridica, iudex iustus & rectus & potens est, quid de sententia dubitas? Alias si malos adhibes testes, pessima nempe opera, nec medicinis sacramentorũ vt decet vteris, quomodo sanus eris? Quomodo litẽ vinces? Ego scio quod nõ erit Deus ad te cõuersus quã diu sanis eius cõsilijs acquiescere nõ vis & illi obedire renuis. Et (cũ insipiẽs sim) scio, quod quandiu ad litem tuam meliores testes quam hucusque non adduxeris, sententia in fauorem dæmonum contra te

prolata erit: si in mortali es.

Si Angelus Dei dixisset tibi: ieiuna hanc Quadragesimam, & da pauperibus centum argenteos, & dic peccata tua in platea coram omnibus, & ecce verbum Dei dicentis, quod erit ad te conuersus, & ignoscet tibi, & absoluet te, alias damnatus eris, quid feciſſes? Hæc & alia multa. Ecce ergo, non Angelus sed Deus dicit, conuertimini ad me de via vestra praua: ieiunate, aliena veris Dominis reddite, & peccata vestra (non in plateis coram omnibus: sed in Ecclesiæ Angulo coram vno sacerdote vices meas habente) confitemini vere, & certe conuertar ad vos: & absoluam vos ab omnibus peccatis vestris: alias væ vobis. Quid facitis.

Si Angelus, de cœlo modo descendens, dixisset mihi: non tibi ieiunia prosunt: ad quid eleemosynæ tuæ? Etiam si agas pœnitentiam & ad Deum pro viribus tuis videaris cõuersus: Deus non conuertetur ad te neque ignoscet tibi. Adhuc ieiunassem, & flerem, & pœnitentiam agerem, & ad Deum me conuerti desiderassem. Nam quid aliud remedij mihi restabet? Saltim vt in inferno minus essem punitus. Et quis scit, si Deus ad me esset conuersus, & mihi ignosceret? Et quis scit si illa sententia fuit comminatoria & non diffinitiua, conditionalis & non absoluta? Sic fecerunt Niniuitæ & veniam obtinuerunt. Si tamẽ hoc ego facerem, & ipse facere debebas (etiam Angelo dicente Deus ad te non erit conuersus quantumuis pœniteas) quare igitur (Deo dicente & rogante, conuertimini ad me, & certe ego conuertar ad vos) non es conuersus statim, ieiunasti, & aliena restituisti & confessus es? Conuertimini igitur homines ad me fontem viuum, vera contritione, nam primus gradus ad me reuertendi iste est. Et si scire vultis qua contritione gaudeo audite & ad me conuertimini.

*Ionæ. 3. D.*

## In toto corde vestro.

*Textus.*

*Lãsper. depas sio. Ar. 65.* Nolo medietatem cordis tui ò homo, cum ego totum cor meum tibi dederim & lanceæ ferro, vt illud aperiret & amorem meum in illo existentem aperte videres. Non deest grauis doctor cor Christi lanceæ ictu vulneratum fuisse affirmans. Nolo peccator, vt aliquid contra me in corde recipias, alias ibi non manebo. Nam est in mundo homo adeo insipiens qui in

*Simile.*

eodem

eodem ſubiecto & tempore, ſimul & eodem, lucem & tenebras habere velit, aut valeat? album & nigrum? dulce & amarum? bonum & malum? iuſtum & peccatorem? ſic & impoſsibile eſt tibi vt in eodem ſubiecto, corde nempe tuo & anima tua, ſimul me lucem diuinam habere valeas, & peccatorum tenebras: & me Chriſtum per gratiam, & dæmonem: me dulcem Ieſum, & voluptatem amaram: iuſtum redemptorem & iniquum poſſeſſorem, elige quem vis ex iſtis duobus in corde habere

Iſta ſimilitudo expreſſe à D. Paulo ponitur: nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? autque ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſto ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? vos eſtis templum Dei viui, vt quid vultis in illo iniquitatẽ & tenebras & Belial & voluptatis idolum contra Deum recipere? Da totum cor Deo & conuertere ad illum in toto corde, & dæmoni & vitio nullam cordis partem reſerues, nam vt dicit Salomon: quæ communicatio ſancto homini ad canem? aut quæ pars diuiti ad pauperem? dicò homo, quomodo ſanctus homo Ieſus & Deus verus erit in corde tuo ſimul cum cane peccati viſcera tua & merita & animam tuam dilacerantis? quæ communicatio ſancto homini ad canem? quid faciet diues Ieſus in corde tuo ſimul cum paupere diabolo? ille vult animam tuam ditescere, iſte pauperem reddit: tolle de corde tuo omne quod non eſt Ieſus, ſi non vis amittere Ieſum.

*1. Cor. 6. C.*

*Eccle. 13. C.*

Nam qui vellet regem noſtrum in hoſpitium recipere, & in conclaui ſimul canes rabidos & ſerpentes miſiſſet, ſtultum aut traditorem omnes iudicaſſent illum: & rex cito exiret à tali ſocietate? & non eſſet impunitus talia audens attentare. O rex regum benigne Ieſu, quod audeat homo vilis & abiectus inuitare maieſtatem tuam in cordis ſui hoſpitium, & ipſe digneris ingredi per gratiam: & tamen inſanus homo, auſu pluſquam temerario, non vereatur in eodem corde canes rabidos odij aut detractionis aut blaſphemiæ immittere per cõſenſum & ſerpentes venenoſos voluptatum & adulterij? Vnde cito egreſſus es domine mi, à tali hoſpitio, & miſer hoſpes non abibit impunis, nam ſcelus eſt ſupplicio digniſsimum: & heu quã frequenter in vſu.

*simile.*

*Eccles. 1. D.* Ne accesseris ad Deum duplici corde (ait Salomon) illi medietatem dando exterius, vel vnum vitium relinquendo, & dæmoni alteram medietatem in alijs peccatis manendo. Caue ne cadas in malorum profundum, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te, & merito, quoniam accessisti malignead dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia, væ tamen duplici corde (ait idem Salomon) & labijs sceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs: nolenti per viã iustitiæ ambulare, nec totum cor Deo suo dare, sed cum sit adeo minimum, vt canis vnico morsu deuoret faciliter, imo & catus, vult illud Deo dare, & dæmoni, & voluptati & odio: ò miserũ cor tam paruum & in tantas diuisum partes. Vnde breuiter & optime ait Oseas, diuisum est cor eorum? nunc interibunt diuisum est cor hominum inuicem se odientium? nunc interibunt, diuisum est cor illorum partes Deo & dæmoni & vitio dantiũ? nunc interibunt pœna æterna, qui culpa iam mortui sunt, eo ipso quod aliquam cordis partem extra Deum contra Deum alicui creaturę, dederunt: nunc interibunt. Deus confringet simulachra eorum ideſt vitia & adorantes illa, ibi Oseas.

*Ibi. 2. C.*

*Ose. 10. A.*

Curatio debet semper incipi, vbi periculosior est morbus, morbus vero animi peccatum nempe, periculosius in corde est, quia ab ipso tanquam à fonte procedunt adulteria & homicidia (vt dixit Christus) igitur à corde incipiat sanatio. Nã peccatum simile est veneno, quod quandiu cor non tangit homo non moritur, tamẽ cum primum cor illo feritur defunctus maneti. O venenum peccati, quod quandiu cor per consensum non tangis animam non occidis, tamen si cor præbet assensum mortua & sine gratię vita, misera manet anima, nam vt ait D. Iacobus, peccatum cum consummatum fuerit, per consensum, generat mortem: cui nisi animæ? O dirum venenum, vitam gratiæ valens tollere, & mortem perpetuam inferre. Cauete ò homines conscientiarum ruptarum à veneno isto: nam sicut animantia latas venas habentia, citius veneno moriuntur, quam strictas possidentia, sic qui conscientiam habet bonam & strictam non ita peccato consentit, sicut homines multi, latas habentes conscientias & ruptas.

*Matt. 15. B.*

*Simile.*

*Iacob. 1. C.*

*Simile?*

*Simile.*

Aranea licet multas alias proprietates habeat detestandas,

vnam

vnam tamen non possumus in illa non laudare, nempe: quod quando tela sua in aliqua sui parte rumpitur pluuia aut vento, semper à medio reparare incipit. Sic enim de illa Plinius ait: cum scissa fuerit tela protinus reficit, ad polituram sartiens. Tamen licet extrema hæreat plaga, semper in medium currit, ex quo sic maxime totum concutiendo implicet. Vento superbiæ, voluptatis luto, tentationis consensæ pluuia, charitatis telam dilacerasti? Vis illam resarciri, & cupis Dei auxilio reparare? Incipe à medio, incipe à corde, conuertere ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, vt possis cum Dauid dicere: in toto corde meo exquisiui te, operando & de malis meis vere dolendo, ne repellas me à mandatis tuis. Et merito auceps diuinus Christus non vult a nobis nisi cor, cum auis nobilis à præda non velit nisi cor: tolle cordis odia si vis saluus fieri, & alia Deo contraria. *Li. 11. c. 24.* *Psal. 118.* *Simile.*

Conuertimini ad me in toto corde, nolo partem illius, nam cum paruum sit, vt quid illud diuidere vultis? Coangustatum est enim (ait Isaias) stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrunque operire non potest. D. Hierony. in Ezechielem, & melius hic in Isaiam ait: loquitur Dominus sub metapho-ra viri pudicissimi, qui adulteræ dixit vxori: vnus lectus me & adulterum capere non potest: & pallium breue, maritum & mæchum cooperire non prævalet. Quis homo bonus & pudicus & honoris sui zelator, ferret in vno lecto cum adultero esse? Aut ab vxore vno pallio cum illo cooperiri? O anima, frons meretricis facta est tibi, nec erubescere vis de tanto scelere? Adulterum dæmonem simul cum viro tuo pudicissimo & sui honoris zelatore, Christo, sub breuissimo cordis tui pallio comprehendere vis? Pallium adeo breue vtrunque operire non potest. In strato adeo angusto tot hospites & inter se repugnantes, & inimicos inter se vis recipere, nempe in corde tuo tam paruo? Hoc impossibile est cum sit repugnantia aperta. Necesse igitur est & absque vllo dubio vt alter è duobus iam dictis (teste Isaia) decidat à tali corde: Deus aut dæmon, gratia aut peccatum. Gaudebis vt Christus decidat à corde tuo per culpam, qui tui amore sub crucis onere cecidit, aut dæmon qui superbia corruit a superis? Eliges gratiam amittere (ob quam tibi lucrandã Christus mortuus est) aut præcipitas illũ culpa ob quã *Isai. 28. E. D. Hiero. in Ezech. 8.*

damnatus eris, & a tot bonis cades, si in illa inuentus fueris, ad mala quorum non est numerus? Hierusalem, Hierusalem, anima ad Dei visionem creata, conuertere ad Dominum Deum tuum. Veni miles ad ducem, veni ouis errabunda ad pastorem, veni contritione vera, considerando mala quæ auersione tua fecisti. Et veni ad Dominum tuum toto corde, vt recipiat te in gratiam suam, deinde in gloriam. Amen.

# Feriæ Quartæ Cinerum Homilia Secunda.

*Thema.* ¶ *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Isai. 55. B.

*Textus. Matth. 6. B.* ¶ In ieiunio, & cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

SALVTATIO AD VIRGINEM.

QVIS Homo vel mulier, in consilium impiorum non abijt, saltim per originalem culpam, & à Deo recessit, nisi filius Dei & sanctissima illius mater? Vnusquisque nostrum in viam suam prauam declinauit, Deum relinquendo beneuolum, ó virgo intacta atque beatissima, quæ immaculata in via mandatorum fuisti, ambulans de virtute in virtutem in lege Domini & filij tui sacrati, vnde nunquam necesse fuit ad Deum reuerti, quæ semper cum illo per gratiam fuisti. Nos miseri atque iniqui viri nec non mulieres, cogitationes pessimas crebro habemus, & quod peius est, executioni malignæ mandamus. Ipsa mater ab omni cogitatione praua es semper immunis ac libera, miserere nost

noſtri domina, & à patre miſericordiarum cito obtine, vt adiuuet nos, ad vias prauas noſtras derelinquendum, & cogitationes iniquas odio habendum: & vt ieiunio noſtro omnia delicta noſtra ſint conſumpta, & tale ieiunium fructuoſe & Dei amore à nobis fiat: & vt reuertamur ad patrem, qui fecit nos creauit & redemit nos, toto corde & mente. Sed quo modo audebit malus atque fugitiuus filius, coram patre ſuo ſine aliquo magnæ auctoritatis patrino, aut ſine matre benigna apparere? Nos filij ſcelerati, imo & fugitiui ſerui, qua facie aut fronte ad Dominum cœli & noſtrum redemptorem & filium tuum ò Dei mater, reuertemur, qui tantas illi iniurias irrogauimus? venite mecum ſi quieſcere agere peruerſe vultis, ego enim ſum mater dilectionis, timoris ſancti & magnæ ſpei peccatoribus, & introducam vos ad patrem, qui multus eſt ad ignoſcendum amore filij ſui: patrinus ſpiritus ſanctus erit dans gratiam. Vt ita ſit dicamus Aue,

In calce Homiliæ primæ, illud domini dolendum verbum, per Iſaiam ſcriptum tractabamus: cor noſtrum ſtratum & lectum coangustatum & valde ſtrictum eſſe, in tantum vt non poſsit Chriſtum & Belial ſimul habere & in eodem tempore, gratiam & peccatum, ſicut nec beatitudinem & infernū. Nam cum ſit pallium adeo breue, quod catellus in vnica refectione totum deuorabit, vtrumq; Deum & Luciferum non valet operire. Velim certe, vt ego primum, deinde omnes fideles ante quam peccato conſentiant, & in ipſo tentationis tempore, mentis auribus Dominum Ieſum conquerentem atque illos interrogantem audiant & dicentem: quid vis facere homo, fide inſignite, peccato aſſenſum dando? Domine mi, dęmonem in cordis mei lectum recipere. Vide quid facias, nam valde coangustatum eſt tale cordis tui ſtratum, in tantum, vt me Dominum dominantium ab ipſo cadere lecto neceſſe ſit, aut dæmonem: elige quem retinere in illo aut expellere cupis. Ne proijcias me creatorem tuum redemptorem ac iudicem à lecto cordis.

Sufficiat iam millies me à te eiectum fuiſſe à tali cordis ſtrato, nempe, quoties mortali culpa non es veritus animam tuam occidere, & me infamia reſpergere. Pallium ſatis breue cor tuū eſt vt quid conaris vtrumque, ſcilicet, me tantum regem & dæmonem aduerſarium meum & tuum illo ſimul cooperire? Im-

poſsibilia & mihi Deo tuo multum opprobrioſa, & animæ tuæ valde nociua efficere conaris. Quem è duobus alecto cordis tui in imum reijcere cupis? Me, aut dæmonem? Ne me proijcias fratrem tuum beneuolum, quondam in crucis ſtrato ſatis breui tui amore non dormientem, ſed morientem, & in lecto ſepulchri multum coanguſtato parua ſindone & aliena inuolutum exiſtentem. Recordare quæ & quanta pro te paſſus ſum, aut ſaltim memorare nouiſsima tua, quando in hora mortis pedes colligas in lecto ſtricto cum Iacob, & ſindone funerali non multum longa inuolutus, infoueam anguſtam proiectus ſis, & iam tunc temporis anima tua coram me præſentata erit, vt reddat rationem de omnibus quæ in vita feciſti, & quomodo à cordis tui lecto, quoties peccaſti, inuerecunde me proieciſti. Da mihi lectum cordis tui integrum.

*Gene. 49. D.*

Quid excuſationis cauſabis cum petam, quod certiſsime habes & meum & à me tibi collatum vt me in illo hoſpitium præbeas nempe cor? Audi ſeruum meum Chryſoſtomum te alloquentem: ſi Deus a te eleemoſynam peteret, poteras forſan excuſam prætexere, dicens: pauper & inops ego ſum, & pane quotidiano careo. Da mihi orationem vocalem. Mutus & elinguis ſum. Da peregrinationes, claudus ſum. Ieiunalibenter, æger & infirmus ſum: aut ita pauper vt vnam comeſtionem congruam prouidere non valeam. Diſciplina crebro vtere, nimium delicatus ego ſum & debilis. Tamen cum petat cor quo nullus homo careat, & non petit vt igni tradas ad comburendum, neque cani ad deuorandum, ſed vt in illo Deo optimo hoſpitium pares, vnde munera tibi magna prouenient, quid reſpondes?

Certe reſponſione cares, ſi cor tuum mihi in hoſpitium non dederis, cum ſit à me creatum vt in illo me ſolum recipias, & omne quod mihi Deo eſt placitum: reſpicias omne à me aduerſum: & nil aliud à te peto in tota corporis tui harmonia atque miranda cõpoſitione quam hoc breue cordis tui ſtratum, & coanguſtatum lectum. Quid omnes iudicabunt de te ſi non dederis mihi, aut ſi dederis non totum, ſed diuiſum, & malignum me cum in ſocium receperis? Tali aperto exemplo forſan in cognitionem tuæ ſiniſtræ electionis: ſi totaliter ſenſibus non es deſtitutus: peruenies: aut ſi non, væ tibi erit.

*Simile.*

Si ego rex cœli, Rex Hiſpaniæ, Deo fidelis, Philippus eſſem,

sem, & tibi ò homo, quicunque es, dixissem: volo magnis meis sumptibus regiam domum magno artificio depictam construere tibi, & tuæ totam trado potestati, vt facias quidquid beneplacitum tibi fuerit de illa in vita & morte: hac tantum lege & conditione, vt hoc breue cœnaculum & paruum habitaculum mihi solũ in hospitium reserues, in tota hac magna & regia domo. Si dum iter facerem de nocte ad te peruenirem, & meum hospitium à te peterem, & dixisses: non potes in illo quiescere, nam valde superfluis & inutilibus rebus, paleis, stercore putrido, cœno & terra repletum est, quid de te pueri iudicassent? quid rex sentiret? Non ne tota domo priuari, & à regno relegari dignus esses.

Rex regum ego Christus domum corporis tui admirabili compositione fabricaui, & illi animam tanquam stupendam formam adiunxi: multa receptacula sensuum in illa composui: dedi ossa, neruos & venas: tres animi considerandas potentias, ita vt Dauid diceret: admirabilis facta est scientia tua ex me, id est, à compositione corporis mei, in qua domo sunt receptacula multa & miro artificio facta: ita vt confortata sit valde talis scientia & eleuata, & sic non possum intelligere illam: dispendio corporis mei in cruce dilacerati manentis reædificaui talem domum tibi: non erit conueniens vt aliquod hospitium mihi in illa constituam? dignum & iustum est, Domine, quale eligis? Solum cordis tui paruum cœnaculum mihi reseruo sine socio: quod tibi intimat spiritus diuinus per Salomonẽ dicens: præbe fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant. *Psal.* 138. *Prou.* 23. C.

Ac si dixissem, fili mi, cor tuum mihi tantum in hospitium præbe ex tota corporis tui machina, & serua mea mandata. Veni modo in istius quadragesimæ initio ad hospitium meum, nempe ad cor tuum, inhabitandum, & non es veritus per totius anni curriculum vitiorum sordibus illud coinquinare, voluptatum stercore polluere, & auaritiæ cœno ineptum & sordidum mihi tanto Domino reddere? O audax serue, ò ingrate famule, præbe mihi cor tuum in habitaculum à me electum: da cœnaculum meum mihi dignum & ab omni sorde mundum: præbe mihi cor tuum & totum, alias partem nolo illius cum sim Dominus.

Totum

Totum cor tuum volo cum ego totum illud feci, vnde si aliquam partem cordis tui alteri contra me relinquis, nolo in corde tuo sortem neque partem: quia non me amat, qui aliquid præter me amat (vt dicebat. Augustinus) si non propter me amat. Est tam paruum cor tuum, quod falco non erit satur si illud solum comederit: & cum hoc ego gaudeo (omnipotens cum sim & quem cœli cœlorum capere non possunt) habitare in illo: & non vereris in partes illud diuidere, & sortem vnicuique militum dare, aliam mundo, aliam dæmoni, & carni aliam ac si non esset meum totum & à me mihi in hospitium fabricatum? Da mihi cor meum & totum, aliasvæ tibi erit: nam saluus fieri non potes si mihi negaueris illud.

*Lib. 1. Solilo. cap. 19.*

*Exemplū.*

Audi exemplum & time cordis tui diuisor, cuiusdam Eremitæ Deo seruientis solicite, & studiose Christum orantis vt illi dignatus esset ostendere vnde saluaret posset. Venit quodam die Angelus Satan in lucis Angelum transfiguratus, & ait bono Eremitæ: esto gaudens, nam exaudita est à Domino deprecatio tua, & ab illo missus sum ad te docendum quid te oporteat facere ad salutem obtinendam æternam. Si saluari cupis tria sunt necessaria tibi vt illa simul Deo pro tuis delictis offeras, alias, quocunque illorum deficiente saluari nequibis. Dic mihi quid est primum quod Deo offerre debeo? Lunam nouam. O me miserum luna est ipsius Dei, quomodo illam potero præbere ipsi? Et deinde est in primo cœlo & fixa vt pars cœli, rem impossibilem petis à me. Audi insuper & secundum quod dare debes non minus difficile sed maius. Quid? Rotunditatem solis. Heu me miserum est in quarto cœlo, & magnæ quantitatis & splendoris, & etiam est ipsius Dei, quomodo solem illi dabo? Et tertium quid est? Quarta pars rotæ, hæc tria si connexueris & Deo sacrificaueris saluus eris, alias certe peribis. Quibus dictis disparuit malignus, & Eremita diffidēs ista tria posse habere & simul connectere, valde tristis effectus in desperationem tendebat.

Misericors tamen & miserator Dominus qui neminem, quā cunuis peccatorem, perire vult sed ad illius amicitiam reuocare, quanto magis hominem aliquam suæ animæ curam habentem, & aliqua seruitia creatori suo exhibentem, velut hunc Eremitam, statim ad illum Angelum veritatis à cœlo misit dicentem

rem illi valde tristi existenti, quare tristior solito est vultus tuus? Scito dæmonē fuisse Angelum talē nuntium tibi dantē: tamen certe verum affirmauit, nec saluari vales si tria ab illo relata vere Deo non dederis. Non tamen sunt illa quæ prima fronte apparent, quid ergo est Angele sancte luna noua; littera. C. & solis rotunditas? O. & quarta rotæ pars? R: quæ est huius dictionis rotæ prima littera ex quatuor. Coniūge has tres literas & facies cor, quod si Deo purum & totum obtuleris absque dubio saluus eris, alias petibis de populo Dei, nam ideo ait Dominus fili præbe mihi cor tuum. Tunc Eremita solatio cœlesti refertus est, & fiducialius Deo seruiuit.

Conuertimini ad me & in toto corde vestro, si vultis fideles saluari, nam argentum electum (vt ait Salomon) lingua iusti est: cor autē impiorū pro nihilo. Quid est pro nihilo Salomon? Reputabitur à Deo & Angelis eius. Aut pro nihilo, id est, pecca to damnabitur. Aut pro nihilo reputa illud, quia vanum est (vt ait glossa interlinearis) aut nullius valoris est: vt ait ibi Lyra. Post contritionem Domine, in toto corde factam, & dolorem verum de peccatis habitum, quid à nobis amplius requiris? Iam volumus vere de peccatis dolere & ad te corde vero & toto nos conuertere, quid nobis restat faciendum? Satisfactio integra tam honoris alieni sublati, quam facultatum oportet fieri à vobis, ante confessionem, si perfecte ad me venire vultis. Et quia in tenebris inferni non eris soluendo, redde statim quæ proximo debes dum vales & habes vnde soluas. Et deinde propœnis in purgatorio tibi debitis multa bona opera satisfactoria instanter operare: ele emosynas largiter tribue, & præcipue ad me toto corde conuerti non differas. *Prou. 10. C.*

## In ieiunio.

*Textus.*

¶ C V M D. Bernardo, sermone primo in capite ieiunij, sic dicente, incipiamus: hodie dilectissimi, sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ, omnibus fidelibus commune est hoc ieiunium, quid ni caput membra sequātur? Si bona, & tanta bona suscepimus ab hoc capite, mala autem & laboriosa quare non sustineamus? An respuere tristia volumus & communicare iocundis? Si ita est indignos capitis huius nos participatione probamus. Non est magnum vt ieiu-

net

net cum Christo, qui sessurus est ad mensam patris cum ipso. Heu membrum quod tale caput sequitur quocunque ierit: ve membro, illum ducem non sequenti, audiat Paulum & contremiscat: tollens membrum Christi facies membrum dæmoniorum? Abscissus à corpore Christi, Sathanæ miser incorporaberis? Absit à me Domine, talis maledictio, tu prius transis per angustum passionis & ieiunij foramen, vt latum præbeas sequentibus nobis ingressum. O infelix homo non ieiunans, à Christo per culpam vis separari? Quid facies sine tali capite? Quo miser abibis?

1. Cor. 6. D.

Velim tamen de sacro ieiunio necessaria scribere, de illius institutione & antiquitate primum: deinde quos & ad quæ obliget, & qui non teneantur ad illud. Denique quanta vtilia ieiunantibus & præmia, quanta vero nociua & mala illud frangentibus proueniant: & sic de ista materia, fidelibus valde necessaria, præcipue his infœlicibus temporibus gula & voluptate plenis & ieiunia conculcantibus, per hunc ordinem procedemus. Cum videamus non solum hæreticos gulosos & abstinentiam negantes, contra sacra ieiunia verbis & factis insurgentes impudenter, sed (quod non minus dolendum est) multos fide insignitos, si non verbis, factis ipsos perfidos adiuuantes. Ecclesiæ ieiunia frangentes ac violantes, & multoties contra tam necessariam Ecclesiæ institutionem ac salubrem admonitionem, non solum animabus sed etiam corporibus, detrahentes ac murmurantes, quod valde ægre fero. Et vt credo, causa talium fidelium ieiunij violatorum verbo aut opere, non minima iniuria Deo irrogatur, quia nomẽ eius blasphematur ob hoc, inter perfidos hæreticos: & ieiunij maiestas deturpatur, & imbecilles in Ecclesia scandalum patiuntur: videntes maiores multos, tam parum de ieiunio sancto curantes.

Igitur de veneranda ieiunij institutione dicere incipiamus, cum fundamentum sit aliorum quæ de ipso dicenda sunt. De cuius Quadragesimali ieiunij institutione stant multa decreta sancta, quæ tam hæretici quã heluones fideles inficere ac negare nequeunt, nisi proterue & contumaciter oculos ad veritatem claudentes, ad mendacium & voracitatem confugiant, vt illorum moriesi. Vbi est tale decretum? Lege, de consecratione distinctione tertia, aliqua sancta decreta, & videbis hoc aperte edo-

edoctum. Et primum in capite ſacerdotibus, ex Concilio Aure lianenſi, vbi dicitur: ſacerdotibus omnibus decretum eſt, vt ante paſchæ ſolennitatem, non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur. Et apertius ibi in capite placuit. ex Concilio Agathenſi: placuit, vt omnes Eccleſiæ (exceptis diebus dominicis) in Quadrageſima etiam in die Sabbati, ſacerdotali oratione & diſcretionis communione ieiunent. *Cap. 26.* *Cap. 12.*

Sed quia aliqui cogitant non eſſe ieiunandam quintam feriã in cœna domini (vt quidam ciuis ſatis prudens mihi inſinuauit) quia Dominus illo die cenam cum diſcipulis habuit, ſtat & ibi aliud decretum dicens, ex Concilio Laodicenſi, non oportet in Quadrageſima quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiuniũ diſſolui, & totam quadrageſimam in honorari: ſed per totos dies ieiunare & eſcis abſtinentiæ conuenientibus, id eſt aridioribus vti. Iſta ſufficiant decreta ad inſtitutionem generalem quadrageſimalis ieiunij comprobandam, & vigor Eccleſiæ vniuerſalis, quę ſemper hanc veritatem docuit, tenuit ac imperauit omnibus fidelibus, ab ipſamet non exemptis, ob cauſas rationabiles & ſtatim à nobis ponendas. Vnde inter ieiunium quadrageſimale, & quatuor temporum & vigiliarum hoc aſſignatur diſcrimen, Quia ieiunium quadrageſimale habemus ex traditione apoſtolorum (vt ſtatim dicemus) ieiunium vero aliorum temporum inſtitutum à pontificibus ſummis. Et quia in hoc ieiunio poſſunt ieiunantes & non ieiunantes ouis & lacticinijs vti: non tamen in quadrageſima ſine diſpenſatione. Vt iubetur diſtinctione quarta capite finali. *Cap. 50.* *D. 4. Cap. de nique.*

Hoc ſacrum quadrageſimale ieiunium valde antiquiſsimũ eſt: audi ſanctum Epiſcopum Maximũ, qui anno quadringentеſimo vigeſimo poſt Chriſti incarnationem vixit, dicentem: ſacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbamus hunc quadragenarium numerum, non eſſe ab hominibus conſtitutum ſed diuinitus conſecratum. Hæc autem non tam ſacerdotum præcepta ſunt quam Dei: atque ideo qui ea ſpernit, non ſacerdotem, ſed Chriſtum in illo loquentem ſpernit. Audi & Diuum Hieronymum in epiſtola ad Marcellam dicentem: nos vnam Quadrageſimam ex traditione apoſtolorum toto anni tempore nobis congruo ieiunamus audiſti quã antiquum ſit ieiunium? Audi & priſcum Origenẽ, *S. Maxi.* *D. Hiero.* *origine.*

nam

nam fuit à natiuitate domini anno ducenteſimo & trigeſimo in leuiticum ſic loquentem: habemus quadrageſimæ dies Ieiunijs conſecratos, habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies quibus ſolenniter ieiunamus. Eſt certe libertas Chriſtiano per omne tempus ieiunandi, non obſeruantiæ ſuperſtitione: ſed virtute continentiæ. Denique omnes pariter audiamus illum martyrem ſenem & Antiochenum epiſcopum Ignatium, ſancti Ioannis euangeliſtæ diſcipulum & ad Deiparam virginē epiſtolas ſcribentem, & Romæ martyrium obtinentem, anno ſeptuageſimo quinto poſt Chriſti paſsionem, dicentem in quadā epiſtola: ſe accepiſſe hanc quadrageſimalem ordinationem à ſuo magiſtro ſancto Ioanne Euangeliſta. & in epiſtola quæ eſt ad Philippenſes, ita ſcribit: dies feſtos nolite inhonorare: quadrageſimam vero nolite pro nihilo habere, imitationem continet Dei conuerſationis. Hebdomadam etiam paſsionis nolite deſpicere. Quomodo autem quadrageſimam non aſpernandam eſſe admonuiſſet, niſi ea tempeſtate, qua adhuc apoſtolica floruerunt tempora, fuiſſet eius obſeruatio inſtituta? Theophilus etiam Alexandrinus dicit: habemus quadrageſimam ab apoſtolis inſtitutam, & ordinatam neque veriſimile eſt quod eccleſia hanc ſarcinam acceptaſſet & hoc iugum bonis leue, malis graue, & per tot ſecula obſeruaſſet, niſi à ſpiritu ſancto & apoſtolis emanaſſet? Vt notat Viguerius, in ſua naturali ac Chriſtiana philoſophia, ſapienter, vt omnia alia.

*D. Igna.*

*Epiſt. 4.*

*Cap. 7. 3. Ver. 1.*

Ieiunium morale eſt abſtractio cibi & potus ex propoſito ob aliquam cauſam rationabilem facta. Ieiunium pœnitentiæ, eſt abſtractio ciborum delectabilium, ad placandam iram Dei, & impetrandum peccatorum remiſsionem. Ieiunium autem eccleſiaſticum, de quo nobis modo eſt ſermo, ab eccleſia indictū, conſiſtit in abſtinentia carnium, & vnica comeſtione, hora competenti, abſtinentia carnium & lacticiniorum eſt neceſſaria recte Ieiunātibus, imo in quadrageſima etiam præcipitur non Ieiunātibus excuſatis, niſi ſint infirmi, quia tales de cōſilio vtriuſque mediciveſci poſſunt in dubijs, caueant tamen quantum fieri poſsit à puſillorum ſcandalo, vt non videant, & ſi videant, etiam cauſam neceſſariam & euidentem ac diſpenſationem agnoſcant.

Neceſſaria etiam eſt vnica comeſtio per modum cibi ſiue ſuſtenta-

ſtentationis: quaſi per modum medicinæ & electuarij, vel ad tollendam alterationem duntaxat, moderate aliquid ſumatur, ſiue ante ſiue poſt prandium, non ſoluitur ieiunium: neque parum panis aut fructuum, neque vinum vel aqua noceat, diſſoluat ſeu dilaniet ſtomachum, etiam ſi pluries in die fiat, pro vt alteratio exigit. Videant tamen tali collatione vtentes quantum & qua intentione ſumant, quia Deus nõ irridetur, teſte Paulo: ſed ipſi manebunt irriſi. *Gala.6. b.*

Saluo ſemper eccleſiæ decreto & ſapientium conſilio, crediderim certe, multa ieiunia eccleſiam in ſuis fidelibus perdidiſſe, putantibus non valere ieiunium, ſi de mane aliquid contra morbum guſtẽt, aut ne ſalus illorum detrimentum patiatur, aliqua leuia electuaria capiant cum potu temperato. Vnde cum hoc multi fideles ieiunium ſeruaſſent, quod frangere non timẽt credentes nec buccellam vnam nec bibere de mane ſibi licere, vnde multoties comedunt. Præter hoc quod potus non interdicitur in die ieiunij (vt ait D. Thom.) quia eccleſia non intendit interdicere abſtinentiam potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis: & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet pluries ieiunantibus bibere, etiam non interdicit electuaria ſaluti neceſſaria niſi forte aliquis in fraudem Ieiunij in magna quantitate aſſumat, (vt ait ibi D. Thom.) per modum cibi. Hæc dixi volens omnes deſides ad ieiunium inuitare, & quia audiui aliquos affirmantes totam ieiunaturos quadrageſimam, ſi de mane per modum medicinæ aliquid ſcirent ſibi licere accipere cum potu, qui tamen per totam vitam ieiunium non agnouerunt. *2.2. q 147. ar.6 ad.2.* *Ad.3.*

Quilibet non valens perfecte ieiunare, accedat propius & vicinius quò potuerit ad ieiunium & vere ieiunãtes. De hora tamen ieiunij, olim erat poſt veſperas, deinde ſucceſſu temporis poſt ſextam horam, hoc eſt hora prima poſt meridiem tandem in meridie, nunc autem, charitate refrigeſcente in vndecima hora: & conſuetudini patriæ ſtandum eſt. Tenẽtur omnes fideles ad ieiunium, niſi illi quos pia mater eccleſia exemptos habet, cum ad impoſsibilia neminem obliget, imo neque ad valde difficile. Vnde ſecundum doctorum interpretationem & iuris præſumptionem, à vinculo ieiunij nõnulli excuſantur, vt notat D. Thom. baculus noſter in omnibus his. *2.2.q.147 artic. 4.*

Primo excusantur infirmi & debiles, eo quod nõ possunt sufficienter & salubriter cibum ad sustentationem sumere. Secundum locum tenent pauperes ostiatim mendicantes, quia hora
*Ibi ad. 4.* sufficienti non possunt inuenire, regulariter necessaria ad vitæ sustentationem. Tamen si inueniunt victum & robusti sunt & alias non excusantur, quis dubitat quin teneantur ad ieiunium? non solum pauperes mendicantes, sed etiam egeni domos habentes nec victum necessarium inuenientes, vt hoc anno innumeri fuerunt inuenti, absque dubio ieiunare non tenentur, cum comestione competente caruerint,

Tertium locum tenent mulieres prægnantes & lactantes, quæ habent pro duobus cibum sumere, ideo non debent ieiunare. Quia earum ieiunium tanquam paruulis damnosum, esset sacrificiũ de rapina: ideo vix excusari possunt a peccato (ait Viguerius) quod notandum est contra mulieres stultas nocumentum notabile fœtibus suis inferentes ob ieiunium, cum tamen interim, à malis verbis & pessimis operibus abstinere renuant, & hoc est ieiunium quod Deus ab ipsis magis desiderat.

Pueri etiam non tenentur ad ieiunium propter crementum,
*Ibi ad. 2.* & (vt ait D. Thom.) propter debilitatem naturæ, ex quo prouenit quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto. Et etiam quia indigent multo nutrimento ob necessitatem augmenti: quod est, vt in pluribus, vsque ad finem tertij septẽnij, id est vsque ad annum vigesimum primum completum. Conueniens tamen est & multum necessarium vt etiam in hoc tempore pueri & puellæ exerceant se plus vel minus ad ieiunandum, secundum modum suæ ætatis, alioquin magno se periculo ieiunium frangendi exponunt, dum teneantur ad id, ob malam non ieiunandi consuetudinem, vt est videre in multis præcipue hominibus: qui difficillime ducuntur ad ieiunium dum tenentur.

Senibus vero tutius puto non esse constituendum annum certum: vt aliqui putant: nempe septuagesimum, iuxta illud dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni quia deficit calor naturalis in illis: sed stare cuiuslibet talium iudicio & conscientiæ. Non enim omnes eiusdem cõplexionis sunt seu æque fortes. Nam alij in quinquagesimo anno sunt debiliores, quam alij in octogesimo. Laboratores autem pro victu quotidiano

quæ-

quærendo, vel manutenendo ſecundum ſtatum, etiam excuſantur cum labor & ieiunium, abſque magna difficultate non conueniant. Diuites vero qui in alijs diebus non laborant, ſed per alios opera ſua diſponunt, quomodo erunt in conſcientia tuti ſi in ieiunij fraudem in diebus ieiuniorum laborent? Itinerantes etiam excuſantur, ſi tamen ſunt equitantes, & non eſt magnus labor illis, & ſufficientem comeſtionem habent, neſcio quomodo excuſentur, præcipue cum audiam D. Vincentium Ferret dicentem mihi: equus vel mula in die ieiunij bene poteſt cœnare tu tamen non ſine peccato. Et tepidus ſum certe & in charitate Dei frigidus, tamen neſcio quando ob itinera ieiunium fregerim in vita: etiam ſi multoties iter arripui in diebus ieiuniorum.

Vltimo non tenentur ad ieiunium omnes illi qui propter ieiunium impedirentur a maiori bono & magis accepto Deo: vt ſunt cantores qui habent in diuino officio multum laborare, nec poſſent hoc facere ieiunando. Inter omnes tamen concionatores ſunt qui magis a ieiunio excuſantur: ſi ob hoc tam præclarum opus, vt eſt prædicationis, impeditur, aut notabiliter damnificatur. Si vero concionator ſit fortis naturæ, & ob ieiunium non impeditur a prædicatione, non putarem illum exemptum a ieiunio. Noui concionatorem, non minus frequenter quam alios concionantem itinera facientem, & tamen in duodecim quadrageſimis continuis ſemel ieiunium per totum annum non frangentem: & cum ſit adeo neceſſarium officium Deus adiuuat diſponentem.

Quia reuera non poſſum non moleſte ferre, aliquos concionatores iuuenes ac robuſtos, non ſolum ieiunium frangentes, verum etiam cibis vetitis in quadrageſima vtentes videre, non ſine magno puſillorum ſcandalo, perdicem comedentes, & publice ſine aliqua cura quod videantur ab hominibus: neſcio quo ſpiritu aut caloretalis ad ieiunium, his miſerandis temporibus, fideles inuitabit, contrarium faciens. Quando concionatores verbo ignito & exemplo neceſſario, tam parum multis Chriſtianis ieiunium ſuadent, ob iniquitatis abundantiam & charitatis frigiditatē. Quilibet concionator vires reaſſumat ex debilitate, & vltra fortitudinem ſuam ieiunare curet, vt alios ad id em moueat. Si tamen officium concionandi peragere

nequit ieiunãs, comedat bis cibos quadrageſimales in die, ſi nec iſtis cibis valet prædicare, & ſibi videtur vtilius cõcionare quã ieiunare, cum timorata cõſcientia, magnopere caueat ne coram alijs cibos ieiunio prohibitos (quantum fieri poterit) comedat: ſed ſolitarius & tacens, dolens quia cum fidelium cętu in ieiunijs non pergit: alias væ illi per quem ſcandalum venit.

Iſta ſufficiant modo præiacta ad oſtendendam ieiunij inſtitutionẽ, antiquitatem & venerationem, & quibus conſtet partibus, & quos non obliget vt inde reliquos omnes fideles ſub fidei vexillo militantes, deuinctos ad illud intelligas, & quia homines, præmio & beneficijs magis ad virtutem alliciuntur: ſicut minis & ſupplicijs vitium fugiunt: modo bona aliqua ex his quæ in ſe ieiunium continet ponamus, reijciendo hinc epulones noſtri infœliciſſimi temporis, & illorum commenta falſa, quibus comeſſationes & epulæ pluſquam ieiunia placent, nã hic nec memor ero nominum eorum ac dictorum per labia mea: ſed ſanctos doctores, & ieiunij valde amatores in mediũ deducã, præcipue illũ ſanctiſsimũ Baſilĩũ, qui in ea magnitudine omnis generis doctrinarũ euaſit, cum egregia ſanctitate, vt inde magni cognomẽ inuenerit, erat autem (vt in legenda eius eſt videre) in victu & cultu abſtinentiſsimus: vnde inter omnes doctores ipſe magis ieiunij laudes multiplicat, & merito extollit.

Quid enim mirum cum quotquot erãt in priſco mũdo, quot & poſt ſub quacũq; diſtinctione ab alijs viuẽtes pertinentes ad Dei regnũ decentia ieiunia celebrarunt: ac etiã multi credentes in tribulationibus auertere iram Dei ſua corpora ieiunijs affecerunt: & volentes impetrare optata interuentu ieiunij certauerunt, eſt reuera ieiuniũ ſimilitudo quędam angelorum & beatorum, non eſurientium neque comedentium in ſupernis: igitur ieiuna homo ſi angelis & beatis aſsimilari deſideras.

*Hom. 2.* Ingrediatur magnus Baſilius de laudibus ieiunij dicẽs: & ſi ieiuniũ per omne quidẽ tempus vtile eſt, his qui illud ſpõte ſuſcipiũt (neq; enim aſſultus dæmonũ audet aduerſus ieiunantẽ, & vitæ noſtræ cuſtodes, nẽpe, angeli diligentius adſunt ieiunantibus, quia purgatam ieiunio habent animã, & aſsimilantur angelis quodammodo ieiunantes) ſed multo magis hoc quadrageſimæ tempore: quo per vniuerſam eccleſiam vndiq; denuntiatur ieiunij præconium, nec vlla eſt inſula, nec vlla terra continens,

nens, non ciuitas non gens vlla, non extremus mundi angulus vbi non sit hodie auditum Ieiunij edictum. O Basili sancte, fæliciſsima tua tempora, fæliciſsimus & ipſe, qui omnem mundum ieiunij eccleſiaſtici edicto ſubditum videre meruiſti: heu ſi in noſtris calamitoſis apparuiſſes temporibus, vidiſſes vnũ orbis angulum fide inſignitum, & ex illo multos Ieiunia contẽnentes, & alios innumeros quondam ieiunio ſubditos reſilijſſe à fide eccleſiæ Romanæ, & à Ieiunis fugiſſe, & ad comeſſationes & vitia præcipites abijſſe; ò infelicia tempora noſtra.

Videte (ait Baſilius) nequis ſe excludat à numero Ieiunantium, in quo exercitus belli, nautæ, negotiatores, & viatores, omnes pariter audiunt Ieiunandi edictum, & ſummo gaudio excipiunt illud, nam angeli ſunt, qui in ſingulis eccleſijs deſcribunt ac recenſẽt Ieiunantium capita. Audebis guloſe, ob breuem edẽdi voluptatem, ſimul & priuari angeli recenſione, & teipſum apud Deum qui recenſuit exercitum, obnoxium fieri deſertoris crimini? Leuius crimen eſt & minus periculum, ſiquis rhipſapis (vulgo viſoño) appelletur, eo quod in acie clypeum abiecerit, quam ſi magnam illam armaturam ſcilicet Ieiunium videatur proieciſſe.

Diues es? Ne Ieiunium afficias contumelia: afficies certe ſi graueris illud ad menſæ tuæ conſortium admittere. pauper es? Ne ſimulatione ac ſubſannatione vtaris erga Ieiuniũ, cum illud iam olim habeas, & ſemper & domus & vitæ ſocium. Porro mu *ſimile.* lieribus, quam eſt illis naturale reſpirare, tam eſt conueniens Ieiunium: nam ignis nullo alio conuenientiori modo extinguitur, quam ſubtractione lignorum, & cum mulier, ipſe ignis ſit ad homines comburendos, Ieiunet ſi cupit ſuo igne nõ vti. Con *Iudit. 8. A.* ſiderate mulieres ſanctam Iudith, quo modo Holofernem deui *Luc. 2. E.* cit Ieiunijs: & attendite Annam quæ non diſcedebat de templo Ieiunijs & obſecrationibus, vnde meruit in brachijs virginis matris, mundi redemptorem videre in templo cum Simeone, & tamen peſsima Herodias cum filia ſua in conuiuio & inter epulas execrandas caput pluſquam Prophetæ Baptiſtæ petierunt, vt *Marc. 6. D.* tolleretur à corpore ſancto: quod & factum eſt.

Pueri veluti plantę lætiores, aqua Ieiunij irrigantur. Nico aus Ieiunans in lacte: F. Ioannes Firmo idẽfaciens. Lege D. An *D. Antoni.* toni, Iuuenes Ieiunio refrigerantur, & nocium perdũt ardo- *2. p. hiſt. 9.*

c.3.§.5&3 p.ii.24.c.7. §.15. rem & æstum temperant, senibus leuem reddit Ieiunium labo-rem, & iam olim contracta cum Ieiunio familiaritas, relinquo miseros, qui nec senes, sciunt quid ieiunium sit. Ieiunium seruat paruulum, sobrium reddit iuuenem: & venerabilem facit senē. Ieiunium fœminis ornatus est congruentissimus: nam pro frę-no illis est. Cuius magistri aduentus puerorum strepitus tam su bito compescit, quam ieiunium obiter exoriens ciuitatis tumul tus, lites, contentiones & ludus coercet ac reprimit? quis chorus lasciuiens à ieiuno constitutus est iuuene? Teneri risus, cantatio nes meretriciæ, insanæ saltationes à vētre saturo adinuentę sunt, & subito diffugiunt veniente ieiunio.

Adam primus ille parens in tantum dæmonem vicit & Dei amicus fuit, & in gratia Dei & iustitia originali stetit firmus, in quantum ieiunauit, & cibum prohibitum non comedit. Nam Gene.2.C. vnicum ieiunij præceptum legimus à Deo recepisse, dicente: de ligno scientiæ boni & mali ne comedas, si mori non vis in corpore & anima. Ieiunium fregit, & statim iustitia originali & frēno necessario caruit, & Dei amicitiam perdidit, & effrænis à paradiso in vallem lachrymarum & bestiarum locum miser & exul & maledictus ad laborem & pęnitentiam eiectus est, & nisi per nongentos fere annos ploraſſet, ieiunasset, orasset, & pœnitentiam egisset, ad famem æternam & infernalem perue nisset: si non esset conuersus.

Eia filij Adæ capite exemplum in alieno, imo paterno capite. Vobis datur hodie à Deo & illius ecclesia Ieiunandi præceptum quadragesimale: vultis dæmonem & omnia eius tela vincere? Ieiunate: cupitis in Dei gratia permanere & à carnis rebellione liberari? Ieiunate, desideratis in paradiso, cœlesti non terrestri, non per diem, sed in æternum permanere. Ieiunate, alias in quacunque die comederitis, ieiunium frangendo, morte moriemini. Nam animam occidetis delicto, & corpus morti æternæ subijcietis, maledicti à Deo & exules à patria cœlesti missi eritis à facie Dei in locum ferarum & damnatorum, vbi perpetuo eritis ieiuni, & famem passi eritis vt canes, & nil vobis proderit ad veniam: vultis ieiunare ad horam?

Sicut Adæ vnicum præceptum ieiunij datum est, sic quadragesimam nostram solum ieiunium constituit. Nam si sacrū missæ officium peragitur in quadragesima, etiam in alio tempore

pore anni. Si conciones ad populum fiunt: & in alio tempore ad sermonem audiendum in Ecclesiam conuenitis. Igitur ieiunia quadragesimam constituunt. Et non ieiunas ipse? Quadragesimam, quantum est in te, destruis & in nihilum redigis. Imo (vt ait D. Cyprianus in sermone de pœnitentia) nunquam audiui sanctum in cœlis eleuatum, quin ieiunijs hoc obtinuisset. D. Basilius etiam de laudibus ieiunij, sic ait: atque vt semel omnia dicam, reperies quot quot fuere sancti, omnes per ieiunium ad vitam Deo dignam fuisse institutos. Ieiuna homo si sanctus fieri cupis. *Hom. 1. fol. 129.*

Domine, vt quid tanta cura nobis ieiunium cõmendas præcipue in hoc quadragesimali tempore? Quia etiam si continuũ bellum contra dæmones geratis, præcipue tamen in hoc crudelius agitur tempore: & cum nullus gladius ita acutus, nec fica crudelior, aut arma nociuiora contra animas vestras sint, sicut corpora vestra met: nec diabolus alijs vtatur pernicioſioribus contra homines: velim maxime vt corpora vestra ieiunijs macerentur, & spiritibus subijciatis, vt vel sic dæmon armis careat cõtra vos, & victoriam reportetis: alias si vos arma illi præbetis, quid mirum vt victi sitis?

Diuine hoc pingit ille pugil cœlestis & regius concionator Paulus ad Corinthios dicens: ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Sic curro vt sim certus de præmio mihi futuro. Et quia cum inimicis spiritualibus pugno, creditis vos me aerem verberare & nil facere, cum sim ipse corporeus: certe non verbero aerem, sed ipsum dæmonem. Primum quia non verbis tantum pugno, vt multi, sed factis. Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Deinde non inaniter meipsum fatigo, sed aduersarium lædo. Quomodo Paule? Castigo corpus meum ieiunijs & vigilijs & inedia, & disciplina, & per declinationem mali, motus carnis illicitos reprimendo: castigo illud, non occido, meum non alienum corpus: & sic in seruitutem redigo illud, Deo & spiritui. Vnde tollo arma ab inimico meo, & gladium quo me occidere posset, & sic manet inermis contra me, nec habet quo me feriat gladio. Videte si necessariũ est ieiunium ad tale *1. Cor. 9. D.* *1. Cor. 4. B.*

opus faciendum, & tale telum dæmonis auferendum, vt est corpus nostrum. Vnde quilibet nostrum cum Paulo vere dicat.

Ego sic curro per viam mandatorum Dei, non quasi in incertum, sed certissimus sum de præmio futuro, si per me non stetterit. Sic pugno contra dæmonem etiam si spiritus sit, non quasi aerem verberans: sed cum præcipuum scutum dæmonis sit & gladius crudelior contra me corpus meum, castigo illud ieiunijs & maceror inedia, & in seruitutem spiritus mei redigo, ne in seruitutem dæmonis redigar ipse: & sic, ablatis armis, facile dæmonem vincam. Faciamus ergo tractes pactum cum corpore nostro, vt saltim amore sui ieiunijs libenter vacet: vt dæmonem vincamus in hac vita, & postea in resurrectione finali, in cœlo quatuor dotibus fulgens & gloriosum appareat. Alias hic sub pedibus diaboli, & postea in iudicio nigrum & deforme igni reseruatum atque maledictum erit.

O benedicte Hilarion: castitatis decus, bene didicisti à Diuo Paulo castigare corpus tuum, ne animam occideret dæmon tali gladio. Qui cum esses quindecim annorum (vt grauissimus
To. 1. fo. 242 Hieronymus qui vitam tuam conscripsit affirmat) nesciens diabolus quid faceret contra te confusus & ab vno puero deuictus, & prius à te calcatus, quam per ætatem calcare potuisses: titillabat sensus tuos, & corpus tuum tenellum, tanquam gladium accipiebat contra te, & corpori pubescenti solita voluptatum incendia suggerebat. Vnde cogebaris tyruncule Christi, cogitare quod nesciebas: & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non noueras. Tamen à Deo magistro optimo edoctus, iratus ipse tibi & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes ictu manus posses excludere, quis dubitans quin plorans, corpori tuo dicebas: ego asselle, faciam vt non calcitres: iam scio te inimicum esse meum & diaboli telum contra spiritum: nec te hordeo alam, sed paleis: fame te cõficiam & siti, castigabo te ieiunijs, graui pœnitentiæ te onerabo pondere: per æstus indagabo & frigora, vt sic castigatum, cibum potius quam lasciuiam cogites: vt sic, in seruitutem spiritus, Dei que redactum Deo in omnibus seruias. Sacer montane, & quales cibi delicati, quę carnes pingues aut aues erant hordeum quo corpus tuum priuare debebas? Dicat ipse sacer Hieronymus ibi. Saccо tantum membra coopertus, inter mare & paludem, vasta & terribili solitudine

dine fruebatur, quindecim tantum carycas, id eſt ficus ſiccos poſt ſolis occaſum comedens. Et poſtquam tuliſti hordeum aſino corporis tui, quid illi palearum dabas? Dicat ipſe Hieron. herbarum ergo ſucco & paucis carycis, poſt triduum vel quatriduum, deficientem animam ſuſtentabat: orans frequenter & plallens, & raſtro humum fodiens: vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret. Simulque fiſcellas iunco texens: ſic attenuatus & intãtũ exeſo corpore, vt oſsibus vix hæreret. O Apoſtole Paule, quis vt tu corpus tuum caſtigauit? O. S. Hilarion quam pauci milites ſequuntur te hodie in ieiunijs & pœnitentijs. Væ mihi inimicum dæmonis, id eſt corpus meum, nutrienti, impinguanti, & contra me arma præbenti, & confortanti: caſtigemus corpora noſtra fratres: nam ad hoc præcipue ieiuniũ inſtitutum eſt. Vide quid D. Franciſ. dæmonijs dixerit: facite in corpus meum. (Quia maiorem inimicum non habeo) vobis conceſſum. *D. Anto. p. 3. hiſto. titu. 24. cap. 2. §. 1.*

Leo damnabit vos in iudicio ieiuniorum fractores, qui cum ſit animal irrationale & vorax multum, dum ſatur eſt & videt à venatoribus ſe perſequi, omnia vomit, Berchorio teſte, vt ſic eorum manus effugiat. O homo leone irrationabilior, & ipſo voracior, non confunderis talia audiens? Non ne vides inferni venatores incunctanter te perſequentes, ob multa quæ contra animam tuam in Dei iniuriam cõmiſiſti, & nociua quæ comediſti vitia? quid cogitas faciendum, vt furorem illorum euadas? quid faciam miſer? Aſsimilare leoni, & malos cibos culparum euome per confeſsionem, aliena reſtitue, & ieiunio vtere libenter: alias quid mirum vt in morte à talibus captus ſis venatoribus, & ad famem caninam & æternam ſis ductus? *Lib. 10. cap. 57. §. 12.*

Hoc tamen mihi diſplicet in leone, qui poſt quam venatores ipſum relinquunt, ad vomitum, vt canis immundus, reuertitur. Bene credo multos ex vobis verbo Dei motos ad pœnitentiam, & Dei auxilio ad vomendum male parta fuiſſe aliquando, non eſt dubium: & velitis aut non, infernales venatores minantes vos & deuorare cupientes, aliqua hora timuiſtis, vnde à peccatis ceſſaſtis, & peccata confitendo euomuiſtis, & forſan ieiunijs vacaſtis, videntes peccata veſtra vos inſequentia. Heu tamen vt timeo quam cito ad vomitum eſtis reuerſi vt leo, & ad cibos voluptatum à Deo prohibitos: ſuperbientes, & alios

fratres pugno percutientes, & innocentium ſanguinem falſis emptionibus ſugentes, carius triticum vendentes quam pre-
1571. tium à rege conſtitutum permittit: vt in hoc anno frequenter fere in omni populo contigit.

Ieiunate fideles, & Eſau interrogate quare benedictionem amiſit, & primogenituram vendidit, & tot mala incurrit. Cer-
Gene. 25. D. te reſpondebit: quia horam comedendi anticipaui, dicens: quid mihi proderunt primogenita, ſi fame morior? En morior: & ſic vendidi primogenita lentis edulio, & abij paruipendens quod primogenita vendidiſſem. Quid mirum vt benedictionem cœleſtem perdas, homo ieiunij fractor & ſis maledictus à Domino, & primogenituram gloriæ amittas: qui non vis horam debitam expectare ad comedendū, ſed quaſi dicens: en fame morior, quid mihi proderunt omnia mihi promiſſa à Deo? Volo comedere: & ſic vendis lentis edulio & paruo cibo magna primogenita: imo & vnica voluptate cōſenſa in corde, & alio quocunque mortali: & quod peius eſt, abijſti à te & á Deo per gratiam & ab omni bono ad omne malum: paruipendens, quod tanta bona cœleſtia miſero cibo vendideris. Pro nihilo habuiſti
Pſal. 105. cum Iudæis (vt ait Dauid) terram deſiderabilem cœli, quando ſic pro paruo cibo das illam, aut pro voluptate. Dediſti precioſa quæque pro cibo corporeo ieiunium frangendo (ait plorans
Thre. 1. D Ieremias) aut pro delicijs terrenis: & hoc vt tantum refocillares animam, id eſt vitam cito finiendam?

Dices forſan, imo ad literam contingit in multis veſtrum, nō poſſum famem ferre: & valde mihi caput dolet, ait alius, ob ieiunium. Alius: noctem inſomnem duco, ſi ieiunio vaco & valde nociuum eſt corpori meo: vnde ſi ieiunijs in cœlum pergere debeo, credo me non iturum illuc. Ego credo, nam omnes ſancti ieiunijs & obſecrationibus & alijs bonis operibus beatitudinem obtinuerunt, & impij comeſſationibus & ebrietatibus inuenerunt infernum. Multoties inedia vſus eſt medicus in te vt à febribus quas ex multis cibis acquiſieras te liberaret: quid mirum vt Deus iubeat te ieiunare, multoties contra legem illius nociua comedentem?

Somnus fugit à me per noctem ieiunante. Et hoc ipſum ſan
Gene. 31. F. cto Iacob contingebat ob Rachel pulchrā, quid mirū vt & tibi ob animæ tuæ pulchritudinē, & beatitudinis decorē? imo & magiſtro

giſtro tuo Chriſto tui amore multoties hoc accidit, quando Lucas ait: & erat pernoctãs in oratione. Frater mi, quoties noctes inſomnes duxiſti ludo alearũ victũ ac veſtitũ vxoris tuæ ac filiorũ dilapidans, blaſphemijs Deũ inhonorando, & familiã tuã in magno peccandi periculo conſtituendo? Quid mirũ vt parũ dormias ieiunij amore ad ſatisfaciendum pro tuis delictis? famẽ pateris ieiunando ad horã, & ferre non vales? Quo modo, quia non ieiunas, famẽ caninam & æternã in tartaris tolerare valebis? vt dormias de nocte non vis ieiunare per diem, quomodo in vigilia miſera poteris eſſe perpetua in ardoribus inferni? Memorare iſta nouiſsima & forſan erit tibi leue ſatis ieiunium: nã ſi dicis vires non ſuppetunt ad ieiunandum, ego credo, qui non ſum tuus iudex (ait Salomon) tamen vide ſi verum dicas, nam qui inſpector eſt cordis nempe Deus, ipſe intelligit an poſsis ieiunare: & ſeruatorem animæ tuæ Chriſtum nil fallit, & reddet homini iuxta opera ſua: Deus non irridetur, cane ne illuſus ſis. Ob ieiunium, inquis, maxime dolet mihi caput, & quoties doluit ex nimia, & ſuperflua ciborum repletione? Et quoties doluit, quia de nocte in malis veſtigijs ambulabas ſine ſomno, ad venandã proximi tui vxorẽ, maiorem laborẽ quam in ieiunio patiens? O benedicta Paula Romana, quæ non ſolũ te ipſam ieiunijs affligebas, ſed & alias tibi ſocias: malens (vt ait D. Hiero. in Epitaphio tuo ad Euſtochiũ filiã tuã) eis ſtomachum dolere, quã mentẽ: & tu homo fortis ob timorẽ capitis dolorẽ, aut non valẽdi dormire, ieiuniũ vt peſtẽ fugis? Paula ſurget contra te in iudicio tuo. Labora animę tuę amore, ſaltim ſicut pro corpore laborasti: ieiuna vt capias cęlũ, ſicut hucuſq; ob terrena captãda.

*Luc. 6. B.*

*Prou. 24. B.*

*To. 1. fo. 178 D.*

Quandiu filij Iſrael (ait D. Baſi. vbi, ſupra) contenti fuerunt manna & aqua de petra fluente, ſuperabant Ægyptios, per mare faciebant iter: & non erat infirmus in tribubus eorum: verum tamen poſtquam recordati ſunt carnium ac lebetum, poſtea quam concupiſcentia, & ſi non corpore, reuerſi ſunt in Ægyptum, multi illorum ceciderunt in deſerto, & adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei deſcendit ſuper eos & non viderunt terram promiſſam: ſed perierunt inter beſtias.

*Hom. 1.*

*Pſal. 77.*

Non metuis exẽplum? Non horres edacitatẽ? Ieiuniũ fugis? cibos diligis & carniũ ollas? In Ægyptũ peccatorũ tenebroſam eris reuerſus & culpa occiſus vt in tenebras exteriores deſcẽdas,

& ſic

& sic in terram viuentium & tibi promissam non peruenies. Vis peruenire? Vis tenebrosos dæmones superare? Cupis per mare fluctuosum huius periculosi mundi, iter securum tibi cõponere? Ieiuna in omnibus, esto contentus manna de cœlo, hoc est, cibo à Deo & Ecclesia instituto in diem ieiunij: & non erit infirmitas in te & dæmones vinces, & sic ad Angelorum agmina & consortium beatorum venies: apud quos cibus corporalis non reperitur, & si aliquis esset, panis esset iuxta illud, panem angelorum manducauit homo.

Quid ventri facilius est, tenui victu transmittere noctem, an copia ciborum grauatum iacere, imo crebro huc & illuc verti distentum ac gementem? Nisi tam stultus sis qui dicas mihi, vt *simile.* nauigandi ignarus: naucleros facilius seruare nauim sarcinis onustam, quam eam quæ ad cursum expedita est ac leuis sine aliquo onere. O stulte circa remigandum, & nescis oneris magnitudine grauatam nauim fluctus, quamuis exiguus adoriatur, demergi? Cuius causa mercatores & per maria negotiatores merces quas diligunt in mare dolenter proijciunt vt vitas a nau *Actu. 27. G* fragio redimant? Audi Lucam Euangelistam dicentem in actibus: alleuiabant nauem, qui cum Paulo erant nauigantes iactantes etiam triticum in mare. Nam nauis quæ modicis sarcinis tẽperata est facile suffert vndarum impetum: eo quod nulla res impedit eam, quo minus fluctum in altum surgentem superet, & sic omnes fluctus super natat.

Hoc mare magnum & amarum periculis & tempestatibus plenum, nonne hic mundus fluctuans semper dici potest? Vis facillime submergi à fluctibus infirmitatum tam corporis & animæ, & ab hostium impugnationibus? Reple stomachum tuum cibis, parum vtere ieiunijs, & nullus tentationis fluctus non te in culpam submerget: & in corporis infirmitatem. Tamen ieiuna amabo, proijce onera grauia ciborum & epularum triticum, serua stomachi tui nauim à cibis superfluis. & non modo malũ, quod à morbo imminente expectabatur, veluti tempestatis alsultum effugies, & præsentem iam corporis ægritudinem velut turbinem excuties, sed etiam animam à morbis futuris seruabis, & facillime à præsentibus liberabis, & ad salutis portum securam cum meritorum mercibus perduces, Deo auxiliante, & sacro ieiunio comitante.

Moses

Moſes per ieiunium penetrauit montem, cum Deo locutus *Exo.19. C.*
eſt, neque id auſus fuiſſet fumante monte & tuba perſtrepente,
& fulgure minante, ita vt ipſe territus fuerit (teſte Paulo) ſi non *Heb.12.F.*
fuiſſet ſubarmatus ieiunio. Qua fronte coram Deo in iudicio
apparere audebis. & tubam iudicij terribilem audire: ſententiæ
vltimæ terrorem expectare, oculos iudicis tanquam fulgura
ſplendentia videre, & nares fumigantes, & in montē Dei velis
aſcendere in trepide, ieiuniorum fractor, & Eccleſiæ violator,
acſi tecum ieiunij præceptum non loqueretur? Contemptor le
gis quid dices quando interrogatus ſis de illa? O fœlix ieiunās,
qui nil timens, non in Sinai monte, ſed in patria Deum ſicuti eſt
videbis facie ad faciem. Vide quam vtile ſit ſacrum ieiunium &
quanta bona lucratur poſsidenti, & econtra, quam multa bona
perdat guloſus.

Accipe exemplum: quia populus duræ ceruicis ſedit come- *Exo.32. B.*
dere & bibere, in vnico temporis momento, perdidit tabulas di
gito Dei ſcriptas, & ſurrexit ludere cum idolis: & ad vitulun
adorandum. Ita vt tam graue donum quod Moſes ſanctus per
ieiunium in monte obtinuit aſsidue verſans cum Deo: vnica
miſera comeſtione populus amiſit: nam tabulas fregit & multi
illorum occiſi ſunt. O infelix homo ieiuniorum violator, nam
quod per totum annum ſpiritus tuus lucratus eſt cum Deo, &
omnia dona digito Dei in corde tuo ſcripta, vnica comeſtione,
ſacrum ieiunium ab Eccleſia præceptum frangens, deſtruis ac
omnino deles, & mortuus in anima manes. Et merito cum cibū
vt idolum colas & pluſquam Deum diligas. O fœlix vere ieiu-
nans qui tanta dona tam paruo labore conſeruas. Ieiunate fra-
tres & abſtinete ab omni malo: & hæc vtraque inter ſe com-
ponito: hinc quo modo ieiunium adiungat Deo & merita cu-
ſtodiat: illinc quomodo luxus ſalutem verterit in exitium, &
tantorum bonorum deſtructionem. Attendite toto corde, quā-
ta bona in cœlis habeant ieiunantes reſeruata in æternum: & dā
nati quanta mala ob gulam.

Vas vacuum melius ſonat quam plenum, & corpus ieiunū *Simile.*
dulciores emittit ſonos quam cibis plenum. Citharam vt quid *Simile.*
credis tam ſuauem ſonum a ſe emittere? Quia concaua ſicca &
vacua eſt: imple illam terra aut carnibus, & videbis quam ine-
ptos cantus præbeat. Sic ait D. Bonauentura, dicta ſalutis de ie-
iunio:

Tit.1.cap.6. iunio: nam ſicut viella niſi eſſet concaua, & chordæ ſuper extenſæ non eſſet ſonoroſa: ſic & homo niſi vacuus ſit per abſtinentiam & ieiunium, & extenſus per rigidam pœnitentiam, non reddet ſonoroſam diuinæ laudis melodiam. In cuius figura dicit Dominus Moſi, facies altare mihi non ſolidum, ſed inane & cauum intrinſecus facies illud. Altare concauum eſt cor pœnitens vbi debet immolari ſacrificium contritionis. Caue tamen ne ſit ſolidum, id eſt, delicijs plenum aut voluptatibus, vt hodie fiunt altaria ſolida, & multi altaris miniſtri ſunt repleti cibis ac delicijs vetitis. Sit tamen cor tuum vacuum omni cibo vetito, ſi cupis Deo placere in ſacrificio tali: ieiuna libẽter in omnibus.

Exo. 27. B.

1. Reg. 1. Quis bonum Samuelem donauit matri? Non ne deprecatio cum ieiunio: ait D. Baſilius ibi. Quid Eſau tulit a patre & matre ita vt neque hic neque in futuro illo fruerentur? Quæ res alienauit illum etiam à Deo patre ſuo? Quid in fratris ſeruitutem ipſum reddidit? Vnicum edulium (vt diximus) & parui pretij cibus vilis, cuius gratia vendidit ius primogenituræ. Vis donari te Deo patri tuo & virgini matri, per viſionem æternam & beatificam? Ieiuna, & a vitijs abſtine, alias cum Eſau ad famem perpetuam ibis, nec tu parentibus nec ipſi fruentur te.

Gene. 25. D.

Pſal. 108. Aliter ieiunabat ille regius propheta, qui dicebat, genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleũ. O, fœlix ieiunium vbi quatuor iſta adſunt: oratio humilis, per genua intellecta, corporis afflictio, per ly, caro; moralis conuerſio: quia immutata: clemens compaſsio, quia propter oleum, miſericordiam denotans. Fœlix ó homo eris ſi ieiunio orationem adiungis, de quibus duobus laudabatur in euangelio Anna vidua & prophetiſſa. Et audi quid tibi dicat Angelus Raphael quod Tobiæ: bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quam theſauros auri recondere. Deinde ſi corpus tuũ laboribus affligis: ſi immutatus fueris in virum alterum perfectum & humilem, & miſeriæ alienæ fueris compaſſus: hoc eſt ieiunium quod Deus elegit fieri à te.

Luc. 2. F.

Tob. 12. B.

Dices forſan, ſi ieiunijs multis vaco, genua mea & genæ infirmatæ erunt & in pallorem verſæ (vt ait Dauid) & cum ſim pulchra puella deformis facta ero, vnde ieiunare nolo. Falleris certe, nam cum anima tua pulchrior ſatis erit, & color faciei venuſtior apparebit, & honeſtior. Audi exemplum de hoc in hiſtoria

storia sacra Danielis. Rex Nabuchodonosor iussit Asphenez *Dan.1.A.*
præpositum Eunuchorum, vt pueros decoros forma & in quibus nulla esset macula introduceret: & constituit eis rex anno nã per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse vt enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis. Alij pueri comedebant de cibis regis: Daniel autem dicebat præposito: ne des cibos istos mihi & tribus pueris socijs meis, ne contaminemur. Præpositus vero ait: timeo ego dominum meum regem, qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum regi. Cui Daniel: tenta nos obsecro diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum: & videbis vultus nostros meliores, pulchriores & corpulẽtiores: quod factum est.

Nam vt ait D. Chrysost. in varijs Matthæi locis, quid de Da- *To.2. Ho.6.*
niele & tribus pueris dicimus, qui in tanta abstinentia inter tot adolescentes, qui cibis regalibus pascebantur, soli vultu cæteris gratiores inuenti sunt? Frater mi iuuenis, aut puella decora, Nabuchodonosor diabolus est, qui vult capere sibi animas pulchras & decoras sine macula existentes peccati captiuitate. Et non ex Turcis aut paganis, quia iam illas possidet ob infidelitatem, sed ex Christianis & filijs Israel: & vult gulæ hamo captare vos, & comestionis laqueo. Iubetque præpositum vestrum parentem aut matrem, vt ieiunium dissuadeat vobis, dicentem: eritis deformes, & macilentæ puellæ, vt sic ieiunium frangentes dæmoni seruiatis. Quid vultis eligere iuuenes ac puellæ? Ieiunium frangere, & diabolo obedire, an ieiunare cum Daniele & leguminibus vesci, & aquam bibere, & Deo seruire? Quomodo erimus magis pulchri, etiam in corpore? Eligite quod vultis, nam si ieiunium frangitis famelici & valde deformes coram dæmone apparebitis: tamen si ieiunium cum Daniele & socijs suis magis eligitis, in leguminibus & aqua, ex parte Dei promitto ego, & si vermis, quod in paschate eritis pulchriores & corpulentiores ipsis gulosis & ieiuniorum fractoribus, si non corpore & facici decore absque dubio mente erit.

Non solum pulchriores eritis cum Daniele & socijs, verum *Hom.4. fol.*
& alia mirabilia facietis cũ ipsis. Nã (vt ait Origenes indiuersis) 513.

sic

ſic illi tres pueri delicioſam contemnentes menſam, legumina in ieiunio ſumebant: & ita flammam fornacis, cincti virtute fidei, extinxerunt. Deſideras ò homo, fornacem ignis & cõcupiſcientiæ tuæ, (illo Babylonico camino edaciorem & peſtilentiorem, quanto maiora conſumit bona) nam ille malos Chaldæos combuſsit, iſte merita cælo digna & Dei viſionem deſtruit & incendit) vis inquam extinguere, & obtinere vt non plus animam tuam comburat quam ille ignis ſanctos pueros? Ieiunijs vaca, leguminibus vtere, cibis vitiorum, quibus anima contaminatur, ne veſcaris, & ora vt illi pueri, & eſto purus puer in verbis & factis: & ſic dæmones vinces & omnem claſſem malignantium retrorſum abire coges, & deſideria mala fugabis, delicta tua velut Chaldæos combures.

Sputum hominis ieiuni (ait Iſidorus) valde medicinale eſt, & ſerpentem occidit. Magna medicina animæ eſt ieiunium, &
*Mar. 9. D.* gladius fortis & venenum quo facile dæmonium occides, vt te
*Matt. 17. C.* ſtatur ipſa veritas dicens: hoc genus dæmoniorum in nullo poteſt exire: niſi in oratione & ieiunio. Cupis dæmonem ab anima tua eijcere, & abigere à te? ora inceſſanter, ieiuna perſeueranter. Humiliabam in ieiunio animam meam (ait Dauid) quia
*Pſal 34.* in illo intelligebam vilitatem meam, & quam fragilis ſit vita mea: & orabam pro inimicis, & ſi illis non proderat repugnantibus, tamen oratio mea in ſinu meo & ad me conuertebatur.

*Simile.* O ſacrum ieiuniũ, lapidi cuidam (quem ex ſua proprietate, Amianton Græci vocant vt ait Baſilius) ſimile: qui inquinari non poteſt, & ab igne non vincitur: ſed in illo poſitus videtur igneſcere & in prunam verti. Rurſus exemptus ab igne, perinde acſi fuiſſet aqua candidatus, apparet purior. Tales ſunt omnes ieiunantes vere, & huiuſcemodi lapis erant illi tres pueri ſacri de quibus modo agebamus; & corpora illorum apud Babylonicos illud conſecuta ſunt ieiunio vt nulla vi poſſent inquinari, ſiquidem in vehementi fornacis flamma, quaſi natura fuiſſent auri, ita apparuerunt fulgentes, & ſuperiores vi noxia ignis. Imo & auro potentiores fuerunt, cum illos ignis liquefacere non valuit: cum flamma ad quadraginta nouem cubitos ſuper fornacem diffundebatur: & plurimos Chaldæos conſumpſit: & pueri cum ieiunio ingreſsi tantum incendium conculcarunt: liquidum ac roſcidum aerem reſpirantes: & quod magis

eſt:

eſt:neq; ignis auſus eſt vel pilos illorum attingere:quaſi àieiu nio alitos & nutritos fame:imo nec veſtis pilos cõbuſsit: ò mi rabile ieiunij donum.

Cupisvt corporis tui veſtem ignis inferni non cõburat,quãto magis animã? ieiuna cum pueris iſtis:vis in laboribus & tribula tionis fornace fulgidior & ſanctior apparere vt ille lapis Amiãton?leguminibus vtere, cum pueris illis. Vis candidior niue permanere in tẽtationis igne? ieiunijs aſſueſce. Visvt pilus capitis tui non pereat in Dei Iudicio? Ieiuna. Væ Chaldęis guloſis ieiuniorum fractoribus,incenſi eritis in tartareo igne.

Daniel ſancte,& quid tibi ieiunium profuit, cum tãta dona ſocijs tuis contulerit,cum ipſe illius autor & deſiderator extitiſti?Multum in modũ, nã cum vir deſideriorum eſſem, & (vt ipſe affirmo in mea hiſtoria)tres hebdomadas panem non ediſſem,neq; vinum bibiſſem,demiſſus fui in lacum leonũ, qui cũ eſſent famelici,docui illos ieiunare,neq;auſi ſunt me ieiunũ tangere,neq; valuerunt, &ſi famelici acrugientes ad eſcã corporis mei,dentes in me impingere: perinde ac ſi lapide aut ferro aut alia quapiã rigidiore materia concretus & compoſitus fuiſſem: quia ieiunio certe fortior ferro & adamãte factus ſum:& àleonibus inſuperabilis.neq; enim aduerſum me os ſuũaperuerũt,etiã ſi negata fuerunt illis duo corpora quotidiana ſemper exhibita, vt mecito deuorarent. Vides quomodo ieiuniũvim ignisreſtringit,ora leonũ obturat? Vnde feroces beſtiæ ieiunantẽ tãgere nõ potuerũt,etiã ſi rabidæ præ fame. Inde liberatus ieiunij virtute à leonibus, meruit ſanctus Daniel viſiones diuinas videre: quia animã limpidiſsimã reddidit,cupisvt leones infernales nil mali tibi inferãt? Ieiuna cũ Daniele:eſto vir bonorũ deſideriorũ, & executioni manda illa:vt ſic liber eris àlacu damnatorũ,ſed à lacu purgantiũ,hic per ieiuniũ, eductus eris ad patriam cœleſtẽ. *Dan.14. F.*

Quando deſideras comedere libenter,caues à ientaculo,ſi cœnã optimã expectas,in meridie parum comedis,alias omnia tibi fiunt inſipida:ſi tamen vſq; ad veſperã ieiunio vteris gratãter tunc comedis,mane comedis multũ,ideſt, in hac vita ieiunium Eccleſiæ violans? Quid mirum vt in mortis ſero ieiunus & ſine cibis cœleſtibus permaneas,cupis cibos cœleſtes in nocte mortis auide ſuauiſsimos comedere? Ieiuna per horam vitæ,nam(vt ait Diuus Baſilius) vide quam ſuauis eſt cibus poſt ieiunium:& *Simile.*

quam laborioſa inedia poſt cibum, vſque ad infirmitatem hominem pertrahentem. An non vides ſolem lætiorem eſſe & hilariorem poſt noctem? Et nox quam triſtior poſt diem eſt: vigiliam eſſe iucundiorem poſt ſomnum, quis dubitat? Sanitatem deſiderabiliorem eſſe diuerſos morbos expertis, nemo dubitat. Sic cibos cęleſtes experiri poſt ieiunium, & diem beatitudinis poſt noctem laboris videre abſque dubio iucundiſsimum eſt.

Quid fuit in cauſa, vt Elias meruiſſet à Iezabel liberari, & in ſpelunca quæ eſt in Horeb videre Dominum (ait D. Baſi.) quatenus homini morti ſubdito videre datũ eſt, & filiũ viduæ ſuſcitare, aduerſus ipſam etiã mortẽ robuſtum effectũ? Ieiuniũ quadraginta dierum. O ſacrati dies quadrageſimæ, fœlix qui vt decet (etiam ſi non tanta vt Elias perfectione) ieiunat vos & abſtinet a malo. Nã qui huius modi eſt, & ſpiritum ſuum hic ſuſcitabit Dei auxilio à culpæ morte, & à carne propria, Iezabele peiore, liber euadet, vſq; dũ videat Deũ deorũ in Sion, ſicuti eſt. Talia fere Eliſeus fecit quando ieiunium amplectens apud Sũnamitidem hoſpitio refocillatus eſt paruo oleo: & ipſe prophetis olera agreſtia & farinæ puſillum in munus hoſpitalitatis dedit, & ad tale conuiuium inuitauit. Sic & modo conuiuia fiunt in noſtro deteſtando tempore, ſic parca & ſobria, vt maneat vnde poſsit refectio fieri pauperibus, & cibum dare neceſsitatem patientibus. O tempora miſeranda noſtra: hic eſurijt pauper, & illic in conuiuijs & epulis ebrij & cibis repleti ſunt diuites, iã illud Pauli adimpletum eſt: alius quidem eſurijt & ieiunus per diem manet, præcipue illo anno ſeptuageſimo primo, & alius quidem ebrius eſt.

*Hą. 1:*
*3. Reg. 19.*
*1. Cor. 11. D.*

Vt iam tandem exempla finiamus, quibus maxime homo ad virtutem inuitatur, terreat te diuitis exemplum à Chriſto Domino in medium deductum: quem vita in delitijs acta tradidit incendio: & ieiuniorum contemptus. Legiſti ipſum peieraſſe, vt tu paſsim blaſphemas? Furaſſe, aut malis contractibus implicatum fuiſſe, non inuenies in euangelio, neque adulterũ fuiſſe, neque ob crimen iniuſtitiæ aliud damnatũ eſſe inueniẽs, niſi ob crudelitatem erga pauperẽ, & ob vitæ mollitiem, quare exuſtus eſt in camino ardenti, & in ieiunio perpetuo manet aquæ gutta carens, & panis mica, vt canis rabidus exiſtens? Epulabatur quotidie ſplendide (ait Chriſtus de illo) vndę omnia

*Luc. 16. F.*

alia mala possunt de illo cogitari, ex fonte gulæ prouenientia.

Quod opus sanctum quietē perpetuam parauit Lazaro in sinu Abrahæ, & modo in cœlo? Non ne ieiuniū, cum Dominus dicat de illo ob magnam ciborū abstinentiā, quod desiderabat micas de mensa diuitis, & nemo illi dabat? Ioannis Baptistæ vita, quid aliud erat quam vnicum ac perpetuum ieiunium? quid amplius cupis de hoc audire quam verbum veritatis dicētis: venit Ioannes neq; manducans neq; bibens: non quod omnino cibo caruisset: cum in euangelio legamus, esca Ioannis erat locustæ, & mel syluestre: sed quia non comedebat cibos quibus cōmuniter vescūtur homines (vt ait ibi Caietanus) nec bibebat vinū aut sicerā: vel quia tā parcus erat in cibo & potu, vt fere nec comedebat, nec bibebat. Qui non habebat lectū non arua, non aratorē (vt ait Hesiodus) nō bouē non triticū, non pistorem denique non aliud quicquā eorum, quæ ad victum pertinent: vnde inter natos mulierum maior à Domino meruit nominari.

*Luc. ibi.*

*Matt. 11. c. 836.*

Cum esset innocens & bonus Ionathas, quia præuenit prandium sumens paululum mellis in summitate virgæ, nescius de præcepto patris: venit mortis sors super illū, & pater eiusmet dixit cōtra illū: morte morieris Ionatha: & ipse Ecclesię sanctę præceptū contēnens, sciens & volens illud frangis, acsi non ex populo Christiano & eius legibus deuictus esses, sed ex pagano extra Ecclesiam existente? Imo Turcæ in die execrandi ieiunij sui saliuam deglutire non audent credentes se ieiunium obid frangere (vt fatetur frater Aranda in sua terræ sanctæ relatione) quid tamen facies quando coram Christo positus sis ad iudicium? Est pater meus, nil mali contra me dicet. Certe damnationis sors cadet supra te, & dicet, morte æterna morieris ieiunij violator. Conuertimini ad Dominū in ieiunio. Caueant tamen coniugati ne ad inuicē dispensationem ieiunij faciant, acsi pontifices essent, ne postea mutuo proferant sententiā mortis cōtra se: & faciat vnus de alieno peccato proprium: omnes ieiunent cum omnes sint fideles. Ploret autem qui legitime à ieiunio exemptus est, quia non potest cum ieiunantium ordine incedere, & alijs bonis operibus iungat se illis: præcipue à peccatis cauendo. Nam reuera hoc est præcipuū ieiunium quod Dominus à nobis fidelibus requirit. Nam (vt ait D. Ber. in capite ieiunij) non ab escis tantū ieiunare debemus sed ab omnibus illecebris

*1. Reg. 14.*

*ser. 1. fol. 91*

carnis,& vniuersa corporis voluptate, imo vero ieiunandum est longe amplius à vitijs quam à cibis.

*Hom. 8.* Diuus Basiliusin Hexame. quid prodest quæso corpore ieiu
*Hom. 1.* nare:animam vero mille vitijs, mille malis esse refertam? & de laudibus ieiunij idem doctor sanctus:si ieiunas,in omnibus ieiu na:carnes non edis,sed fratris tui famã comedis & honorem rodis:& ad contentiones & lites ieiunas.A vino abstines, & ab iniurijs proximorum non temperas os tuum , neque à periurijs, & maledictionibus.Expectas vesperamad cibum sumẽdum,& totum diem in ludis & malis contractibus consumis?Væ his qui ebrij sunt &non àvino:semel comedis & deciespeieras, & detra here proximo non cessas, & Dei creaturas execraris? Abstine-
*Isai.58.B.* nes à cibis & non à voluptatibus?Nolite ieiunare(ait Dominus) sicut vsque hanc diem : non est istud ieiunium quod elegi fieri,à vobis.

Cum omnia extrema sint vitiosa, etiam est carpendum ieiu nium nimium,& notabile damnum corpori & saluti inducens (etiam si de hoc parum sit necesse dicere , cum adeo raro inuenias,qui hoc extremo laborent,sicut alio non ieiunandi)audiant qui huiusmodi sunt Diuum Bernardum in modo beneviuendi
*Ser. 24. fo.* ad sororem:soror dilecta,sic debes nutrire corpus tuum, vt non
*1704.* superbiat sic debes repimere,vt non cadat:sic debes reficere car nem tuam vt seruiat:sic eam debes castigare per abstinentiam, vt non pereat, nam si carnem tuam supra modum affligis, ciuẽ tuum occidis:& si eam plusquam oportet reficis, inimicum tuũ nutris , igitur in omni abstinentia hoc serua , vt non occidas carnem tuam sed vitia:non nutrias carnem tuam vermibus, sed ita mãduces vt semper esurias, & ita comedas vt semper habeas famem,crede mihi soror mea,quia tentationes vincere non pote ris,nisi corpus tuũ per abstinentiam castigaueris.Per cibũ & potum crescit luxuria:ciborũ saturitas suscitat delitias,& voluptas semper est adiuncta saturitati:& maligni spiritus ibi magis intrant,vbi pluse scam & potum viderint.

Tãlõgã narrationẽ de ieiunio egimus,quiavalde necessariũ est,præcipue his gulosis tẽporibus,& voluptati & luxo deditis, vnde vera omnia ferevitia exorta sunt,& mala:caueat tamẽ si delis ieiunãs,nealiũ scopũ aut finẽ in ieiunio prẽter Deũ habeat & corp9 spũi subijciẽdi ne meritũ amittat, audiat Chr̃ũ dicẽtẽ.

Cum

## Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.

*A.31.M.4*
*D.16.5.Maij*

CVM Ieiunatis vos fideles mei, vnde ſupponovos ieiunare, nolite imitari quoſdã non ieiunatores, ſed ieiunij ſimulatores, frontis triſtitia ieiunij perſonam præſeferentes, cum reipſa hoc non agant, ob quod ieiunium debet adhiberi nimirum vel ob placandum Deum, vel ob corporis caſtigationem, quo liberior ſit animus ſacris rebus vacaturus, aut (ſicut gloſſa interlinearis hic ait) nolite ipſa vultus triſtitia oſtentare ieiunium, igitur non debemus triſtes eſſe pœnitendo? Gloſſa, bonum eſt in ieiunio pro peccatis triſtes eſſe ad pœnitentiam, & humiliare animam noſtram: tamen triſtitia quæ pro laude eſt prohibet. Et ſic nolite triſtes vultus exterius pandere, intrinſecus autem veram peccatorum & delictorum triſtitiam non habentes. Illa ſola eſt vera triſtitia, qua homo ad pœnitentiam contriſtatur, contritus mole veterum ſcelerum & cognitionis peccatorum põdere preſſus. D. Bernadus in capite ieiunij, non omnimodam nobis triſtitiam inter dicit, ſed quæ in facie eſt coram hominibus, vt illis placeamus, ficta: alias cor ſapiens (ait Salomon) vbi triſtitia, & cor ſtultorum vbi lætitia. Paulus etiam ait: nunc gaudeo Corinthij, quia epiſtola mea vos contriſtauit Paule, ipſe non affirmas eſſe flendum cum flentibus & gaudendum cum gaudẽtibus, vt quid ipſe gaudes quia cõtriſtati ſumus? Nõ quia contriſtati eſtis gaudeo, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam peccatorum veſtrorum, contriſtati eſtis ſecundum Deum, quæ triſtitia pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſeculi autem triſtitia mortẽ operatur, tamen triſtitia faciei, non cordis ob delicta, carpiturà Deo. Vnde nõ dixit nolite triſtes eſſe, ſed fieri, hoc eſt fingi: Sic quippe vulgo dicitur: triſtem ſe facit & ſimulat.

*Sermo.1.*

*Eccleſ.7.*
*2.Cor.7.C.*
*Roma.12.C.*

In ieiunio non ſit triſtitia exterior ficta ad hominibus placendum & Deo diſplicendum, alias hypocritis ſimiles eritis. Hypocritæ, ſecundũ gloſſam inter. dicuntur repræſentatores alterius perſonæ vt mimi, nolite ergo in ieiunijs hypocritis ſimiles fieri, qui ſunt diaboli pictores periti in ſua doctrina in arte pingendi, pictores enim cum aliquam ex diuerſis coloribus volunt formare imaginem, de interioribus nullam curam habent: quamodo

*Simile.*

ſtomachus, cor, pulmo, iecurque locentur, aut qua ſerie inteſtina cerebrum cæteraque interiora, quæ non videntur, diſponantur, ſed dumtaxat qualiter exteriora intuentium oculis aptiora & gratioſiora reddantur. O hypocrita ſimulate, atq; diaboli pictor, qui tantũ curas de illis quæ exterius hominibus apparẽt & in omnibus vis hominibus placere: interim tamen interius & de illis quæ Deo apparent, nec minimam curam habes? Vt quid imaginẽ animæ diuerſis virtutum coloribus non pingis? Albo caſtitatis & rubicundo charitatis, & nigro humilitatis quare illam non ornas? Cor tuum mundum eſſe & nulla infectũ prauitate aut odio, & viſcera ſana vt quid non curas? O dæmonis pictor, ſolũ exteriora & quę hominibus placent pingẽs.

In ieiunio ne appareatis foris triſtes vt hypocritæ, quia cũ ſit adeo pretioſa res velim, vt optimus pater, ne fictione mercedẽ amittatis, & ſic conſiliũ meũ accipite, vt ne ſurrepat foris inanis gloria opus ieiunij ita vt intus à mercede euacuetur anima: hypocrita eſt homo ſimulatus, qui cũ malus ſit, bonus vult appare re foris: aut qui bonũ facit, ſolũ & ob hanc intentionẽ, vt videatur ab hominibus & laudetur ab ipſis. De quo valde miſerãdũ eſt, vt opus bonũ quod ſi in gratia Dei fieret, & amore illius, ipſemet Deus præmiũ fuiſſet illius, quia poteſt, ſcit & vult ſoluere illud, & quod vendas illud homini pauperi non valenti, nec ſciẽti, nec volẽti ſoluere tale opus, tantũ vt parũ aeris tibi conferat, laudãdo te? maxime velim vt hãc inſaniã hoĩes intelligãt.

*Simile.* Non iudicaſſes ipſe maxime dolendũ eſſe de hortulano, qui poſt multũ tẽpus conſumptũ & labores magnos exhauſtos in pyrorũ plãtatione, cruda & agreſtia collegiſſet pyra, vt pueris vẽderet paruo aut nullo pretio: quæ ſi ad maturitatẽ ſeruaſſet, grauib⁹ Dñis & magno valore vẽdidiſſet, vnde ditat⁹ euaderet? ſunt ne in te viſcera pietatis Chriſtianæ, ô homo vt nõ doleat animus tuus magis, & medius crepet, qui cũ multa bona opera tanto tẽpore, & magno labore parta, & in anima tua plantata, dura & indigeſta colligere audeas, & coram hominibus præſentari, & pro inani laude aut vano pretio non timeas tales fructus conferre: qui ſi in futurũ & vltimũ vitæ tuæ tẽpus reſeruaſſes, & in iudicio Chriſto Dño maturos præſentaſſes, honor Deo ſubſecutus eſſet, & tibi vtilitas indicibilis? Et ſic vtrunque perdis.

*Dan. 14. B.* Hypocrita eſt vt idolum Bel, de quo dicebat Daniel regi arri-

dens

dens ne erres rex: nã iſte Bel eſt intrinſecus luteus, & forinſecus æreus. Heu de quãtis hodie ſimilia potes dicere Daniel, iſti? dij videntur foris & boni fideles, nã exterius ærei vidẽtur & optimi ſonus: intrinſecus autẽ lutei ſunt auaritia & voluptate referti. O hypocritæ ſimulati cygno ſimiles voco vos: nã cygnus pẽnam habet exterius candidiſsimam, omnino nigredine imper mixtam: ſed carnẽ interius habet nigram, & ad digerendũ durã. O cygne hypocrita, qui licet exterius albus appareas tuis ieiu- *Simile.*
nijs aut alijs operibus, quæ coram hominibus facere curas, & ſic innocens & mundus videris foris: intus tamen vitiorum nigre dine niger & obſcurus es corã Deo, qui intuitur cordis medullas, & operum intentionem, ò corue niger in ſublimiã volãs, exterius, & ima & cadauera reſpiciens: vt miluus.

Quemadmodũ anima quæ in Dei gratia eſt, pulcherrima eſt *Simile.*
oculis omniũ ciuiũ cœleſtiũ, ſic ecõtra anima peccatorũ coruo nigrior eſt & omni ſpurcitia fœtidior, quãuis foris alba per hypocriſim appareat, in tantũ vt ſi homo ſpiritũ ſuum peccati nigredine fuſcũ videre poſſet, neſcio an poſſet non animo deſpõdere. Audi Ieremiã plorantẽ hoc atq; dicentẽ, denigrata eſt ſu- *Thre. 4. B.*
per carbones facies eorũ, & nõ ſunt cogniti in plateis. Facies tua ò hypocrita, id eſt conſciẽtia oſtẽdens qualẽ animã habeas, magis nigra eſt quã carbo, etiã ſi foris ſimul eris bonus. Quare non dicis Ieremia, conſcientiã meã nigrã eſſe vt fumariũ, ſed vt carbo? Quia fumariũ, & ſi ſit obfuſcatũ exterius fumo, intus nõ eſt nigrũ: tũ carbo etiã ſi foris calce aut terra alba illũ albũ reddas, cito niger apparebit. O hypocrita, denigrata eſt conſciẽtia tua corã Deo ſuper carbones, etiam ſi foris albus hominibus appareas: væ tibi quando in morte cor tuũ ſcindatur: velis nolis peccati nigredo apparebit, in tui non minimam confuſionẽ, & animæ tuæ ignominiam: es ſimilis argento falſo; & ouis aſpidis, aurichalco & ſtanno nubi ſine aqua vt ait S. Iudas. *Incanonica. C.*

Ne vendas hominibus mẽdicis opus bonum, quod in gratia factũ, ſolus Deꝰ ſoluere valet: vẽde illud Deo & ciuibꝰ cœleſtibus: aut reſpõde mihi quid ipſe iudicaſſes de ciue Toletano, qui Toleti per vitã viuere debebat cũ vxore, filijs & cõciuibꝰ ſuis: vbi poſſeſsiones magnas habebat, & domũ magnifice cõſtructã *Simile.*
& facultates nõ paucas: qui tũ tranſiens per hunc locum & videns homines volentes comediam aliquã ſiue tragediam repreſentare, dixiſſet: accipite domũ meam quam Toleti habeo &

omnes facultates meas, & ſinite me per horam in hac ſcæna regis perſonam agere. O miſer non vides quod hora tranſacta & perſona dempta & ſcæna facta, pauper manebis, & vbi viuere debes vſque ad mortem, nec domum nec facultates habebis? Sit ita dummodo perſonam nobilis hominis coram his hominibus agam.

In cęlo ſunt diuitiæ tuæ ó fideles, ibi eſt pater tuus Deus, ibi & mater reginaque poli, ibi & fratres omnes Angeli & ſancti Dei, ibi & filij tui, id eſt, bona opera permanere debebant: ibi eſt domus tua miro artificio conſtructa: vt potes videre, in reuelationibus S. Ioannis, capite vigeſimo primo per totum ad habitandũ perpetuo illic creatus es: quæ te dementia cepit. Corydon (vt ait Virgilius) aut quis te faſcinauit inſenſate Galate (vt ait Paulus) vt tanta dona gratis dares, & domum talem venderes, & tam pretioſas poſſeſsiones in patria tua & inter tales conciues exiſtentes, ſolum vt ad horam in huius mundi ſcęna & coram vilibus vermiculis nobilis & politici hominis ageres perſonam & bonus appareres ieiunia & alia bona opera hominibus vendens, quæ magno pretio ſolueret Deus? cum tamen interim denigrata ſit conſcientiæ tuæ facies ſuper carbones, etiam ſi nõ ſis cognitus qualis ſis in plateis humanis. Quia boni perſonã per hypocriſim agis, tamẽ morte adueniente perſona erit a te dempta, & qualis modo ſis pauper, nudus infamis: niger, & cœlo indignus, & ad infernum damnatus apparebis.

*Apoc. 21.*

*Gala. 3. A.*

*Hom. 1. B.*

Audi hypocrita D. Baſilium: in illa homilia de laudibus ieiunij ſæpe citata ſupra: noli obſcurare faciem tuam more hypocritarũ. Obſcuratur facies, cum internus affectus externa ſpecie velut incruſtamento inducto tegitur, ac mendacio, ceu velo obtento celatur. Hypocrita dicitur hiſtrio, qui in theatro perſonam ſubſtinet alienam, & ſæpe heri, cum ſit ſeruus, aut regis cum ſit priuatus & humilis homo perſonam agit: ſic in hac vita plerique vitam ſuam velut è proſcęnio ad oſtentationem componunt, aliud in corde gerentes, nempe peccati ſeruitutem & vitij vilitatem, aliud in ſpecie hominum oculis præſe ferentes, boni hominis honeſti aut ieiunantis perſonam agentes. Noli obſcurare faciem (ait Dominus) qualis es talis appare, vt ſic non ſis deceptus in morte, neque in Angelum lucis transfigures te, cum ſit facies conſcientiæ tuæ denigrata ſuper carbones.

Dolore

Dolore affici debebamus, de agricola qui in hoc neceſsitatis anno primo poſt ſeptuageſimum, poſt frigus & labores quos tulit in ſeminando triticum, ex decimis ſibi datum, in auguſto ſoluendum, poſt famem propriam & filiorum, dummodo ſeminaret, perpeſſam: ſi in hoc menſe Maij, quãdo ſegetes ſunt virides & rore cœli, ſere miraculoſe à Deo conceſſo, magnę & potẽtes, collegiſſet illas & euulſas ad plateã huius loci de Cañamares advendendũ deportaſſet: omnes pueri contra ipſum inſurrexiſſent, acclamantes, talẽ hominẽ cerebro fuiſſe deſtitutũ dicẽtes: quo ſolues miſer? Quid ipſe & filij tui comedent anno ſequenti? Specta infelix agricola, duos tantũ menſes, qui ſex expectaſti in tot laboribus: & ad maturas meſſes peruenient virida fœna, quibus ſoluas debita, & viuas ipſe & filij tui de reliquo, nam modo quis emet ſine grano herbam, niſi beſtijs paruo pretio, & potius hordeum ement, quod beſtijs melius eſt. *simile.*

Facile iſta ſimilitudo poteſt adaptari homini fideli qui per varios caſus & tot labores atq; rerũ diſcrimina bona opera ſeminauit, & Dei auxilio operatus eſt ieiuniũ & eleemoſynã: vnde debitor ipſi Deo manet. Et quid vis facere homo talia opera hominibus vendendo ob inanem gloriã? Virides meſſes ſine fructu colligere volo, & hominibus pro beſtijs ſuis ideſt ſenſualibus appetitibus vendere graris: & in mortis auguſto quẽfructũ præmij colliges? Quo ſolues Deo tam magna, debita quo ales filios tuos, ideſt opera, vt ſint meritoria? Fructus non ſinis maturari? Expecta dominum duos menſes, & forſan nec duos dies, & magnã remunerationẽ tibi laborũ tuorũ dabit: alias fruſtra ieiunas, in vanum laboras, cum ſemen tuum beſtijs reſeruaſti, ſicut ſtultus eſſet qui magnos labores circa vineã expendiſſet plã tãdo, fodiendo, atq; putando, ſi vuas agreſtes collegiſſet omnes: vnde ſine dulci vini fructu manſiſſet. Sic & hypocrita. *simile.*

Stultus eſſet Hiſpanus, qui epiſtolã regiã, in qua ſcriptũ erat aliquod ſibi valde vtile & honorabile donũ, & hoc lingua Hiſpanica, tradidiſſet Gallo aut Italo homini, nihil de lingua noſtra intelligenti, nec virtutem epiſtolæ callenti, vt ſibi legeret illã: & tamen neſciens quid in ea contentũ eſſet dixiſſet bene, bene: & cum hoc Hiſpanus gaudens manſiſſet: præcipue ſi ob hoc virtus & vtilitas epiſtolæ receſsiſſet. Omne opus tuum fidelis in gratia Dei factum eſt epiſtola magni valoris, ex gratia regis cœ *simile.*

leſtis prouenientis: vt quid per hypocriſin tradis illam legendam homini neſcienti illius valorem ac virtutem? Oſtende illã ſoli Deo legere ſcienti, & ſoluere ſecundum meritum potenti, & volenti: alias, non recte conſideraſti dictũ Dñi dicentis hic.

Textus. Exterminant enim facies ſuas, vt appareãt hominibus ieiunantes. Amen dico vobis quia receperunt mercedem ſuam.

EXtra terminos debitos ponunt facies ſuas, quandam triſtitiam illis demonſtrando vt religioſiores præ cæteris appareant. Acſi D. Grego. non dixiſſet: ſimulata æquitas duplex iniquitas eſt. Exterminant, ait D. Anſel. id eſt deſtruunt per pallorem ac maceriem faciei ſuæ. Ab exulibus ſumptum eſt, ideſt extra terminum aliorum vere pœnitentium faciunt palleſcere & marceſcere facies ſuas. Et ſic ait gloſſa: extra terminos humanæ conditionis ponunt vt ſic ſub ſpecie religionis decipiant, quando triſtitiam extra modum ſolitum alijs demonſtrant. Duo mala faciunt (ait Orige.) vnum, quod triſtes facies ſuas oſtendunt, quia non voluntarie ieiunant: & ſic carent mercede. Aliud malum fingere coram hominibus id quod non ſunt, & humanam laudem lucrari quærunt cum diſpendio diuinæ.

O miſer quanta amittis bona, & quanta incurris mala ob tuã fictionem, in hac vita triſtis appares, & in alia plorabis in perpetuum. Et merito amiſsis contentus tam vili mercede, vt eſt inanis gloria friuola & vana in terris ab hominibus data. De cœlo expecta iudicium, tanquã homo Deo & hominibus mentiens. Recepiſti mercedem tibi dignam, laudem quam voluiſti (vt ait gloſ. inter.) non adoptionem filiorum. Vnde dicetur tibi in ratione vltima, vade ad ementes bona opera vana laude, & vendentes ob inanem gloriam vt ſoluant quæ feciſti: iam habes præmium quod ieiunio quærebas. Matth. 25. A.

O peruerſa electio & inaudita venditio, ex his quibus dona cœleſtia emere poteras, & ſupernaturalia bona, nempe ex operibus in gratia Dei factis, perfunctoria & terrena nanciſci & acquiri ob vanam laudem voluiſti. Quid huic dementiæ poteſt æquari in malo? Penitus non inuenio. Væ accipienti ſic in hac vita de virtute mercedem ab hominibus: in alia vacuus manebit

nebit, & à Deo audiet, nil à me expectes. Iam enim recepisti mercedem laborum tuorum. Terribile verbum auditu: cum gaudium tuum ô hypocrita, sit ad instar puncti, tanta amittens ob nihil, ideſt ob laudem humanam. Pretiosa aromata in pyxide aut vase clausa fortissime fragrant, tamen aperta & ostensa virtutem odoris subito amittunt: quia aer subripit illã. O aer, gloriæ vanę pestifer quomodo destruis odorem suauem boni operis ostensi hominibus, quem seruabat clausum. Flores manibus attacti læduntur, odorem amittunt & colorem: imo & arescunt, qui in paruo stercore hæc omnia retinebant ne cõmittas hominum manibus & laudibus opera tua bona, si non vis, vt colorem odorem, & meritum perdant, sed in vase cordis tui in paruo stercore, & vilitatis tuæ consideratione, seruabis ad gloriam quam nobis det Deus Amen. *Iob.20.* *simile.* *simile.*

# Feriæ Quartæ Cinerum Homilia Tertia.

*Thema.*

¶*Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Matth.6.C. *Textus.*

¶Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in absconso: & pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiũt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Matth.6.C.*

SALV-

SALVTATIO AD VIRGINEM.

VIRGO integerrima, dux salutaris nostri, post filium in omni tempore, præcipuæ in hoc quadragenario: quam solicita in ieiunio fuisti, quantis bonis operibus caput tuum, ideſt, filium in pauperibus eius vnxisti cùm nos pauperes oleo sanguinis eius quotidie vngas, merita passionis eius nobis impetrando. Non fuit necesse faciem conscientiæ tuæ lauare, quam semper ab instanti conceptionis mundissimam habuisti: nec aliquis perditus ausus est dicere, te alio liquore quam aqua faciem corporis abluisse, vt modo mulieres in vsu habent: etiam si refrigescit talis vsus, quo gaudeo: omnia opera tua sancta fuerunt & Dei amore facta. Vnde pater tuus cœlestis præmium incomparabilem reddidit tibi dum in cœlos ascendisti? Quam inenarrabiles meritorũ thesauros acquisiuisti, nec in terra abscondisti: vnde non fuit fur alicuius venialis culpæ. Necdum mortalis, audax ad aliquid eorum furandũ? In cœlo recondidisti omnia opera tua, quia ibi erat cor tuum per amorẽ. Tepide ieiunamus virgo sancta, nec ieiunium eleemosynis iungimus, vt decet ad vnctionem capitis: conscientiam nostram ablũere à sordibus non curamus, omnia opera nostra hominibus, ob parũ aeris, vendimus: vnde si aliquid facimus aura vana rapit & destruit, non considerantes cœlestem remuneratorem. Nil minus quam in cœlo thesaurizare cogitamus, sed in terrenis. Timeo virgo, corda nostra suum amorem in his infimis habere. Ora patrem cœlestem, vt amore filij paraclitus conferat nobis gratiæ thesauros, dicentibus, Aue Maria.

*Textus.*

## Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum.

*Simile.*

VIdens magister noster quanti valoris sint opera nostra bona in Dei amicitia facta, & quomodo aura vana comburit illa, dixit nobis. Ne appareatis hominibus ieiunantes. Nam rosæ in hortis clausis crescunt, quæ in vijs proiectæ conculcantur, & arescunt: ita de nostris contingit operibus, si omnibus ostendimus arescent, & conculcata erunt ob contemptum: si tamen recon

recondimus in corde, soli Deo illa ostendentes multum fructū dabunt. Nam qui opera bona facit tantùm, vt ab hominibus videantur, est vt ouis non sibi sed alijs vellera portās. Vnde omnibus his dicat Virgilius: sic vos non vobis fertis aratra boues: mellificatis apes: nidificatis aues, vellera fertis oues. Denique aranea cuiscerat se, vt muscam capiat: & hypocrita etiam, vt videatur ab hominibus. Prudentius se habet formica scindēs grani extremitatem nē in terra germinet, & putrescat, & maneat sine farina & cibo: sic boni fideles vltimum sui operis, nempe inanem gloriam, scindunt ab eo ne in terra germinet, & apud homines, & putrescat quo ad cœlum, & sine cibo maneant in via laboribus plena, quando anima à corpore egrediatur. Quid prodest fumario nigro, niue exterius album apparere ad horā, cum tamen, calore solis adueniente, & niue liquefacta in sua nigredine videtur? Per instans erit nix vanæ laudis, quo te homines adulatores cooperiunt hypocrita, cum intus coruo nigrior sit anima tua. Veniet certe cito & non tardabit rex cœli sol iustitiæ & liquefaciet talem niuem, & qualis es apparebis.

*similia.*

*simile.*

*simile.*

*simile.*

Tu autem fidelis fili mi, tu Deum timens (vt ait Origē. in diuersis auto.) tu fidelitatem Deo seruans, tu religionem Christiana verè amplectens fide & opere, tu placere desiderans Christo, qui toties tibi pepercit, & non hominibus: qui ad peccatum multoties induxerunt animam tuam: tu qui Dei amore ieiunas, valentis & volentis soluere, tu qui auram popularem contemnis: tu qui mauis conscientiam habere bonam, quam vulgo applaudere; Tu cùm ieiunas, tribue mihi in pauperibus quod amplius comedere debebas si non ieiunasses: & frange mihi in egeno esurienti panem tuum, & tunc reuera vngis caput tuū. Nam ego sum caput tuum (ait Christus) vnge me referendo ieiunium ad me: & in paupere reficiendo me: & cauendo à vitijs,

*Ho. 4. to. 2.*

D. Hiero. ait, hic iuxta ritum prouinciæ Palestinæ loquitur: vbi diebus festiuis solent vngere capita prę gaudio. Vnde idem est ac si Dominus dixisset: quando ieiunas ne appareas hominibus tristis fictus, sed hilaris & festiuus. Vnde ait glos. inter. Caput vngit qui spirituali lætitia, interius pinguescit: Lyra, signa lætitiæ prætendit: in vnctione capitis (ait D. Chry.) misericordiam significari cognoscimus. Vnde vngere caput, est misericor-

Matt.25.D. Hom.36 in Matt.10. ricordiam proximo facere: quæ miſericordia in paupere facta refertur ad Deum caput omnium, cum ipſe dicat. Mihi feciſtis quod vni ex minimis meis feciſtis. Vel, vnge caput tuum (ait idē Chryſ.) lenitate & humilitate in ieiunio habitis, ne ira & impatientia amittas, quod ieiunio lucratus eſſes. Veniat tibi oro, in mentem quoties ieiunij tempore menſa veſperi appoſita, ſi miniſter vocatus tardiuſculo acceſſerit, aut nō guſtui tuo cibi parati erant, omnia euertiſti contumeliando, calcitrando; atrociter miſerum miniſtrum (vtinam ne vxorem) verbis & pugnis mulctaſti, inhonoraſti, ad quæ omnia paruo tempore incitatus fuiſti. Cum tamen certior eſſes pauló poſt varijs poſſe ventrem tuum cibarijs explere. Velim, vt me tam vere & acriter iſta non tangerent, & multos altaris miniſtros prælatos atque paſtores. Quos omnes rogo per Chriſtum famelicum in cruce exiſtentem & felle primo cibatum, poſt vinum myrrhatum, vt illum, velut caput, vngant lenitate patientiæ, ne tam mi nima cauſa in beſtiarum ferocitatem incidant: neque de illis verificetur illud Salomonis, ſicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus (præcipue famelicus) ſuſcitat rixas contra famulos & omnes domeſticos. Audiam ego, amore Dei, & deinde omnis, qui huiuſmodi eſt, eiuſdem Salomonis conſilium, imò & ſpiritus diuini præceptum: noli eſſe ſicut leo in domo tua, præcipue in die ieiunij, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi: nam certe amittes præmium magni pretij, quod à ieiunio prouenit, ob iſtam iram & impatientiam.

Matt.27.D. Mar.15.B. Prou.26.C. Eccli.4.D.

Vnge caput tuum eleemoſynis, ſi vis dæmonem vincere: vt pugil oleo vngebatur ad vincendum hoſtem ſuum. Dolendum eſt audire regem Dauid dicentem: Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniāt ſuper vos, neque ſint agri primitiarum. Ob quid Dauid? Quia ibi abiectus eſt clypeus fortiū, clypeus Saul, qua ſi non eſſet vnctus oleo. Non minus dolendum eſt de te fidelis, qui quotidie à dæmone vinctus in terrenis iacens, manes interfectus peccati gladio, ac ſi non eſſes vnctus oleo chriſmatis, imò & ſanguine Dei: & hoc: quia, vt pugil tyrunculus non vis caput tuum, nempe Chriſtum, oleo eleemoſynarum in pauperibus vngere, nec caput tuum, ideſt, animam oleo lætitiæ veræ, & ſpiritus ſancti vnctione, & fortitudine non corroboraſti. Reges

2.Reg.1.C.

olim

olim oleo vngebantur in ſua electione: & ipſe ſi regnare in cœlo vis, vnge caput tuum in ſuis pauperibus.

## Et faciem tuam laua.

*Textus.*

¶Ieiuna ſecundum euangelium. Quod ſi requiris (ait Orige. in Leuiti.) Quomodo laues faciem tuam: ablue conſcientiã à peccatorũ maculis: vnge caput ſed non oleo peccatoris, aſſentationis, & adulationis. Nam tale oleum abhorrebat Dauid dicẽs oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ieiuna ab omni peccato, & laua faciem conſcientiæ, nullum cibum malitiæ ſumas, nullas capias voluptatis epulas, nullo vino luxuriæ concaleſcas: ieiuna à malis actibus, abſtine a malis ſermonibus, contine cor tuum a cogitationibus peſsimis, tale ieiunium Deo placet & illud Chriſtus elegit, & ipſe elige illud, & talis eſt optima faciei lotio.

*Hom. 10. in cap. 20. fol. 176.*

*Pſal. 141.*

Non hinc ex Chriſti verbo, mulieres ſuperflue ornantes ſe, & facies ſuas potius polluentes vanis lotionibus & coloribus quam mundantes, excuſam prætendant: cum tales abuſus à ſanctis omnibus abominati ſunt, quaſi Sathanæ laquei, quibus miſeri homines captiui tenentur. Audiant tales impudicæ mulieres Origenem in diuerſos dicentem. Bene dicit Dominus quod exterminant tales mulieres faciem ſuam, hoc eſt, facies immaculatas maculant: incoinquinatas coinquinant, mundas ſordidant: vnde iuſte exterminatio, ſaltim in alio ſeculo, manet illis. O infelices mulieres, quæ album, nigrum, & rubicundũ ſuper facies veſtras à Deo creatas inducitis, præcipue ſi intenditis ob hoc hominibus pedicã aut laqueũ ponere: exiſtimãtes vos plaſmatore veſtro in hoc ſapientiores, & creatore in arte pingendi prudentiores: cũ non vereamini illius eſſe correctores, ac ſi ipſe diuinus artifex vultus veſtros componere neſciuerit. O audacia & cito punienda, cũ creantis opus emendare velitis, & poſt fabricatoris manus ſuperaddere nõ timetis. Contumelia & riſu omnes abigerent mulierculam audacem, quæ imaginem ab Apelle pictam corrigere vellet: & ipſa nõ dubitas imaginem tuã à ſummo Deo miro artificio fabricatã rebus immundis corrige re, ac emendare?

*Hom. 4.*

*Simile.*

Mortuorum capilis capita veſtra componitis: mortuis coloribus facies veſtras viuentes linitis, vos ipſas ex viuẽtibus in gratia

tia mortuas per peccatum reddentes. Et vtinam ne ſit hoc, vt im prudentium faciatis euolare per aera corda, & minus cautorum animas ſubuertere, vnde multam perditionem vobis & alijs paratis. Caue mulier à iudicio Dei, & ne extra terminos á Deo tibi poſitos faciem ponas in Dei iniuriam, & animarum perditionem. Sed laua conſcientiæ tuæ faciem, vt illa peccatrix mulier, olim multum ſe exterius ornans, lacrymis feruidis. Pone animæ tuæ charitatis rubicundum colorem: caſtitatis albedinem: nigredinem humilitatis; muta vitam, & eſt bona lotio, vt ſic coram Chriſto munda appareas. Memento iræ Dei, quia non tardabit (vt ait Salomon) gratias Deo referamus poſsibiles, nos Hiſpani, quia hunc abuſum iam fere (cum multis alijs) à finibus noſtris relegauit omnipotens, ità vt iam non habeat ſe mulier pro honorata, quæ faciem ſuam alio liquore quam aqua munda abluat.

*Luc. 7. F.*

*Eccli. 7. B.*

Chriſtus tamen ſeruator noſter, iuxta omnium doctorum ſententiam, per faciem conſcientiam intelligit noſtram (etiam ſi ad lireram hilaritatem quæ triſtitiam hypocritalem tollit cõſulat, ſicut in capitis vnctione) : diciturtamen conſcientia noſtra facies: quia ſicut per vultum agnoſcimus Petrum, Paulum, aut Ioannem, regem, aut ruſticum, nigrum aut album : ita per vnius cuiuſque conſcientiam, anima illius dignoſcitur. Vnde fœlix qui mundam habet conſcientiam, quantumuis ab impijs aliter iudicetur: infelix qui contra ſe habet conſcientiam ſuam, etiam ſi ab omnibus laudetur, & honoretur.

O terque quaterque beatus, qui talem conſcientiam habet, vt omnibus hominibus, imó & dæmoni ipſi poſsit dicere cum Iacob ad Laban: Scrutare, quicquid tuorum apud me inueneris, aufer: & apud quemcunque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus noſtris. Eia dæmon, ſcrutare an inuenias in conſcientia mea, aut in corde meo deos, quos ipſe adoras, nempe vitia atque ſcelera. Apud quamcunque porõtiam meam inueneris aliquid tuum contra Deum, aut in ſenſibus, necetur coram fratribus, & deſtruatur in me. O felix homo, qui talis eſt. Quis eſt hic & laudabimus eum, ac dicemus: certe fecit magna & mirabilia in vita ſua? Qui ex magna confidentia bonæ conſcientiæ permittit omnia ſua interiora à maligno ſcrutari. Nam tam mundas manus & conſcientiam pij homines habere debent ab omni

*Gene. 31. D.*

ni ſorde,& à rebus alienis, vt dicere poſsint cum Paulo. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: vt etiam ſi mundani omnia ipſorum verba & facta excutiant, nihil tamen mali in ipſis inuenire poſsint. *2.Cor.1.C.*

Laua à malitia cor tuum Hieruſalem, vt ſalua ſias (dicebat Dominus per Hieremiam) non dico faciem exteriorem aut veſtes, ſed cor & conſcientiam: tuam, non alienam iudicando. Vſque quo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Caue à maculis inueteratis multum polluentibus cor. Dicebat rex Ezechias abluens conſcientiam ſuam lacrymis. Memento Domine, quo modo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto. Vbi Hieronymus: Fœlix conſcientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur. Quænã ſummi boni? Dicebat alter Cato: mens quæ ſibi conſcia recti: & quid erit in hac vita vltimum malorum? E contra, conſcientia praua, quæ eſt contra illam habentem pro mille teſtibus. Parum eſt (ait alter gentilis Iuuenalis) nocte die que ſuo geſtare in pectore teſtem? Quis poteſt ferre conſcientiæ fœditatem, ſimul ac crudelitatem, & ſeruum tam moleſtum, qui ſiue comedas ſiue bibas, ſiue aliquid aliud facias, ſemper tibi minas & ſupplicia grauia promittit? O ſerue tuæ conſcientiæ & duro corde, quomodo potes illam adeo moleſtam ferre? *Ierem.4.D.* *Iſai.38.A.*

Polluitur facies conſcientiæ noſtræ multis rebus, præcipuè tribus, fumo ſuperbiæ, aut auaritiæ luto, ſed peiùs luxuriæ pice: vt teſtatur ille Salomon (qui dedit maculam in gloria ſua, inclinando femora ſua mulieribus) dicens: qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Apta ſimilitudo certe: nam ſicut tangens picem ſemel, ſepties lauabit ſe & penitus mundus non manet: ita voluptate deditus, multoties peccata confitens, procliuis ad inhoneſtatem manet. Fornicati ſunt, ait Oſeas, & quod peius eſt, non ceſſauerunt. Vnde egreſſus eſt à filia Sion & ab anima fideli omnis decor eius, vt plangit Ieremias, quia ingreſſa fuit pix voluptatis conſcientiam maculans, & animam coinquinans. Quid igitur faciemus? Faciem tuam laua ſi vis à Domino agnoſci & approbari: aliàs dicet tibi iudex cum fatuis puellis: neſcio te, ſed reprobo vt immundum. *Eccli.47.C.* *ibi.13.A.* *Simile.* *Oſeæ.4.B.* *Thre.1.C.* *Matt.25.A*

Vir quidam de filijs prophetarum dixit ad ſocium ſuum, percute me. At ille noluit. Sed & alterum inueniens virum, *3.Reg.20.G*

dixit ad eum: percute me. Qui percuſsit & vulnerauit. Abijt ergo propheta, & occurrit regi Achab in via, & mutauit aſperſione pulueris os & oculos ſuos. Non tamen agnouit illum rex donec abſterſit puluerem de facie ſua: & ſic agnouit, illum eſſe de prophetis. Quis vir de prophetis, niſi ipſe fidelis? Quoties aliquem aut mulierem ad peccandum inuitaſti, non dixiſti illi: percute me in anima, & vulnera faciem conſcientiæ meæ? O felix mulier quæ reſpondiſti huic fideli inſanienti, præcipuè ſacerdoti vulnus à te petenti: nolo te, & me ſimul percutere. Heu tamen quod ſemel tentatus non ceſſat hanc vel illam ad vulnus inuitare, donec percuſſus, & in anima vulneratus euadit: vnde velit aut non, debet regi cœli in via vitæ occurrere. Tamen cum habeas faciem conſcientiæ tuæ mutatam, & deſędatam aſperſione pulueris & luto voluptatis, non agnoſcit te approbationis notitia, etiam ſi bene agnoſcat, quis & qualis ſis: vis agnoſciab ipſo Deo per approbationem, abſterge puluerem peccati de facie conſcientiæ tuæ, & tunc agnitus eris, vt filius prophetarum, aut ſecerdos verus.

Non immerito per faciem ipſam Eccleſiam ſanctam intelligere poſſumus, quia ſicut omnis corporis gloria & decor facies eſt, id eſt, aſpectus & vultus, ſic & omnium credentium corpus aſpectus & gloria ſancta Eccleſia Romana eſt, & Chriſtus caput illius. Hanc igitur matrem Eccleſiam laua, orna, & exalta, honora & glorifica, præcipue in his dolendis temporibus. Nam tunc lauas Eccleſiam quando culpas tuas lauas, cum ſis illius membrum: tunc ipſam ornas, quando virtutibus vacas: tunc exaltas ipſam quando humiliaris, & dum verbis, operibus, concionibus & ſcriptis pro viribus illam à vitijs & erroribus defendis. Præcipuus honor Eccleſiæ exhibitus hic eſt, Chriſto capiti ſeruiendo, omnia ad gloriam Dei & Eccleſiæ exaltationem, & fidei propagationem faciendo.

O fœlices qui ſemper, ſed præcipuè hodie, totis viribus, tota mente, totis animi medullis Eccleſiam exaltant, defendunt, & adiuuant, & lacrymis (imo & ſanguine ſi opus fuerit) ipſam lauant plorando anguſtias, ad quas eſt redacta, & filiorum eius vitia. Tales certe ſunt maxillæ Eccleſiæ in quibus Ieremias di- *Thre. 1. A.* cebat lacrymas eſſe, quando Eccleſia plorans plorauit in no-

cte

ctę peccati alieni, & erroris tenebris. O fœlix Thoma Cantuarienſis epiſcope, qui ſic intrepidè Eccleſiæ inimicis obuiam fuiſti, & dixiſti (teſte S. Antonino in hiſtoria ſua). Ego pro Deo mori paratus ſum, & pro aſſertione iuſtitiæ, & Eccleſiæ liberatione ſeu libertate. Sed ſi caput meum quæritis, ex parte omnipotentis Dei & ſub anathemate prohibeo, ne alicui ex his qui mecum ſunt noceatis. Libenter quidem moriar, dummodo pro morte mea pacem & libertatem Eccleſia conſequatur. Deo itaque & beatæ Mariæ, & ſanctis huius Eccleſiæ patronis & S. Dionyſio commendo me ipſum & Eccleſiæ cauſam. Et his dictis carnificum gladijs confoſſus (vt ait Eccleſia) inclinato capite decollatus eſt. Et, (quod dictu horribile eſt) ablata corona capitis cerebrum per pauimentum cum cruore & oſsibus ſpargitur. Viri illuſores audite factum huius ſancti & pro Eccleſia ſaltim lacrymas effundite ſcelera veſtra abluendo, & quieſcite agere peruerſe. Si tamen neſcis quomodo faciem conſcientiæ tuæ abluere debes, audi.

*P. 2. ti. 17. ca. 3.*

*In collecta.*

## In fletu & planctu.

*Textus Ioel.*

¶Igitur lacrymis oportet te conſcientiæ tuæ faciem abluere, quam vitiorum ſordibus maculaſti. Et ſic conuertimini ad me in ieiunio (ait gloſ.) vt in futuro ſaturemini: in fletu, vt rideatis, & in planctu vt conſolemini interius. Tres planctus tibi ò peccator, ſuadeo habere, quandoquidem per culpam tria magna amiſiſti. Primum ſpiritus tui vnigeniti. Vnde dico tibi per Ieremiam, filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere; luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Quia nõ habes alium filium aut hæredem, quo regna cœleſtia poſsis hæreditare, quæ tanto ſanguinis diſpendio patertuus Chriſtus tibi lucratus eſt, ſi ſpiritum tuum delicto interfectum habes. Ideo plora vt ſolet regina vnicum filium & hæredem regnorum coram ſe mortuum cernens. Non ſit qui conſoletur te ex omnibus charis tuis in terra & in cœlo, quandiu ſpiritum defunctum habeas: ſed cura ſuſcitare illum in fletu externo & planctu interno.

*Ier. 6. C.*

*ſimile.*

Secundum quod peccato amiſiſti fuit ipſe Deus, ideò plora cum Michea dicens, Super hoc plangã, & vlulabo, vadã ſpolia-

*Mich. 1. C.*

tus & nudus: faciam planctum velut draconum, quando terribili sibilo (vt ait ibi D. Hiero.) personant, iuxta historias eorum qui de physicis conscripserunt, eo tempore, quo vincuntur ab elephantis. Sic & ipse quia elephas, dæmon nempe, vicit te & tulit Deum ab anima tua, quando peccato occidit te, vlula, vt draco. Et deinde quia omnia merita amisisti, fac luctum quasi struthionum: qui immemores sunt ouorum suorum (vt tenet ibi idem Hiero.) & quasi non pepererint in arena calcandos pedibus bestiarum fœtus relinquunt. O peccator, struthioni similis, quam immemor fuisti bonorum operum tuorum, quæ in gratia velut oua peperisti, quando in arena & voluptate putrida a dæmonibus calcanda posuisti peccando, & sic tam pretiosos fœtus bestijs exposuisti. Certe si intelligeres quid perdidisti, luctum quasi struthionum fecisses, & satis amariorem: quanto ipse magis quam struthio perdidisti: fac luctum vt ille.

*Esth. 4. A.* Planctus ingens erat apud Iudæos (dicitur in libro Esther) ieiunium, vlulatus & fletus: sacco & cinere multos pro strato vtentibus, in omnibus prouincijs & locis regis Assueri, ob *ibi. 3. D.* literas annulo regis signatas, vt occiderentur atque delerentur omnes Iudæi, à puero vsque ad senem: paruulos & mulieres vno die, & bona eorum diriperent. Et festinabant cursores ad regis imperium explendum: Aman celebrante præ gaudio conuiuium, cunctis Iudæis flentibus. Contra omnes fideles in mortali delicto existentes datæ sunt literæ, regis æterni annulo signatæ, vt occidantur pœna æterna, si pœnitentiam non agunt veram: & deleantur de terra viuentium: cuiuscunque conditionis sint, diuites aut pauperes, nobiles siue ignobiles, laici, siue sacerdotes: & bona meritoria eorum diripiantur, ita vt nil prosint ad gloriam. Eia fratres mei cursores inferni ad regis Christi imperium explendum veloci cursu festinant: quid vos agere cogitatis? Planctus ingens erat apud Iudæos, vt quid ridetis vos? Ieiunium erat, quare nec primum quadragesimæ diem ieiunastis? Vlulatus & fletus erat apud illos, vt quid non rugitus bestiarum emit- *Psal. 37.* titis à gemitu cordium vestrorum cum Dauid, quandoquidem feras in multis secuti estis, in ira, crudelitate, & in sordibus? Vbi cordis fletus? Vbi saccus pro voluptatibus vestris?

tris? Vbi cinis pro ſuperbia? Cauete quia feſtinant exactores inferni. Aman, nempe Lucifer, conuiuium præ gaudio celebrat, vt quid nos cum Iudæis in fletu & planctu ad Deum non currimus?

Exitus aquarum deducãt oculi noſtri (cum Dauid) quia non cuſtodierunt legem Domini. Si ignis domum tuam incendere incipit, ſtatim aquam clamando apponis: & vides conſcientiæ tuæ domum vitiorum flammis ardentem, & cogitas an lacrymis extingues tam nociuum incendium? Audi Guilliel. Pariſi enſem, grauiſsimum autorem reuera, in de pœnitentia dicentem: Si ignis incendio domum cuiusquam vaſtare cęperit, quis ſuper extinctione illius inducias ei & vnius momenti præcedens ſuggerere audeat vel ſuadeat? Quis etiam adeò cæcus aut demens eſſe poteſt vt talem ſuadentẽ audiat? Tamen de peccato ſcriptum eſt à Iob ignẽ eſſe vſque ad perditionem deuorantẽ, & omnia eradicantem genimina. Igitur lacrymis extingue tã vaſtatorem ignem, & ſtatim; quia neſcis an cras valebis, an in igne inferni eris. Quis contra ſuadet?

*Pſalmo.118 Simile.* *ca. poſt fol.44.* *Iob.31. B.*

Quantum plorat mulier in filij, aut ſponſi ſiue patris morte. O anima, quid pater carnalis tuus cum Chriſto? Quid filius cũ bono opere? Quid ſpõſus cum illo, qui in cruce pro te mortuus eſt, vt te illi deſponſaret in fide? & tamen non timuiſti mortali delicto in te occidere illum quantum fuit ex parte tua, & nil minus cogitas quàm plorare talem defunctum nobilem ſponſum tuum? Plange anima quaſi virgo (ait Ioel) Iam non virgo virtute caſta, ſed à dæmone per culpam corrupta: accincta ſacco ob ſuperbiam, & cilicio ob voluptatem tuam, plange (inquam) ſuper virum pubertatis tuæ, ſeu paupertatis tuæ: vtrumque ſpõſo Chriſto conuenit. Eia anima, quandiu fuiſti cum tali viro & ſponſo Chriſto, qui in paupertate tua te in ſponſam accepit, nẽpe in baptiſmate, qui pauper fuit & in laboribus à iuuẽtute ſua vt nos ditaret: aut in pubertate, qui deſponſivos (vt ait Paulus) vni viro Chriſto virginem caſtam exhibere. Et ſic quandiu tecum iſte ſacer ſponſus per gratiam fuit, non potuiſti ieiunare, aut plangere (ait Diuus Hieronymus in Ioel vt in euangelio Dominus de diſcipulis fatetur: tamen cum ablatus ſit iam ſponſus tuus à te per mortem peccati, plange quaſi virgo ſponſi tui abſentiam, imò & mortuum in tibi: & plora accincta cili

*Ioel.1. B.* *1. Cor.2. A.* *Matth.9.*

*Simile.* cio, & pro zona reſte circunda te. O quanta lamenta aſſumit virgo nobilis, ſuper ſponſum ſuum diuitem pulchrum, & optimum, tamen defunctum: ſaltim æqualia lamenta omnis anima peccatrix ſuper ſponſum ſuum Chriſtum à ſe delicto (Quantũ fuit in ſe) interfectum capiat.

*2. Reg. 1. D.* Filiæ Sion ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro? Quomodo cecidit fortis in prælio. O vos animæ ad cæleſtium ſpeculationem, imò & viſionem á Deo creatæ, ideò filiæ Sion, ſuper regem Chriſtũ flete à vobis culpis iterum crucifixum, qui veſtiebat vos coccino & charitatis veſte in delitijs ſpiritualibus veſtris: quem exuentes in Pilati prætorio poſt flagellorum veſtem, chlamydem coccineam circundederunt ei: & coronã de ſpinis ſuper caput eius poſuerunt. Videte quem occidiſtis, illũ qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro, id eſt, opera meritoria, quibus pulcherrimæ apparebatis. Heu quomodo cecidit ab anima tua fortiſsimus Ieſus in prælio tuo cum tentatione, & dæmone, quia ipſa aſſenſum in malo dediſti. Maxime dolendum eſt audire fortem Ieſum ab anima tua cecidiſſe, quando peccaſti: & (ſi fas eſt dicere) à dæmone ejectum à Caſtro animæ tuæ videre: quia ipſe malignum adiuuas contra Dominum, nec vult in te inuito habitare: cum tamen ſit tam fortis, vt in crucis prælio, cum ſit vita cum morte & dæmone ſic pugnauit, vt dux vitæ mortuus regnaret viuus.

*Matt. 27. D*

*Simile.* Quantum plorat qui theſaurum perdit, imo veſtem aut annulum. O anima plange accincta cilicio gratiæ margaritam quam peccando amiſiſti, & theſaurum omnium bonorum Chriſtũ: & regionem pulchram cœli. Audite Iſaiam dicẽtem: obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes, exuite vos, & confundimini: accingite lumbos veſtros. Super hubera plangite, & ſuper vitia quæ velut hubera ſuxiſtis, & ſuper hubera deliciarum, & guſtuum cœleſtium quæ in oratione aliquando habebatis, & amiſiſtis. Plangite etiam ſuper regione deſiderabili cœleſti, quam delictis perdidiſtis: & ſuper vinea fertili, ideſt, ſocietate ſanctorum.

*Iſai. 32. C.*

*Pſal. 6.* Igitur quilibet noſtrum corde vero cum Dauid dicat. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo, & hoc laborando in gemitu meo. Lauabo per

ſingulas

ſingulas noctes, id eſt, peccata mea nocte obicura tenebroſiora, & gratiæ lucem tollentia, & ad tenebras exteriores animam meam compellentia. Ex his & alijs peccatum congruenter dicitur nox, & quia in illo exiſtens odit lucem. Et ſic lacrymis lauabo ſingulum peccatum, vt ſic lectus conſcientiæ meæ mundus euadat. Nam ſicut homo in lecto molli quieſcit, in duro vero dormire non valet: ita iuſtus in conſcientia bona ſecurus dormit quietus manet & in pace: impius & peccator non valet in lecto conſcientiæ rigido dormire nedum quieſcere, cum non ſit pax impijs. Et lacrymis meis ſtratum meum rigabo, vt per quæ quis peccat per hæc & puniatur: & qui in cunctis peccat in cunctis (vtait D. Greg) merito feriatur. *simile.* *Iſai. 48. D.* *Homil. 35.*

Et ſi omnes fideles hodie à Chriſto adfletum, & planctum inuitantur, ob ſcelera per annum totum contra ipſum ducem a militibus perpetrata, quantò magis nos altaris miniſtri, ſacerdotes, religioſi atque prælati ſurgere debemus ad lamenta, videntes quantis delictis, blaſphemijs, & erroribus bonitas Dei quotidie impugnetur ab omni hominum genere? Præcipuè cum ipſemet dux Chriſtus hodie per Ioelē nos ſolos ſpecialiter iubeat plorare, qui in duces gregis dominici conſtituere nos voluit. Et vtinam multi ex nobis, maiora crimina quā milites fideles contra ipſum ducem hoc anno ne commiſerimus. Audiamus illum dicentem: Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes: congregate paruulos, & ſugentes hubera: egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Eia vocate milites ad me, ſonet tuba verbi Dei in Eccleſia, facite ieiunium ſanctum bonis operibus, vocate omnes de populo, & Eccleſiam ſanctificate deuotione debita. Eia milites veterani, venite ad Dominum, cum iam facies veſtræ canis reſperſæ ſint: & vos paruuli centum annorum relinquite infantiam, & nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Et vos, qui voluptates tanquam hubera eſtis ſugentes, eſtote ablactati ab illis. Imo ſponſus ſponſam ad tempus relinquat, quantò magis adulter alienam vxorem. *Ioel. 2. B.*

Et vos ſacerdotes inter veſtibulum vel porticum aut atrium templi ante ianuam templi exiſtentem quaſi illud veſtientem, & inter altare plorate. Accingite vos, & plangite ſacerdotes, vlu- *Ioel. 1. C.*

late miniſtri altaris, quod proprium belluarum eſt, quibus in moribus ſimiles multi ex vobis vixiſtis. Ingredimini in vos tẽplum viuum, qui conuerſi fuiſtis in capite platearum cum laicis, cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam interijt de domo Dei veſtri ſacrificium & libatio: quia indigne tractantur. Clamate ad Dominum, A, a, a, diei: quia prope eſt dies Domini. Dicamus omnes altaris miniſtri lacrymis perfuſi: parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes barbaræ, pagani ſcilicet, dæmones aut peccata.

*Do. 1. fe. 6. in breuiario. Conchen.*

Et ſi lacrymæ non ſufficiunt ad abluendas animæ noſtræ ſordes, multum illi inhærentes Domine, quid faciemus? Quid faciet mulier (vt ait meus doctor Ambroſius, vt recitabatur ab Eccleſia in aduentu) quãdo veſtiũ maculas diluere curat, & aqua non prodeſt ſola? Si adeo infectæ res cellulæ ſordibus extiterint, quod aqua ſola maculas non purget, addit olei mollitiem, ſaponis etiam acrimoniam: nos quoque ſi tam grauia ſunt ſcelera noſtra, vt minime ſolis fletibus abluere poſsimus: addamus miſericordiæ & eleemoſynæ oleum, acrimoniamque ieiunij: nullum enim tam graue delictum eſt, quod non purgetur abſtinentia (Dei auxilio) & eleemoſynis extinguatur. Si oleo & ſapone maculas non tollit, lixiuium facit, quo omnem immunditiam facile abſtergit: ſic & ipſe peccator, fac lixiuium, quod ex aqua calida & cinere componitur in igne: ità vt igne charitatis aquam lacrymarum decoquas cum cinere terram vilem te agnoſcendo, & certe lixiuium compones tantæ efficaciæ ad purificandum animi maculas, vt ſacramento pœnitentiæ adiunctum, facillime animam tuam mundiſsimam reddat. Vnde Eccleſia mater hoc intelligens intrat ſua laudanda, & admiranda conſuetudine dicens.

Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris: age pœnitentiam de peccatis tuis, & vitam æternam habebis.

AVdiſtis mandati præconium atque Dei legationem militestyrunculi? Attenditis qualia ſint arma atque ſtemmata noſtra

noſtra quibus inimicos noſtros crudeles, præcipuè carnem noſtram, vincere debeamus? Quid ſuperbis terra & cinis? Si hoc pœnitentem te facere non valet, atque ad Deum conuertere, quid proderit? reuera eccleſiæ Romanæ ceremoniæ ſanctæ efficaciam magnam habent. Nonne vidiſti proceſsionem eius hodiernam diuerſo more factam, nempe à ſiniſtra in dexteram, denotantem nos per anni curriculum à ſiniſtris delictorum ambulaſſe? Velum aut cortinam vidiſti, murum peccatorum noſtrorum luto compoſitum inter Deum & nos ſignantem. Cinerem ſuper capita noſtra ſacerdos poſuit, vt terram vilem & abiectam nos agnoſcamus, & cum hoc rebellantem per annum integrum contra Deum cœlorum: vt ſic humiliati veniam petamus cum lacrymis. *Eccle. 10. B.*

Olim in eccleſia erat ſtupendum factum, quod hodie fiebat circa pœnitentes publicos, & qui ſcãdalum ſuis ſceleribus alijs fidelibus dederant: vt eſt videre in decretis ex concilio Agathẽſi deſumptis, capite in capite. quadrageſimæ. Hoc eſt, hodierno die, omnes pœnitentes qui publicam ſuſceperant pœnitentiam ante fores eccleſiæ epiſcopo ſe repræſentabant ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demiſsis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proteſtantes. Ibi aderant decani, ideſt, archi preſbyteri, preſbyteri paræciarum, & preſbyter pœnitentiũ, qui eorum pœnitentiam, & conuerſationem diligenter inſpicere debebant: & ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfatos gradus iniungere. Poſt hæc introducebant eos in eccleſiam, & cum omni clero ſeptem pœnitentiales Pſalmos in terra proſtratus epiſcopus cum lacrymis, pro eorum abſolutione, decantabat. Tunc reſurgens ab oratione manus eis imponebat, & cinerem ſuper capita, & deinde aquam benedictam ſpargebat. Deinde cilicio capita eorum operiebat, & cum gemitu & crebris ſuſpirijs nunciabat eis dicens: *D. Quinquage. Vigue. ca. 16. §. 4. ve. 7*

Fratres mei, ſi ille Adam proiectus eſt de paradiſo ob vnum delictum ne miremini, vt vos modo ab Eccleſia obtanta crimina abijciamini. Et ſic iubebant miniſtros, vt eos extra Ianuas eccleſiæ expellerent à facie Domini ad quam terga verterant. Clerus verò, non ſine gemitu, proſequebatur eos dicens: In ſudore vultus veſcemini pane veſtro donec reuertamini ad eccleſiam ex qua expulſi eſtis. Quoderat in ſacra domini cœna. *Gene. 3. D.*

Tam ſtupendam repræſentationem iubebat fieri Deus, vt homines vidētes ſanctam Eccleſiam pro facinoribus mortalium tremefactam, non paruipenderent pœnitentiam, & maxime timerent peccata. Quis non hodie perterrefactus fuiſſet, ſi tale factum circa blaſphemos & adulteros publicos, vſurarios, & concubinarios, maledicas & veneficas mulieres in hoc Dei templo fieri viſſet. Quis non inde peccata præcipue ſcandalum dantia, perhorruiſſet. Heu nos miſeri, quid faciemus ſi a paradiſo expulſos proijcit nos Dominus in exilium perpetuum? Memento homo quia cinis es, & cito in terram verſus eris; quare non agis pœnitentiam de tuis criminibus, ſi vis æternam vitam poſsidere?

*Iob.7.B.* Hoc titulo volebat Iob ad miſericordiam flectere Deum. Memento mei Deus, quia ventus eſt vita mea, & fugit velut vmbra: & non reuertetur oculus meus, vt videat bona opera ad merendum, & bona ſacramenta, poſtquam defunctus fuero: nec aſpiciet me viſus hominis, id eſt, miſericordia Chriſti Dei & hominis. Memento homo, quia cinis es. Nam quia primus parens limum terræ ex quo formatus fuit obliuioni tradidit, & in ſcientia æqualitatem Dei conatus eſt obtinere, cum eſſet Angelis in intellectu, tamen brutis in corpore ſimilis, vnde ſuperbiuit, & non intelligens honorem ſibi a Deo datum euanuit in cogitationibus ſuis, & iumentis comparatus, ſimilis illis factus eſt, & tunc Deus dixit illi iſta verba, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, conſiderando te cinerem & puluerem eſſe: quia puluis es, & in talem reuerteris, & cito nam veniens veniet tibi & omnibus mors & non tardabit. Ac ſi dixiſſet Deus Adæ, deluto poteris te ponere: vnde philoſophi in diffinitione hominis mortale addunt: igitur memēto homo tui cineris & vilitatis ne fruſtra ſuperbias.

*Pſalm.48.* *Gen.3.D.*

*Iſai.38.A.* Ægrotauit Ezechias vſq; ad mortem (vt in libris regū eſt videre) cui dixit Iſaias: diſpone domui tuæ quia morieris. Tamen quia fleuit fletu magno, & cum hoc, & gemitu conuertit faciem ſuam ad parietem, agnoſcens ſe terrenum, etſi regem, & orauit lacrymis dicens: ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba. Dixit illi Dominus per Iſaiam: audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adijciam ſuper

dies

dies tuos quindecim annos, & de manu regis Asyriorum eruam te. Infirme in anima dispone conscientiæ tuæ quia morieris certe, & magis subito quam voles, fac pœnitentiam de peccatis tuis, & memento, quia cinis es: vnde in fletu & planctu ad Dominum te conuerte. Et si hoc non sufficit, faciem tuam ad parietem conuerte: quia sicut paries luto constat, ita & ipse cinis es & terra, etiã si habeas ossa velut lapides parietis. Sicut pullus hirundinis clama, quæ inter omnes aues nidum è terra componit, & ex luto non ex paleis aut fustibus, vt aliæ aues, vnde aquæ gutta destruitur: sic & corpus tuum, si lapideum, aut ligneum esset non ita cito destrueretur, tamen quia terreum est, modica febris illud resoluit. Et sic clama vt pullus hirundinis, in terreo nido agnoscens te esse. Meditare vt columba, quæ loco cantus gemitum emittit, & sic Deus miserebitur tui, & dabit vitam longiorem, & de manu dæmonis liberabit te. Memento homo te cinerem esse vilem. *Simile.*

Quid superbis terra & cinis? Quia sum ingenuus, nobilis & diues, imò Comes, Marchio, & Rex. Et vidisti aliquando terram superbientem & aliam contemnentem quia in sacco byssino posita erat, & altera in cilicino? Hoc ipsum agis, quia tua terra meliori veste siue ditiore vestita est, quam pauperis. Quid enim prodest ei (ait Diuus Chrysostomus in imperfecto) quem sordidant mores generatio clara. Nolite dicere, quia patrem habemus Abraham: nam quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit illi Cham quod filius fuit Noe? Non ne separatus de medio filiorum, qui secundum carnem frater natus fuerat, secundum animam factus est seruus? Nec familia eius sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ quod patrem habuit Thare luteorũ Deorum cultorem? Non ne separatus a genere suo, positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam eius sordidare paterni errores? Nam & aurum de terra nascitur, sed non est terra, sed illa multo pretiosius: & aurum eligitur, terra autem contemnitur. Et è contra, stannum de argento egreditur, sed non habet argenti valorẽ: sed argentũ colatum *Eccli. 10. B. Simile.* *Hom. 3. in Matt. 3.* *Gene. 9. D.* *Similia.*

tum ſeruatur, ſtannum autem foras expellitur. Sermonem dictum ad Iudæos, conuertamus ad Chriſtianos: quia ſicut illi putabant ſe ob hoc ſolum eſſe ſaluandos, quia erant filij Abrahæ: ſic & multi inſipientes Chriſtiani per hoc ſolum credunt in cœlum ire quia Chriſtiani ſunt, aut quia nobili genere. Audiant
*Matt.3.C.* omnes Ioannem dicentem, ſecurim, mortem nempe, ad radicem vitæ illorum & ſtatim ab initio ſui eſſe poſitam. Et quia rationabiles ſunt arbores & in poteſtate habent facere bonos fructus aut malos videant ad radices ſuas poſitam ſecurim, timeantque præciſionem, & feuenter fructum faciant & cito, alias timeant. Quia ideò ſecurim mortis non ad ramos poſita dicitur, qui etiam ſi præſcindantur reparantur iterùm, & fructificare valent, ſed ad radices, vt irreparabiliter extirpentur, & poſt mortem nemo poteſt operari.

*Gene.3.D.* Deus, ſtatim poſt Adæ peccatum, veſtiuit illum tunica pellicea, vt agnocens ſe mortalem eſſe, humilis fieret (vt habetur in decretis ex Ambroſio in libro de pœnitentia. cap. Adam
*Cap.11.* de pœnitentia diſtinctione prima.) Adam poſt culpam Deus ſtatim de paradiſo eiecit. Non diſtulit ſed ſtatim ſeparauit a delicijs, vt ageret pœnitentiam. Statim tunica veſtiuit eum pelli-
*Simile.* cea, non ſerica, vt humiliaretur coram Deo. Carbones igniti ſi cinere non cooperiantur de nocte, manenon habebis lumen, bene tamen ſi cooperti fuerint. Tua opera quantunuis charitate ignita ſi cinere humilitatis & conſidetatione tuæ vilitatis non cooperueris, vnico peccato mortali cito deficient in tenebris manebis in morte & ſine gratiæ lumine. Vis poſt mortis nocte magnum meritorum ignem inuenire? Conſidera te cinerem eſſe, & humilitate inuolue omnia, quæ feceris opera, ſi cupis in morte extincta & ſine merito non iuuenire illa. Ignis charitatis ſine mortis memoria cito extinguitur culpa, multum vero conſeruatur vilitatis humanæ conſideratione. Ideo agnoſce te ipſum homo, ab humo ſic vocatus.

*Dan.2.E.* Statua illa magna erat quam vidit rex Nabuchodonoſor in ſomno, & Daniel ſanctus declarauit. Caput ex auro optimo erat pectus & brachia de argento: tamen iam venter & femora ex ære conſtabant, tibiæ ferreæ erant, denique pedum quędam pars erat ferrea quædam autem fictilis. Vnde abſciſſus lapis de monte ſine manibus, percuſsit ſtatuam in pedibus eius ferreis

reis & fictilibus, & comminuit eos, & omnia tunc contrita sunt tam ferrum quam argentum & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento.

Quid prodest frater mi, vt magnam statuam repræsentes nobilitate aut dignitate, cum sit velut per somniũ? Caput aureum te habere, quia diues, nobilis aut in dignitate Ecclesiæ positus es fateor, pectus & brachia de argento habes, quia omnia fere quæ vis potes. Væ tamen tibi erit, quia pedes, id est, vitæ tuæ extremitates, non solum sunt fictiles & terreæ, quæ morte adueniente statim comminutæ erunt & in cinerem conuersæ: sed quod magis doleo, quia pars talium extremitatum & finis tuæ vitæ est ferrea, nigra, frigida, & ponderosa per culpam. Quid tibi tunc proderit ex auro habere caput, id est, ex nobilibus parentibus venire, & ipse multum habere argentum: cum tamen velis, aut non, lapis paruus & febris lenta aut lateris dolor comminuet te: & omnia bona tua redacta erunt quasi in fauillam æstiuæ areæ? Heu quando appareas coram lapide absciſſo de monte virgineo ſine manibus, id est, non ex virili semine, quia intacta nesciens virum, verbo concepit filium: hoc est coram Christo Domino, quid tibi proderunt aurum & argentum, si ferrea per culpam & nigra anima tua inuenta tunc erit? Interroga duos illos diuites euangelij, & annuntiabunt tibi: memento cineris homo. *Luc. 12. C. 16. D.*

Mortis memoria in nihilũ redigit omnis pulchritudinis seu diuitiarum gloriam aut dignitatum. Doceat hoc nos auis quædam, si ab Ecclesia cinerem dante hodie discere renuimus. Pauo enim dum pennarum suarum pulchritudinem & splendorem cernit, mirandam certe caudam erigit, & ad modum retis vel arcus per gyrum capiti circumponit: non tamen diu talis gloria illi durat, nam inter arcum oculos ad pedes suos valde deformes conuertit, & sic confusione plenus & plurimum erubescens, suæ pulchritudinis oblitus & plumarum splendoris caudã deprimit & deponit, & ab arcu quiescit. In summa de exemplis rerum, hoc videre licebit. *Simile.* *Lib. 4. ca. 53.*

Pes igitur, quo mediante corpus terram contingit, mortem hominis signat. Et quia vltimum est corporis, sicut mors finis huius vitæ: quid gloriaris homo, de pulchritudine, aut nobilitatis splendore diuitiarum aut dignitatum? Vt quid erigis te suprate

prate. Quam rotam facis in circuitu vt impius? Inclina oculos mentis ad pedes & vitæ tuæ finem: & vide quam deformis eris post mortem: præcipuè si anima tua in mortali egressa fuerit à corpore. Et re vera, si consideratione debita hoc agis, quantumuis superbus sis & elatus, rotam elationis depones, & confusus sedebis & à malis quiescens rubore perfusus. Si tamen tali consideratione humilis, & vere pœnitens non fueris, doceat te Dominus aliud medium: nam ego nescio.

Memento homo & ne obliuiscaris per instans te cinerem esse, & in terrã cito conuertendum, vt sic de peccatis tuis pœnitẽtiam veram agas: nam vere cinis es, cùm sis arbor combusta igne concupiscentiæ, & ad talem infirmitatem tollendam, non est malagma tam vtile vt cinerem te esse cogitãs. Inter alia, quę
1. Mach. 4. E fecerunt Iudas Machabæus & milites eius quando voluerunt reædificare sancta quæ prophanauerat Antiochus, scideruntve stimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerẽ super caput suum: & ceciderunt in faciem super terrã, & tũc pugnauerunt contra inimicos existẽtes in arce. Heu si vidisses homo quam pollutum est altare cordis tui sceleris macula, & quã prophanatum á dæmone maligno, cum sit templũ Dei viui: certe, quantunuis adamantinũ habuisses cor conatus esses mundare illud à sordibus peccatorum, & reædificare virtutum lapidibus. Tamen debes scindere vestes veterum peccatorum per confessionem: & plangere planctu magno, & præcipue imponere cinerem super caput animæ, nempe super rationem, cinerem te esse cogitando, & quota hora cadere in faciem super terram, acsi te iam sepelirent cogitatione vera: & tunc fortiter pugnabis contra inimicos dæmones & vitia existentia in arce animæ tuæ.

Thre. 3. D. Sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit se super se (dicit Ieremias in lamẽtis de quolibet peccatore vere se cinerem agnoscente). Primo sedebit quia quiescet à culpis & agere peruerse, & solitarius, quia ex mala societate multa delicta contraxit. Et tacebit & à bonis silebit, qui lingua sua damna non minima animæ suæ adduxit: nam linguam nullus hominum domare potest, ait Diuus Iacobus. Vnde acute (vt omnia solet)
Iaco. 3. B. Ser. 4. Diuus Augustinus in de verbis Domini secundum Matthęum, inducit solum Deum linguam hominum domare posse. Ta-

cebit

cebit amplius non loquendo nociua, loquetur in confessione, & honorem ablatum restituendo vero domino. Et faciet hoc, quia leuauit se super se: idest, cogitauit se aliquid esse, & plus esse quam est. Et sic ponet in puluere os suum (addit Ieremias ibi) si forte sit spes. Pone os tuum in puluere agnoscendo te cinerem esse, & per considerationem sepulturæ. Nam vides hanc tuam faciem mulier, pulchram & decoram coloribus depictam? Certe in puluere ponenda est citius, quam cogitas, aut velis. Pone tu illam prius cogitatione ne cessaria, si forte sit spes veniæ: imo certe cor contritũ, & humiliatum Deus non despiciet. *Psal. 50.*

Quis non humiliatur, vt Deus illi parcat delicta sua, quando audit dominum dicentem Eliæ, non ne vidisti humiliatum Achab coram me? Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnẽ suam, ieiunauit, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Ob hoc domine, non debes punire homicidiũ Naboth in illo, & alia innumera scelera? non. Nã quia humiliatus est mei causa, non inducã malum in diebus eius, sed in diebus filij sui. Memento homo te cinerem esse & humiliare sub potente manu illius, si vis, vt flagitia tua dimittat. Memento quia cinis es, & pater tuus erat vt es, & in cinerẽ iam est reuersus, vt eris. Veni ad sepulchrũ maiorum tuorũ, & aratro huius ecclesiæ terram euolue, & ostende mihi, qualis fuerit diues, & qualis pauper, & quis? Dic, ista fuit pulchra mulier, & ista deformis: imo per caluariam vix agnosces, quæ fuerit hominis, & quæ mulieris. Attende ex his sepultis defunctis quomodo multi ex ieiunijs obtinuerunt cœlum, Dei auxilio, & vtinam ne alij ieiunij fractores sint in fame infernali. Ligna in cinerem versa non agnoscuntur. Quæ viridia aut sicca, quæ procera aut humilia: applica. *3. Reg. 21. G*

Mortis memoria animam dirigit & à tẽtationibus defendit. Nam aues & pisces regunt se cauda sua: iumenta & boues à muscis cauda se defendunt. Homines vt quid nõ vitam vestrã dirigitis tam salubri gubernaculo, vt est mortis memoria? Excutite muscas tentationum importunas, vilitatis vestræ consideratione. Interroga iumenta (ait Iob) & docebunt te viuere, cum mortis memoria, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Nã leo (vt est videre in Berchorio) dũ videt venatores instare cõtra illum *Similia.* *Similia.* *Iob. 12. E.* *lib. 10. ca. 57 §. 2.* *Simile.*

illum, nec poteſt eos euitare, non reſpicit ad arma eorum & gladios, ne fortè terreatur: imo reſpicit terram & cauda ſe percutit, & ſic in venatores prorumpit. Eia milites tyrunculi, inceſſanter dæmon, mundus & caro contra vos, vt venatores maligni, non pugnant? Nolite (ſi vincere cupitis) arma illorum aſpicere, id eſt, delectabilia quæ vobis promittunt, quibus occidere vos parant: nam magno periculo cadendi exponitis vos, ſi vitij delectationem aſpicitis. Eia leones fideles reſpicite terram vilitatis veſtræ & conditionis humanæ fragilitatem, & conſiderate vos cinerem eſſe & nouiſsima veſtra ruminate: & cauda perſeuerantiæ percutite corda veſtra pœnitendo: & contra venatores inimicos veſtros prorumpite bonis operibus, & ſic mortis æternæ periculum euadetis. Nam ſi cauda noſtra tangit terram, id eſt, perſeuerantia vſque ad mortem, tunc victoriam veram de hoſtibus habemus. Ferrum durum in terra diu defoſſum duritiam perdit & molliciem induit: ſic cor durum in mortis conſideratione & cineris.

*Simile.*

Memento homo, te cinerem eſſe, & in omnibus operibus tuis (ait Salomon) memorare nouiſsima tua, mortem, iudicium, infernum & cœlum, & in æternum non peccabis. Etiam ſi ad horam pecces: Dei auxilio, reſurges ſtatim tali conſideratione: & ſic non peccabis in æternum. Et (vt dicebamus) interroga volatilia cœli & docebunt te iſtam ſcientiam humiliandi te, & te cinerem eſſe. Vade piger ſuperbe, ad filios perdicum, qui (vt ait Solinus referente Berchorio) dum aucupem volunt euadere, ſolent glebas terræ in pedibus ponere: & reſupini iacere, ita vt deprehenſi lateant. Conuertamus facies noſtras in cœlum fratres, per deuotionem, & pœnitentiam, glebam mortis conſideratione debita præ oculis habeamus, ſi volumus diaboli inſidias euadere. Hoc ipſum docebunt te coturnices (vt ait idem) quæ accipitrem timent, & ſic à terra non ſe eleuant quandiu vident eum. Memento quia cinis es, & à terra non eleues cor tuum, per mortis conſiderationem, quandiu accipiter, id eſt, dæmon, contra te eſt per tentationem: quod fit per vitam totam.

*Eccli. 7. D.*

*Simile.*

*Li. 7. ca. 59. §. 8.*

*ibi. cap. 19. §. 4,*

*Simile.*

Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini, ait Ieremias. Nõ ſat erat propheta ſancte, ſemel aut bis terram nos vocare, quare ter cinerem nominas nos? Terra, terra, & iterum terra, audi iam

*Ierc. 22. G.*

ſermo-

ſermonem domini, per eccleſiam ſuam dicentis, memento homo qua cinis es: & noli ampliuis peccare. Terra, quia ex luto plaſmatus es: iterũ terra, quia cinis modo es: & ter terra, quia in cinerem cito reuerſus eris, audi iam tandem vocẽ Domini dicẽtis, ad me conuertere verè. Vnde ſuperbit homo (ait D. Bernardus) cuius cõceptio culpa, naſci pœna, labor omnis vita illius: neceſſe mori: poſt hominem vermis, poſt vermem fætor & horror, ſic in non hominem vertitur omnis homo. Vnde ſuperbis? Ex mea conceptione. In peecatis cõceptus es totus. Ex mea natiuitate. Inimicus Dei natus es, & naſci pœna fuit. Sic de alijs dic. Attẽdite homines (ait Iſaias) ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis. D. Anto. de Padua in ſermone quinquageſimæ, ait: petra eſt pater tuus carnalis, cauerna eſt vulua ſiue matrix vbi conceptus fuiſti & coagulatus, conſidera hoc & ne in elationem venies: & quo pergis, nẽpe ad ſepulchri cauernam.

*D. Ber.* *Iſai. 51. A.*

In paſtorali Gregorij dicebatur illud Apocalypſis, poſt, memẽto homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris, Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: vt dixit qui habet clauis mortis & inferni, epiſcopo Epheſi eccleſiæ: quem vocat angelum ob puritatem & ſanctitatem in epiſcopo naceſſariam: quia primam charitatem ſuam reliquerat. Memento & ipſe homo, vnde excideris, & quomodo ab illis patribus olim in eccleſia viuentibus degeneraſti: qui erant carbones igniti charitate & Dei zelo accenſi, à Chriſto inflammati, veniente ignem mittere in terram. Vnde in Ezechiele deuãgeliſtis dicitur: ſimilitudo animalium, & aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarũ? Hæc eratviſio diſcurrens in medio animalium ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et ſic de apoſtolis, martyribus & confeſſoribus Dei dicere oportet: qui carbones nigri multi illorum, prius fuerunt, & deinde Chriſtus ſuo charitatis igne accendit, vt egrederentur, vt fulgura ad corda hominũ frigida inflãmãda in Dei amore. de huiuſmodi ait Dauid cũ carbonib⁹ deſolatorijs

*Apo. 2. E.* *Ezech. 1. D.* *Pſal. 119.*

Modo tamen eccleſia Dei videns nos iam amiſiſſe illum charitatis ignem & amoris Dei calorẽ, & iniquitatẽ in abundantia eſſe, & charitatem tepidiſſimam, imò & frigidiſsimam: & quia de carbone ignito ſi tollas ignem, cito in cinerem conuer-

tetur: vt nõtet non minimo dolore & lachrymis pia mater Ecclesia (oppressa nõ minima amaritudine ob hoc) hodierno die, iam nos illum patrum ignem, & charitatis calorem, & flammas perdidisse & in cinerem frigidum tepiditatis corda nostra esse conuersa, percutit oculos nostros cinere, vt ficconfusi & dolore percussi, quasi degenerati ab illo spiritus sancti igne, & in cinerem rerum humanarum conuersi, & Ecclesiam Dei infamia respergentes, tali voce, memento homo, vnde excideris, conuertamus ad Dominum corda nostra, & ad ignem charitatis, vnde cecidimus, pro viribus & posse, Dei auxilio & mortis consideratione reuertamur.

*Simile.* Nam sicut viso cinere ignem ibi fuisse aliquando intelligimus: sic viso hodie cinere in capite nostro, in memoriam reducamus ignẽ charitatis, quo sancti antecessores nostri pleni erãt, & tamen modo omnes ad cinerem terrenaque tendimus. Et si-

*Simile.* cut cinis iuxta thesaurum ponitur, vt inueniatur, quia cinis perseuerat in suo esse per multum temporis: sic nos infelices velut cineres in mundo sumus reseruati, per tot tempora in Ecclesia, ad notandum charitatis thesauros, quos habuerunt sancti: & vt per cinerem humilitatis quæramus illos, & inueniamus.

O Ecclesia sancta qualis es, & qualis eras olim in potestate sanctorum, quam carbo ignitus, quam charitate splendida, quã fide stupenda, quam castitate nitida, quam oratione feruens, quam bonis operibus dedita, & miraculis clara: tibi omnes angeli proclamabant inceſſanter, sancta, sancta Ecclesia Romana, pleni sunt cœli & terra tua maiestate & honore? Te gloriosus chorus apostolorum circundabat: deinde exercitus candidatus martyrum suo sanguine roseo te decorabat: confessorum pœnitentiæ te honorabant: virginum puritas in te rutilabat: verbum Dei ignitum quasi ignis in ore concionatorum in te erat, & surrexerat quasi facula ardens, & corda hominum incendens. Heu qualis eras, quando ignis charitatis in te ardebat, & qualis modo es, tam mutata ab illa primitiua Ecclesia (etiam si eadem semper es & manes) quando in cinerem & terram, quo ad multos fideles, versa es: memento homo huius cineris.

Quis non dolet de te mater sancta, quando videt ignem charitatis tuæ in cinerem auaritiæ quoad multos versum? Castitatem

tem & eius splendorem, in voluptatis nigredinem? Quod plorabat Ieremias, dicens: Denigrata est super carbones facies Ecclesiæ. Et nota dicentẽ facies, non solum pedes vt famuli & manus, vt laici, sed facies id est, ministri Ecclesiæ, per quos, velut per faciẽ, qualis sit Ecclesia ostenditur, & in quo sit statu. Vide te quales debeãt esse omnes ecclesiastica dignitate insigniti. Li ceat nobis figuram supra positam de statua à Daniele interpretata ad lamentandum Ecclesiam deducere in hunc sensum. O Ecclesia, quis te vidit sic exaltatã & per orbem extensam & ab omnibus adoratam, & modo in angulo exulẽ effectã, & præ dolore cor illius medio non crepat? Quis poterit tuis mirandis coloribus te pingere, vt tunc mundo apparebit? Caput aureum tibi erat charitate fulgens, pectus argenteum castitate nitens, venter ex ære optimi sonitus, & boni odoris & exempli, fortesque habebas filios ad pugnandum contra vitia. Heu dolor, quo modo nos sumus in quos fines seculi venerunt, & finem huius sanctæ statuæ & Ecclesiæ Romanæ componimus: cum sic ferrei simus in duritia cordis ad pœnitendum, nigri voluptate, ponderosi & pigri ad bene operandum. Heu quam fictiles & fragiles ad resistendum tentationibus, quam lutosi ob delicias & in cinerem sine charitatis igne versi: vt plorabat Ieremias, quomodo obscuratum est aurum & caput Ecclesiæ & dignitas illius, quondam auro fulgentior in charitate. O filij Sion inclyti, & altaris ministri, & amicti auro primo religiosi, quomodo reputati estis iam in vasa testea & fictilia in hac sacra Ecclesiæ statua, opus manuum figuli? Cauete à lapide Christo, cito in iudicium contra vos venturo.

*Thre. 4. 1.*

*Dan. 2. E.*

*Thre. 4. A.*

Aggæus propheta ingrediatur dicens: quis in vobis est derelictus qui vidit domum istam, & Ecclesiam sanctam in gloria sua prima, & quando caput aureum habebat? Et quomodo vos videtis illam nunc, tot pedes ferreos & fictiles habentem? Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? O prælati nostræ nationis Hispanæ quam multi ex vobis charitate igniti estis, scientia decorati, honestate morum, & vitæ grauitate ad virtutum culmen fideles inuitantes: & fidem rectam opere adimplendo docentes. Sic de multis sacerdotibus, sic de innumeris religiosis in te

*Aggæ. 2. A.*

exiſtentibus abſque dubio affirmo charitate ignitis, caſtitate fulgentibus: vna enim hirundo, neque mille diſtracti non debent maculare te: & tamen portabit iudicium, quicunque eſt ille qui alios conturbat, & eccleſiam inhonorat, aliter docendo, aut faciendo, quam Deus vult, & pontifex Romanus. Memento igitur ò homo, te cinerem eſſe, vt humilieris: & te cinerem eſſe extinctum, reſpectu præcedentium in eccleſia: vt ſic confuſus, quæras virtutum theſaurum, & plores ſtatum, ad quem ſancta mater eccleſia noſtris culpis deuenerit.

Conuertimini igitur ad me ducem vos milites aberrantes, in toto corde veſtro per contritionem veram. Reddite cui facultatem debeatis & cui honorem: opera ſatisfactionis facite, & ſic conuertimini in ieiunio vero & non ficto, abluendo faciem conſcientiæ veſtræ fletu externo & planctu interno; & ſi nõ ſufficit lixiuio cineris lauate, mortis iugi memoria: & conuerſi ad me vere, & poſt ſatisfactionem debitam, tunc confitemini peccata veſtra integre & perfectè: vnde.

*Textus loel.*

## Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.

APerite corda veſtra per confeſsionem (ait gloſſa, inter.) quæ quaſi vtres plena ſunt peccatis: & niſi ſciſſa fuerint per cõfeſsionem ſponte, rumpentur per mortem, & tunc nil proderit peccata oſtendere. Nam corda veſtra adamante duriora facta ſunt peccandi conſuetudine & obſtinatione, & cum nimis delicatus ſim ego dominus, non poſſum comedere illa ſic rigida, & dura: ſcindite illa in minutiſsimas partes contritione, & ſic oſtẽdite illa miniſtro meo ſacerdoti, per confeſsionem. Iam velut in farinam conuerſa, & lacrymarum aqua in maſſam conuerti te illa, vt charitatis igne decocta talia corda, gaudeam comedere illa & mihi per gratiam incorporare. Scindite corda dura (ait D. Ber. in capite ieiunij) & in multas minutias conferendo diſpartiendo vt à Deo comedantur: ſciſſo corde cõuertitur ad dominum, & omnibus parato bonis. Audi hominem quem ſecũdum cor ſuum inuenerat Deus.

*Serm. 2.*

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum cantabo. Nõ ſufficie

ſufficiebat ſemel dicere eſſe paratum? Non: ſed paratum ad pro ſpera, paratum ad aduerſa: paratum ad ſublimia & etiam ad humilia: paratum denique ad vniuerſa quæ præceperis Domine, & hoc eſt toto conuerti ad te corde, neque differre ſcindere illud per confeſsionem. Poteſt & aliter iſta cordis ſciſsio intelligi: ſi quidem, vt prauum fuerit, ſcindatur ad confeſsionem, ſi durum ad compaſsionem. Quid ni ſcindatur cor, vt viſceribus effluat pietatis? Quid ni ſcindatur vlcus vt ſanies effluat? Vtilis prorſus vtraque ſciſsio: vt neque clauſum lateat peccati virus in corde, ſed per confeſsionem effundatur: nec indigenti proximo claudamus viſcera miſericordiæ, vt & ipſi miſericordiam à medico Ieſu, circa vulnera noſtra, conſequamur: & ſic hoc duplici modo optime ſcinditur cor. *Pſalm. 56.*

Quis iam non ſcindit cor ſuum per confeſsionem peccato infectum, & culpæ veneno deprauatum, cum ſtatim gratiæ ſalutem recipiat? Non vis ob hoc ſcindere tuum cor? Saltim ob mortem Chriſti deſiderantis hoc in te videre, vnde petræ ſciſſæ ſunt, & velum templi in duas partes diuiſum, vt cor tuum in minutas partes per confeſsionem ſcindatur: alias lapide durius eſſe & velo rebellius comprobabitur. Et (vt ait D. Greg.) durius erit ſaxo, cum ſcindi per pœnitentiam non vult, cor hominis, cum carneum ſit. *Matt. 27. F.*

Abſque dubio ſi prauitatem ſimul & grauitatem culpæ agnoſceres, ô homo, & quam malum ſit, & amarum te reliquiſſe tam benignum Dominum, & beneuolum patrem: & ad quæ tormenta es damnatus intelligeres, & vnius delicti mortalis fœditatem & malitiam, qua miſer, pauper, cæcus & infamis effectus es, & Dei inimicus, & omnium creaturarum ſuarum. Certe ſi hoc vidiſſes animi oculis in ſuo rigore, non eſſet opus, vt Deus te iuberet cor tuum ſcindere, ſi vidiſſes peccata tua, vt ipſe videt, & malitiam illorum, vt ipſe intelligeres: nam præ dolore mox rumpendum eſſet cor tuum, aut ſenſibus deſtitutus cito maneres. Quis tam adamantino corde eſſet, qui medius non creperet vbi aſpiceret, quanta iniuria, contemptu vilipenſione vilis vermis cum ſit, affecerit diuinam maieſtatem ab angelis adorandam, creatorem cœli & terræ, ac benigniſsimum redemptorem: ac per conſequens quam turpiter, & indigne ſpecioſam ac nobilẽ deformauerit animã ſuam ad imaginẽ Dei factã?

Luc. 22. E. Quare creditis caro innocentiſsima filij Dei tantis ſciſſuris in ſudore ſanguineo rupta fuit, quando guttæ ſanguinis cadebant in terram, & in agonia poſitus triſtis & pauens erat agnus ſine macula? Cernebat peccatorum malitiam contra patrem fuum exercitam ab hominibus, & ſic, vt bonus filius veſtes corporis ſui ſcindebat ob patris iniuriam, & volens ſcelera tanta ſuo ſanguine delere, ne contra ſuum patrem ſtarent pugnantia: vt fuſius in dominica paſsione hoc videbis. Quid ergo mirum, vt petat Deus à nobis peccantibus, corda noſtra linguæ gladio, per confeſsionem veram ſcindere, cum ipſe corpus ſuum ob noſtra delicta ſudore ſcindi permiſit. Deinde flagellis ſpinis & clauis rumpi & dilaniari, & denique cor illius lancea poſt mortem aperiri.

D. Hierony. ſuper illud Ioelis, Conuertimini ad me ait. Et quia conſuetudinis eſt vt in triſtibus, & aduerſis ſcindatis veſtes, quod & Pontifex ad crimen Domini ſaluatoris augendũ, Matt. 26. F. in nocte qua traditus fuerat, feciſſe memoratur, nil mirum, vt vos fideles corda veſtra per confeſsionem ſcindatis, quæ tãtam iniuriã peccando Deo veſtro irrogaſtis. Alias quicũq; cor ſuum cõtritione debita & legitima confeſsione non ſcindit, audiat Salomonem & timeat. Cor durum male habebit in nouiſsimo: Eccli. 3. C. cor durum quod dolore & contritione non ſcinditur, cum ſit malitia & obſtinatione durum, habebit male. Ideo non dico malum, ſed male, quia multa mala habebit: & quod timendum eſt valde, quia in nouiſsimo, in morte in iudicio quando appareat coram Chriſti tribunali, habebit male.

Textus. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.

Homil. 4. NIhil in terra firmum (ait Orige. in diuerſos) nihil ſtabile, nihil tutum: omnia infirma, omnia caduca, omnia temporalia & trãſitoriã reperiuntur. Vita pertrãſit, iuuentus ſeneſcit, honor aufertur, diuitiæ fugiunt, velut ſeruus fugitiuus, diuertentes ab iſto ad alium tranſeunt, meretricio more fingentes amorem, & nulli fidem ſeruantes. Ideo nemo theſaurizet in

tam

tam execrabili terra: vbi nihil fidele inuenitur, sed inimicitiæ propter pecuniam: vbi zelus & iracundia pro cupiditatibus: vbi frater fratri inuidet, ditiorem videns: vbi dies adhuc inhiat, & accumulat per fas & nefas: & pauper vsque ad mortem tolerat necessitatem. Nolite ergo thesaurizare super talem terram: transit terra, & thesaurus qui est in ea: imo antea moritur thesaurizans & thesaurum perdit.

Si mihi fidem non habetis fideles, neque Christo dicenti nolite thesaurizare super terram obedire vultis, audite infelices damnatos quos damnauit superbia sua & auaritia quondam diuites & in terra thesaurizantes, quid in morte illis omnia ista profuerunt, audite gemitu magno ipsos dicentes: quid nobis *Sap. 5. B.* profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Thesauri quos in terra posuimus, vbi sunt? Transierunt omnia ista à nobis velut vmbra. Quid tibi profuerunt Pharao, in mare velut lapidi cadenti & suffocato, imo subito ad inferna descẽdenti complures tui thesauri Ægypti? Repente in maris profundum corrui nec apparui, neque omnes diuitiæ meę aut regnum ab aquis liberare me potuerunt: sed cum in anima valde pauper eram, sic egenus in inferno permaneo. Disce dives thesauros anhelans & iniuste acquirens, ab isto rege suffocato, & thesauriza in cœlo, vt post mortem dives meritorum sis.

Quid profuit diuitiarum iactantia mihi regi Nabuchodonosor, & totius orbis diuitiæ congregatæ, & in Babylonem trãslatæ? Non ne repente contritus sum, & elisus de throno gloriæ *Dan. 4. F.* meæ, & de medio hominum, & imperio subito separatus, & cũ feris agrestibus deputatus, & septem annis præceptus sum habitare cum illis? Et tamen consilium audiens beatissimi Danielis, peccata mea eleemosynis ex parte redemi. Quid audisti Baltha sar, qui innumerabiles terrenas congregasti diuitias? Diuisus *Ibi. 5. G.* eris à regno & à diuitijs tuis (dixit Daniel) & occisus hac nocte quia inuentus es sine virtutibus. Quid proderunt in morte tua omnes diuitiæ si inuentus es sine virtutibus & Dei gratia? Noli in terrenis thesaurizare cum hic non sit terra tua, sed exilium ob peccatum & bestiarum locus.

Thesaurizat miser homo, & ignorat cui congregabit ea, sic *Psal. 38.* Dauid, cogitemus, & illũ adolescentẽ (ait D. Chrys.) qui cũ pro *Hom. 21. hic* be legis præcepta seruasset & implesset, quia thesauros ma-

gis terrenos habuit quam cœleſtes, vitæ æternæ theſaurum ob tinere non potuit. Certe de illo iuuene tam rigidum verbum nunquam audiui, neque in alio autore, niſi in Chryſoſtomo legi. Vnde nec cogitabã perijſſe, cũ mandata dixerit ipſe ſeruaſſe à iuuentute ſua: & ſi mẽtitus eſſet, Ieſus intuitus eum non dile-
*Mar. 10. C.* xiſſet eum, quod teſtatur Marcus: ſed forſan abijt triſtis ad vitia ob terrenas facultates, & ſic fuit damnatus, vt Chryſo. affirmat: time in terra theſaurizare homo.

Multa pericula imminent theſauro in terra abſcondito. Nã ſi aurum eſt, fures furantur: ſi triticum, eruca aut gurgulio rodit: ſi veſtes, tinea demolitur: & ſic nil ſtabile in terra quæ ſuper fluxibilem aquam ſita eſt. Deinde illam tradidit Deus in cibũ
*Gene. 3. C.* ſerpenti poſt maledictionẽ, eo malorum futurorum prę ſagio: quo terrena diligentes, & in terra theſaurizantes, maledicti ſint à Domino, & in cibum ſerpenti infernali, tradendi conterendi, que dentibus incredibilium & æternorum tormentorum quæ ipſi patiuntur dæmones. Terram comedes ſerpens maledicte, cunctis diebus vitæ tuæ, id eſt, quandiu mundus durauerit, terrenos deuorabis. Nam ſi in terra theſaurum ponis in terram conuerteris & ipſe, cum in rem amatam quælibet res conuertatur: & ſic te in talem terram conuerſum conculcat & circuit & per-
*Iob. 1. A.* ambulat ille malignus, qui Domino Dixit: Circuiui terram & perambulaui eam.

*Li. 1. fo. 430.* Super iſta verba Iob, Origenes optime loquitur dicens. Terram circuis ò diabole, ad deſolandum, ad exterminãdum eam, & habitatores illius: ea quæ ſub cœlo ſunt peragrans ad perturbandũ & peruertendũ & ad furorẽ, & voluptates furta & periuria concitandas, atque exacerbandas gentes aduerſus gẽtes & regiones. Pro iſtis ergo omnibus, inquit, circuiui terrã, quę ſub cę lo eſt, & veni. Sed adhuc aliter circuiui totam terram, omnes nempe terrenos, & qui terrena tantum ſapiunt, & illa ſola cogitant, non cœleſtia neque ad illa deducentia: voluptates meditantur, delitias atque diuitias diligunt atque requirunt. Iſtos maligne dæmon circuis quærens illos deuorare, exploras adulteros, exquiris & conculcas auaros: quia introitus & exitus tibi patet continuo in illis, & viam atque iter habes ad corda ipſorum. Sic circuis terram ò diabole, & iſtos terrenos & merito, quia in terra theſauros ſuos poſuerunt.

Quid

Quid mirum, vt talia corda conculces posideas & comedas, quæ in cœlestia nunquam cogitatione ascenderunt, vnde diabolus infatuat illa atque obdurat. Deus da nobis cor mundum, animam castam: & facvt nunquã in terrenis thesauros nostros ponamus. Nam stultum est thesaurum ponere vbi cito amittitur, cum tanto dolore acquiratur, & tanto timore seruetur. Vbi ponis, parentes tui posuerunt, sine spe recuperandi, illi amiserunt, quid cogitas ipse faciẽdum, cum thesaurizes & ignores cui?

Coruus, secundum Fulgentium (referente Berchorio) est auis fraudulenta: quia pecunias & alias res furtiuas subtrahit, & easin absconditis foraminibus, & cauernis abscondit, quibus postmodum non se iuuat, neque illis vtitur: sed primo venienti aut furi acquirit. O auare, coruo nigro similis in nigredine animæ, & in voce procrastinando, & aliena nunquam restituendo: & insuper in hoc quod diuitias per fas & nefas acquirẽs, & iniustis contractibus sanguinem pauperum sugens, in terra & huius mundi cauernis abscõdis: ita vt nec dominis proprijs reddas male parta, neque pauperibus tribuas ex superfluis, imo nec ipse de necessarijs comedas: dic mihi corue cui vsui relinques diuitias sic recluſas: nescienssan morte subita præuentus eris? Detestor omnem industriam tuam (vt dese Salomon affirmabat) qua sub sole studiosissime in acquirendis terrenis atque caducis facultatibus laboras, tanta animæ tuæ iactura: habiturus hæredem post te quem ignoras, vtrum sapiens, ideſt bonus, an stultus, ideſt, peccator & crudelis vt tu, futurus sit. Et dominabitur, imo luxuriabitur, in laboribus tuis, quibus desudasti, & frustra animæ solicitus fuisti. Et est quicquam tam vanum dic corue? O canis qui non daret os, quod rodit pro regno: nec ipse male acquisitum reddere vis nec eleemosynam dare, pro cœlorum regno: ó canis os rodens.

*lib. 7. cap. 23. §. 10. Simile.*

*Eccles. 2. D.*

*Simile.*

Pueri paruuli, cum sint natura auari, forsan quia lucrari non possunt nec laborare, & quia parua pro magnis estimant, nõ dabunt arundinis equũ pro decẽ aureis, neque pro omnibus regis equis? O maledicti vos pueri centũ annorũ auari senes: nã cum omnia vitia in senectute senescant, sola auaritia iuuenescit, ob causas positas de pueris. Nolite pueri effici sensibus (ait Paulus) Sed malitia paruuli estote. Amore Dei, vt nõ iudicetis de rebus

*Simile.*

*1. Cor. 14. D*

huius mundi sensibus externis, vt pueri, nam sic in magno pretio habebitis contemnenda: sed fide & ratione: vnde cœlestia amplectentes, & anhelantes, terrestria conculcabitis: in malitia & simplicitate paruuli estote.

Dic mihi ó fidelis, non audisti militem Christi esse, & à duce tuo vocari, vt ad ipsum conuersus sis toto corde? Vt quid in bello domos ædificas & thesauros in terra abscondis? Audi D. Chry. dicentem super illud Matthæi, vbi est fletus & stridor dentium. Quis enim vnquam in exercitu domus fundamenta iecit? Quis ædes ædificat, cum inde paulo post decessurus sit hostibus debellatis, aut occisus in bello? Ipse homo, qui in militia huius mundi, nil cogitas nisi domos ædificare, thesauros acquirere, cum cito decessurus sis à campo mundi. Audisti vnquam Scytharum, qui absque certo vagantur domicilio viuendi consuetudinem? Ita Christianos circumeuntes orbē aduersus diabolum pugnantes, captiuos peccato à manibus eius rapientes, præcipue nos concionatores, verbo & exemplo coram Deo, & omni populo, omnibus temporalibus neglectis viuere oportet. Cur thesaurum obruis, vt diabolum aduersus animam tuam incites? Cur mœnia condis? An ad carceres tibi cōstruendos? Noli iam in fallaci terra thesaurizare.

*Hom. 70. in Matt. 22.*

Ærugo temporalia bona destruit: tinea voluptates, fures, id est, dæmones vel peccata, gloriam furantur æternam, etsi non sibi, quia non possunt illam obtinere. Quid facis homo? Ærugo est superbia (ait glos. inter.) tinea inuidia, fures hæretici maligni & dæmones, qui semper ad hoc sunt intenti, vt spiritualibus bonis ac meritis animas nostras spolient. Ærugo contra metallorum thesauros, tinea contra vestes, fures contra reliqua constituuntur. Non tamen vetamur hoc verbo Domini Iesu hic in terra & in mundo misero thesauros virtutū & pœnitētiæ aggregare & merita acquirere: imò iubemur hoc incessanter facere, hac intētione, vt in hoc exilio diuitias meritorū omni cura lucremur, vt in cœlo diuites gloria simus, & vt in morte corporis à morte animæ liberemur: vt tali exemplo videbis.

Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri: (propheta Ieremias narrat hoc non magister historiarū, quod sufficiebat) rasi barba, & scissis vestibus, & squalentes: & munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini.

*Iere. 41. A. B.*

mini. Egreſſus ergo Iſmahel filius Nathaniæ in occurſum eorũ de Maſphath, incedens & plorans ibat? Cum autem occurriſſet eis, dixit ad eos, venite ad Godoliam filium Ahicam: qui cũ venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos Iſmahel circa mediũ laci, ipſe & viri qui erant cum eo. Decem autem viri reperti ſunt inter eos, qui dixerunt ad Iſmahel, Noli occidere nos: quia habemus theſauros in agro frumenti & hordei, & olei, & mellis: & ceſſauit: & non interfecit eos cum fratribus ſuis. Videte ſi prodeſt theſauros in terra habere.

Qui ſunt iſti octoginta viri niſi nos fideles, qui valde fortes debebamus eſſe fide & Chriſti meritis muniti? Barbam quippe radunt (ait D. Greg. in moralibus ſuper Iob) fideles, qui ſibi de proprijs viribus fiduciam ſubtrahunt, aut de ſuperfluis radunt, & pauperibus tribuunt. Veſtes ſcindũt, qui ſibi met ipſis in exterioris de coris laceratione non parcunt: ſiue de conſuetudinibus veteribus aliquid demunt: oblaturi in domo Domini thus & munera veniunt: qui exhibere ſe in Dei ſacrificio oblationẽ fidei cum operibus bonis pollicentur. Caueant tamen omnes ſacrificare volentes tam ſe ipſos quam filium Dei in altaris ſacrificio, in ipſa ſanctæ deuotionis via, ne incaute aut negligenter hoc faciant. Nam certe Iſmahel, id eſt, malignus ſpiritus obuiam illis erit incedens tentationibus, & plorans, vt dum ſe concordare lugentibus ſimulat, ad cordis intima ſecurius ad miſſus, hoc quod intus de virtute latet occidat & deſtruat, per ſuperbiam aut elationem. Vnde ſequitur: Venite ad maiora, vt minima ſubtrahat: & ſic ad medium ciuitatis interfecit eos, quia in ipſo itinere tollit gratiam. Beati qui theſauros in agro habent, id eſt, ſpem in pœnitentia, quæ quia non cernitur quaſi in terra cordis ſuffoſſa continetur. Igitur ſeruati ſunt theſauros in agro habentes, quia poſt culpã & incautelæ vitiũ ad lamenta pœnitentiæ redeunt ne capti à dæmone moriantur in tali ſtatu. Pœnitentiam agite & ſic optime in terra theſauros recondetis, & vobis valde vtiles, ne à dæmone ſitis interfecti. *lib. 1. ca. 38. in Iob. ca. 1.*

Nolite tamen in hac lachrymarum valle diuitiarum theſauros abſcondere, cum nil vobis in morte proderint, præcipuè ſi ad reſtitutionem teneamini: nam de anathemate eſt talis theſaurus. Vultis audire exemplũ terribile, & tremendũ, diuites auari? Dixerat Ioſue in deſtructione Iericho, Maledictus vir corã *Ioſue. 6. 3. C.*

Domino

domino qui ædificauerit Ierichò iterum, ſitque ciuitas hæc anā
*Ibi.7.A.B.C.* thema, & omnia quæ in ea ſunt. Achan autem filius Charmi tu lit de anathemate: & iratus eſt dominus contra filios Iſrael: vnde tria millia illorum terga verterunt & percuſsi ſunt à viris pau cis vrbis Hai, & corruerunt triginta ſex homines. Pertimuitq; cor populi Dei, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt plorando. Ioſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram co ram arca domini vſque ad veſperam, tam ipſe quam omnes ſenes Iſrael: miſeruntq; puluerem ſuper capita ſua? Aliter Deum iratum placabant homines tunc quam nos hodie. Dixit Ioſue, Heu domine Deus, quid dicam videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem? Domine mi quid voluiſti populum iſtum tra ducere Iordanē fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhęi, & perderes? Audient Chananæi, & omnes habitatores terrę, & pariter conglobati circundabunt nos atque delebunt nomē noſtrum de terra. Et quid facies magno nomini tuo? Dixitq; Dominus ad Ioſue, ſurge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate: non ero vltra vobiſcum donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Et cum oſtenderetur reus Achan, dixit illi Ioſue: Fili mi, da gloriam domino Deo Iſrael, & cōfitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Vere ego peccaui domino Deo Iſrael (ait Achan) & ſic & ſic feci. Vidi inter ſpolia pallium coc cineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. Tollens Ioſue ipſum Achan argentum & pallium & auream regulā, & (quod magis terret cor meū) filios & filias, boues, & aſinos & oues, & cūctam ſupellectilem duxe runt eos ad vallem Achor. Vbi dixit Ioſue: Quia turbaſti nos exturbet te dominus in die hac. Lapidauit eum omnis Iſrael, & cuncta illius igne conſumpta ſunt.

Maledictus erit coram domino qui peccatum per Iericho intellectum & per pœnitentiam deſtructum, auſus fuerit illud re ædificare iterum peccando, ſi cum tali furto in manibus in morte fuerit à domino inuentus. Et quicunque de mundo iſto maligno acceperit furtiuum quid, & male partum, & ante mortē non reſtituerit. Tamen audiamus Berchorium in ſuo morali redu-

reductorio de nobis ecclesiasticis hunc locum interpretantem, qui maiori supplicio sumus digni quoties in terra thesaurum facultatum, aut prouentuum ponimus, cum simus pauperum patres. Sic cum Dominus filijs Israel, id est, religiosis præcipue & ecclesiasticis & prælatis prohibuerit, ne bona Iericho, id est, mundi diuitias, vitia & luxum concupiscant: sed potius ipsa tãquam interdicta & anathematizata præcipue religiosis, repudient & contemnant: semper est ibi Achan qui conuersio interpretatur, id est, semper sunt ibi inter sacerdotes & prælatos, vtinam ne & inter religiosos, aliqui impij & peruersi auari & rapaces Iudæ similes, qui loculos habeant, & auream regulam, id est, mundi diuitias & possessiones per auaritiã retineant cũ sint pauperũ: & palliũ mundanæ conuersationis per voluptates, & vana consortia furentur: sicut ad literam patet de proprietarijs religiosis, & voluptuosis, & vanis confabulationibus deditis: & tamen cupiunt videri sancti. Vnde ista mala abscondunt à prælatis cum scriptum sit, qui abscondit scelera sua non dirigetur in terra: cum tamen interim non vereantur huius modi sceleribus paruulis scandalum præbere. *Pro.28.b.*

Valde dolendum est, multoties fieri propter peccatum taliũ ecclesiasticorum & religiosorum, hodie contra Domini mandatum mundi bona retinentium, & voluptatibus se tradentiũ: vt omnes alij filij Israel, nempe sacerdotes honesti, & religiosi deuoti, & secundum regulas suas optime viuentes multa damna sustineant, & in honore multum detrimentum patiantur. Et vtinam ne inimicis suis terga vertant multi illorum vitijs cõsentiendo in supplicium. Vnde viri Hai, scilicet, seculares contra nos prævalent, & facti sumus contemptibiles & viles omni populo (vt Deus per Malachiam nobis minatus est.) O, si haberem Iosue spiritum vt cum illo dolerem, videns iniuriam Dei magnam, & hîc astantium mecum ad instar aquæ corda nostra per lachrymas liquefacta essent. Scindamus vestimenta nostra, veteres consuetudines reijciendo, cadamus proni in terrã pulueremus nos confitendo, & in cinerem cito reuersuri: dicamque Domino: Heu Domine quid dicam, videns tibi dicatos & altaris ministros terga vertentes hostibus suis, vnde populares corruunt in vitia multa & à dæmone occiduntur? Domine mi, quid voluisti facere quando populum istum fidelem per Iordanem, *Mala.2.b.*

danem, id est, per baptismum traduxisti? Vt traderes nos in manus Amorrhei & diaboli, & perderes? Absit à te Domine non erit hoc: non conuenit bonitati & misericordiæ tuæ. Nam alias audient hoc omnes inimici nostri dæmones, viti., & mali homines & pariter omnes conglobati circundabunt nos, & nomen nostrum delebunt de terra nisi adiuues nos ipse: & quid
*Matt.28.D.* facies magno nomini tuo? Ipse promisisti nobiscum esse vsque ad consummationẽ seculi in altaris sacramento, vnde non potest nomen Christianum deleri vsque in finem mundi? Ideo defende nos à malis, & corrige proteruos, & peccatores.

Heu si haberem Iosue spiritum ac fortitudinem, & omni altaris ministro, sacerdoti, religioso, aut prælato cuicunque in terra thesaurizanti, & contra Dei mandatum de mundi anathemate diuitias aut voluptates furanti dicere possem cum Dei spiritu: fili mi, imò & pater mi sacerdos, monache, prælate, da gloriam Domino Deo Israel, qui ad tantam dignitatem dignatus est te deducere, qua tam indigne vsus es: & confitere delicta tua vere, & vltra ne sic contra Dominum pecces? Aliás absque dubio in valle inferni lapidatus eris, & omnia bona tua anima, & corpus nempe, & opera bona quæ aliquando fecisti tanquam filij tui, igne inferni concremata erunt? Acclamantibus laicis omnibus, imò & Iesu dicente: quia turbasti fideles meos, & ad malum tuo exemplo inuitasti, & ideo mala super illos venit, exturbet te Dominus & dæmon, & peccatum tuum & infernus in die hac.

Elephas quando videt à venatoribus se sequi propter ebur
*li.10. ca.36.* frangit illud, (ait Solinus referente Berchorio) & proijcit à
*§.26.* se dentes suos: vt sic deposito ebore, ipsum persequi venatores quiescant. Venatores inferni sequuntur te ob diuitias, præcipue male partas, & infestus es á dæmone carne, & mundo venatoribus terribilibus, & certe capient te, nisi fregeris illas aliena reddendo, & deinde pauperibus ex superfluis contri-
*Thre.3.B.* buendo. Fregit (ait Ieremias in lamentis) ad numerum dentes meos, cibauit me cinere Dominus, fregit, id est, iussit me frangere, & sic præcepto suo fregit dentes meos, id est, facultates meas in pauperes. Sapientia absconsa & thesaurus inuisus:
*Eccli.20.D.* quæ vtilitas in vtrisque? Ait Salomon Sapientia, quæ inuidiæ claue clauditur, quam vtilitatem hominibus, ob quos data est

à Deo,

à Deo, adducet? Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatē illius non abſcondo, quin alijs reuelem (ait ipſe Salomon) & in theſauro diuitiarum inuiſo, à pauperibus, imo à proprio Domino, quæ vtilitas erit? Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis: quanto magis qui aliena furatus fuerit? Benedictio autem ſuper caput vendentium, quanto magis pauperibus dantium? Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt, gratiæ & meritorum. *Sap. 7. B.* *Prou. 11. D.* *Ibi. C.*

Theſaurizate vobis Theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. *Text*

QVi ad theſauros cœleſtes vocati eſtis & creati, omnia opera veſtra digna cœlo facite, & ſic in hac terra theſaurizatis in cœlo: alias cauete à filij prodigi dementia, qui à patre ſuo portionem miſeram in hac lachrymarum valle petiuit, cum portio noſtra ſit in terra viuentiū (vt dicebat Dauid) alias in vanum eſſemus creati omnes filij hominum, ſi ſubſtantia noſtra hic in mundo danda eſſet nobis, vt dicebat idem: Memorare quæ mea ſubſtantia, & quo modo non eſt mihi in hac vita danda à te, alias in vanum conſtituiſti omnes filios hominum, ſi theſauros meritorum in cœlo non ſunt poſſeſſuri: vt illi qui dixerunt (ac ſi eſſent aſini aut equi pratis contenti & roſis agri) Hæc eſt pars noſtra, hæc eſt ſors noſtra. *Luc. 15. C.* *Pſal. 141.* *Pſalm. 88.* *Sapi. 2. B.*

Theſaurizate vobis (ait gloſ. inter.) non mihi, cui non prodeſt, cum bonorum veſtrorum non egeam: & (vt dixit Eliphaz Themanites in Iob) quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris? Aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua? Nihil bonitatis in Deo aut alterius perfectionis, cum ſit infinitus in omnibus, addere poſſunt noſtra opera, quantumcunque bona, & ſic nobis & non illi theſaurizamus. Tamen multum gaudet videns nos merita acquirentes, & virtutes exercentes, & aliquo modo (vt non blaſphemetur inter gentes, & vt ſanguis eius facer fruſtra non fuerit in nobis diffuſus, & ob alias cauſas poſitas *Iob. 22. A.*

*Matt.21.A* positas in illo textu, dicite quia Dominus his opus habet) indiget noſtris operibus, & ſic aliquo modo theſaurizamus illi, & magis nobis.

Theſaurizate in terra iſta merita ad cœlum, quæ per pœnitentiam optime acquiruntur, alias abſque dubio theſaurizatis mala contra animas veſtras. Vt quid cogitas homo, perditis moribus, Chriſtum Dominum te expectauiſſe per totum annũ inimicum ſuum, & hoſtem crudelem, ſine hoc quod igni conſenſerit, vt te combureret, nec aquæ vt ſuffocaret, cani vt te dilaceraret: dæmoni vt te ſuſpenderet à prima arbore, cui obuiaſſes, aut inferno vt te deglutiret? Sua pietate iuſsit omnes creaturas ne te læſerint, vt ad illum conuerſus ageres pœnitentiam in ieiunio & fletu, vt ſic merita in hac lachrymarum valle accumulares, in diem rationis tuæ vltimæ: vnde multis te beneficijs affecit ad hoc. Tu autem talis conſeruationis Dei immemor, & illorum beneficiorum, ingratus tanto Deo, non ſolum non pœnituiſti ſed peccato peccatum addendo iram Dei, vt veniret ſuper te commeruiſti.

*Roma.2.A* Diuinè hoc ille Dei concionator ſupremus Paulus ad Romanos ſcribit dicens, An diuitias bonitatis eius, ſcilicet, Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundũ opera eius. Tremenda eſt autoritas iſta, & vt maiorem (nolentibus theſaurizare merita in cœlo per pœnitentiam, ſed iram ad rationem ſuam in morte futuram) terrorem incutiat, ſit noſter dux, poſt Chriſtum, angelicus doctor, ſuper Paulum, diuine (meo iudicio tenui) diuina Pauli verba tractans. An diuitias bonitatis Dei patientiæ & longanimitatis contemnis ò homo, nolens pœnitentiam agere de tuis ſceleribus? Quia ſtatim non deuorat te ignis infernalis poſt culpam, æſtimas impunitus fore, & nunquam à Domino iudicandus. Domine, (vt ait Salomon) quia non profertur cito contra malos blaſphemos, adulteros, periuros, de tractores Deo odibiles, ſententia tua & punitio debita, non ſolum tua benignitate, vt mali, abutuntur, ſed in ſuper, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Non ſit Domine mi, bonum impio, nec prolongentur dies eius,

*Eccls.8.B.*

ſed

sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem tuam, omnibus delictis eorum præsentem: qui cũ sint impij ita securi sunt, quasi iustorum facta habeãt: sed & hoc vanissimum iudico, peccare & vana securitate gaudere.

Homo, vt quid contemnis diuitias bonitatis Dei dicens: peccaui & quid mihi accidit triste? Non sum punitus ob hoc. Netalia dicas, quia altissimus est patiens ad sustinendum, tamen redditor ad impœnitentem puniendum. An contemnis tantas bonitatis Dei diuitias, ideſt, abundantiam bonitatis & patientiæ illius? Quia impius es, & in profundum peccatorum, teste Salomone, veniſti: ideò tantam Dei bonitatem contemnis, per quã in te profundit bona: & patientiæ, per quam sustinet grauiter te peccantem, & ex malitia. Et longanimitatis, qua diu sustinuit te, ex infirmitate peccantem, & diu in tali peccato permanentẽ. Vt quid ô homo, sic ausus es has domini diuitias in patientia sua & bonitate exhibitas contemnere? Ausus es non pœnitendo.

*Eccli. 5. B.*

*Prou. 18. A*

An ignoras finem, quem dominus circa te in hoc intendit? Nescis, quia expectat te nolens vt anima tua pereat, qui nõ vult, peccatoris mortem sed vt conuertatis ad illum, & viuas? Tu autem fidelis & sanguine Dei redemptus, secundum duritiam tuã, quę tantis bonitatis diuinę beneficijs non est emollita, neque ad pœnitentiam anima tua attracta, ac si non esset, à Spiritu Sancto dictum: Cor durum malè habebit in nouissimo: & secundũ cor tuum impœnitens, neq; ad pœnitentiam motum tanta bonitate diuina, thesaurizas certè, ideſt, multiplicas tibi reatũ pœnæ. Et cui thesaurizo? Tibi, & non alteri: quia vnusquisq; onus suum & peccatum portabit, teste Paulo. Et quid thesaurizo peccatis peccata addendo? Iram Dei & rigorem ipsius. Et ad quod tempus? Ad tempus passionis Christi, quando sanguinem suum abundanter diffudit pro me? Non. Ad tempus paschatis quando surrexit ad nostram iustificationem? Minime. Ad tempus huius vitæ in qua licet ab ira Dei ad suam misericordiam appellare? Non: nisi in diem iræ, Dei & reuelationis iusti iudicij Domini: omnes iuxta merita sua iudicantis. Vide quid facias peccando: merita in cœlo non thesaurizas, sed iram diuinam, ad horam in qua sis à Christo iudicandus, rigido iudice certe.

*Eccli. 3. D.*

*Ad Gala. 6. B.*

Thesaurizate vobis thesauros meritorum in cœlo, ideſt, in anima vestra: in cœlo, scilicet, in ecclesia: vel in euangelio: vel in

gratia vel in ipsomet Christo, qui est cœlum cœlorum & glo-
Col. 2. A ria beatorum, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scien-
tiæ Dei. Cupis inuenire diuitiarum thesaurum? Quære illum
Psalm. 111. in Christo, nam gloria, & diuitiæ magnæ sunt in domo eius. No
lo, sed voluptatis mundanæ thesaurum quærere. In Christo in-
Psal. 135. uenies illum, cum torrente voluptatis suæ potet omnes sanctos:
& sic de alijs discurrere facile licet.

Hom. 4. Thesaurizate homines in cœlo, vbi thesaurizauerunt (ait Origenes in diuersos) sibi beati omnes Deum diligentes. Ibi Abel sua iustitia meritorum thesauros recondidit, ibi Abraham per hospitalitatem: Iob per patientiam & egenorum miserationem, ab infantia: Samuel per iusta iudicia: Moses per mansuetudinem: Dauid per pœnitentiam: omnes apostoli per laborum tolerantiam, & prædicationem: omnes martyres per sanguinis effusionem: omnes confessores per vitæ austeritatem & feruentem orationem: omnes virgines per ieiunia & castitatem, & fugam occasionum. Ita & nos similiter faciamus: simus socij illorum in passionibus & laboribus & in thesaurizandis in cœlo, si cupimus societatem illorum & consolationem. Nam in hac miseriarum valle, vbi nos sumus, ditati sunt meritis, & hinc in cœlum meritorum diuitias miserunt.

In cœlo non est ærugo, id est, inuidia, quæ demoliatur & exterminet merita vestra, vt in hoc mundo periculis & liuoribus pleno. Neq; sunt in cœlo fures, cum peccata ibi non appareant, nec dæmones ingressum inueniant illuc: nam tam peccatum
Gene. 25. D. quàm dæmon sunt prædones & sicarij meritorum hominũ destruc-
27. F. tes. Quis nisi dæmon culpæ gladio effodit cor Esau per auiditatem, & gulam, & furatus est ei præclaras thesaurorum primitias cũ benedictionis donis? O quanti sunt fideles à dæmonio cũ Esau ob gulam & voluptatem meritorum & benedictionis cœlestis thesauro spoliati, & ad infernum damnati? quia noluerunt in cœlo, & in virtute ad cœlum animam ducente thesaurizare: sed in terrenis, furi dæmoni thesauros committendo. Re-
Hom. 77. conde thesauros tuos in Christo: nam (vt ait Diuus Chrysost. in Matthæum) nõ videtur tibi dominus terræ tutior esse quam terra? Ista, quod repositi solum reddit, imo vero nonnunquã etiam amittit, & redonare non potest: Deus centuplum pro

vno

vno vobis præbet, & vitam æternam: thesauriza in cœlo, ideſt, in Christo, pauperi benefaciendo.

Vbi enim eſt thesaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Text.

TVrpe eſt habere cor Dei habitaculum cum ſit, in alijs rebus quam in virtutibus, & meritis. Stupendum eſt videre cor tuum in tam putrido loco in quo nolles veſtem tuam parui pretij videre. Velis veſtem aut calceos tuos in cœno, fætore pleno aſpicere, aut in ſtercus putridiſsimum cadere? Minime: imo abhorret animus talia audire. Quare non potius terrore percuteris cor tuum per menſem & annum in cœno voluptatis fœtido habere, & in auaritiæ ſtercore? Gauderes pileum tuum in carbonibus ignitis cōſpicere? Vt quid tā parū doles cor tuū in odij & indignationis igne ardens videre? ſcito quod vbi eſt amor & deſideriū tuum, ibi eſt theſaurus tuus, & per cōſequens cor tuū. Nā (vt ait gloſ.) ſi cor tuum eſt in cœlo, mundū eſt, quia munda diligit cœleſtia: ſi autem in terra volutatur, & in vitij ſtercore, quomodo mundum erit? Si quid agit, vt terrena conſequatur, quomodo mundum eſt. Et ſi hæc munda ſint in genere ſuo: tamen ſordeſcit res dignior, ideſt, anima dum rei inferiori miſcetur: vt aurum argento, argentum plūbo aut ſtanno, quanto magis cor voluptatibus deditum?

Omnes mundi theſauri, quid niſi ſtercora ſunt? Omnes diuitiæ, quid niſi cœnum? Interroga an hoc ſit verum, & quam æſtimationē de his rebus habebat ille doctor Gentium & veritatis Paulus: ô Philippenſes, omnia mundi detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtū lucrifaciā. Nam ſicut tranſiens per loca cœnoſēta & mali odoris nares ſibi obthurat ob fœtorem ſtercoris: ſic & ego nolim res mūdi, & diuitias illius odorare, nā videtur mihi ſtercora omnia quæ mūdus exaltat & diligit. Quare tu ô homo, in iſtis fœtidis ſtercoribus cor tuū nobile, & Dei habitaculū ponere non dubitas, & vtinam ne in vitijs fœtidiſsimis? Quomodo Chriſtus in illo habitabit in ſtercoribus exiſtente? Phili. 3. a.

In lapide luteo lapidatus eſt piger (ait Salomon) ideſt, nolens in virtutibus laborare, lapide luteo diuitiarum, gaudet ſe Eccli. 22. c.

ornatum esse, ac si lapide precioso: vnde omnes loquentur super aspernationem illius. Et in alio sensu, quod peius est & absurdius, de stercore boum lapidatus est piger: quia ità ornatur voluptatis stercore ac si esset lapis pretiosus, & ita stercore vitij gaudet. vnde quid mirum, vt tali peccatori conueniat sensus huius loci, quem exterius videtur habere: vt tali stercore sit in futuro lapidatus, quando coram iudice appareat ad rationem.

Vbi est thesaurus, quem diligis, ibi & cor tuum iacet. Quare credis auare, te nil in corde sentire infamie vulnus, aut filiorum mortem? Quia in nummis est cor tuum vbi est thesaurus, si in facultatibus gladius non tangit nil sentis. Et ita si in voluptatis thesauro cor tuum habes, si in delicijs non tangunt te nil sentis.

*Simile.* Vidisti hominem scabie scaturientem (ait D. Bernar. de conuersione ad cleros) & se scalpentem, & vsque ad sanguinis effusionem confricantem? Sequitur tali confricationi dolor, & nil aliud sentit. Sic & ille qui voluptatem diligit, nil aliud sentit, quam si executioni illam mandare non valeat. S. Leo papa in

*Cap. 4.*

*Sermo. 6.* sermone quodam de natiuitate Domini, sic ait: vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum est: hoc est si deorsum sunt quæ amas ad ima descendes, si sursum sunt quæ diligis, ad summa

*Hom. 1.* peruenies. Origenes in Genesim ait: illi, quorum thesaurus in cœlis est, cœlestes dici possunt, & sedes Dei, quoniam ibi est cor eorum, vbi & thesaurus illorum. Igitur è contra, qui habent thesauros in terra, terreni merito nominabuntur: & qui in vitijs diabolici: vide homo quo istorum nomine magis gaudes.

Timeo frater mi vehementer, te nõ habere thesaurum tuum in cœlo, quãdoquidẽ tam rarò caput tuum ad cœlestia attollis,

*Simile.* & fere nunquã de cœlo cogitas, necdum loqueris. Captiuus homo qui ducitur Argelà Turcis, & patrẽ & matrẽ in ora maris relinquit dilectos, vxorem & filios charos, & facultates magnas, heu quoties caput versus illos vertit, & crebris suspirijs lachrymis perfusus incessanter de illis cogitat, & valde desiderat ad illos peruenire. Tamen qui iam omnium suorum est oblitus, & in ciuitate Argel thesaurum suum habet & amorem & vxorem, ibi & cor suum tenet. O sancti Dei omnes, qui estis iã re confortes supernorum ciuium, quos in hac vita existentes

anhe-

anhelabatis, quia in cœlo & in Deo erat thesaurus vester, ibi & cor frequenter adhuc in terra viuentes habebatis, dolentes de exilio & ad patriam continuo suspirantes. Alius dicebat, quemadmodum desiderat ceruus herba percussus ire ad fontes aquarũ, ita anima mea tui amoris herba vulnerata ad te Deus meus: Paulus, cupio dissolui, & esse cum Christo. Andreas apostolus videns crucem à longe dixit: O bona crux diu desiderata à me & iam concupiscenti animo præparata, recipiat iã me per te ille, qui in te pependit pro me. O nos infelices captiui existentes in exilio isto, & tam parum cogitantes de patria cœlesti, de patre Christo, de matre virgine, de fratribus sanctis, timeo quod hic thesaurum nostrum posuimus. *Psal.41.* *Ad Phili.1.* *D. Antoni.p. p.hist. tit.6. ca.5.fol.125*

Finem huic homiliæ plorantes cum ecclesia ponamus, atque hymnum illius dicentes. Audi benigne conditor nostras preces cũ fletibus, in hoc sacro ieiunio fusas quadragenario: scrutator alme cordium infirma tu scis virium, dixisti, conuertimini ad me, iam tuo auxilio cõuertimur, ad te reuersis toto corde exhibe remissionis gratiam. Inique contra me ducem feciſtis per annũ milites proterui, me fontem viuum relinquentes, & dæmoni tyranno crudeli adhærentes. Verum est, multum quidem peccauimus, iniquitates nostræ supergressæ sunt capita nostra, sed parce plangentibus & lachrymis faciem conscientiæ abluere cupientibus, cinerem nos esse agnoscentibus. Parce deniq; confitentibus vere peccata nostra & corda scindentibus: ad laudem tui nominis, confer medelam languidis peccatoribus. Defecit gaudiũ cordis nostri, conuerte nos domine ad te & conuertemur: innoua dies nostros sicut à principio ecclesiæ quado erãt carbones igniti.

Sic corpus extra, ieiunijs concede conteri & per abstinentiã, vt ieiunet mens sobria à labe prorsus criminum. Eia fratres mei ego cano tubã verbi Dei in Sion, & inuito vos omnes fideles dicens. Vtimur ergo parcius verbis, cibis, & potibus, somno, locis, iudis, voluptates abnegantes & omnia vitia. Nã, vt ait Isidorus: qui à cibis abstinent, praueq; agunt dæmones imitantur, quibus esca nõ est, & nequitia semper est. Heu quanta dona à Deo dãda perdis qui in peccato ieiunas. D. Augus. in Ioan. & habetur in decretis, ieiuniũ autẽ magnũ & generale est abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi: quod est perfectũ ieiuniũ. *Tracta. 17. de conse. D. 5. c. ieiuniũ.*

Cum ecclesia simul dicamus omnes cernui, clamemus atq; singuli, ploremus ante iudicem, flectamus iram vindicem: nostris malis offendimus tuam Deus clementiam, effunde nobis desuper, hic in vita indulgentiam, & in futuro gloriam Amen.

# Feriæ Sextæ Cinerum Homilia Prima.

*Them.* ¶ *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.* Matth. 5. G.

*Text.* ¶ Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuũ? ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

CVM omne vitæ nostræ tempus, bellum iuge & crudele sit contra dæmones & vitia, & præcipue quadragesimale, cum viderint nos hostes nostri & antiqui inimici, arma accipientes & ad prelium paratos, & ad ieiunandum, ab omnibus nociuis, abstinẽdo ab ipsis præcinctos: tres inter alios hostes præcipuos, oportet valde vt interficiamus, si victoriam in cœlestibus bonis obtinere cupimus. Carnem scilicet propriam, mũdum ac dęmonem. Iam, Deo auxiliante, feria quarta cinerũ, crudeliorem nobis & magis nociuum hostem, carnem scilicet nostrã in terram prostrauimus, nos cinerem esse credentes, & super capita recipientes. Vnde infelix qui ab illo die spiritui corpus eius non subiecit, & carni cõcupiscentias suasnõ negauit, & vsq; infinẽ sic faciendo non perseuerauerit. Hodie tamẽ nobis offertur bellum, non multum minus crudele, contra mundũ & sua honoris puncta in reseruando iniurias in corde, & illo execrando prouerbio vidĕdo: qui mihi iniuriam fecit, illam mihi soluat, & oculum pro oculo

oculo eruam: vnde oportet nos hodie ad bestias crudeles pugnare, vt Paulus Ephesi fatetur sibi contigisse: imo contra feris immaniores, vt sunt iniuriarū vindicatores. Nam si cōtra lupos certare deberemus, cippo siue neruo atq; clauis, vti debebamus & canibus: si contra leones rugientes, industria nō minima & ferocitate magna indigebamus: vnde contra omnem feram quantumcunq; crudelem, humana industria victoriam inuenit. Sed cum hodierna die contra hominū dura corda & indomita & vindictę cupida nobis præliandum sit, vt illa ad inimicorum dilectionem vincamus, quibus telis vsi erimus? Quid sagittæ acutæ proderūt? arma ingenio humano adinuenta, quid vtilitatis nobis adducēt? Quid igitur nobis remedij supereſt? debent sic talia corda adamātina vinci & in terram prosterni vt muri Ierichontini? Iosue, ait Dominus, circuite vrbē cūcti bellatores sex diebus, septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas quibus clangent: & conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis. Tamen tollite vobiscum arcam fœderis, aliàs nil proderint omnia. Septimo die ait Iosue, vociferamini, tradidit enim dñs ciuitatem. Igitur omni populo vociferante & clangētibus tubis, muri ilico corruerūt. O muri Iericho, & corda indomita ad vindictam prona, qua arte in terram prosternam vos, ita vt agnoscatis vos cito sepelienda vt sic parcatis, & ab odio vestro cadatis? doceat nos Dominus. Circuite tale cor, odio infectum omnes bellatores contra vitia, & contra inimicitias precibus & lachrymis: ipse concionator tolle verbi Dei buccinam: omnis populus conclamet ad cœlum, vociferatione maxima. Ne obliuiscamini arcam, filij mei nempe, sacratam matrem, alias quid obtinebitis? Ipsa præcedat, & omnes cordis voce ad illam clamemus, vt filij sui amore, à patre obtineat tales muros in terram corruere, vt inimicos diligant, dicentes, Aue Maria.

*Leui. 24. D.* *1. Cor. 15. D.* *Iosu 6. A.*

Ad muros & hominum corda dura, iussit Dominus ad Iosue buccinis clangere ad prostrandū illa: & in epistola hodierna imperat dominus per Isaiam omni concionatori & mihi, dicētem; clama, clama prædicator ex parte mea, cum peccatorum clamor ascendat velut Sodomorum, coram me & contra me. Iam millies clamaui domine, clamabo contra malos iterum? Clama ne cesses, cum peccatores á peccatis nequiescant, & vt boni á bonis operibus necesſent. Quiescite agere peruerse (ait Isaias) & discite be-

*Isai. 58. A.* *Gene. 18. C.* *Isai. 1. D.*

te benefacere, & ego quiescam à clamore contra vos, quando discatis bona facere & à malis quiescatis. Quomodo clamabo domine? Quasi tuba exalta vocem tuam: nam qui tuba canit non solum voce, sed etiam manibus tangit illam. Eia concionator, quid prodest incessanter sola lingua tubam concionis pulsare, cum nec operis digito velis illam tangere? Dicis & non facis *Matt.23.A* (ait Dominus) vnde parum fructus in audientibus Dei verbum, à talibus non operantibus cõcionatoribus, prouenit. Pulsa lingua ecclesiastes, nec non & manibus operando.

Imo tuba angusta est circa os, & ampla circa manus: vt sciat euangelicus concionator plura operari, quam prædicare. Vnde natura ampliorem manum & longiorem, quam linguam illi tribuit: alias monstrum esset in natura: linguam manu maiorem habere hominem. Locutus est Dominus ad Mosen dicens in *Nume.10. A.* Numeris: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra: si semel clanxeris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel. Quo in loco, doctor Stephanus (vt in allegorijs Bibliæ est videre) optimè loquitur dicens: In tuba tria attendenda sunt: compositio, sonus, & terror. Compositio, quia in parte, quæ ori admouetur, angustior est: in parte finali amplior. Hoc est, quod prædicator debet sibi assumere arctiora præcepta, & alijs laxiora: vt semper plus faciat, quam alijs faciendum imponat. Heu tamen quam parum hoc est in vsu, præcipue in me & multis *Matt.23.A* concionatoribus, alligantibus onera grauia, & importabilia in humeros hominum, & tamen digito nolentibus ea mouere.

Felix tamen concionator, qui cum sponsa dicere valet in can- *Can.5.B.* ticis: manus meæ stillauerunt myrrham. Manus myrrham distillare, est prælatos & verbi declamatores Dei, exemplo sui, ad carnis mortificationem subditos inuitare. Et nota quod dicit, distillauerunt, quia tanta mortificatio carnis debet esse in prelato, vt magnum sit subditis, si vel stillam modicam valeant imitari. In tuba verbi Dei etiam est sonus vtilis bonis, & terror malis. Sunt duæ tubę, propter concordiam charitatis: sunt ductiles, significantes laborem, quo boni fideles debẽt fieri passionum tunsionibus speciosi, vt facti sunt martyres: & cum hoc laudes Deo resonabant. Corneæ etiam, vt ad fortitudinem inuitẽt, debent esse. Quod populus, multis clangoribus verbi Dei indigeat, ad

hoc

hoc vt caſtra vitiorum moueat, & à peccatis ad virtutes reſurgat, dolendum eſt, ſed tranſeat: tamen prælati & ſacerdotes monachi & maiores in populo, ſtatim verbi Dei audita tuba, non ſurgunt à malis, & bona ſequuntur? Proh dolor. Vt quid in textu, quem interpretamur, ſcriptum eſt: ſi ſemel clanxeris, venient ad te principes & capita populi? Quia vnica admonitione, miniſtri altaris & populi iudices debent facere quæ ad cultum Dei expectant, & animarum vtilitatem. Alias ſunt vt deſides & pigri laici, qui ad ſacrum audiendum non pergunt ſtatim cum campanam aut cymbalum primo audiunt, ſed attendunt vt ſecundo & tertio pulſetur. Heu quam multi ſunt Dei miniſtri & capita in populo, qui nec ad tertium verbi Dei ſonum, à vitijs ſurgere voluerunt, nec à caſtris malorum.

Clama igitur & exalta vocem tuam quaſi tuba concionator, & annuntia populo meo ſcelera eorum, nam virtutes & bona opera ipſi ſatis iactant tuba canentes eleemoſynam. Dic domui Iacob peccata eorum: quia facilius per alios admoniti in peccatorum noſtrorum cognitionem deuenimus, quam ſi nullus commone faciat. Nobis enim quaſi noſtri amatoribus parcimus, & deformitatem noſtram venuſtatem ſæpe putamus. Alienis itaque oculis opus habemus & vocibus concionatoris, imo & clamoribus tanquam dormientes. Præcipue illi qui ſe peccatis carere exiſtimant, quos iſte locus Iſaiæ maxime arguit, imo putant omnia eſſe ſalua, ſi ieiunent aut aliud opus bonum ex ſe faciant, etiam ſi interim innumeris ſint irretiti peccatis.

Quid clamabo in nomine tuo domine, contra populum fidelem ſimilia in multis cum Iudaico operante? Me etenim de die in diem quærunt & ſcire vias meas volunt. Et hoc malum eſt te quærere domine, cum ipſe iubeas hoc dicens: quærite me & viuetis? Quærite dominum dum inueniri poteſt per Iſaiam dixiſti: vt quid conquerismodo de quærentibus te? Quia de die in diem vere quærere me differunt. Si quæritis me quærite cito & vere & toto corde conuertimini & venite. Et ſcire vias meas volunt. Et hoc etiam domine, iuſtum eſt, vias mandatorum tuorum ſcire velle: & conſilia tua & illorum rationes. Bene ad ambulandum per illas conuenit ſcire, non

*Amos. 5. A*
*Iſai. 55. B.*
*Idem. 21. C.*

tamen ex curiositate & ioco, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & nil minus cogitat, vidistis iter facientes, irrisores simplicis laborantis circa viam? Sciunt optime qua ituri sunt via, & interrogãt illum arantem vt irrideant illum, non vt illuc pergant: quia ad alium tendunt locum. *Simile.*

Sic multi fideles mecum se habent, scire vias meas volunt ex concionatoribus, & conscientiæ casus ex theologis, & quavia in cœlum ituri sunt: non tamen vt aliena restituant, & itinera vitiorum praua relinquant & in cœlum pergant: sed vt irrideant simplices bonos, & ex curiositate & ioco: cùm semper videmus illos per aspera delictorũ itinera pergentes. Eia argue huius modi iocantes scire vias meas hoc pacto volentes. Quasi gens quæ iustitiam fecerit, ideſt vnica virtute contenta. Nam si semel in quadragesima ieiunauerit, iam nihil illi deesse ad beatitudinẽ obtinendam putat, & dicunt: quare ieiunauimus & non aspexisti? Ecce pharisæos, cum essent impij, ieiunabant, & vos fideles ieiunastis his duobus diebus? Quare non aspicio ieiunia vestra. Quia in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, contra me dominum vestrũ, & facitis omnia quæ concupiscentia vestra suadet. Et omnes debitores vestros repetitis, & nõ vultis inimicis dimittere, vt vobis debita vestra dimittam: cũ ego dicã hodie.

Audistis quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum? Ego Autem dico vobis, diligite inimicos vestros.

*Textus A. 31. M. 4 D. 10. 5. May Leui. 19. D.*

Audistis dico: quia nullibi in lege scriptũ inuenietis, vos posse inimicum odio habere: sed audistis à carnalibus & vindictæ cupidis hoc licere ex contrario legis sensu, vbi dictum est: diliges amicum tuum sicut teipsum, imo ibi dicitur: non oderis fratrem tuum, nec quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuiũ tuorum. Sed dico dictum fuisse antiquis: quia vos Iudæi intelligitis hoc dictum fuisse implicite: nam determinando obiectũ dilectionis esse amicum: insinuatur inimicum esse obiectum odij, quod contrariatur amori. Vel quia in Deutero. inter bene dictio

dictiones cõtinetur ruina inimicorum à conſpectu populi Iſrael dicitur enim ibi: dabit dominus inimicos tuos, qui conſurgunt aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua. Vnde, odio habebis inimicum tuum, aut appoſitio eſt, aut falſa exiſtimatio delege cõtrariorum, vt vno poſito alterum amoueatur. *Deu. 28. A.*

Quod antiquis nunquam fuerit imperatum à Deo odio habere inimicos, ſatis oſtendemus, ſi præceptum ad mortale obligans probamus dilectionem inimicorum eſſe. Et non à Chriſto inſtitutum vt nouum, ſed antiquum in omni lege naturæ ſcriptæ vel gratiæ obligans: etiamſi in verbis iſtis dicat Chriſtus, ego autem dico vobis, quaſi nullus alius prius dixerat, diligite inimicos veſtros. Nam cum hoc præceptũ fundetur in hoc, quod omnes ſimus eiuſdem naturæ & ad eandem gloriam procreati, vnde ad inuicẽ nos diligere teneamur, certe præceptum eſt ſemper homines obligans ex quo creati ſunt & in quacunque lege & tempore.

Amplius, inimici ſunt vere proximi ſicut amici & ſemper fuerunt, igitur cum charitas Chriſtiana, quæ diligit proximum propter Deum ſemper fuerit, & præceptum inimicos diligendi etiam. Et cum iſta lex naturalis ſemper fuerit, quod cunque vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis: & omnis homo bene inſtitutus poſtulat iuſtiſsime vt inimicus ignoſcat illi offenſam & diligat illum pœnitentem: igitur lege naturali tenetur illi parcere. Nam deteſtanda eſſet lex quæ iuberet odium, aut permitteret contra inimicos: & omnes naturaliter male de illa ſentirent. Vocat tamen Chriſtus hoc præceptum ſuum, quia verbis & operibus mirifice adimpleuit illud, & innouauit, & maxime nobis fidelibus cõmendauit.

Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, & odio habete dæmonem (vt ait Origenes) & vitia atque peccata quæ inimicos Dei conſtituunt vos. Triplicem inimicum habet homo: Deum cum male agit & peccatum operatur, & per conſequens omnem hominem & totum orbem contrarium ſibi facit. Diabolum cum iuſte viuit: & proximum quãdo ipſum lædit. Quis poterit explicare verbis quam inimicum tibi Deum peccando facis? O graue malum ſuper omnia mala: nam Deus valde odit peccatorem: audi Dauid: odiſti domine omnes qui operantur ini- *D. Aug. in determ. ſer. in ſra poſito. C. Sapi. 5. D.* *Pſalm. 5.*

tur iniquitatem, cum ſint inimici tui facti. Audi & filium eius
Sap.14.A. Salomonem: ſimiliter autem odio ſunt Deo, impius & impie-
Prou.14.D. tas eius: quid igitur mirum, vt dicat ipſe Salomon alibi, miſeros autem facit populos peccatum? Miſerum, infamem, tepidum, timidum, triſtem, & inopem in omnibus facit hominem peccatum. Et quid mirum cum Dei inimicum cõſtituat, hominem?

Deinde habemus diabolum inimicum terribilem & fortem,
1.Pe.5.C. leonem rugientem & ad nos deuorandum paratum, præcipuè ſi ſobrij ſumus & vigilantes in bono. de iſto tamen inimico dominica prima quadrageſimæ & tertia, aliqua videbis: modo tamen ad tertium inimicum, nempe hominem deueniamus: de quo in præſentiarum agendum eſt, quia illum iubet nos Deus diligere hic: & ſine his inimicis, impoſsibile fere eſt, vitam tranſire humanam. Quia non eſt ſeruus maior domino ſuo (ait ipſe
Ioan.13.B. filius Dei) & ego ſemper habui tales inimicos: & ſi me perſecu
15.D. ti ſunt, & vos etiam perſequentur. Deinde, quia & hoc natura
Simile. docet, quæ nil cauſat in generatione ſua atque corruptione, niſi per contrarias qualitates & pugnas continuas: omnia in lite fiũt. Interroga ignẽ quomodo generatur, & herbam & omnes alias res. Et vna voce omnes reſpondebunt: pugnando, & inimicos noſtros, & qualitates noſtris contrarias ſuperando, & vincendo. Deinde cum ſatis pigri in Dei amore & ſeruitio ſimus, valde ſtimulo indigemus, vt immaculati & feſtinanter viam man-
Simile. datorum Dei ambulemus, imo & curramus: vt aſinus piger ſtimulo percutitur vt celeriter ambulet. Non eſt inuentus ſtimulus in natura ita aptior, ad pigros homines excitandos & admonendos, vt ambulent per viam mãdatorum Dei, vt inimicus homo, ſi illum diligis vt Deus iubet: & admonitione illius & liuore in bono vti curas. Ego autem dico vobis, vt diligatis inimicum ve-
Exod.23.A ſtrum: qui in lege iuſsi: ſi occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum: & ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis: ſed ſubleuabis cum eo. Videtur vobis, quod ego qui talia iuſsi circa animalia, permitterem odium inimicorum? Reduc ſpiritum naturalem inimici tui, quem à ſe reiecit odiendo te, & in brutum conuertit: reduc inquam, illum ad ſe, diligendo illum, & iniuriam illi dimittendo: quia errabundus eſt, & ſub peccati & odij onere iacet miſer: non pertranſeas inde, quin prius illum ſubleues, quantum eſt in te parcendo illi.

Quia

Quia doctrina de inimicorum dilectione neceſſaria & perutilis valde eſt, aliquantulum in eius veritatibus explanandis, nõ immerito immorabor, duce ſemper Deo optimo primũ, deinde illo angelico doctore, valde à me dilecto S. Thoma, vt cõcionibus & pœnitentiæ ſacramento deſeruiam. Vide in materia de charitate. Et ſic primo m eſt notandum, dilectionem inimicorũ tripliciter poſſe conſiderari. Primo modo vt inimici diligantur in quantum ſunt inimici: hoc eſt in quantum odiunt & perſequuntur nos: & ad hoc in tantum non tenemur, quin eſſet peruerſum & charitati repugnans ſic eos diligere: quia eſſet malum & peccatum alterius dilgere, cum ſit odiendum. Vnde vnaquęq; res naturaliter odio habet id quod ſibi contrarium eſt: ſed cũ inimici ſint nobis contrarij in quantum inimici ſunt, ideo vt tales debemus odire illos. Et hoc eſt malitiam non naturam odire D. Auguſt. de tempore. optime hoc vt alia. *2. 2. q. 25. ar. 8.*

Deinde dilectio inimicorum conſiderari poteſt quantum ad naturam odientium nos & in vniuerſali: hoc eſt inquãtum ſunt homines & beatitudinis capaces, & Chriſti ſanguine redempti: & ſecundum hoc, non ſunt contrarij: ideo ſunt ex neceſsitate diligendi. Et ſi dicis, non poſſum hanc ſeparationem facere inimicitiæ & naturę. facillima eſt, & hac ſimilitudine comprehendes. Eſt pia mater quæ filium bonum & ſibi obedientem reuerentẽ & prouidentem, deniq; baculum ſenectutis illum habẽs: quem valde diligit: contingit illum infirmari, & in freneſim cadere, & matri ſeruienti iniurias dicere, atq; illam contumelijs afficere, & contra illam paſcentem & medicamina apponentem ſcutellas proijcere: mater pia ob hoc non odio habet illum nec vult illi mortem: quia ſcit in freneſi eſſe, atq; ſenſibus deſtitutum: odio tamen habet infirmitatem, quam vellet ceſſare, & procul à filio eſſe: nec ob hoc deſinit ei inſeruire, & eum diligere, & ſolicitudine non pigra medicamina exhibere. Vides quomodo ſeparat ſolicita mater infirmitatem quam odit: à natura quam diligit. *Domi. 3. poſt octa. paſ. ſer. 2. & in ordine. 168.* *Simile.*

Vade tu & fac ſimiliter: ſi habes inimicum iniuſte perſequentem vitam tuam. & honorem, & inſaniam, & freneſim contra te habentem, & omnia verba & opera in faciem tuam proijcientẽ, & in prauum iudicium conuertentẽ, & ſine ratione debita exiſtentem alias non ſic perſequeretur te: odio proſequere freneſim & malitiam illius, & infirmitatem valde periculoſam, & ora

Deum

Deum vt ſanitati debitæ reddat illum, vt ſaluus ſit in die Domini, & omittat perſequi te: dilige eũ ſaltim in generali, quia proximus tuus & Dei creatura eſt: & forſan obtinebis à Deo tam neceſſariam ſalutem.

Tertio modo poteſt conſiderari inimicorum dilectio in ſpeciali, vt ſcilicet aliquis moueatur, motu ſpeciali ad inimicum: & iſtud non eſt de neceſsitate ſalutis abſolute: ſicut nec moueri ſingulariter ad extraneos: quanuis ſi aliquis hoc fecerit, bene faciat. In genere autem tripliciter inimicũ diligere tenemur: primo corde non odiendo illum: deinde ore pro illo orando, & ab orationibus communibus illum non excludendo: deniq; opere illi benefaciendo. Diligite ergo inimicos veſtros homines corde, ore, & opere: nam etiam ſi præceptum ſit affirmatiuum obligans ſemper, ſed non ad ſemper: tamen omne affirmatiuum includit in ſe negatiuũ, obligans ſemper & ad ſemper, vnde negatiuum quarti præcepti eſt, ne inhonores parentes & huius præcepti de inimicorũ dilectione, negatiuũ eſt: ne odio habeas inimicũ: & hoc ſemper & ad ſemper obligat fideles. Ex hac veritate conuincũtur aliqui fideles à dæmone decepti, putãtes nõ agere contra hoc præceptũ, ſi verbis aut operibus proximũ non lædunt, etiã ſi corde odio habeant illũ. Audiui Salmanticæ cõcionatorẽ affirmantẽ de homine qui per octo aut decẽ annos in peccato fuit, quia in odio alicuius vt cum diabolo, credebat enim non eſſe peccatum, quia foris non proderat: vſq; dum confeſſarius deceptionem tulit ab ipſo: dicens, dilige proximum tuum totale odium cordis tollens, alias damnaberis.

Ego autẽ dico vobis Chriſtus dñs, qui prius adimpleo illud vt diligatis inimicos veſtros. Domine Ieſu, quid opus eſt vt tanta cura inimicorũ dilectionem homines fideles iubeas, cum ſimilitudo cauſa ſit amoris, & homo, præcipue fidelis, tot ſimilitudines cum homine fideli habeat? Et forſan ratio quare ſimilitudo eſt cauſa amoris ex hoc prouenit: quia cum ego naturaliter diligo me, & homo eſt mei ſimilis ideo illum diligo, quia me diligo: ſufficiant tot ſimilitudines quas homines inter ſe habent domine, ad hoc vt ſe inuicẽ diligant. Si diligis lapidẽ ô homo, quia ſimilis tibi eſt in eſſe, & magis arborẽ, quia in eſſe & viuere, & magis animal quia in eſſe viuere, & ſentiri: & magis angelũ diligis quia vltra hęc eſt ſimilis tibi in intelligere, quãto magis toto

corde

corde & viribus hominẽ diligere debebas, qui est in omnibus his tibi similis insuper quia habet corpus vt ipse habes, quo caret angelus: vnus sol cõmunis oritur vobis: vnã calcatis terrã, vno aere viuitis: vna est fides, vna Ecclesia, vnus baptismus, vnus Deus, vna beatitudo est vobis futura, si Deũ super omnia & vos inuicẽ diligitis propter Deum. Quæ vos dementia cepit, aut quis vos fascinauit homines, non obedire veritati æternæ dicenti diligite hominem proximum, etiam si inimicum, quia ipse iudex iubeo, & quia tot similitudines causantes amorem sunt inter vos. Saltim dilige inimicum ob similitudinem Dei, qua factus est á Deo ad sui imaginem. *Ad Ephe. 4 A. Ad Gala. 3. A. Gene.*

Si tam multiplex similitudo, quæ inter te & inimicum tuum ô homo est, non valet causare in corde tuo amorem erga ipsum: saltim vtilitates magnæ, & commoda non intellecta ab odio infectis, quæ proueniunt tibi ab inimico tuo, in causam sint vt illũ diligas, præcipue me iubẽte Deo, dilige inimicum tuum. Volo aliquas vtilitates tibi recẽsere fidelis, ex inimicis tuis prouenientes, quas per similitudines melius intelliges: vt saltim tanquam amicum commodi tui, inimicum diligas tibi valde proficuum. Prima igitur vtilitas ab inimico tibi proueniens est, quia virga in manu Dei est qua defectuum tuorum puluerem executere dominus curat, vt anima tua munda ab omni contagio in iudicio Dei inueniatur: vt sic recipiat beatitudinem. Quis non diligit virgultum, quo vestes suas mundas à puluere reddit? Homo perditus. Quis non æstimat illam virgam plusquam valor illius est? Quis data opera frangit illam? Quis in ignem mittere curat? Stultus & à sensibus alienatus: nam prudens homo & politicus irascitur contra frangentem illam, & ait: nolim pro argento vt illam fregisses. Non valet quadrantem. Verum est in se, tamen purgabat vestes meas, & sic magno æstimabam pretio illã. Mure Iericho, intellexisti similitudinem istam: auribus cordis percipe vtilitatem hanc ab inimico prouenientem. *Simile.*

Virga ista, inimicus, qui te persequitur, est: & certe non est alia sic apta, ad tollendum defectuum tuorum puluerem ab anima tua, & ad faciendum te caute viuere, vt est illa: quia amici tui & noti siue familiares dolosi adulatione aut metu non tangunt vestes, id est opera, quibus anima tua ornatur: quãtumuis cœnolenta sint & malitiæ puluere infecta: inimicus vero tanquam ri-

gida

gida virga, non cecidit vitij puluis super te, quando iam excutit illum correctione atq; sua lingua mordaci. Vide si oportet vt talem virgã diligas, qua motus caues à futuris, & mundas præterita atq; præsentia. Aut quid vis facere de ista virga? Frangere illã, oculum pro oculo eruendo & talem inimicum odio habendo: velim in ignem inferni illam mittere vt ardeat. Ostulte, & tarde corde ad credendum Dei præceptum, & vtilitatem tuam intelligendum: & virgam qua vestes animæ tuæ Deus mundat, vis frangere? Alienatus es à sensibus. Debebas irasci cõtra illam volentes frangere, & ad hoc te inuitantes, dicens: tacere quia est magni pretij virga ista: saltim quia est in manu Dei volentis peccati mei puluerem mundare. Non est similitudo à meo cerebro adinuenta.

Dauid ille mansuetus, aliter in pretio habebat virgam istam,
*Psal. 22.* ideſt, inimicum suum, qua Deus animam suam purgabat, dicẽs, domine virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga tua, ideſt inimicus datus & concessus à te mihi vt puluerem peccatorum meorum excutiat, ideo dico tua, Saul, scilicet, Absalõ, Semei & alij: & baculus tuus ideſt crux, qua velut baculo dæmonem vinces, vt ego Goliath, ipsa me simul consolata sunt. Quia cruce solues pro me, & virga inimici facis vt soluam aliquid pro delictis meis: & sic, vt proueniens à te, talis virga à me in magno pretio habita est semper, & contra inuitantes me ad fractionem illius, & ad inimicorum vindictam, magis iratus fui, quam contra virgam persequentem me: quia ista volebat tollere
*2. Reg. 16. B.* maculas ab anima mea, illi verò obstaculum ponebant.

Me fugientem virgam vnam scilicet Absalonem filium meũ me persequentem, persecutus est, & Semei filius Gera & mittebat lapides contra me, & dicebat conuitia stupenda, & male dicebat mihi dicens: egredere vir sanguinum, & vir Belial sine iugo: ecce premunt te mala tua quoniam vir sanguinum es. Tunc Abisai dixit mihi: quare maledicit canis hic morituro dño meo regi? Vadam & amputabo caput eius. Contra quem iratus dixi: Quid mihi & vobis est filij Saruiæ? Quare conuertimini in Sathanam contra me? Virgam, qua puluerem peccatorum meorum, adulterij & homicidij, Deus excutere vult, vos frangere vultis, & ad fractionem me inuitatis? Dimittite eum vt maledicat mihi, Dominus enim præcepit, quia diligit me, & quis

est

est qui audet dicere, quare sic fecerit? Forte ob hoc respiciet Dominus afflictionem meam, & reddet mihi bonum pro maledictione hac. Nam quem diligit Deus flagellat, & castigat omnẽ quem recipit: vnde virgam Dei, ideſt, inimicum diligere debes ob istam vtilitatem magnam, quia tali virga delictorũ tuorum puluerem auferre curat Deus. *Hebr. 12. B.*

Cupis non irasci contra virgam aut flagellum? Ne respicias illud sed tenentem in manibus dominum aut magistrum. Quid ipse iudicasses de homine irato cõtra virgam, qua rex grauis excuteret puluerem à pallio suo, & conatus esset illam frangere? Stultum esse, & dicerem illi: vide in cuius manu sit virga, quid vis facere? Rex regum habet virgam, inimicum nempe tuum, in manu sua, & illa defectus tuos corrigere vult, quomodo audes contra ipsum insurgere, & odio illum habere? Ignorans puer est & iracundus qui percussus à magistro irascitur contra ferulam & flagellũ, & momordit illud, aut frangere vult ferulam. Puer centum annorum, ignorans quia peccator es, vt quid contra ferulam, ideſt inimicum tibi datum ad correctionem, irasceris, & velut furibundus insurgis vt frangas illum, & non attendis esse in manu magistri cœlestis Christi volentis te vt filium flagellare ad salutem, & vt discipulum vt discas mandatorum Dei lectionem? Contingit tamen aliquando vt magister iubeat puerum iracundum vt ferulam osculetur, qua fuit flagellatus. O Christe Iesu, qui iubes fideles iracundos contra flagella, ideſt, inimicos, vt osculentur illos dicens: diligite inimicos vestros. *Simile.* *Simile.* *Simile.*

Non tamen, quia diximus te, persecutor bonorum & filiorũ Dei, virgam esse illius & in manu eius, ad erudiendos bonos discipulos suos, gaudeas, & intumescas, quasi honoratus à Domino: nam certe si virga dura semper manes, fracta eris à Deo, & in ignem missa. Vidisti patrem benignum virga percutientem filium suum dilectum & paruulum, quia patri in aliquo displicuit? Tamen cum primum filius percussus & plorans, leuat oculos ad patrem, miseretur illius pius parens & ait, vis vt frangam virgam fili mi? Vt volueris pater. Ecce fractam vt in ignem mitto. Persecutor filiorum Dei, & virga irę diuinæ, time quanuis Deus filium suum verum fidelem te vsus percutiat, ob aliquem illius defectum: Iam videt illum plorantem pro peccatis, *Simile.*

& correctum flagello, & confitentẽ peccata ſua & te non odien
*Pſal. 102.* tem: quia virga eſt in manu Dei, & ſicut miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus tali timenti ſe, quoniam cognouit figmentum hominis, & quod non valet tantum perferre flagellum. Et forſan dicet illi Deus: quid vis vt faciam de iſta virga dura & incorrigibili fili? Fiat voluntas tua pater mi, corrigatur vt non pereat. Non vult. Frangatur & in ignem mittatur æternum. Certe in morte ita contingit inimico Dei: frangitur per mortem, & in flammas tartareas proijcitur ſubito, vt ardeat.

Gaudes virga? Time vehementer, nam à veritate fidei educta
*Iſai. 10. A. In præfati. ſuper Iſaiã.* eſt talis ſimilitudo, & in quinto euangeliſta (ſic à Hieronymo appellato) ſcilicet Iſaia, ſcripta, & a dño dicta: vę Aſſur: virga furoris mei, & baculus ipſe eſt: in manu eius indignatio mea. Acceperat dñs Aſſur, ideſt, regem Aſſyriorum Sennacherib, tanquã virgam ad puniendos filios ſuos Iſraelitas & Iudæos, & ait, væ Aſſur. Dñe, ſi virga tua eſt quare minaris ei væ? Quia poſt quã filios meos illa percutiam & corrigãtur, frangã virgam & in ignẽ mittam, quia vtor illa tanquam inſtrumẽto ad caſtigandum populum, cui iratus ſum. Et malus dicitur virga furoris dñi, quando leuiter flagellat, vt pueri virga cæduntur: tamen dicitur baculus quando grauiter punit, nam famuli baculo percutiuntur. Et forſan ſic intelligitur verſus Dauid ſupra citatus, virga tua, ideſt, leuis punitio, & baculus, ideſt, grauis, ipſa me conſolata ſunt: quia mihi veniæ ſpem conferebant pœnitenti.

Væ tibi inimice, quo vt virga vtor cõtra filios meos quos corrigere curo, & à quorum animabus vitiorũ pulueręm tollere volo te mediãte: væ tibi ſi dura & inflexibilis vt virga manes. Nam etiam ſi virga mea es, tamẽ furoris mei ad delicta meorũ electorum corrigenda vt reſipiſcant: tamen vę Aſſur, væ virgæ, vę inimico filios meos perſequẽti, & ad ſe non reuertenti, nec cito pœnitenti, in ignẽ certe mittam te quando fracta ſis, & anima à corpore ſeparetur per mortem. Vnde ſatis rationabilius dolendum eſt de te miſera virga, qua vtor contra filios meos, quam de illis: quia iſti dolent de peccatis & ſtatim illis parco, & tu inimice rebellis ſilice durior in obſtinatione permanes, ſine vera ſatisfactione, ac neceſſaria, cum iniuriam paſſo, reconciliatione.

Attẽde igitur ô homo, qui multũ conquereris cum Dauid di

cens

cens Deo tuo: dñe, quid multiplicati sunt qui tribulãt me? Mul ti insurgũt inimici aduersum me, quos ferre non possum. Vide hanc vtilitatem magnã tibi ex illis prouenientem: quia nõ velo citer sed satis pigre viã mandatorum cucurristi, & sic nec mirum vt Deus inimico tuo vtatur tanquam stimulo & flagello, ad excitandum te in via virtutis. Audi D. Aug. in de verbis domini: si ipse, vilis cum sis, iumenta verbere & flagello stimuloq; percutis vt tibi subiecta sint, ne recedant ad dexteram, vel ad sinistram, & vt ambulent in via cum oneribus: cur nos cum iumenta Dei simus, ægre tulimus & murmur in nobis resonat, si inimico nostro tanquam stimulo vtatur siue flagello, vt illi subiecti simus in omnibus, neq; à mandatorum via recedamus, & laborũ oneribus onusti solicite & non pigre ambulemus? Inimici sunt aristæ seruantes grana: sunt gemmæ proiectæ in tui fauorem ab inimico furioso: collige tibi merita. Fremunt contra te? Remitte pallium istis tauris. Nolens vindictam de illis sumere. *Psal. 3.* *Sermo. 4. Secũ. Matt. 8.* *similia.*

Tamen væ Assur, vę stimulo, væ inimico virgæ furoris domini mei. Equum superbum ferocem & rigidum virga & calcaribus domare curas, ne te præcipitem det: & ipse ægre fers & moleste quod Deus tuus virga inimicorum & calcaribus persequentium te & honorem tuum tollẽtium, velit domesticum te reddere, & subditum in omnibus, ne ipsum Deum ab anima tua peccato præcipites & reijcias: cum sis equus ferox & recalcitrare assuetus contra mandatorum Dei calcaria, & cõtra stimulum tuum, nempe Iesum? durum est contra illum calcitrare. Væ stipulæ igni reseruatæ: væ tauro gladio eneruato: sic & inimico tuo continget: & sicut nubi, in lutũ cito conuersæ, terrenti te.

Ego autẽ dico vt diligatis inimicos vestros, quia ipse iubeo, & quia magna vtilitas vobis prouenit ex illis, cũ sint virga & stimulus quibus vtor ad vestram salutem. Et si hoc non sufficit accipite aliam vtilitatem ab inimicis prouenientem: quia faciunt vos agnoscere quid sitis, cum mala vestra patefaciant, & aliquando quæ non cogitastis. Nam amicus vester non dicit veritatem, nec defectus vestros coram vobis ponit: loco enim amicitiæ succesit palpitas & adulatio, non quia amici non videãt multa corrigenda in amicis, sed quia non est qui veritatẽ dicat, quæ parit odium: solum inimici nostri non timent nequos cõscientię nostrę, non tantũ nobis ostendere, & delictorum ma-

culas, ſed etiam, velut præcones, publice omnibus propalare: & vulnera noſtra ſpiritualia, quãtunuis recondita, detegere, vt vel ſic confuſi medicinã neceſſariam cito & diligenter quæramus, ſaltim ne opprobrio ſimus omnibus. Vnde dicebat Chry. in pſal mum quendam: talia nobis præſtant inimici, qualia nequeunt amici: & opti me dicebat certe meo iudicio: vt alibi idem.

*Homi. 3. de Dauide & Saule.*

Nam amici adiuuant nos ad delinquendum, & delicta non oſtendunt nobis, ſed abſcondunt: inimici non ſolum non adiuuant nos ad peccandũ, ſed peccata à nobis cõmiſſa & fere obli ta, in memoriam reducunt, non ſolũ noſtra, ſed aliorũ: imo aliquando quod non cogitamus affirmãt nos perpetraſſe vt cauea mus ab illis delictis. Amicos iudicaſſes ipſe, qui vulnera tua ſatis periculoſa ſaluti, non ſolum non oſtenderent tibi vt medicamina quæreres, ſed etiam omnimodo cooperirent illa? Imo hoſtes capitales. Hoc faciunt amici tui, & vtinã ipſi non fuerint in cauſam vt talia vulnera habeas. Tamen proprios amicos voca & vt tales dilige, qui vulnera animæ tuæ patefaciũt tibi, vt malagma illis quæras, pœnitendo, confitendo, vt ſic confuſus humilieris. Et velut à colubro deindeà peccato fugias, ſaltim ne infamia reſperſus ſis. Vides quam neceſſarij ſint ad vitam inimici tui?

*Simile.*

Non tantum oſtendunt vulnera tua vt cureris, ſed antequam tale vulnus aut damnum incurras adiuuant ſuis perſecutionibus, vt non incidas in huiuſmodi mala. Contingit canem tendere, temporevuarum, in furcam, decipulam ſiue pedicam in vineis poſitam, vt vuas comedat: aliquis nolens illũ perire, ſed miſericordia motus proijcit contra illum canem lapidem, ne ſuſpendatur aut ſub lapidibus & fuſtibus gãniens capiatur, vulneretur & occidatur: canis tamen, vt furibundus & latrans vt ingratus & beneficij immemor, iraſcitur contra benefacientem & lapidem dentibus dilacerat. Canis ſtulte, non intendebam tibi lapidem malũ inferre, ſed ſeruare à tanto furcæ periculo, ſed quia ſic vis, abi quo dignus es, cum ingratitudine ſoluas bonum opus meum & ſana intentione factum.

Tu es ipſe canis, qui ad furandas alienas vuas pergere diſpoſueras, imo mulierem proximi tui, aut filiam facultates aut famam, ſub rabie. Quo tendis canis? Ad furtum & voluptatem. vide quo vadas, nam olla ipſa deliciarum, continet in ſe peccati mortem: nam ſtipendium peccati mors æterna eſt: tamen no-

*4. Reg. 4. G Ad Ro. 6. D.*

luiſti

luisti intelligere hoc in tot cõcionibus quas audisti, vt bene age-
res & à sceleribus caueres, sed vltra procedis ad malum: ego pa-
ter tuus benevolus & cœlestis vnum lapidem accepi, nempe ini
micum tuum, durum stimulum contra te, vt sic persequendo te,
peccare desineres, neque abires ad mortem: ipse vero vt ingra-
tus mihi, & contra me iratus, contra lapidem, ideſt inimicum, in
surrexisti, & dentibus odij & detractionis dilacerare voluisti.
O canis, & non vides quod lapidem talem proieci, non vt tibi
nocerem, sed ne in furcam inferni peruenires: tu autem secun-
dum duritiam tuam, lapidem mordes odio iniuriam proxi-
mo irrogando? Volui te à malo seruare, & sic soluis beneficium?
caue ne finam te iuxta desideria cordis tui abire, & alienas de-
uorare vuas, & vxores violare proximorum, & facultates fura-
ri, sine hoc quod inimicorum lapide terreã te, & in foueam in-
fernalem cadas, vbi ganniens eris perpetuo velut canis rabidus.
Da gratias Deo talem lapidem proijcienti, & caue à delictis: di-
lige lapidem in bonum tui proiectum. O quãti salui facti sunt,
& à peccatis velut à dæmone fugerunt, timore lapidis, ideſt ini-
mici, illos persequẽtis: qui alias, effrænes ad vitia & per conse-
quens ad infernum tenderent.

Diligite ô homines inimicos vestros quia ego Deus vester iu-
beo, & quia magnas animabus vestris vtilitates inferunt, si po-
tius araneæ quam apes non vultis esse: nam certe inimicus facit
vos prouide viuere: cum nusquam virtutes vestras respiciat,
nec in illis quiescat, sed vitia vestra sunt sedes illorum hostium
vestrorum: imo aliquando vident in vobis inimici quæ non fe-
cistis, vt caueatis ab illis. Non vidistis ciniphes & muscas sede- *simile.*
re, fere semper, in vulnere manus, & parte leprosa & scabie ple-
na, non tamen sic in sana? Corui & porci loca immunda quærũt:
sic & inimici non quærunt virtutes tuas, nec volũt de illis loqui,
sed de tuis immunditijs & defectibus: vnde fit, quod inimico
tuo accedente, desinis loqui ociosa verba, & dicis, caue, quia ve-
nit, qui dicet nostra & aliena: cum tamen coram amico & perni
ciosa dicere non dubitas: multum prodest inimicus.

Scipio in pace consistens dixit: in maiori periculo modo su-
mus: nõ enim habemus inimicos. Vnde dicebat Dauid, ne occi *Psal. 58.*
das eos, scilicet inimicos nostros dñe, nequando obliuiscãtur po
puli mei Christiani, tui & virtutis, & sic vadãt post cõcupiscen

tias ſuas. Vnde ob hãc cauſam habitatores Ieruſalem, Iebuſæos
*Ioſu. 15. G.* non potuerunt delere (vt ait Ioſue) vt ſemper eſſent cauti. Imo
*Deut. 7. D.* (vt ait Moſes populo Iſraelitico) Deus magnus & terribilis, ipſe cõſumet nationes has inconſpectu tuo paulatim atq; perpartes: non poteris eas delere pariter, imo nec expedit tibi: ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terræ: poſtea interficiet illos Deus donec penitus deleantur. Ob hanc cauſam, ſinit dominus inter fideles ſuos eſſe inimicos crudeles, hoſtes perſequẽtes iuſtos, vt
*Pſal. 124.* non extendant iuſti ad iniquitatem manum ſuam: etiam ſi non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum eſſe ſemper: tamen modo ſinit eſſe Iebuſæos, ideſt vaſtatores, inter bonos, vt viuant caute. Et præcipuè, quia ſi deeſſent inimici ad bonos perſequendos & homines crudeles & tyranni, & dæmonis, exactores peruerſi, reuera credo, eſſent multiplicatæ contra pios beſtiæ delictorum, vnde infernales feræ prædam habuiſſent non minimam: & iſta eſt euidens ratio, quare dominus permittat homines crudeles & innocentum perſecutores: ne multiplicentur beſtiæ peccatorum contra bonos: tamen væ malis, penitus erunt deleti.

Ego dico vt diligatis inimicos veſtros, qui ſunt virga qua pulueremdefectuum veſtrorum ab animabus veſtris tollo, & caute viuere vos faciunt, & velut lapide illis vtor ad impediendũ ne ad culpas pergatis, & ne multiplicentur inter vos beſtiæ quę vos dilanient, ideſt, ſcelera, inſuper eſt pędagogus veſter inimicus corrigens veſtra errata, & faciens vos caute viuere vt inde ſitis tales vt oportet vos eſſe, quando ego pater veſter ad iudiciũ vocem vos. Quis non pędagogum ſuum diligit, niſi ille crudelis
*p. 1. tit. 6. c.* Nero, qui Senecam aliquando reſpiciens (vt refert Diui Anto-
*24. § 1.* ni. in hiſtoria ſua) & verbera quæ ſibi à pueritia intulerat (vt, illius pędagogus) ad memoriam reducẽs, infremuit: ac tanquam iniuriarum vltionem expetere de illo cupiens (ſed tanquam præceptori & pędagogo vtcunq; deferens, & parcens) quod voluiſſet genus mortis optionem eligere conceſsit. Ipſe autem Seneca, quaſi ſuaue genus mortis arbitratus, in balneo mori inciſſione venę elegit. O vindictæ cupide fidelis, Neroni crudeli ſimilis, qui inimicum tuum quẽ Deus in pędagogum tibi dedit, verbis & odio occidere curas, nec genus mortis ſuaue permittis ei eligere, ſed omnimodo perſequi illum diſponis.

Diligite

Diligite inimicos vestros fideles, & dictum hominis gentilis Philippi Macedonis audite dicentis: maiores amici sunt mihi Athenienses, qui persequuntur me, quam Romani me diligentes: quia illi faciunt me solicitudine viuere, isti vt piger sim in virtute. O confusio fidelium talia audientiũ, & inimicos suos odio habentiũ. Non sufficiunt omnes vtilitates positæ vt diligatis inimicos vestros, postquam Christus iussit sub pœnę æternę interminatione? Saltim quia speculum est inimicus tuus quo maculas tuas videas & abluas debes illum toto corde diligere: non est speculum ita lucidum quo mulier ornans se maculas faciei & nęuos videat, sicut inimicus tuus ostendit tibi animæ tuæ defectus, & corporis maculas: quid vis facere illum odiendo?

Vidisti mulierem sic in insaniam versam, vt speculum lucidum, ex hoc quod aperte & optime maculas faciei ostendat illi, & rugas suas euidenter, è manibus proijciat ac frangat irata? Nũquam, sed quia non ostendebat sordes faciei. Vt quid ergo ipse stulta muliere insanior es, qui speculum lucidũ, ideſt, inimicum tuum persequentem te, ex hoc quod aperte maculas tuas spirituales animæ adhærentes & abscondas ostendit tibi euidenter: vt mundes illas: & corporis defectus, loquacitatẽ & risum: vt tollas superflua, è manibus tuis proijcis, & ab operibus bonis reijcis, volens illum morte frangere? Eijce abste fictum amicũ, speculum obfuscatum, adulantem animam tuam, & nullam maculam tibi ostendentem, ex multis quas in te videt: inimicum dilige, vt Christus iubet, saltim vt mulier speculũ, aperte illi maculas ostendens, amat, ac proviribus seruat. *simile.*

Diligite inimicos vestros fideles mei, quia ego iubeo, etsi nõ ob vtilitates positas, saltim ob hanc maximam & à vobis non intellectam, aut saltim neglectam, quia inimicus vester est iudex pius & satis benignus in lite quam cõtra dæmonem coram me iudice omnium geritis, de cœlestibus hæreditatibus obtinẽdis. Vnde hostis tuus ô homo, benigne, culpas tuas punit & sententiam nimis leuem contra te profert: quam si ego iudex mundi protulissem, præ timore defecisses. Nam (vt ait Theophylactus) inter benefactores oportet habere inimicos: nã omnis qui nos tentat & persequitur leuiorem facit pœnam, quam pro peccatis nostris ferre deberemus. Dices, forsan, non intelligo quomodo inimicus meus sit iudex meus, quãto magis pius erga me.

*Simile.* Tali ſimilitudine facile videbis hoc eſſe verum: conſidera ob tua delicta, imo ob quodcumq; mortale, pœna æterna te fuiſſe dignum (vt eſt fides catholica quam niſi quiſq; fideliter firmiterq; crediderit ſaluus eſſe non poterit) ſurgit inimicus tuus è regione (antequam Deus iudicio damnet te rigore debito ad tartarea loca, quia adhuc anima tua in corpore eſt) & contra te ſententiã ſatis leuem, delictorũ tuorũ reſpectu, & tẽporalem, alicuius infamiæ dicto, vel facto profert: Deus tamen benignus videns te afflictum & neſcientem an vindictam ſumas de tali inimico ſic te iudicante, dicit tibi inſpiratione, conſilio boni viri, aut præcipue concione: eia homo, elige pro peccatis tuis quam malueris ſententiam, aut huius inimici tui amplectendo, ipſum diligendo, nec te vindicando, ſed illi ex corde dimittendo iniuriam, aut vis prouocare ad meam ſententiam, odio habendo inimicum, nec illius ſententiæ conſentiendo. Si inimici ſententiam non refugis & danti parcis, ego non pronunciabo aliã contra te: quia iam hoc promiſi dicens, dimittite, & dimittemini, *Luc. 6. F.* nolite iudicare ſiue proximum damnare perſequentem vos, & non cõdemnabimini à me: quid apertius audire vultis quod nõ proferam ſententiã contra vos ob veſtra ſcelera, ſi inimicos diligẽdo, ſentẽtiã illorũ cõtra vos ab ipſis prolatã amplecti volueritis? Nã ſic vobis cõfitẽtibus dimittã ego debita veſtra, & ſic à me nõ eritis dãnati: ſed trãſibo per ſententiã datã ab inimicis veſtris.

Non erit, in re tanti momenti, parum, grauem autorem inuenire qui hoc aperte oſtẽdat, & quis magis ſeuerus & æſtimationis, quam ille ſanctiſsimus Leo, quem concilium Chalcedonenſe abũde ob eius exhauſtas pro Eccleſia curas, laboreſq; cõmendat. Niſi dicas parũ eſſe à tot tantiſq; patribus ter ſanctũ ipſum acclamari dicẽtibus: Leo ſanctiſsimus apoſtolicus & œcumenicus ſeu vniuerſalis patriarcha & põtifex ſummus per multos annos viuat: iſte magnus põtifex in ſermonibus de quadrageſima *Ser. 12. infine.* ſic dicit: miſericors enim & iuſtus dñs ita promittit indulgentiã ſuam, vt eam etiã quibus parcit indicat. Exponens enim qua regula Deo patri nos voluerit ſupplicare: ſi dimiſeritis, inquit, hominibus peccata eorũ, dimittet vobis & pater veſter, qui in cœlis eſt, peccata veſtra. Iuſta prorſus & benigna conditio, qua diuinæ potentiæ fit particeps homo, vt ſentẽtiã Dei ex ſuo libero arbitrio, & eo ſibi iudicio obſtringat dñm, quo iudicauerit ipſe

conſer-

cõseruũ. Sive itaq; circa subiectos, sive circa æquales, naturę paritas diligatur: & quia nemo nõ peccat nemo nõ parcat: nõ difficulter præstemus, quod gratulãter accepimus. Hoc ipsum fere Zacharias in suo cantico dicebat: salutẽ ex inimicis nostris magnam animabus nostris accepimus, & de manu omnium qui oderunt nos, quoties sententiæ illorũ contra nos prolatæ parcendo assentimus. Tamen si nolumus talem sententiam acceptare, væ nobis erit, cum horrendum sit incidere in manus Dei viuentis (vt ait Paulus) diligite inimicos vestros. *Luc. 1. G.* *Hebr. 12. F.*

Alias quid mirum vt sitis à multis persecuti? si regem magnũ à te vulneratum ad mortem reliquisses in platea coram multis subditis illius, & te fugientem aliqui essent persecuti lapidantes atq; contra te sibilantes, & dicentes, ô infelix, o audax suspẽsus eris, & paruum supplicium est hoc, flagitij respectu. Quid voluisti facere miser? eras in stultitiam versus? Quid pueri de te iudicassent, si omnibus voluisses responsum dare & contra omnes iratus esses, volens de quolibet illorum vindictam sumere? Sensibus me fuisse destitutum. Fuge & tace infelix, cum his & alijs grauioribus supplicijs dignus sis: quid scapulas vertis iracunde, & respondes te persequentibus? Quoties aliquod mortale perpetrasti, nonne ausus fuisti nõ solũ vulnerare, sed insuper (quãtum est in te) regem regum Christum occidere, & iterũ crucifigere, cum ab anima tua separes ipsum vbi erat per gratiam, & de nouo morte sua & cruce indigeas ad salutem tuam? Permisit Deus aliquos inimicos cõtra te insurgere, ęterno supplicio dignum: sibilantes detractionibus, lapidantes iniurijs, quasi dicentes: infelix, audax & atrox, regem cœlorum ausus es interficere? certe persecutus eris à nobis litibus, odijs & infamijs. Quæ insania decepit te vt omnes velis mordere dictis, & vindicta mulctare, cum velint vitam regis vindicare? fuge potius à vitijs, tace læsus, & forsan sic irã regis placabis. Præcipue si vt malefactor, ad Ecclesiam confugeris sacramentis illius digne vtendo: quis scit si ita carcerem & suspendium euades? Imo certe erit, si vt decet confessus fueris & inimicos dilexeris. *Simile.* *Ad Hebr. 6 A.*

Stultus esset satis homo transiens per vias Valentinæ ciuitatis catulis abundantes, & contra ipsum latrantibus, si vellet, vnius os lapide, alij luto, alij fuste claudere, & sic omnium catulorum ora obthurare: ridiculus esset, & pueri illi dicerent, *Simile.*

frustra laboras in hoc, tace, & contemne illos, quasi non latrantes, & nil mali tibi irrogabunt, insuper & statim tacebunt, quasi contempti. Hoc consilio velim ego vti, & deinde alios docere: vt quoties contra nos insurgunt inimici, sciamus catulos sine dentibus esse ad nobis nocendum, sine consensu nostro odij vel alterius mali: & sic contemnentes illorum minas & latratus, nec mordere nos valebunt, & statim à latratu quiescent, & detractione. Tamen volumus vt stulti, omnium illorum ora claudere mutua detractione, & odio intestino, quid mirum vt semper nos persequantur?

*Hom. 13.* Diligite inimicos vestros ob vtilitates vobis ab ipsis proue-nientes: nam (vt ait D. Chry. in imperfecto) puto quod non tantum pro inimicis nostris Christus dilectionem inimicorum mã dauit, quantum pro nobis: non quia illi digni sint, vt ab aliquo diligantur, sed quia nos sumus indigni vt aliquem odio habeamus. Odium enim spiritus est tenebrarum, & vbicunque insederit sordidat pulchritudinem sanctitatis: igitur si inimicum in corpore lędis, te ipsum in anima: & si illi perciſti, tibi ampli⁹, quantum damnum animæ corporis est periculosius, Quid mirũ, graue videri tibi, inimicos diligere, qui nec amicis tuis finceram conscientiam seruas? Sed in corde & corde isti loqueris, aliud coram illo & aliud illo absente. Si iustum fuisset inimicos odire, Deus te inimicum illius nunquam in suam dilectionem suscepisset: quod fecit, quoties in confessione sanguinem ad tui ablutionem dedit. Imo pater cœlestis pro te filiũ suum, per omnia humanæ compassionis opprobria tradidit vsque ad mortem, & te inimicum suum adoptauit in filium (tanto vnigeniti & naturalis filij dispendio labore atque confusione) & cohæredem filio vnigenito & naturali te fecit, & tu vel nudam dilectionem inimico tuo reddere non vis? Qua fronte coram Christo illam iubente apparebis?

*Simile.* Ego dico vt diligatis inimicos vestros, rex regum cum sim: est ne aliquis vestrum tam duro corde, vt si magnus comes aut Marchio rogaret te vt inimico parceres, verecundiam perderes & diceres illi: non est mihi cordi? Certe parcerem. Quid comes aut Marchio mecum regum rege rogante, imo & iubente, vt inimicos diligas, & tamen, si non verbo, opere inuerecunde mihi respondes, nolo? Caue ne aliquando dicas in iudicio tuo: Domine,

ne, ego parco inimicis meis. Tunc dicam tibi, sero venis: ego tibi iam non parco, nec volo vt parcas, sed si vnum voluisti habere inimicum in terra, modo millia millium hostes habeas in inferno, vbi in abundantia inimicos videas, nec illos fugere valeas: tuam rem ago magis quam tui inimici: præcipue iam pœnitentis & verè confitentis.

Qua audacia petes a me in morte veniam tuorum delictorũ, qui noluisti amore mei seruum meum diligere me iubente? Nõ audisti parabolam illam euangelicam valde rigidam, contra seruum nolentem conseruo parcere minimum debitum, cum a me Domino suo multa dimissa receperat? Non audisti me dicentẽ: serue nequam quid fecisti? Vidisti quomodo ligatus in carcerẽ perpetuum missus fuit? Vt quid in capite alieno exemplum nõ capis? Mirifice hoc pictũ est in illo loco Ecclesiastici, homo homini reseruat iram, & à Deo quæritmedelam? Quem locũ (Deo annuente) cum parabola ista euangelica, aliquando interpretati erimus. *Matt.18.C.* *Eccli.28.* *A.B.*

Quo ausu audes in oratione dominica dicere (ait D. Chry.) homo, in corde reseruans iram nec volens inimicos diligere, dimitte nobis debita nostra, sicut & ego dimitto debitorib⁹ meis? Scis quid dicas? Domine non parco ego inimicis, neq; ipse mihi dimittas peccata mea: odio habeo inimicũ meum, odio sim ego tibi & impietas mea. Velim inimicum meum multa mala subire, mortem & infamiam, imo & infernum, & tu damname. Ego nullis precibus hominum nec tuo præcepto sum motus ad inimicos diligendos: nec tu Domine vllis sanctorum orationibus flectaris ad mihi dimittendum. Esto forti animo ad me persequendum, vt ego hostes meos. Vide quid petas homo inflexibilis, quoties odio infectus orationem dominicam ore immundo & corde odij veneno maculato profers. *Matth.6. B.*

Velim vt ne credatis eos tantum hac nostra concione indigere, qui aperte inimici sunt ad inuicem, & se mutuo enfibus vulnerauerunt, aut litibus infamiæ se persequuntur, & ore proprio odium semper & vbique ostendunt: nã certe raros inuenias qui his admonitionibus non indigeant, & qui parum vel multum, saltim in corde, non sint isto nociuo vulnere sauciati, & non leuiter vulnerati. Contingit videre viginti poma inter quæ duo vel tria foris videntur aliqua putredine infecta, scinde illa, & tamen *Simile.*

men fere nulla inuenies, quin intus sint à verme percussa, & semiputrida: sic de hominum cordibus est intelligere circa odiū: quæ etsi pauca foris venenum & putrefactionem rancoris ostendant, tamen intus plena sunt ira, odio, & maleuolentia, pro maiori parte.

*Iob.31.C.* Optimum signum, ad agnoscendum an in corde tuo sit odiū vel non, ponitur à Iob dicēte: si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum, humerus meus à iunctura sua cadat: In quem locum, ait D. Grego. omnipotentis Dei nos esse discipulos, sola custodia charitatis probat: vnde ipsa veritas ait, in hoc cognoscent quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Quæ vero dilectio, si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet: scilicet si amicos in Deo, & inimicos diligimus propter Deum. Sed sciendum est quod inimici dilectio tūc veraciter custoditur, cū nec de profectu eius abijcimur, nec de ruina illius lætamur, alias non amat quem non vult esse meliorem, eumq; etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur.

*Lib. 22. mo. ca. 10.*

*Ioan. 13. D.*

*Simile.* Si rex grauis noster Philippus dixisset tibi, cuius patrē vicinus occidit, parce patris homicidiū vicino tuo, & dabo tibi vnā D. Iacobi aut Ioannis insigniā siue encomēdam. Cui dixisses: dñe, & si non parco debes illum suspendio tradere? Minime, sed liberum illum dimittam. Quis dubitat quin dixisses, parco domine, vt me commendatorem facias? Ego rex regum præcipio tibi quicunq; es odio infectus vt diligas inimicum tuum, & dabo præmium cœleste. Domine, etsi non illi parco damnabis meū inimicum? Non quia iam facti pœnituit illum, & veniam petit, & diligit te: sed ipse eris damnatus si non dimittis iniuriam de corde tuo. Est homo hic adeo adamātino corde, qui hoc audito non diligit omnem hominem iniuriam illi irrogantem, saltim vt promissa Dei accipiat? Vides quomodo tua res agitur in huius mandati impletione?

Dicat modo rex noster vobis: quicunq; inimico suo peperce-
*1. Reg. 17. C* rit, maneat nobilis in regno meo & ditabo eum diuitijs magnis, & domum eius faciam absq; tributo in æternum, vt promissum fuit occidenti Goliath: quia iste occidet dæmonem & odiū cordis sui. Qui vero noluerit inimicos diligere seruus maneat in perpetuum, & bona eius diripiantur: quis non parceret hosti-

bus

bus ſuis, ſi non virtutis & præmij amore, ſaltem pœnę formidine? Tu, & tu, & alius qui hodie me in nomine Domini auditis dicentem, diligite inimicos veſtros, & eritis nobiles, cum eritis filij patris veſtri cœleſtis, & fratres Chriſti Ieſu: alias ſerui peccati & dæmonis manebitis in æternum: & tamen nec amore præmij, nec pœnæ timore inimicos diligere vultis: ſed in odio pertinaces permanetis. O duro corde. Eſt ne homo ſic audax vt nõ timeret accedere ad regem, & illi dicere: Domine, dimitte mihi mille aureos quos tibi debeo, & ego remittam tuo ſeruo equorum, decem argenteos quos mihi debet? Nec auderet dicere: & ſi ſic, tanquam ſtultum audacem, omnes, in domo regia exiſtentes, ſibilo pugno & contumelia atque indignatione repellerẽt confuſum. Quid iniuria tibi à proximo irrogata cum illa, imo multiplici, quam ipſe Deo optimo irrogaſti? Quantum Deus melior te comprobatur, tanto maior iniuria eſt, quam ipſe contra illum perpetraſti, quam ipſa quam proximus in te: vnde in infinitum excedit, ſicut Deus te præcellit. Et tamen vt tollat verecundiam à te præuenit ipſe dicens: parce ſeruo meo hanc minimam iniuriam quam tibi irrogauit, quæ non æſtimatur decem argenteis, & ego dimittam tibi crimina tua grauiſsima, quę mille theſauris redimere ipſe non valebis. Quis non parcit? Ipſe non vis. Quis tale mutuum perdit? Tu duro corde, ſemper vindictam in animo habens & odium. *simile.*

Fratres Ioſeph, mortuo patre ſuo Iacob, timuerunt ne forte memor eſſet iniuriæ quam paſſus eſt ab ipſis in venditione, & ciſternæ proiectionem, & redderet illis omne malum quod fecerant. Accedentes ad Ioſeph dixerunt: pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus vt ſeruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc: nam ille, ac ſi ipſi parceres, accipiet hanc veniam. Quibus auditis fleuit Ioſeph, & dixit, nolite timere, ego paſcam vos. Ac ſi dixiſſet, pater meus iuſsit, & prope mortem exiſtens, & non debebam vobis parcere? Nolite timere, omnem iniuriam, quam mihi irrogaſtis, vobis libenter dimitto. Eia fratres mei, quicunque iniuriam à vicinis aut à proximis accepiſtis, eſt vt illa quam recepit à fratribus Ioſeph in vẽditione & illuſionibus? Nolo dicere, ſi vt illa, quæ verus Ioſeph *Gene. 50. C. Figura.*

Chriſtus

Christus dominusà fratribusIudæis & à discipulis pertulit: certe non est tam grauis. Igitur cum inimici vestri timeant ne memores sitis iniuriarum quas passi estis & illis reddatis malũ pro malo: venio ego hodie vermis vilis, sed in nomine Domini patris vestri, per quem mandat vnicuique vestrum qui iniuriam passus est, dicens: pater tuus Iesus benignus, pater qui fecit te creauit te & redemit te, præcepit mihi ante quam moreretur, in
*Ioan. 15. B. C.* qua nocte tradebatur, dicens, hæc mando vobis vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos, & tale est præceptum meum: vnde verbis illius dico tibi, ac si Christus dixisset: obsecro te fili mi, ante quam in cruce moriar, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum & peccati ac militiæ quam exercuerunt in te infamando, detrahendo, percutiendo, aut te persequendo. Nos quoque concionatores & omnes angeli Dei, & iusti qui sunt in terra oramus vt proximo dimittas iniuriam, & accipiet Christus pater
*Matt. 25. D* tuus, acsi illi parceres. Nam si mihi feciſtis dicit ipse, quod vni ex minimis meis feciſtis, parum panis dando, quanto magis dicet hoc iniuriam proximo remittendo & veniam in eleemosynam donando? Eia fratres, quid dicitis? Quid respondetis patri vestro Iesu in cruce & in lecto satis stricto, pedibus
*Gene. 49. D.* collectis melius quam Iacob, cum esset in anguſtiore crucis lecto quam ipse?

*Annorum.* Iacob moriebatur naturaliter plenus dierum: pater vester
*147. Genes. 47. G.* Iesus morte violenta & infamia plena, iuuenis triginta trium annorum: Iacob filijs plorantibus circũdatus erat: Et oculos apertos habentibus ad præbendum patri quod petisset: Iesus inimicis vallatus, fel & acetum in escam & potum dantibus. Iste pater dixit antequam pateretur in nocte cœnæ vltimæ vt diligatis ini
*Luc. 23. E.* micos vestros, & paulo ante quam emisisset spiritum in crucis
*Ad Heb. 5. C.* lecto, orans pro inimicis suis ad patrem cum lachrymis, eodem facto orauit te vt inimicis tuis parceres, & obliuiscaris sceleris fratrum, & malitiæ quam exercuerunt contra te. Quid vis facere? Ipse Christus accipiet hanc veniam ac si illi dares: parcis iniurias? Non ploras cum Ioseph talia audiens? Est aliquis vestrum qui modo non dicit ego parco? Quis non dicit cum Ioseph, nolite timere vos qui me verbo vestro vendidistis, infamastis, & persecuti estis, ego iniuriam dimitto, & pascam vos & filios vestros, & benefaciam vobis? Pater meus Iesus iussit me dimittere,

tere, & in nocte in qua triſtis fuit vſque ad mortem, tædens & pauens ſanguineo ſudore madidus & in cruce paulo ante quam ſpiraſſet, & non debebam parcere tibi? Væ crudeli non parcēti, & quid dices, quando appareas coram vero Ioſeph Chriſto domino in ratione, quem multoties periurio aut voluptate, ſiue alio quocunq; vitio vendere nō timuiſti? Quid facies? Quo modo veniam ab ipſo petes.

Diligite inimicos veſtros ſi vultis vt ego vos diligam: dimittite illis iniuriam, ſi vultis vt vobis debita veſtra parcam: iam ego ſolui pro omnibus volentibus fide & operibus tali ſatisfactione vti. Si rex noſter Philippus modo veniſſet à curia Pinciç, *simile.* veloci greſſu in hunc locum, ad iubendum te inimico parcere, dicens: parce illi, nam ob hoc, negotia omnia reliqui & veni nō minimo labore huc, & munera dabo ingentia, alias punitus eris à me. Domine rex, nolo parcere niſi flexis genibus hoc à me petas. Ecce genua flecto coram te. Dñe, ſi non ſatisfit mihi de iniuria parcere nolo. Quid vis pro ſatisfactione? Vt coram te inimicum meum alapa percutiam. Percute meam faciem regiam & parce illi. Sit ita, tamen fuſte debeo caput tuum ferire vt inimico parcam. Fuſte & flagellis percute me & dimitte illi. O magna regis benignitas & quādo hoc viſum fuit in terra? Quando? Ex fide tenemus regem regū filium altiſsimi de ſinu patris deſcendiſſe in vterū matris, per carnis aſſumptionē, adcurrendā viam huius vitæ laborioſam, & præcipue vt pacē prius inter patrē cœleſtē & nos homines cōponeret, & deinde vt homines inter ſe diſsidētes, & inuicē ſe odientes & rodētes ad pacem & vnitatem reduceret: vt eſſent ſub vna fide & in vno ouili Eccleſiæ. Poſtquā multos tulerat labores in hoc mūdo, orauit omnes homines odio habentes proximū, dicēs: diligite inimicos veſtros, parcite illis. Et tu quid reſpōdes? Dñe vt quid agmina angelorū reliquiſti manens cū illis, & nonaginta nouem oues iuſtas, ſcilicet angelos? Vt te ouem errantem quærerem, & odiente tuum fratrem. Parce illi, & munera præmiaq; cœleſtia tibi dabo magna, alias damnatus eris. Dimitte illi ſaltim ne fruſtra ſint labores mei quos paſſus ſum. Dñe ſine hoc quod mihi ſatisfaciat inimicus, non illi parcam. Et tu quādo pro tuis delictis ſatisfaceres homo, ſi mea paſsio in ſacramentis non interponeretur? Quam ſatisfactionē deſideras contra tibi iniuriantem: & quā ſolutionē

visa

vis? Domine, vt alapa inimicum coram te percutiam. Iam ego
*Ioan.18. D.* in nocte qua traditus sum post agoniam & sudorem alapa fortiter sum percussus a seruo pontificis, accipe illam pro satisfactione: & si fuste illum vis percutere, in ligatione mea fustibus
*Ibi.19. A.* percussus sum, & genibus flexis fui in illa nocte, & sic peto à te vt parcas. Et iam flagellis scapulas meas dilacerauerunt, & arundine caput meum spinis plenum percutiebant. Et si non dum satiatus es nec satis factus, iam percute me iterum in faciem meam vt inimico parcas, paratus enim sum pro redimendis hominibus iterum pati, vt dixi. Parco amico meo volēti zelo mei amoris (& si non secundum scientiam) vindictam sumere de quodā mihi iniuriam irrogante. Vt tremende ponitur hoc exemplum,
*Epis.8.* à D. Diony sio Pauli discipulo, in epistola ad Demophilum in fine: nos omnia non possumus ponere.

O duritia cordis humani, si valet vltra impedimentum præstare, quo minus statim omnis habens aliquem inimicum diligat illum & ei omnem iniuriam remittat ex corde, cum audiat Dominum Iesum Regem Regum hoc iubere, imo rogare & satisfacere pro iniurijs inimicorum suorum velle. Tu debebas legatos mittere ad hominem qui te offendit, vt vellet veniam accipere ob vtilitatem tuam. Et quid mirum vt ipse faceres quod Christus fecit per apostolos, & per concionatores quotidie facit, mittens illos ad peccatores Dei inimicos vt velint fieri amici illius & accipere veniam delictorum suorum, quanuis magnam iniuriam illi irrogauerunt. Mirifice hoc affirmat Paulus supre-
*2.Cor.5.D.* mus regis concionator ad Corinthios scribens: Deus dedit nobis Apostolis & concionatoribus, ministerium reconciliationis & verbum: nam pro Christo legatione fungimur, tāquam Deo exhortante per nos: obsecramus vos peccatores pro Christo, reconciliamini Deo. Nam cum vos illum offenderitis, & debebatis toto corde & opere reconciliationem eius quærere, ipse præuenit vos vt & vos cum inimicis vestris ita faciatis.

*Hom.23.* D. Grego. tractans hanc Pauli autoritatem in quadam homilia sic ait: veremur sæpe à proximis despici, dedignamur iniurias verbi tolerare, si contingat iurgium cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Et plerunque ipse homo qui irascitur, discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire prior ad satisfaciendum erubescit. Heu quanti ob hanc erubescentiam damnati sunt.

sunt. Pensemus factum veritatis Christi in hoc Pauli dicto vt videamus quo iaceant nostræ prauitatis actiones. Si enim mẽbra summi capitis sumus, imitari eũ cui cõnectimur debemus. Ecce inter nos & Deum discordiã peccando fecimus, & tamẽ ad nos Deus (vt Paulus affirmat) suos legatos prior mittit: vt nos ipsi qui peccauimus ad pacẽ Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, cõfundatur quisq; si nõ satisfaciat prior proximo: quãdo post culpam nostram vt ei recõciliari debeamus, & ipse innocens qui offensus est à nobis, legatis & cõcionatoribus interueniẽtibus obsecrat Deus: cũ in infinitũ iniuria nostra contra Deum superet illã quã contra nos proximus fecit. Igitur diligite inimicos vestros ob magnas vtilitates vobis prouenientes, aut quia ipse dominus iubeo & rogo, & quia ipse feci.

Forsan aliquis ex vobis ista audiens ad indulgẽtiam fere motus est, & ad inimicorum dilectionem, & tamen malignus ponit ei difficultatem magnam in tali opere, & sic dicis durum esse præceptum hoc, & ferre te non posse adimplere volentem. Tamen falsum est, imo & hæreticum, affirmare Christum dominum aliquid iussisse impossibile, quod Dei auxilio non possit ab homine adimpleri: vide D. Hierony. & cõcilium Triden. anathemate ferit hominem dicentem, quod Deus imperat impossibile. *Sess. 6. ca. 21. & can. 18.*

Deinde ne dicas præceptum durum, quod Deus ad tantã vtilitatem & conseruationem tui imperauit: & (vt ait D. Chry. in imperfecto) quoniam ignorantibus mysteriũ naturæ humanæ impossibile videtur diligere inimicum: & vere impossibile est, quantum ad carnis naturam: quia passionibus subiacet: quantũ autem ad animã, possibile est: quia libera est, & proprij iudicij, ideo & regere & retinere potest carnem à passionibus, præcipue Dei auxilio & pœnitentiæ. Nunquã enim anima passibilẽ regeret carnem, si ipsa passionibus esset subiecta, nec esset libera ad resistendum. Et vultis videre quam suaue præceptũ sit hoc omnibus hominibus? Audite exemplum. Si tyrannus quispiam quinquaginta crudeles milites in hanc ciuitatem aut locum misisset, vt omnes quos per vias obuiassent gladio percuterent, aut dentibus dilacerassent: si tamen benignus rex noster atq; potẽs, plures milites suos mitteret ad illos ligandos & carceri tradendos, vt catenis & vinculis ligati ibi clausi tenerentur: quis talem *Chry. in Hom. 13.* *Simile.*

regem crudelem aut ſeuerum iudicaret, & non potius miſericor dem ac benignũ? Audi quicunq; es, cui præceptum de inimicis diligendis aſperum & durũ tibi apparet: dęmon tyrannus infer ni ſeruos ſuos crudeles & milites vindictę cupidos habet in mũ do, qui ſuo conſilio omnes volunt dilacerare detractione, & ſta tim vindictã capere verbis & operibus, de omni creatura quo modo cunq; illis iniuriã irrogante: rex regũ Chriſtus & magnifi cus triũphator, miſit hoc præceptum, quo non ſolum manus & pedes omniũ hominũ ne audeãt tibi nocere, verũ neq; corde te odio habere, ligauit: & ſic velut catena fortiſsima omnes Dei creaturę rationales ſtringũtur & ligãtur hoc mãdato, dilige ini micos tuos, & ne illis malefacias quomodocunq; ſit: quid benig nius poteſt iuberi à tã manſuetiſsimo rege, quã tale præceptum quo vinculantur omnes volentes te percutere & occidere?

Scis quare tibi tam ſuaue & vtile præceptum videtur aſperũ ac durum? Quia reſpicis illud ac ſi tibi tantum eſſet imperatum, & nõ alijs erga te. Eſt durũ iubere te ne percutias vnum militem iniuriantem tibi, & mille volentibus te occidere imperare, ne tangant veſtem tuam? Iunge iſta duo, & intelliges primum eſſe mandatum ſuaue. Nam ſi Deus iubet te, vt diligas vnum aut alterum te perſequentes: etiam præcipit omnibus creaturis eius dicens: ne odio habeatis hunc hominem, neq; illum aliquo mo do verbo aut opere, imo & cogitatione lædatis, ſed neq; cordis odio eum tãgatis, quantumuis perditus ſis crudelis, adulter, aua rus & rapax, & furioſus dignus ligari tanquam inſanus: ſed vt tibi benefaciant omnes & orent pro te. Ergo ſuauiſsimum eſt tale mandatum. Si ſemper affirmare conaris durum eſſe præ ceptum, nec vires te habere ad implendum illud, ob conſcien tiam tuam vitiatam, fac vt paralyticus qui ambulare non valens proijcit ſe in lectum aut grabatum & ſic rotis quatuor à puero ſe finit portari. Paralyticus es nec ad inimicorum dilectionẽ am bulare vales ob vulnus odij graue quod in corde habes, proijce te ſuper grabatum miſericordiæ Dei & ſine te vehi à puero Ieſu, quatuor rotis virtutum cardinalium. Nam ſi vis diligere inimi cum & tuo videri non vales: multoties tentatio eſt, & iam non culpa: cum peccatum ſit voluntarium. Puer non valens ambu lare, ponitur in curriculo. Sic & tu in Ieſu cruce.

*Simile.*

*Simile.*

Statua ſæpe fit vt arte mutetur cum ipſa per ſe non valeat tan

quam

quam vita carens. Cogita & ipſe te ſtatuã eſſe, & aridum lignũ & non poſſe mutari ex te ad talem dilectionem: cum gratię vita careas: committe animam tuam Deo, ora illum vt te in dilectionem talem inducat: & ſtatim Deus mutabit cor tuum vt diligas inimicum, & velis illi bonum, quem paulo ante in inferno videre optabas. Non vidiſti puerum paruulum, panem, quem è manu illius gallina ſubripuit non poſſe capere ab illa? Quid tamẽ facit? Plorat & gemitu vocat patrem aut matrem, qui ſibi panem à gallina recuperent. Panem gratiæ odio cordis tui arripuit à te infernalis accipiter, & dicis te debilem & puerum eſſe ad recuperandum illum: quia valde difficile tibi videtur inimicos diligere: plange vehementer ſuper tali amiſsione, & oratione & gemitu pete à matre tua virgine ſancta vt pro te intercedat ad filium eius patrem tuum, vt talem gratiæ panem tibi reddat, & ipſe faciet vt odium tollas. Nunquam vidiſti infirmum languore prolixo grauatum ſic, vt manum leuare nõ poſsit ad muſcas importunas illum moleſtantes abigendas? Quid remedij illi ſupereſt? Vt clamet & aliquem vocet, qui eas fuget ab illo. Hoc & ipſe medium accipe ad abigendas odij muſcas valde moleſtas animæ tuæ. Nam ſi ex languore & odio veterano, tam debilis es vt non poſsis leuare cor tuum ad amorem, clama: & corde & ore inuoca Deum vt abigat à te muſcam adeo moleſtam animæ tuæ vt eſt cordis odium. Etſi ſemper affirmas durum eſſe tale mandatum: interrogo te an magis durę ſint inferni pœnæ ad quas abſque dubio perges ſi non remiſeris fratri de corde tuo? Et cum Deus iubeat quid ſupereſt niſi obedire? Magis dura fuit crux, quam Chriſtus pro te ſubijt, & tamen non petit brachium tuum aut caput in ſolutionem ſed inimicorum dilectionem.

*simile.*

*simile.*

Viguerius citat D. Aug. dicentem: ſic potes mihi dicere: non habeo quid tribuam indigenti. Credo quia pauper es. Non poſſum ieiunare. Fateor quia infirmus es. Nõ poſsũ monaſterio deſeruire. Sit ita, quia imperfectus es: nũquid potes dicere nõ poſſum charitatẽ habere, aut nõ poſſum diligere? Nõ valeo inimicis indulgere? Nõ credimus, nulla manet excuſatio. Quia nõ de cellario, ſed de corde hãc eleemoſynã implere iubemur. Et ſi dimittere iniurias non vales, veni in cœnaculũ, & videbis Chriſtũ flexis genibus Iudę hoſtis illius capitalis pedes lauantẽ & corpore

*lib. 83. hom. 6.*

proprio reficientē vt inimico parcas. Non ſufficit hoc? veni ad hortū & mentis oculis vide dñm ſanguineo ſudore tinctum pauentem triſtemq; vſq; ad mortem, & inter pluſquam mille lupos aurem capiti inimici ſui ligatum ponentem, vt diſcas inimi
*Luc.22.F.* cis benefacere. Si non ſatis eſt hoc vt tale mandatum ſuaue tibi ſit, veni in locū caluarianum & audi magiſtrum tuum in cathe dra crucis exiſtentem, quale thema ſacrati ſermonis ibi habiti aſ
*Luc.23.E.* ſumat: nempe, pater, ignoſce illis. Si adhuc aſperum tibi videtur tale Chriſti mandatum, ne aſpicias illud à fronte, ſed reſpice fi-
*Exo. 4. A.* nem: accipe talem ſerpētem à cauda, vt Deus iuſsit Moſem, & ſic non eris territus. Qualem vis vt inueniat te Chriſtus iudex ri gidus in morte tua? Caſtum, humilem, & nemini feciſſe iniuriā, & inimicos dilexiſſe. Talis igitur eſto in vita, & ex hac parte, nempe, ex cauda & fine hoc præceptum accipe, alias in morte terribilis tibi apparebit talis odij ſerpens: quicquid agas ſapien ter agas reſpice finem:

Non tamen (meo iudicio) eſt cōſilium ſic efficax, & auxiliū tam graue, ad inuitandum cor tuum vt inimicum diligat, ſicut cogitatione animę debita, quę paſſus eſt Chriſtus, meditari. Au
*Ho.18.* di Chryſoſt. in hunc locum in perfecto: tu plurimū omnino læſus es: verum quid tandem tale perpeſſus es, quale tuum imo om niū dominus? Vinctus loris, verberatus flagellis, palmis ora per cuſſa habens, conſputus à ſeruis & ſcurris viliſsimis, mortē ſuſtinens, & mortem omnium turpiſsimam, & hoc poſtquam be neficia eis mille contulerat. Quid magis vis audire vt libenter parcas & inimicos diligas? Sin autem omnino nimium læſus es, eo magis beneficiū refer nocenti, vt & tibi maiorem coronā facias, & fratrem periculo grauiſsimi languoris liberes.

*Simile.* Diſce à medicis pijs & benignis qui quāto iniurijs & calcibus cædūtur infirmorum furentū, tunc illorum potiſsime miſerentur tunc maxime ad reddendā illis ſanitatē parantur, & maiora medicamina applicant, ſcientes quod excellentiā morbi & grauitatem ſignificat talis iniuria: ſic & ipſe fac fidelis erga inimicum tuū ſicq; tractes illū: nā quanto maiori furia & inſania perſequitur te, tanto infirmiorē & magis furioſum agnoſce illū eſſe, & multo magis medicamine indigere. Libera igitur eū à peſsima læſione illi parcēdo & benefaciēdo, & permitte vt irā in te expleat, atq; ita liberabis eū à malo dæmone, furore ſcilicet, &

te ipſum

te ipsum ab eadē infirmitate & frenesi parcendo illi defendes.

Si aliquem à dæmone agitatum & percussum in corpore vi- *Simile.*
des, non doles & lacrymaris, & conaris omnibus vijs ipsum libe
rare si vales? Quid de te dicerent pueri si operam dedisses, vt &
ipse à dæmone esses agitatus, & dæmoniacus fieres? Cogita ini-
micum te persequētem dęmoniacum ira & odio effectum esse,
imo illis longe miseriorem (ait Chrysost.) cum insaniat iste sen-
sibus integris & à dęmone accipiatur velut illius exactor aut car
nifex: vnde ob hoc non erat digna venia eius dementia, quia sa-
nus insanit. Tamen lachrymis prosequere illum, & labora omni
bus vijs eum à tam crudeli odij dæmone liberare, & Deo suo
illum reddere, saltim ne & ipse similiter dęmoniacus euadas vin *Simile.*
dictam capiēs. Idem facit pia mater cum infirmo filio vomēte
bilem, etiam si vestimementa illius sordidet, non abijcit illum
neq; odit, vnum tantum vult, nempe filium à tāto labore & an
gustia liberare. Hoc ipsum erga inimicos nostros ægrotos mēte,
odij febre faciamus etiam si amaram bilem detractionis contra
nos euomant, & famam nostram polluant: tantum vestes tan-
gunt, salutem suam Dei amore curemus & nostram. Et sic erūt
virga puluerem à nobis excutientes: tali speculo maculas vide-
bimus, & amore Iesu parcamus, vt & ipse dimittat delicta no-
stra & det gloriam suam, Amen.

# Feriæ Sextæ Cinerum, Homilia Secunda.

¶ *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos vt* *Thema.*
*sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Matt. 5. G.

¶ Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro *Text.*
persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis
filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suū
oriri facit super bonos & malos, & pluit su-
per iustos, & iniustos.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

VIRGO amicabilis, non didicisti ab antiquis generis tui odio inimicos habere, sed audisti filiũ tuum decentem, dilige inimicos tuos mater mea. Et dixisti: opere illos ô fili diligis & ego etiam. odientibus te benefacis, magna beneficia illis cõferendo, lumen cæcis, salutem infirmis, mortuis vitam reddendo, & veritatis lumen & verbi Dei super illos infundendo? Et ego mater tua, desidero solui vincula reis, & lumen proferri cæcis, & mala omnia culpæ pellere, & cuncta bona inimicis tuis, & per consequens meis poscere, vt de me canit Ecclesia. Inter animi infirmitates in Christianis repertas graues, hanc fili mi, grauissimam inuenio, nolle inimicos diligere, vt iussisti, imo vt ipse prius fecisti: & quotidie inimicos peccatores ad amicitiam tuam recipis. Proferlumen huiusmodi cæcis domine vt videant te iubentem hoc, & te remuneraturum. Adiuua illos ad tale præceptũ adimplendũ, vt sint filij patris tui, & tui fratres: bene fac illis, etiam si oderunt te: vt omnes te diligant. Oro te domine, pro persequentibus te & proximos suos. Deprecare virgo sancta pro nobis filium tuum, vt pater solem suum faciat oriri super bonos, vt in virtute perseuerent, & super malos, vt conuertantur & viuant & inimicos diligant, vt Deus illos diligat. Pluat super me Spiritus sanctus aquam gratiæ suæ ad concionandum calore magno, & super vos ad operandum: obtineat vellus illud (super quod descendit pluuia, ideſt filius Dei, ad incarnandum) virgo nempe sancta: vt faciat dicamus Aue.

*In hymno.*

*Psal. 71.*

Ego autem dico vobis, qui possum præcipere: & prius ad impleui, & sum dines ad remunerandum, & valde potens ad huius præcepti fractores puniendum & flagellandum. Diligite inimicos vestros, videte quam dulcem vobis rem imperem, dilectionem scilicet, qua nil dulcius, nil libentius cor hominis facit, nec in alia re magis delectatur, & ego dico vobis diligite inimicos vestros, nam si non vultis ob bona vobis futura diligentibus & vtilitates positas, & exemplo meo diligite saltim vt mala innumera præsentia & futura euitetis. Nam (vt ait Augustinus ad Felicitatem) maiorem date operam concordandis vobis, quam redarguendis. Quia sicut acetum corrumpit

*Epist. 87.*

*Simile.*

pit vas si diutius ibi fuerit: sic ira corrumpit cor, si in alium die durauerit. Quid si in alium mensem? Quid si in alium annum? O corda corrupta, diligite inimicos vestros, alias sine quietudine eritis. Nam vt ait Diuus Chrysostomus iratus animus, est similis foro pleno tumultu, vbi multus est euntium & redeuntium clamor. At mitis mens, in solitudine montis vertici similis est: auram quidem habentis tenuem, purum vero radium, pura fontium fluenta, multasq; florum amœnitates. Nam vt ait idem: quasi ignem gestans, seq; ipsum comburens, vt alicui noceat, est qui gestat iram, & quærit vindictę tempus: ipse multo tempore torquetur vt alterum modicum torqueat. *Hom. 24. to. 4.* *Simile.* *Ibi Hom. 30* *simile.*

Homo iratus, domus est palearum, quæ modo multas diuitias continet, & post horam omnes comburuntur: sic odium in corde habens homo, animam suam omnibus meritorum diuitijs cito spoliat & donis cœlestibus. Hortulanus oculos iumenti claudit, vt in circuitu putei ad hauriendam aquam ducatur. O diabole, hortulane infernalis, qui ira & odio animæ oculos, rationem & voluntatem claudis, vt non possit cernere verum: & ducas illam quo non vult, & ambulet in circuitu vt impij, delitiarum aquas & vindictæ hauriendo. Piscator turbat aquam, vt piscis intret rete & sic capiatur. O miser homo, nõ vidisti quod dæmon astutus piscator conscientiam tuam odio & ira turbauit, vt te in rete infernali capiat, quem in laqueo culpæ ligatum habet? Dilige inimicum: et ex pace apum, quanta bona procedant oculis videmus, & dominicam tertiam quadragesimæ poteris legere: quanta econtra mala ex earum ira & inter se dissidio, proueniant experientia scimus. Sic inter coniuges & cõciues facillime similitudinem deduces. Dilige inimicum tuũ. Domine, nolo sed vindictam sumere. Vis te vindicare? Accipe consilium meum: euagina gladium aut ficam, & tange inimici tui pallium, & cor tuum transfige. Optimum consilium mihi præbes. Hoc ipso vteris quoties, vindictam de inimico cupis: non tangis vestem illius, & tamen miserandum cor tuum odij crudeli sagitta confodis: & vulnere mortali animam tuam percutis. Igitur tu ipse tibi inimicus es, tam graue malum cordi irrogans: & de te tantum vindictam debebas sumere & non de inimico tuo, non valente animam occidere tuam sine consensu tuo, sed tantum in veste honoris lædere: & sic contra te iram su-

*Simile.* *Simile.* *Simile.* *Simile.* *Simile.*

me qui tanta mala animæ tuæ potes inferre & vis. Prote oramus, nõ pro tuo inimico, quando dilectionẽ illius à te petimus.

*Simile.* Dic amabo, si aliquis fata tua incendio traderet, vites euelleret, domum tuam destruxisset, fratres, filios & parentes tuos occidisset, nonne dignus esset homo ille, vt magno à te odio esset prosecutus? Attende frater mi, nam talis es ipse tibi, omnia ista mala & peiora peccando animæ tuæ irrogasti, odium in corde contra proximum seruando. Sata virtutum & domum cœlestẽ, odij igni tradidisti, vt careas illa: vinum gratiæ in acetum peccati conuertisti: filios tuos, bona, nempe, opera occidisti: matrem tuam virginem & omnes fratres tuos cœlestes, imo & parẽtem Christum, quo ad te odij gladio interemisti, insuper & animam tuam interfecisti, quæ mala nullus inimicorum tuorum valet irrogare tibi sine te. Igitur te ipsum solũ odio prosequere, vera contritione reparando, Dei auxilio, quæ occidisti & desine inimicum odio habere. Si credis hoc esse à me inuentum, audi D. Ioannem, valde inimicorum dilectionem super omnes scriptores sanctos commendantem. Nos scimus quoniam translati sumus de morte culpæ ad vitam gratiæ. In quo Ioãnes? Quoniam diligimus fratres. Et qui nõ diligit illos? Manet in morte culpę, morti pœnæ æternæ subditus. Nam omnis qui odit fratrem suum, homicida est sui ipsius, imo & gratiæ: & per consequens, Dei existentis in anima sua, est ipse expulsor odio. Vidisti frater, quanta mala tibi irroges odiẽdo fratrem? Ipse quietus in domo sua manet, si viuit in gratia Dei, & tu domum conscientiæ tuæ dissipas odio canino, & animam tuam occidis. Stultus esset homo, qui contra oues suas & agnos, canem crudelem portasset, cum deberet contra lupum afferre. Contra canem odij & contra sensualitatem tuam iram debebas adducere & vindictam, non contra animam.

*1. Ioan. 3. C.*

*Simile.*

Diligite inimicos vestros, alias si vindictam ab illis expetere vultis, aliud graue malum, vt audaces, committitis contra bonitatem meam. Quod tali similitudine intelligetis. Ne mireris Christiane lector, si in ista de dilectione inimicorũ, materia multiplici simus similitudine vsi: quia grauis & necessaria est, & pauca collecta inuenies de illa, & homo valde similitudine conuincitur. Nam vt ait D. Hierony. in Matthæum, quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem

*Cap. 18.*

dinem exemplaq; habeatur. Vnde ipsa sapientia patris multoties similitudinibus vsus est. Vidisti hominem vsq; hodie, tam audacē & temerarium & impudētem, qui auderet inter mille regis milites armatos & feroces ingredi, & inter enses euaginatos, ad suum percutiendum inimicum sub pallio regis latentem vt insanus intrare? Nullus quantumuis audax & impudens: etsi vellet non valeret, sed ipse prius percussus aut occisus fuisset. O homo vindictæ cupide, omni fera sæuior, omni leone crudelior, omni cane audacior, salutis & vitæ tuæ immemor, vis de inimico tuo vindictā accipere pro libito? Nil magis desidero. Veni, ego tibi illum ostendam vbi latitet. Prius tamen quam ad illum peruenias: oportet vt omnes creaturas cōtra te insensate (vt in sapientia dicitur) armatas ad tui vltionem pertranseas: gladios ancipites habentes in manibus, vt contra te pugnent. Nil mea refert, dum modo inimicum percutiam: omnia tormenta libenter, etiam inferni experiar: transibo ad illum & me vindicabo. Vide frater, inimicum tuum esse sub regis cœlestis pallio, atque præcepto dicente, dilige inimicum tuum: neque te posse illum percutere quin prius Dei faciem ferias: imo & pupillam Dei priusquam inimici pallium tangas: vide homo audax quid vis facere, nam prius ipse eris percussus & occisus. Non est adinuentum hoc à me vt timeas, audi Deum ipsum & omnium regem per Zachariam dicentem: qui enim tetigerit vos fideles mei, odio aut pugno aut verbo nociuo, non vos sed pupillam oculi mei (rem adeo in pretio habitam) tangit & ferit. Et ego leuabo manum meam super eos, quasi contra percutientes oculos Dei, & seruos sub pallio præcepti mei custoditos ferientes.

*Simile.*

*Sapi. 5. D.*

*Psal. 149.*

*Zacha. 2. C.*

Diligite inimicos vestros dico ego, amicus vester, quit anta sum passus vt patri meo vos vt amicos reconciliarem: alias si non diligitis illos, inimici mei constituti eritis, & amicitiam quam ego sanguinis mei effusione, circa patrem meum acquisiui vobis, delebitis & insuper alia multa mala vobis contingent. Si in turre fortissima & satis defensa, & ab inimico secura fuisses, inimico foris, te mille armatis millitibus expectante, nonne satis stultus esses & insanus, si ianuas aperuisses & ad illum percutiendum exiuisses? Nonne vulneribus, imo & morte dignus esses? In conscientiæ turre se-

*Simile.*

curus & defensus, sine fratris odio, constitutus habitabas, expectabat dæmon foris multis circundatus hostibus, an adeo stultus esses, quod à castello valde securo egredi auderes, egressus es miser homo, per odij ianuam contra fratrem insurgendo, verbo aut opere foris malitiam prodendo contra illum, ab omnibus de sensum creaturis, imo ab ipso Deo præcepti pallio seruatum, quo te vt illum diligas iussit: quid miraris vt percussus in anima culpæ gladio, & pœnæ æternæ ense occisus à dæmone maneas?

Non hic malitia tua terminatur, neque animæ tuæ damna finem accipiunt, Dei præceptum de inimicorum dilectione frangens homo, tui immemor boni, & mali contra te ipsum adductor: nam domum conscientiæ tuæ (quam Deus, per pacem cũ omnibus habitare dignatus est per gratiam) odio turbatam, & inimicitia maculatam, diabolus incipit hospitium discordiæ sibi reseruare, & habitaculum rixæ sibi & socijs componere. Hoc ipsum dicebat ille regius & mansuetus propheta apertissime: & factus est in pace locus eius. Quia Deus in corde habitat pacifico, dæmon vero seditioni dedito & vindictæ. Et quid mirum, cum homo vilis pro mille aureis in domo igne succensa per horam non habitasset? Vt quid ergo odij flammis domum animę tuæ incensam habens ô homo, vis vt Rex Regum Deus inhabitet illam & tecum sit? O, quam dolenter (si in me esset aliqua erga te Deus meus, amoris scintilla vt in sancto Dauid) lacrymis perfusus tot odia cernens, & corda hominum vindictæ igne ardentia, non minimo dicerem gemitu & ad te clamarem dicens: incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.

*Psal. 75.* *Simile.* *Psal. 73.*

Quando ad literam ista Dauid dolenda verba potius ad te dirigi à me possunt Domine mi, cœli creator, & in Ecclesijs sub panis accidentibus habitator, quam hoc infelicissimo anno magno lacrymarum fonte luendo? Domine mi quid faciam? Incenderunt igni perfidi Mahumetici, isti canes impudentissimi falsi vicini nostri, sanctuarium tuum & templum in terra nostra Hispanica, sacraria & sanctas combusserunt cruces & imagines venerandas, polluerunt templa multa, & tabernacula nominis tui Domine, non solum domos fidelium priuatas, sed vbi nomẽ tuum inuocatum est. Polluit olim templum tuum Adrianus

Impe-

Imperator, quando idolum abominationis, Iouem Olimpium, in templo posuit: & Pompeius dicitur feciſſe in templo ſtabulum equorum: ſed quid cum his quæ temporibus noſtris ſiniſtris, oculis cernimus, ne dum audimus auribus? Titus filius Veſpaſiani ſuccendi fecit ciuitatem, ſanctam olim, Ieruſalem & etiam templum (de quibus D. Antoni. in hiſtoria) tamen quid cum tabernaculis ſanctis in quibus tu ſancte Deus habitabas ſacramentaliter a perfidis iſtis incenſis? O domine mi, incenderũt igni ſanctuarium nominis tui, & miſſalium folia per aëra volitant, vt ſibyllæ olim: ſancta euangelia tua & verba conſecrationis ſanctiſsima per montes a vento, dilacerata ab iſtis canibus, vehuntur. Quid dicam domine mi, aut quid faciam, quia vidi huiuſmodi præuaricantes & non tabeſco, & præ dolore deficio? Quid cauſæ tantorum malorum aſſignanbo ſeruator meus? Nullam niſi huius verſi.

*Par. 1. tit. 7. ca. 4. ante. §. tit. 4. c. 5. §. 31. tit. 7. c. 1. §. 3.*

Incenderunt fideles tui Domine mi, igni ſanctuarium cordis ſui, vbi per gratiam habitabas: incenderunt odij igne contra fratres & concupiſcentiæ flammis tabernaculum tuum, & polluerunt illud animas ſuas maculando, & ſic igne ſuccendi templa tua permiſiſti in ſupplicium tanti facinoris. Et quod magis eſt dolendum, nec hoc ipſi ſentiunt: vnde nil minus quam de emenda cogitant: imo nil fere dolent. Male inſuper euangelijs tuis & verbo diuino vſi ſunt, ideo miſſalium folia volitant per colles & valles, inimici crucis tuæ facti ſunt, quod flens D. Paulus dicebat, quia pœnitentiam abhorrent, ideo cruces iſti perfidi deſtruunt & frangunt: non ſunt veneratitui Chriſtiani imagines ſanctas crucifixi & matris tuæ ſanctiſsimę vt decet, & aliorum ſanctorum, ideo peccata noſtra contra ipſas inſurrexerunt. O, vtinam iſta dolenda verba me ſacerdotem, & alios non tangerent, Sanctuarium Chriſti cor nempe noſtrum, igne odij & voluptatis incendentes, templa Dei peſſimis & ad malum inuitantibus verbis polluentes, miſſalium verba velociter & abſque vlla conſideratione, nec dum deuotione, percurrentes: conſecrationis arcana diuina ſine magna veneratione dicentes, crucem pœnitentiæ abhorrentes. O Deus meus, incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra tam laici & ſacerdotes quam multi religioſi & prælati: igne inquam odij & vindictæ & malæ concupiſcentiæ, vnde noluiſti in tali ſanctuario & corde flammis ardente

*Ad Philip. 3. D.*

dente habitare: ſed inſuper templa tua ab infidelibus incendi permiſiſti. Quid erit de huiuſmodi cordibus tam execrãdo odij igne incenſis? Igni infernali cum Cain & Aman reſeruata ſunt, ſi cito ad ignem charitatis meæ pœnitentia neceſſaria confugere renuerint. Diligite fratres.

Hym. Luſtris. & Vexilla.

Vultis ſcire quam deteſtandum venenum ſit odium in corde contra fratrem habitum, vt illud omnimodo à vobis expellatis? Eccleſia ſancta, à Spiritu ſancto edocta, quomodo clauos quibus Dei pedes perforati fuerunt, & crucem in qua affixus expirauit vocas? Dulce lignũ, dulces clauos voco, dulcia domini mei pondera ferentes. Et lanceę ferrum, quod venenum odij ſignat, quo nomine vocas illud? Dirũ & crudele dicens: mucrone diro lanceæ; acſi dixiſſem: non ita ſponſus meus Chriſtus flagella, ſpinas, clauos & crucem ſenſit & doluit de illis, vt de cordis odio tuo, contra fratrem reſeruato: dilige illum. Odium cordis eſt inter omnes animi infirmitates periculoſior & valde damnoſior: Deus animam tuam, ne in hora mortis tam graui morbo correpta ſit, liberet, atq; defendat, alias in magno damnandi periculo eris conſtitutus: quia difficiliter talis medetur infirmitas. Omnes in arte medica periti, omneſq; chirurgi, nullum vulnus periculoſius affirmant, quam illud quod tangit cor. Magnum pedũ vulnus, imo abſciſſo pede, multoties medetur: imo & in capite vulnerati, frequenter ſanitatem recipiunt, & manibus truncatis & lingua abſciſſa: heu tamen ſi cor vulnus quantumuis minimum tangat, imo & acus veſtigium, non eſt medicus ſuper terram qui illud mederi valeat, neque chirurgus, qui à tali vulnere cor defendat.

Simile.

Frater mi, ſi video te in lecto, morti propinquum vulnere furti percuſſum: vulneratus es, in periculo moriendi æternaliter conſtitutus es: tamen eſt vulnus in manibus aut in burſa, hauri nummos & cito ante mortẽ alienare reddere cura. Nam ſatis ſtultus eſſes, ſi ob argentum quod tecum ferre non vales, dæmoni tuam animam tam care à Chriſto emptam tradere non recuſaueris. Si vulnus in capite per ſuperbiã tibi eſt, facillime ipſe met tibi medicamen appones cum ſepulturæ vicinus ſis, & cito in terram conuertendus: quid tũc ſuperbies terra & cinis? Si amica ad latus tibi adeſt, quis dubitat quin à te in tali hora expelles illam, ſi cupis vt Deus animam tuam à ſe non repellat, corpore & mente

mente ſimul dolens de præteritis & confitens vere? Væ tamen ſi vulnus in corde eſt tibi, & odium veteratum contra proximum, cœleſtes medicinæ tibi neceſſariæ ſunt atque ſupernaturales, imo fere & miraculoſæ & à Deo cœlitus miſſæ vt ſanus ſis, a tam miſerando morbo: eia dilige.

Inter ſigna euidentia, infirmum mortalem & morti vicinum eſſe oſtendentia, hoc vnum eſt: ſi hunc vel illum cibum non valet comedere, & ſi edens ſtatim illum euomat. Infirme in anima odio infecte, malum ſignum æternæ mortis oſtendis contra animam tuam, quia non comedis & amore recipere renuis in corde Petrum aut Ioannem: ſed ſtatim auditum vel viſum illum abhorres, & euomere incipis contra illum loquendo, nec retines re ipſum in cordis ſtomacho per amorem vales, mortalis es & non vtcunque ſed æternæ morti ſubiectus: dilige inimicos. Nã quid de Noe iudicaſſes ſi dixiſſet contra Dei præceptum, leo intret in arcam, tu lupe huc non accedas: intret aquila, non tamen coruus: ingrediatur animal mundum, abeat immundum? Dignum fuiſſe diluuio & ipſum perire tanquam Dei præceptum frangentem: tamen nil tale feciſſe legimus, ſed fecit Noe omnia quæ mandauerat ei Dominus, & de animantibus mundis & immundis duo & duo intromiſit in arcam. Ego autem Deus omnium iubeo te ò homo, vt in cordis tui arcam per amorem & dilectionem, omne animal rationale intromittas, ſi à diluuio infernali cupis non ſuffocari. Domine intret Petrus mihi beneuolus, non tamen poſſum in cordis mei hoſpitium recipere dilectione, Ioannem mihi lupum effectum, facultates meas rapientem. Intret conſanguineus meus, non ille canis famam meam rodens & tollens: intret animal mundum & homo bonus, abeat malus mihi. Caue ne talia contra Dei præceptum facias, ſi non vis perire in diluuio iudicij tui, ſed cum Noe tam bonos quam malos, intra cordis tui arcam, recipe diligendo, & ſic a fluctibus mundi liber euades.

*Simile.*

*Gene. 7. A.*

Vt quid credis Deum dixiſſe Petro, occide & manduca de ſerpentibus iſtis, ſicut de mundis quadrupedibus? Et dicenti ipſi (Domine nunquam manducaui omne commune & immundum). Dixit iterum ſecundo: quod Deus purificauit tu commune ne dixeris, niſi vt ſcias ad te illa diuina verba dirigi? Occide ò homo, odium cordis tui, & manduca omnem proximũ tuum

*Actu. 10. B.*

nullo

nullo dempto: manduca dilectione bonum & malum. Domine non manducaui hucusque in mundum & mihi contrarium, nec diligere potui. Non? Purificaui ego præcepto meo omnem creaturam, dilectione vt digna esset, etiam si culpam & immunditiam licite abhorres, & vocas communem & immundam? Quis dinumerare poterit quanti sint mortui æternaliter tali infirmitate percussi? Vt quid Abel à fratre occisus fuit, nisi quia
*Gene. 4. B.* miser Cain hoc graui morbo laborabat? Vt quid Cain æternaliter mortuus est, maledictus atque profugus, nisi quia odio habuit fratrem? Eadem mors tibi imminet fratris persecutor,
*Gene. 27.* cum illum diligere, domino iubente, renuas. Vt quid Esau benedictione patris & primogenitura caruit, & illum Deus odio ha-
*Malac. 1. A* buit, iuxta illud, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, &
*Rom. 9. C.* tandem maledictus perijt, nisi quia odio habuit fratrem suum
*Gene. 27. G.* Iacob, vt dicitur in Genesi? Oderat autem semper Esau Iacob pro benedictione, & dixit: venient dies luctus patris mei & occidam Iacob. Et sic non inuenit infelix locum pœnitentiæ (vt ait Paulus) etiam si cũ lachrymis exquisisset illam, quia
*Ad Heb. 12 D.* odio infectus pœnitebat. O grauis animæ infirmitas, quam odium adducit frater mi, Deus odio habet te, quia non diligis fratrem, primogenitura æterna carebis, & Dei benedictione priuatus eris, & sic maledictionem illius vt vestimentum indues, & quia odio habes fratrem multoties, pro benedictione sibi à Deo facta: aut quia bonus est, aut quia fortunatus: maledictus eris, & non inuenies locum pœnitentiæ pro peccatis tuis, etiam si cum lachrymis illam exquiras, quandiu odio fraterno infirmus fueris, & verbo aut opere illum occidere curas.

Ad hanc odij infirmitatem & valde nociuam, multum conducunt medici & interuẽtores: si zelo Dei pleni sunt & pacem vere desiderant: & multum vtilitatis sic infirmanti adducũt: sicut econtra damnum grauemali, & seductores. Illi multoties viuificant odio infirmum, isti tot aliter sua praua suasione interficiunt. Nam est aliquis infernalis homo, dæmonis officiũ vsurpans, qui videns hominem inimicitiæ infirmitate ad mortem vulneratum, etiam, cognatum, imo & fratrem, & loco medicaminis & verbi ad dilectionem inuitantis, vt est hoc Christi verbum, dicit illi, vindica honorem tuum, esto homo virilis, nemo

te

te contemnat, non eris filius patris tui nec meus frater, si hoc in ultum abire sinis: quid filij tui inhonorati facient? Ego facultatibus & salute imo & vita te adiuuabo, ne deficias. O serpens antique, venenum loco medicaminis misero propinas infirmo? Vulnus vulneri addis? Ardorem grauem, loco aquæ rosaceæ, febricitanti accumulas? O consolator onerose, imo pestem conferens. Est iste homo odio infirmatus, & vulnere cordis laceratus, & calcaria vindictæ addis illi? O crudelis medice, ardet igne furoris & febris flamma, & calorem iræ non vereris apponere?

Si domum istius fratris tui ardentem vidisses, picem resinam, sulphur & ligna adhibuisses, vt flammis esset combusta, bone vir? Minime, sed aquam etiam lachrymarum, & magno clamore alijs dixissem: aquam, aquam: scilicet afferte, vt ignis extinguatur. Tuo ore te iudico pessime consultor, pluris æstimas domum quam conscientiam proximi, & fratris tui: domui ardenti aquam vt extinguatur adhibes, & vides conscientiæ domum igne iræ & vindictæ flammis accensam & non curas de illius extinctione? Quid vis illi apponere vt odij ignis quiescat? Picem, sulphur & ligna inuitando illum ad vindictam. Crudelis homo, persimilis es illis, qui flammam ignis extinguere volunt, oleum pro aqua stillantes, ardentiorem illam efficiunt, vt ait Theodoritus in delegibus. Appone lachrymarum aquam vt odij ignis in illo extinguatur: & si non sufficiunt lachrymæ tuæ, pete desiderio magno & oratione aquam lachrymarum à bonis & Dei ministris, magno clamore cordis dicens: aquam, aquam afferte, quia cordis domus huius fidelis igne odij ardet. Ostende illi Christum crucifixum, cum clamore valido pro inimicis orantem: & lachrymas imo & sanguinem manantem, quo talem in homine extinguat ignem. Igitur quis audebit vltra tali igni ligna inuitationis addere? Et tu ô homo odio percusse, quo animo recepisses illum, ligna & picem domui tuæ ardenti emittentem? Magno furore & impetu resistere illi curarem, & in ignem illũ proijcere vellem. Vt quid igitur illi blandiris ad incendium animæ tuæ inuitanti? Vt quid nõ irasceris cõtra illum, sine peccato vt ait Dauid, irascimini & nolite peccare? Quia magis domum quam animam, & facultates quam merita diligis. De vita tua sic

*Simile.*

*Ser. 9.*

*Ad Heb. 5. B.*

*Psal. 4.*

cum

cum palmitem abscindis, imo dominus iubet oculum scandali-
Matt. 18. B. zantem erui, quanto magis te oportebat talem consultorem, ocu
lum tuum dextrum gratiæ eruere conantem, à consortio tuo tol
lere & longe à te proijcere? Adhibe aquam boni consilij, vt ho
mo odio ardens refrigerium inueniat, & fratrem diligat, alias vt
Ioan. 15. A palmes aridus in ignem eris missus in morte, & ardebis, teste
veritate.

Tamen est notandum, esse aliquos, qui videntur parũ aquæ emittere in tale cor ardens ira, & parua applicata aqua, ignis for tius ardet, quia vtitur illa tanquam materia, vt patet in fabris fer rarijs. Est qui dicat, certe non tibi vindictam consulo, quia inimicum tuum odio habeo, sed ob rationem quam habes, & sic ac cipe numos si cares illis. O faber ferrarie dæmonis, parum aquæ apponendo, ignis odij fortius ardebit. Si esset astutia sancta ad mitigandum illum odio recente ardentem & ira succensum, dicens: est vobis ratio magna, male ille se habuit, dignus est omni punitione, bene hoc esset: tamen vt magis ad iram & vindictam
2. Reg. 19. D prouoces? Hoc infernale est. O mansuete Dauid, qui stomacha tus fuisti contra Abisai, quia ad iram & vindictam contra Se mei inimicum tuum inuitabat, dicens: nunquid pro his verbis non occidetur Semei qui maledixit Christo Domini? Tamen videns inimicum veniam à te petentem, dixisti Abisai: quid mi hi & vobis filijs Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in Satan, id est, in aduersarios? Non morieris Semei, quia peccatum agno uisti tuum, & prostratus coram me veniam petisti, & cõtra istos ligna apponentes igni, potius irascar.

Venit aliquis qui iniuriam tibi irrogauit & coram te humi liatus petit veniam delicti sui, & vt ne memineris iniquitatis suæ, quia ipse peccatum suum fatetur, paratus satisfactionem debitam rependere: tunc teneris ipse iniuriam dimittere saltim quo ad odium cordis, & loquelam non tollere vt in via salutis sis & non perditionis: imo etiam antequam veniam petat tene ris ad hoc: accedit maledictus medicus, Abisai similis, tibi odio infirmanti, & dicit: nunquid pro his verbis fictis quibus à te ve niam petiuit iste malus homo qui iniuriam tibi irrogauit non debet puniri? Non debet occidi & persequi? non erit tale. O ho mo infirme, esto fortis cum Dauid & tali medico dic, Satanam esse tibi, quia valde animæ tuæ aduersarium, & domui cõscien-

tiæ

tiæ tuæ picem & ligna apponentem, & igni oleum effundentē: quid mihi & tibi eſt? Quare ſi amicus aut conſanguineus es effi ceris mihi in Satā? Dic inimico veniam petēti, non morieris ego parco : vt mihi iudex cœleſtis dimittat mea delicta & conferat ad gloriam gr atiam Amen.

# Feriæ Sextę poſt Cineres Homilia Tertia.

## ¶ Diligite inimicos veſtros.

VTinam ſi à Dauid facto diſcere cōtra ad vindictā prouocantem iraſci nolueris, diſcas à Chriſto agno manſueto, qui in nocte qua tradebatur, contra Petrum Apoſtolum in homines filium Dei ligantes inſurgentem & percutere gladio volentem, velut iratus dixit: mitte gladium in vaginam Petre, ne me ad vindictam prouoces: inimicorum perſecutio non eſt à quocunque ſed à patre meo: calicem paſsionis & iniuriæ, quē pater dilectus mihi filio ſuo cum quo complacet, dedit, vt donum ſatis magnū, tu homo cum ſis non vis vt bibam illū? Non ſapis quæ Dei ſunt (vt alibi tibi dixi quando Satan tibi nomen impoſui ideſt, mihi aduerſarium) ſed quæ hominis vindictę cupidi. Per viſcera Ieſu frater mi, credas omnem inimici iniuriam & perſecutionem cali cem eſſe à patre tuo cœleſti miſſum tibi ad bibendum, tanquam donum Dei vt inde pro iniurijs tuis ſoluas, & libenter patiendo merita magna acquiras. Quare igitur ſi ita ſenties, nō dices (cum duce tuo Chriſto) volenti talem calicem impedire, & ad vindictā te inuitare: vade Satan poſt me ne mihi impedimento ſalutis ſias, calicem iniuriæ & perſecutionis, quem pater meus cœleſtis vt pater benignus & mihi beneuolus dedit, vt donum mihi filio ſuo, vt inde merear peccatorum meorū veniam, & merita lucra tus ſim, non vis tu homo inflate vt bibam illum, cum ita cito trā ſeat vt potus aquæ viſcera refrigerantis? Ligna, odij igni apponere contra domum animæ meę ira ardentem non vereris? Peſsi

*Tert.*

*Ioann. 18. B*

*Matt. 16. D*

mꝰ medicus es: nõ morieris Semei, ego parco tibi & diligo te ò homo qui mihi iniuriã irrogasti. Si hoc ita esset aliter de nobis esset.

Dauid mansuetus non ita timuit Saul persequentẽ illum, nec ita odio habuit Absalonem vitam illius tollere curantem, quam
2. Reg. 1. C. Achitophelem ad vindictam Absalõ prouocantem. Saul mor-
2. Reg. 18. tuum luxit, & quando misit exercitum suum contra Absalonẽ
B. C. nil aliud duci suo Ioab commendauit, quam, seruate mihi puerũ Absalon: & suspensum magno cum dolore plorauit illum: tamen contra malum consilium Achitophel Absalonem prouocantis ad vindictam maxime turbatus fuit, & forsan lachrymis,
Ibi in c. 15. Deũ precabatur dicens: infatua quæso dñe mi, consiliũ Achito-
G. phel & in nihilũ redige: nam magis illud timeo quã irã Absalonis, & militũ fortitudinẽ contra me venientiũ. Vide ò homo, oẽs inimici tui insurgentes cõtra te, tantũ damnũ animę tuę irrogare nõ valebũt, vt pessimus cõsultor ad malũ prouocans, & infernalis Achitophel te ad vindictã prouocãtis. Plora inimicos, in anima occisos, tuos, cõtra te immerito insurgẽtes, præcipe irascibili potẽtiæ tuę vt seruet Absalonẽ te persequentẽ, ne odio illũ prosequaris. Tamẽ, cũ lachymis ora Deũ vt te à pessimo vindictã cõsulente defendat Achitophel, & pete ab illo dicens: infatua quęso domine, consilium huius pessimi hominis ad odium me inuitantis, & in nihilum redige tale consilium: vt illo non vtar.

Quia diximus hominem teneri culpam iniuriantis remittere, quando veniam humiliter petit, sicut fecit Dauid cum Semei, & quotidie in vsum & practicam hoc venire videmus, dicamus illa quæ in limpidissima Salmãtina schola tãquã verissima tenẽtur. Prius tamẽ dicimus homines regulariter tria cõcipere cõtra iniuriantẽ illos: primũ irã & animi indignationẽ: secundũ explicare istã irã & odiũ signis exterioribus: & deinde habere ius ad agẽdũ cõtra illos in foro publico vt iniuriã resarciãt. Deinde nota irã (quę nihil aliud est nisi appetitꝰ vindictę) eatenus esse iustã quatenus vindicta iuste fit & è cõtra: vnde iudices publici iuste irascuntur contra malefactores, quia iuste vindictam sumere ab illis possunt. Et quia vindicta priuata est iniusta & irrationabilis, inde est quod ira & indignatio hominis priuati est iniusta. Et idem est sentiendum de signis exterioribus istam iram indicantibus: nam si ira bona & rationabilis est, etiam & signa bona sunt, alias signa iniusta sunt, his suppositis,

Prima

Prima veritas sit. Quando aliquis petit veniam ab illo quem læsit, tenetur qui passus fuit iniuriam, ostendere illi signa exteriora vniuersalia, imo & particularia necessaria, ad hoc quod ille qui fecit iniuriam, & alij scientes hoc intelligant, quod ex animo & vere remittit iniuriam & offensam. Hoc patet ex illo Matthæi, sic pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. In quo loco Theophylactus dicit. Quod tũ homo remittere de corde debet, nõ de ore duntaxat, alias indigni sunt qui Deum habeant patrem: vnde ille qui non recipit inimicum benigne & ex animo, non remittit nisi foris, amore rogantium. Nota tamen in hac re oportere habere multam rationem & respectum personæ, tẽporis, & aliarum rerum. Incidunt sæpe casus in quibus non sit necesse signis exterioribus ostendere ex animo te diligere inimicum tibi iniuriantem. Verbigratia, filius iniuriam patri suo fecit, satis est vt pater dicat se illum ex animo dimisisse, etiam si nolit filium videre: quia pater habet ius contra filium ad puniendum illum, & est iustissima pœna non loqui eum nec conuersari: sufficit dicere, remitto illi iniuriam ex animo. Et quia parentes propensi sunt ad filios diligendum: satis sedatur hominum scandalum si pater dicat, remitto illi: & quod pater noluit illũ alloqui, omnes boni consulunt, ne nimia indulgentia filius iterum inuerecunde peccet in patrem: & S. Dauid hoc docuit exemplo suo, qui cum Absaloni filio suo iniuriam peperciſſet de morte Amnõ, dixit, reuertatur in domũ suam, & faciem meam nõ videat. Imo etiã de marito respectu vxoris, & de fratre maiore cũ minore hoc posset forsan intelligi. Tamen quando inimicus est æqualis & extraneus, & petit veniam, teneor ostendere illi signa exteriora, alias Euangelio non satis fit, neq; proximi iudicio.

*Matt. 18 D.*

*2. Reg. 14. F.*

Secunda assertio: humanius & benignius debet tractari inimicus si veniã petit quã si nõ. Quia tunc efficitur dignior beneficio veniæ imo postquã veniã petit, teneris illi remittere, & grauius peccas vlciscendo te de illo: imo teneris illũ in animo tuo habere eo loco sicut si nulla interueniſſet inimicitia: & hęc omnia operatur illa veniæ petitio. Non tamen teneris remittere pœnam quam potes coram iudice exigere, etiam si veniam petat iurians: sed potes agere coram iudice contra illum corde ab odio libero, vt soluat iniuriam qua te affecit, & hoc naturali iure

humano siue diuino. Dūmodo abſit ab animo procul omnis indignatio & odium, & ſcandalum. Hoc eſſe verum ſic oſtenditur: ab amico poſſum petere coram iudice vt mihi debitum ſoluat, igitur magis vel ſaltim eadem ratione ab inimico mihi iniriam faciente. Imo exemplo Dei probatur, qui poſtquam parcit peccatori per pœnitentiam veram peccatum quoad culpam, & eum ſibi reconciliat, nihilominus ſatisfactionem exigit ab illo iniuriæ irrogatæ, per ieiunia orationes & eleemoſynas: igitur & nos poſſumus hoc ipſum facere. Et deinde oſtenditur ex vſu Eccleſiæ & hominum iuſtorum, qui poſtquam iniuriam ex animo remittunt, coram iudice ſine conſcientiæ remorſu, ſatisfactionem repetunt ab iniuriantibus ſe. Imo & hoc ab Eccleſia deffinitum eſt in ſanctis decretis: in diſtinctione nonageſima ex Fabiano Papa, ſiquis contriſtatus noluerit reconcialiari fratri ſuo, ſatisfaciente eo qui contriſtauit, acerrimis maceretur inedijs, vſque dum gratanti animo ſatisfactionem recipiat. Ecce vnico diuino decreto, & quod iniuriatus teneatur remittere veniam petenti, & quod iniurians ſatisfacere pro iniuria teneatur optime oſtenditur. Et in capite, & qui emendat, ex Diuo Auguſtino ſumpto, vbi videtur dicere: aliquando eſſe opus charitatis, exigere iſtam ſatisfactionem, ne propter nimiam indulgentiam talis anſam accipiat iterum nocendi. Dicit enim ſic, nō ſolum in eo quod dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam facit, quia miſericordiam præſtat. Idem Gelaſius Papa affirmat, & habetur in capite ſi illic; vbi hæc acta ſunt, præſentibus vtriſq; cōſtiterit, & ſatisfeciſſe Stephanum: de quo iſta ſufficiant vt ſcias huius rei veritatem.

*D. 90. cap. ſiquis.*

*D. 45. capi. & qui. in Ethiri. ca. 72.*

*23. q. 4.*

Ad hāc adeo nociuā odij infirmitatē medicus vtilis aut valde peſtiferus mulier & cōiux ipſa eſt: nā cūſit pars, imo, aliquomodo mariti dimidietas, ſentit & ipſa iniuriæ dānum, vt ipſe cōiux: & cū animal (quo ad aliquas) vindictę cupidū, atque fragile ſit, & opere vindicare ſe nō valeat, verbis & inuitatione conatur irę ſuę ſatisfacere. Et nec timet facultatū (cum ſit auarū animal) amiſſionem: imo nec ſalutis aut vitæ ipſius mariti & filiorum, dummodo vindictam ſumat. Audiui Salmanticæ, concionatorem aſſerentem, ſe vidiſſe mulierē, in arca reſeruantē veſtē mariti ſui occiſi ſanguine tinctam, & in feſtis præcipuis, filios & gene-

*Sanctander ex familia Ieſu.*

ros

ros ad conuiuia inuitantem quæ tamẽ finito prandio, veſtẽ illis oſtendebat, lacrymis & voce dicens: vindicate ſanguinem patris veſtri ò filij, quid facitis & vos generi mei? Videte ſanguinem patris & ſoceri veſtri: elephas inuitatur ad prælium viſo ſanguine vuæ & mori (ſcriptura teſte) & acuitur, & vos minime viſo patris ſanguine effuſo? Crudelis tu quoq; mater & Medea terribilior, cũ & ſanguinẽ filiorum ad periculum effundendi, aut ſuſpẽdendi illos, & animam, ſanguine Chriſti emptã, deſtruendi, nõ vereris verbis tuis adducere. Si oſtendiſſes illis ſanguinem filij Dei patris tui, amore illorũ effuſum, vt ad parcendum inuitares: & Deus ſolatium hic & veniam animæ tuæ dediſſet & poſtea beatitudinem. Veni tu virgo ſacrata, & oſtende vindictæ cupidis mulieribus veſtimentum corporis filij, quando in gremio di laceratum habebas de cruce depoſitum vulneribus & ſanguine plenum? & dic illis, tollite mulieres iram, videte quale ſit corpus filij mei amore veſtri, parcite iam inimicis. 1. *Mac. 6. B.*

Bona tamẽ mulier & viſcera charitatis habẽs, & à virgine ſancta diſcens, magna pars ſalutis eſt marito odio infirmanti, & multa mala atq; damna poteſt impedire: vt patet optime in illa prudentiſsima Abigail, quæ obuiam veniens Dauid irato, imo iratã Nabal deſtructuro & domum: verbis adeò placidis illum ita placauit, vt diceret Dauid: Benedictus dominus Deus Iſrael, qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea, alioquin non manſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam. Vade pacifice in domũ tuã, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam, & ſic reuerſus eſt Dauid & placatus verbis mulieris. 1. *Reg. 25. F.*

Vbi ſunt modo mulieres Abigail prudenti ſimiles, quæ iram ab hominibus tollant & vindictam impediant? Imo vbi ſunt homines ſimilia facientes. Lauda Deũ frater mi, ſeruiendo illi quãdo aliquam mulierẽ aut hominẽ mittit ad te, vt pacem cũ inimico cõponas, etiã ſi iniuriã ipſe paſſus ſis. Quia magna protulit tibi beneficia, vt patet hic ex dictis Dauid, & experientia teſte. Quia ira & lite famã, facultates, & res multas & Dei gratiam deſtruis, velut dæmoniacus. Igitur in nomine Ieſu, exeat à corde tuo dęmõ vt ſanus effectus ab ira, videas quãta bona tibi proueniãt, ex dimiſsione iniuriarũ, & gaudeas cũ illo qui te ad pacem

induxit, ſit cõfeſſor aut cõcionator aut verus amicus. Et dicas to to corde: benedictus Deus Iſrael, qui miſit te hodie in occurſum meũ & precipitationẽ ad vindictã: & benedictus tu eris à dño qui feciſti verbis tuis & ſuaſione, ne irẽ in vindictã conceptam, & benedictũ eloquium tuum, quo ſic me ad pacem reuocaſti. Quã to magis frater mi, iſta dices in cœlo, quãdo videas bona illa ęter na & infinita, quę ſi vindicaſſes te minime vidiſſes? Si tamen ali cuius ſuaſu (quod abſit) accepiſti vindictam vnde damnatus fue ris, quam toruo aſpectu & furore pleno verbo è contra dices illi, tecum in pœnis, exiſtenti. Maledictus dæmon qui te miſit ad me inuitandum ad iram: maledictus & tu, qui me adiuuiſti ad odium, & maledictum eloquium tuum quo me ad vindictam inuitaſti. Imo & dices, maledictus qui potuit & non prohibuit me ne irem in vindictam, etiam camo & frẽno.

Diligite inimicos veſtros. Et ſi vindicari cupis homo de inimico tibi iniuriam irrogante, parce illi, & ſine mihi vindictam: nam quis poterit melius de homine vindictã ſumere, tu homo fragilis & timidus & imbecillis, an ego Deus & omnipotens ne minẽ timens & qui omnes creaturas mihi ſubditas habeo? Quã do Abel iuſtus ſi reuixiſſet tã exactã, ſi voluiſſet, vindictã de fra
*Gene. 4. B.* tricida Cain accepiſſet, vt ego qui profugũ & maledictũ à me mi ſi? Quãdo Dauid à Saul illũ perſequente & ab Abſalõ regnũ tolle
*1. Reg. 31. B.* re volẽte, & à Nabal ingratitudine cũ illo vtẽte, ſic vindictã acce
*2. Reg. 18. C* piſſet, vt ego illos puniui? Prim⁹ in bello à ſeipſo percuſſus inte
*1. Reg. 25. G* rijt: alius lanceis cõfoſſus ſuſpẽſus perijt: alius mortuus eſt à me percuſſus, poſt quã emortuũ eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis (teſte ſcriptura.) Quid in iſtorum morte fecit Dauid? Nihil: ergo ſine mihi vindictã ſi vindicari cupis, & tolle odium à corde ne te ipſum occidas, ego retribuã eis in tẽpore, niſi reſipi ſcãt. Nã mea eſt vltio, tanquã iudex ſuprem⁹, vnicuiq; quod ſuũ eſt tribuã, diligite vos inimicos veſtros & cõſiliũ Pauli accipite.

*Ad Roma. 12. D.* Fratres (ait Paulus ad Romanos) nulli malum pro malo reddẽtes ſitis. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cũ omnibus hominibus pacẽ habeatis: non vos metipſos defendentes chariſſimi, ſed
*Deut. 32. E.* date locum iræ: ſcriptum eſt enim in Deutero. mihi vindictã & ego retribuã, dicit dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, cibail lũ: ſi ſitit, potũ da illi: hoc enim faciẽs carbones ignis congeres ſu per caput eius: noli vinci à malo, ſed vince in bono malũ. Admi

ran⁹

tanda autoritas ista est & quę totaliter docet homines quid ergą inimicos facere debeant, & quomodo Dei sit vindicta. Prędcedat D. Thomas & sequamur nos: dicat Christus, diligite inimicos ve- *Lect. 3.*
stros deinde Paul', nulli inimico vestro malũ pro malo reddatis. Nã de hoc Dauid corã Deo expurgabat se dicens: si reddidi retri- *Psalm. 7.*
bũtibus mihi mala & ingratis cõtra me, decidã merito ab inimi-
cis meis inanis: hoc est sine aliquo merito discedã ab ipsis inimi
cis, si malũ pro malo illis dedi. Hoc cõsiliũ Pauli tenet & Petrus *1. ca. 3. B.*
dicens, nõ reddẽtes malum pro malo, nec maledictũ pro maledi
cto: sed è contrario, benedicentes maledicẽtes vos. Quia in hoc,
ideſt, in benedictione vocati estis, vt benedictionẽ ętern ã hęredi
tate possideatis. Ne affectu odij aut vindictæ malũ pro malo de-
tis, ita quod in malo alterius delectemini. Tamẽ si pro malo culpę quod quis facit, iudex aut Deus malũ pœnæ secundum iusti
tiam ad compensandam malitiam reddat, materialiter quidem
infert malum, sed formaliter & perse infert bonum. Vnde iudex
latroni suspenso bonum pro malo reddit, vt Apostolus pro pec
cato incestus, quendam Satanæ tradidit in interitum carnis, vt *1. Cor. 5. C.*
spiritus eius saluus fieret. Hoc fine oportebat vt omnia supplicia essent, præcipue in Dei Ecclesia. Sitis ergo prouidentes bona cum hominibus omnibus pacem habentes, si fieri potest: quia aliquando malitia aliorum impedit ne cum eis pacem habere possimus, etiam volentes ex corde illam habere: nisi malitiæ eorum consentiamus, quam quidem pacem constat illicitam esse. Quam pacem non venit dominus mittere, sed gladium *Matt. 10. D.*
verbi Dei, quo talis pax damnosa destruatur: tamen quod ex nobis est facere debemus vt talem pacem habeamus.

Nã etiam si mali contra pacem agant, nos tamen facere debemus quod in nobis est vt eorum pacem quæramus cum illo qui dicebat: cum his qui oderunt pacem eram pacificus, quia quantum in me erat, pacem cum illis volebam. Non vosmetipsos *Psalm. 119.*
defendentes, ideſt, vindictam sumentes. Nam hoc verbum defendere pro vindicare in scriptura aliquando capitur, vt in Iu- *Iudit. 1. D.*
dith, Nabuchodonosor iurauit quod defenderet se de omnibus *2. A.*
illis regionibus, ideſt, vindicaret se. Date locum iræ, ideſt, diuino iudicio causam remittite, nam ideo scriptum est mihi vindictam. In Deutero. dicitur, mea est vltio: Paulus tamẽ accepit sen
sum etsi non verba: acsi Deus dixisset: meum est iniurias vin-

dicare(cũ ſim iudex ſummus) nã ſi iniuriam irrogat homo parti cularis iudici, quando per ſe vindictam ſumit, etiam de malefactore furante res ſuas, aut aliud delictum committente: quanto magis mihi Deo iniuriam facis homo, quãdo de inimico tuo vindictam accipis priuatam? Abſtuliſti meam iuridictionem: & nõ potuiſti te vindicare vt ego vindicaſſem.

*Pſalm. 147* Lauda Hieruſalem cœleſtis dominum, Lauda Deum tũ Siõ: quia inter innumeras res (ait Dauid) & infinita beneficia quæ ab ipſo vos beati, recepiſtis hoc vnũ eſt: quoniam confortauit ſeras portarum veſtrarum, vt nullus veſtrum à beatitudine exire aut expelli poſsit in perpetuum. Neq; aliquid vobis nocens ingredi valeat, aut malus homo: ſed præcipue Deũ lauda ob hoc, quia poſuit fines tuos & muros pacẽ, ita vt omnis pacificus intret ad te, & nullus vindictæ cupidus ingreſsum inueniat contra te. Nã (vt ait *D. 3. poſt. octa paſ. ſer. 2. & in ordine. 168.* Diuus. Aug. in de tẽpore) ergo vt ipſi videtis Hieruſalẽ illa cœleſtis muros de pace conſtructos habet: qui talẽ pacem & charitatem habet, vt omnes homines diligat, & pro bonis oret, vt melio res fiant, & pro malis ſupplicat vt cito corrigantur, quacunque parte voluerit in illam ciuitatẽ cœleſtem ingredi, qui huiuſmodi eſt, facultas ſibi conceſſa eſt: Quia muri ſunt pacis, & portas apertas merebitur inuenire. Vætamen tibi odio plene, & fratrum perſecutor, non eſt vt quid cogites, quam diu ſic es, de ingreſſu cœli, quia cum omnes Ianuæ illius ſunt pacis & fines & muri, nullus tibi patet ingreſſus. Nam ex omni parte portas Hieruſalem clauſas inuenies: & merito, nam quia oleum charitatis erga proximum habere noluiſti, ſi nox mortis tibi venerit ſic odio *Matt. 25. A* infirmo, dicet tibi Chriſtus, vt virginibus fatuis: non eſt Ianua qua in cœlum intres. Aperi domine, nolo: quia non eſt Ianua odij aut diſsidij in cœlo: abi ad locum pœnarum cuius muri omnes ſunt belli & vindictæ, & omnes Ianuæ odij & diſſenſionis, & ſic vndique tibi patet ingreſſus.

*Ioan. 13. D.* Deus dicit in dilectione proximi nos debere agnoſcere diſcipulos ſuos: nõ in ieiunijs, quia multi Turcę ieiunãt: nõ in caſtitate, quia multi pagani virgines vſq; ad mortẽ perſiterũt; diligamus ergo omnes, quia ſicut Iudæus à gentili circunciſione diſtingue batur, ſic nos ab alijs inimicorum dilectione. O quale gaudium erit corã Domino apparere tali ſigno. Quãdo Deus iuſsit ſuos ſig *Ezec. 9. B.* nari ſuper frontes, in Ezechiele, ſigno thau & reliquos crudeliter occi

occidi, quid dediſſes vt tali ſigno eſſes inuentus? Cito & horrende apparebit tibi dominus Deus, vis nõ occidi pœna ęterna? Vis vitã obtinere perpetuam? Da operã vt ſigno dilectionis erga omnes inſignitus, reperiaris. Alias væ tibi erit, ſicut Ægyptijs, ſanguine agni nõ linitis, quos Angelus occidit. Diligite inimicos veſtros & remittite illis vt ego parcã vobis, nã valde delector cũ illo qui inimico parcit, vt patet in illo exẽplo Guillelmi in prõptuario poſito. Quidã nobilis volẽs occidere fratris occiſorẽ ſui, dixit illi occiſor proſtratus: miſerere mei amore illius qui tui miſertus eſt, & qui mundũ iſtum ſua morte redemit. Ad quod verbũ in lacrymas reſolutus, veniam conceſsit dicens: & ego mortẽ fratris indulgeo. Eadem die cum miſſam audiret ille nobilis miles, ter coram imagine crucifixi genua flexit, & ad ſingulas genuflexiones crucifixus caput ſuum humiliter inclinabat ſeorſum, quod videns ſolus, ſanctus quidam vir, vocauit illum & interrogauit de ſtatu & quid feciſſet. Et ille, hodie peperci fratris mei occiſori. Et alter dixit, vide quam cito Deus ſoluit & quantum de hoc gaudeat, quod ipſe caput ſuum quaſi regratiando tibi ter inclinauit: diligite ergo inimicos veſtros ob innumera bona vobis inde prouenientia, aut ſaltim vt mala fugiatis.

*Sap. 6. A.*

*Exod. 12. E.*

*Exempla de. 1. indulgentia. 16.*

Quare Deus, ſerpenti ſic maledicis, & vt terram comedat; & ſuper pectus ſuum gradiatur? Quia odio habuit Adam. O homo, deſine inimicari, noli te vindicare, alias quando Deus maledicat animæ tuæ æterna maledictione & dicas illi, vt quid domine maledicis mihi ſic, & vt ſuper prunas ambulem ſemper? Quia odio habuiſti fratrem, vt quid Cain tãta mala inuenit? Quia Dei monitiones de Abel diligendo, vt tu contempſit, & odium tollere noluit. Eadem contrate venient mala, ſi inimicos diligere nolueris, & maledictus eris. Nam ſi in iudicio Chriſtus opera miſericordiæ corporalia requiret, & dicet crudelibus eleemoſynam non dantibus, ite maledicti, quanto magis opera ſpiritualia contemnentibus (inter quæ præcipuum eſt inimicis parcere) dicet: ite maledicti? Quare domine? quia non peperciſtis mihi: nam quod vni ex minimis meis non peperciſtis, nec mihi id eo ſi inimicos voluiſtis, abite cũ omnibus Dei inimicis. O miſer, vaſi fracto & cribro ſimilis, lapides & paleas retinentibus non tamen triticum & farinam: omnia quæ ad vitium pertinent retines in corde, non tamen virtutes & gratiam, quia odio cor tuum perfo-

*Gene. 3. C.*

*Ibi. 4. B.*

*Matt. 25. D.*

*Simile.*

raſti. O ſerpens, qui prius pellē quam venenū deponis: ſic & tu prius pellē & vitam dabis & perdes & facultates & merita paſſionis Chriſti & tua, quam odij venenum (Deo iubente & me concionante) deponas. Diligite inimicos veſtros.

*Pſalm.* 108. Conſtitue: ideſt conſtitues, cum ſit prophetia & non maledictio: & ſic de alijs: ſuper eum peccatorem (ait Dauid) & diabolus ſtet à dextris eius domine, & omnes iſtæ triginta maledictiones venient terribiles contra Iudam primum: deinde contra Iudæos: & vltimo contra illum, qui inimicum diligere non vult, neque illi parcere: pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam cum proximo, illi iniuriam remittendo: ſed potius perſecutus eſt hominem inopem & mendicum, & compunctum corde & iam veniam petentem & de iniuria dolentem, noluit dimittere ſed mortificare & perſequi, cum ſcriptum ſit: iudicium ſine miſericordia, erit à Deo, contra non facientem miſericordiam cum proximo ſuo. Patet hoc tali exemplo terribili quod

*Iacob. 2. B.* Diuo Gregorio contigit, vt refert quidam doctor: Cuſtos Eccleſiæ S. Petri rogauit Diuū Gregorium vt in die defunctorum ſacrum celebraret pro vno defuncto, qui in illa Eccleſia altare vnum dotauerat, & perpetuam miſſam ordinauerat celebrari quoto anno. Cum tamen ſanctus pontifex ſacrum inciperet dicens, requiem ęternam: audiuit vocem de cœlo dicentem, non faciam. Sed credens illuſionem dæmonis eſſe, iterum reincepit, requiem æternam, nam & ſecundo audiuit non faciam: tamen proſequens officium, in canone vbi mentio fit defunctorum, petiuit à Deo, vt de ſtatu illius animæ ſibi reuelaret. Cui dixit Deus: ego vocem dedi, non faciam quia damnatus eſt miſer pro quo ſacrum celebras, quia ſemel in anno euchariſtiam non recepit ob inimicitias quas deponere & remittere noluit, & de hoc confeſsionem nō fecit. Diligite inimicos veſtros, alias quid proderint vobis bona opera veſtra? Aliqui dicunt ex hoc exemplo, conſuetudinem, introitum miſſæ reiterari, fuiſſe introductam: ego dico vt parcas.

Etiam ſi nullū aliud ſuppliciū tibi ſit futurū homo iracūde & odio infecte, niſi hæreditatē patris tui cœleſtis non obtinere, nō eſt horrendū auditu, quanto magis experientia? Sic Gelaſius pa-

*11. q. 1. cap. Syluester.* pa dicit Criſpino & Sabino epiſcopis (vt habetur in decretis) nō liceat filijs hæreditatē pater nā capere qui patris iudiciū & te-

ſtamen-

ſtamentũ adimplere nolũt. Chriſtus pater tuus inqua nocte traditus fuit pro te, & inimici Iudę pedes abluit, & Malcho aurem reſtituit, in fronte teſtamẽti ſui, loco in Dei nomine Amẽ, dixit: hoc eſt præceptũ meũ & vltima voluntas, vt diligatis inuicem: igitur exhæredãdus es fili ingrate, nolẽs patris teſtamentũ adimplere, & ſic cœleſti hæreditate carebis. Dilige inimicos. Stant diuina decreta contra nolentes fratribus reconciliari, diſtinctione nonageſima fere per totam, vnde aliqua ponemus: ex concilio Carthaginenſi, oblationes diſſidentiũ fratrum neq; in ſacrario neque in gazophylacio recipiantur: ſimiliter dona eorũ qui pauperes opprimunt, à ſacerdotibus refutanda ſunt. Neque ad Cain neque ad munera eius (ait Diuus Cyprianus de ſimplicitate prælatorum & habetur ibi) reſpexit Deus, neque enim habere placatum Deum poterat, qui cum fratre non pacem ſed zeli diſcordiam habebat. Studendum eſt epiſcopis vt diſſidentes fratres ſiue clericos ſiue laicos ad pacem magis quã ad iudicium coerceant. Placuit etiam concilio Agathenſi vt ſicut plerumq; fit, quicunque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem reuocati diuturna obſtinatione nequiuerint: à ſacerdotibus ciuitatis primitus arguantur: qui ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de Eccleſiæ cœtu iuſtiſsima excõmunicatione pellantur. Diligite ergo inimicos veſtros excommunicandi.

*Ioan. 15. B.*

*Conci. 4. ca. 93.*

*Gene. 4. A.*

*D. Cyprian. Trac. 3.*

*Ex con. Car. cap. 26.*

Quia reuera materia iſta neceſſariſsima & vtiliſsima eſt, non ſolum confeſſoribus & concionatoribus, ſed etiam bonis hominibus, pacem inter fratres diſſidentes componere cupientibus, ideo tam diffuſe tractaui illam & exemplis vſus ſui, & modo tale aliud propono, de milite volente alterum militem occidere in die paraſceues, quia patrem ſuum occiderat: qui ante pedes proſtratus dixit illi: propter mortem domini noſtri Ieſu Chriſti quam pro nobis omnibus hodie ſuſtinuit, indulge mihi quod patrem tuum occidi. Tunc ille compunctus dixit: propter mortem domini noſtri Ieſu Chriſti ignoſco tibi: & leuauit eum de terra & in ſignum reconciliationis oſculatus eſt eum. Intrat miles iſte in Eccleſiam & cum alijs accedit ad oſculandum crucifixum poſitum ad adorandum, vt moris eſt, mirabile dictu & admirandum viſu. Crucifixus militẽ illũ amplexatus eſt dicẽs: quia hodie quãdo ego pro inimicis in

*Prompt. exem. 15. lit tera. I*

cruce

*Ad Hebr. 5. B.* cruce lacrymis perfusus ad patrem oraui cum magno clamore: militi patrẽ tuũ occidẽti peperciſti mei amore, indulgeo tibi omnia peccata tua, & in ſignũ reconciliationis oſculor maxillã tuã. Talia videntes glorificauerunt Deum & bonitatem ſuam dicentes: magna res eſt inimicis vere parcere, & illos diligere, cũ Chriſtus etiam in hac vita & ſtatim ſoluat ita mirifice. Quid cogitas faciendum homo leone crudelior? Cupis vt Chriſtus animam tuam poſt vitã amplexatus ſit & in vita illi dimittat omnia peccata ſua? parce inimicis etiam patrem tuum occidẽtibus. Vis ab illo furore magno expelli ad tartarea loca? Fac quod facis, non diligas inimicos.

Diligite inimicos veſtros, quia ego iubeo qui poſsũ, & prius feci: ſaltim ob innumera beneficia vobis inde profutura, & ad cauenda mala multa minantia non diligentibus, vt ex dictis conſtat. Nam certe præceptum eſt ſuaue volentibus meo adiutorio vti. Quia (vt dicit Hieronymus) multi Dei præcepta imbecillitate ſua non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſsibilia, quæ præcepta ſunt: & dicunt ſufficere virtutibus non odiſſe inimicos: cæterum diligere, plus præcipi quam humana natura patiatur: ſciendum ergo eſt, Chriſtum nunquam impoſsibilia præcepiſſe, & audiens talia affirmare anathema ſit, ſed perfecta iuſsit: quæ fecit Dauid in Saul & in Abſalonem: Stephanus etiam martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt: & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis, hęc autẽ Ieſus & docuit & fecit dicens: pater ignoſce illis, quod enim faciũt neſciũt. Vnde & Theophylactus dicit: venit ad verticẽ virtutũ, quo quid maius? Non tamen eſt impoſsibile præceptũ: Moſes enim & Paulus Iudæos cõtra ſe inſanientes pluſquã ſeipſos diligebãt & pro illis anathema eſſe cupiebãt. De hoc D. Aug. Diligite inimicos veſtros ò homines, ſi vultis vt diligam vos ego Deus. Diligite illos, ne domus cõſciẽtiarum veſtrarum igne odij comburatis, ne ſanctuarium Dei iręflammis incendatis: eſto ò homo apes melliflua pace fauos meritorum componens, ne vindictæ gladio animam tuam occidas, ne inimicum tuum ſub pallio præcepti mei exiſtentem audeas percutere, caue infirmitatem odij valde nociuam, & diſce à me diuino medico indulgere, vt tibi parcam & amplexatus ſim te, hic gratię amicitia & in futuro glorię, in cœleſti Hieruſalem: fiat fiat,

*D. Hier. hic.* *Actu. 7. G.* *De tempore do. 3. poſt. paſ. ſer. 2. B. C. & in ordine. 168.*

Feriæ

# Feriæ Sextæ poſt Cineres Homilia Quarta.

¶ *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt.* Matt. 5. G.

¶ Benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaueritis fratres veſtros tãtũ, quid amplius facitis nó ne & ethnici hoc faciũt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt. *Text.*

Attendite ne iuſtitiã veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. *Capit. 6. A.*

¶S A-

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

DEi filius orauit pro crucifigentibus illum; quis dubitat quin mater ſancta, quæ iuxta crucem ſtabat lacrymoſa, etiam pro illis orauerit? vnde vere fuit filia patris ſui, ſicut mater filij ſui. Orationem ſuam, vt ſolem fulgentẽ, ſemper mittit ad patrem, pro bonis & peccatoribus. O nubis ſancta inceſſanter ſuper iuſtos & Dei amicos, vt filius tuus dona pluat obtines. Remiſsionem peccatorum ſuper iniuſtos vt pluuiam ſalutarem effundat. Ipſa vere es illa prudẽtiſsima Abigail (de qua diximus ſupra) quæ Deo irato & contra nos venienti, noſtra ingratitudine moto, obuiã quota hora fis. Et dicis illi, domine fili mi & Dei, ne memineris iniquitatum hominum & ingratitudinum illorũ, neq; vindictam ſumas de peccatis illorum: ſtulti enim ſunt nec agnoſcunt quę à te receperunt. O benedicta tu filia à domino, & benedictum eloquium tuum: certe ni faciem tuam aſpicerem, væ inimicis meis eſſet, & ego hodie vltionem de illis caperem. Date eleemoſynam homines & omnia munda erunt vobis; orate inceſſanter intra cordis veſtri cubiculum, vt Deus pluat ſuper vos aquam ſalutarem, & faciat vt ſol iuſtitiæ oriatur in cordibus veſtris. Quomodo fiet iſtud virgo ſancta, ſine hoc quod ipſa petas, & ores pro nobis? da eleemoſynam nobis & ora vt Deus nobis parcat & det gratiam, qua omnibus benefaciamus. Oremus & nos vere ad te, ſalutatione angelica Aue.

*Do. 2. Aduen. ho. 1. in Salu.*

*Tur.*

## Benefacite his qui oderunt vos,

ILlud à vobis meę doctrinę ſectatoribus exigo, vt diligatis etiã inimicos: & his qui vos odio proſequuntur, non ſolum non reſpondeatis odio mutuo, verum etiam beneficijs illos ad amorẽ prouocate. Ego dico qui prius & inimicos dilexi, & ſanguinem & vitam his qui oderunt me gratis dedi in redemptionem animarum ſuarum. Et ſimilia pro veſtro amore prius feci, igitur ſi vultis vt vobis benefaciam ſæpe mihi iniuriantibus, benefacite & vos his qui odio vos proſequuntur.

*Ad Rom. 12. D.*

Si eſurierit inimicus tuus (ait Paulus) ciba illum: ſi ſitit potũ da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput

eius

eius noli vinci à malo, sed vince in bono malũ. Si inimicus tuus cibo indiguerit præbe illi panem, si patitur sitim da illi potũ. Vt fecit Ioseph innocens, qui per septẽnium famis fratribus suis illum odientibus, imo & vendentibus, cibauit, & benefecit iniuriarum immemor. Sic & vos similia facite. In mentem veniat vobis Eliseifactum, quando milites regis Syriæ, venientes ad illum capiendum ad mortem, benigne susceptt, & magnam ciborum copiam iussit apponi illis, & in pace fine læsione mitti imperatus est. Benignus Dauid puerum Ægyptium inimicũ, inter alios Siceleg incendentem, refocillauit & panem dedit ad vescẽdum. Benefacite his qui oderunt vos, & cibate inimicum volentem vos incendio destruere. Nam mihi in cruce existenti, pro cibo, fel & aceti potum dederunt inimici mei: ne vos similia faciatis. Sed discite à me vobis corpus meum in cibum & sanguinem in potum dante, quantunuis me peccatis vestris prouocastis: vere confitemini vt decet.

*Cent. 47. C.*

*4. Reg. 6. E.*

*1. Reg. 30. C*

*Matt. 27. D.*

*Psalm. 68.*

Quid igitur dicis Paule, nos benefacientes inimicis, carbones super capita illorum ponere & incendere? Duplicem sensum ille patitur locus: primum terribilem, nempe, si tu inimico benefacis, bonum tuum (ait Diuus Tho. ibi) vertetur ei in malum, quia ex hoc incurret combustionem ignis æterni per suam ingratitudinem. Sed iste sensus repugnat charitati contra quam ageret, qui alicui subueniret vt ei proueniret in malum, hæc D. Tho. tamen certe bene potest aliquis inimico suo benefacere nõ tali fine vt ei proueniat in malum, sed Dei amore & vt beneficijs ad dilectionem deducatur: & ipse adeo obstinate semper è contra illũ odio prosequi, vt sic incutrat flammas tartareas, ob ingratitudinem & procacitatem. Sit tamen sensus alius benignior hoc enim faciens, nempe, inimico in necessitate subuenire, carbones ignis, ideſt, charitatis amorem congeres & congregabis super caput, ideſt mentem, eius. Quia nulla est maior prouocatio ad amandũ (vt ait Diuus Aug. in de catechizandis rudibus) quã præuenire amando: vnde conuictus inimicus, videns te iniuriam ab ipso passum, & nihilominus illi bene facientem, etiã si dæmoniacus sit, ad tui amoris ignem erit accensus Dei auxilio.

*Lecti. 3.*

*Domi. 3. post octa. pas. ser. 2. & in ex. 168. D.*

D. Augustin. in de tẽpore, sic hũc locum Pauli exponit, dicens: auertat Deus talem intelligentiam, ecce cibo inimicum meũ vt ardeat in æternum: sed cum caput in homine sensus rationalis in telli-

telligatur, qui ſenſus cum à feruore charitatis recedit frigidus fit abundante iniquitate & homini inimicus & inſanus conſtituitur. Ad ſanandum ergo talem freneticum, homines ſanctos & charitatis igne ſuccenſos hortatur Spiritus Sanctus per Paulum dicens: carbones ignis congeres ſuper caput eius: hoc eſt, cum inimico tuo pio animo frequentius benefeceris, quantunuis impius & crudelis ſit, barbarus & cruentus, aliquando erubeſcet & pœnitebit, & eius ſenſus rationalis, charitatis igne ſic accendetur. Et qui prius quaſi frigidus & freneticus contra te inſurgebat, ſpirituali calore de tua bonitate ſuccenſus incipiet te corde vero diligere. Igitur benefac inimico te odienti, vt illum igne charitatis incendas, & lucratus ſis animam pro qua Deus mori dignatus eſt: & noli vinci à malo, quod tunc fiet quando malum pro malo reddideris & vinceris ab odio & à malo homine odiente & à peccato & à dæmone: ſed vince in bono dilectionis & beneficij malum hominem & odium & dæmonem & peccatum: alias eris impio ſimilis.

*Tex.* Orate pro perſequentibus & calumnientibus vos.

CONtra Eccleſiã & fidelem (vt ait gloſ.) pugnatur tribus modis, odio, verbis, & corporis cruciatu: tamẽ Eccleſia & verus filius eius qui Chriſti præceptũ adimplere deſiderat: pro odio diligit, pro verbis contra ſe dictis orat, & pro cruciatu benefacit, quæ tria iubet in hoc euangelio dominus. Noli igitur (ait Diuus Chry. in Paulum) iniquo animo iniurias ferre, ſed precare pro eo qui te lædit, ad tuam hoc facit vtilitatem. Accepit tuam pecuniã aut honorem? ſed etiam & peccata tua accepit, ſi ignoſcis illi. Nã ſicut lepra Naaman Giezi adhæſit, talenta accipienti ab illo & veſtes: ita facultates tuas aut honorem ſubripiens, lepram peccati tui ſuper ſe accipit. Quia ſi remittis illi, & Deus peccata tua tibi, & ipſe inimicus leproſus manet, ſi pœnitentiam non agit. Quantas dediſſes diuitias & honores vt, peccata tua eſſent deleta? hoc nunc fit, ſi inimicos diligis, ſi alia mortalia non habes, & illis benefacis pro illis orando, nam ſi pertuleris generoſe, & non imprecatus fueris, clara te corona inſignem reddam.

*Homi. 16. in 1. Cori. 6.*

*4. Reg. 5. 6.*

reddam. Non mea hæc eſt oratio, ſed audi Chriſtum dicentem: orate pro perſequentibus vos: & quantum ſit præmium intelligite, vt ſitis ſimiles Patri veſtro & illius Filij. Igitur nil amiſiſti, ſed lucratus es, non iniuriam ſed coronam accepiſti ſi pepercisti: ſapientiæ ſtudioſior factus es & Deo ſimilis, à cura pecuniæ aut honoris liberatus es, regnum cælorum poſsidens. Orate pro his qui perſequuntur vos, vt vincatis perſequentes vos dæmones, & homines calumniantes.

Nam ſi inimici & perſecutores veſtri, fuerint vſque adeò effe rati & effrontes, vt dilectione veſtra abuſi ſint, & beneficio veſtro nolentes vti, crudeliores contra vos inueniatis, & ſine fine vos perſecuti fuerint, maledictis & malefactis laceſſerint: vos tamen filioli mei, in medijs afflictionibus, ſic non mutetis animũ veſtrum à dilectione in odium, quin poſtquam illos beneficijs fueritis proſecuti, etiam pro illis Deum rogetis vt illis parcat, & ipſi reſipiſcant. Quis ſcit ſi conuertatur Deus, & ignoſcat illis & vobis? Nulla enim maior de quomodolibet aduerſante victoria, quam ſi tuis precibus conuertatur ad Dominum, qui odio tui ad uerſus te & illum inſurrexit. Quod & Saluator moriens in cruce fecit: nam oratione ſua conuertit ad Patrem illos, qui odio ipſius Filij auerſi erant ab ipſo. Fac ſimilia & eris filius Dei & Chriſti cohæres.

Videamus (ait Origenes in Numeros) quid faciant Moſes & Aaron iuſsi à Deo, vt exirent ipſi de medio Synagogæ, vt illã ſemel interimeret volentem ſanctos viros lapidare. Videamus quid faciant iſti ſancti & perfecti homines, legis illius veteris: tamen magis diſcipuli Euangelij quam legis. Vnde inimicos diligebant, atque pro perſecutoribus feruenter orabant. Nam illis Iudæis ſæuientibus vt interficerent illos: procidunt in faciem ſuam ſuper terram, & ait Moſes ad Aarõ, aſſume batillum, aut thuribulum, & impone ſuper illud ignem ab altari, & appone illi incenſum, & effer velociter in caſtra & exora pro ipſis: exijt enim ira à conſpectu Domini, & iam cœpit vaſtare populum. Ecce videant calumniatores, & qui Deum pariter criminantur, & legem veterem non eſſe bonam, conſiderent tales, Moſem & Aaron priores feciſſe quod Euangelium poſtea docuit. Ecce diligentem Moſem inimicos & pro illis orantem, qui inſurrexerant ad illum interficiendum. Sic ergo inuenitur, & Euan- *Homil. 9. in Num. 16.*

gelij virtus in lege, & fundamento legis ſubnixa intelliguntur
Ioan.13.D Euangelia. Etſi in Ioanne dicitur nouum mandatū dilectionis à Chriſto etiam ſi Moſes impleuit illud & in lege illa datum, eſt quia mandatum charitatis nunquam veteraſcit, & quia Chriſtus valde commendauit illud: peccatori autem & charitatis fœdera non ſeruanti, etiam Euangelia veteraſcunt. Ecce ex facto Moſi & Aaron cōſtat quid nos in lege gratiæ facere debeamus: & quam multi ex noſtris illis non aſsimilantur in dilectione inimicorum & oratione, væ tamen illis erit.

Rex. Vt ſitis Filij Patris veſtri qui in cœlis eſt.

ECce vltimum præmium & maximum omniū, quod inimicos diligētibus dari poteſt, & à Deo conceditur: nēpe vt ſint filij Dei per gratiam & gloriam. Si Dei præcepta cuſtodiens (ait D. Hiero.) filius quis efficitur Dei, ergo non eſt natura filius niſi vnus Ieſus Chriſtus, ſed arbitrio ſuo cum Dei adiutorio fit. Nā adoptio filiorum (vt ait gloſ.) ſola charitate acquiritur. Vnde
Hom.13. (D. Chryſoſt. in imperfecto) in quo enim alio cognoſcetur quia filij ſumus Dei, niſi fuerimus in aliquo ſimiles illi? Filij carnales frequenter ſimilantur carnalibus parentibus in facie aut in loquela, aut in riſu, aut aliquo corporis ſigno: filij autem ſpirituales in ſanctitate & ſimili operatione debent Deo aſsimilari. Et illi ſi diſsimiles ſint, nullam vituperationem merentur, neque ſi ſunt ſimiles laudem: filij tamen Dei vituperatione magna digni ſunt, ſi Deo patri ſuo ſimiles non ſunt & magna laude digni ſi ſunt.

D. Aug. tract.36 in Ioā. in oct.s.Io. lect.6. Simile. Deu.32. Aquila ſolet pullum vt probet & experiētiam capiat, vtrum nam ingenuus ſit aut adulterinus vngue contra ſolem ſuſpendere: qui ſi ſolem reſpicere non valet, demiſſum collidet in terrā, ſi tamē irreuerberatis oculis ſolē reſpicit, in filiū recipit & magna cura illum nutrit. Aquila iſta Deus eſt, nam ſicut aquila regina eſt auium, Deus angelorum rex. Dicat Moſes: ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans, ſic Deus ſe habet erga nos, prouocat ad volandum in cœlum, & interim ipſe ſemper circa nos ſuo adiutorio eſt volitans. Et tamen vt videat ſi filij ſumus proprij an adulterini, vertit nos verſus ſolem iuſtitiæ, filium nempe ſuum, (qui non ſolum inimicos

dilexit

dilexit & illis bene fecit, & pro crucifixoribus orauit, sed etiam mori pro illis non dubitauerit) dicens: eia homo, vide si vales filium meum irreuerberatis oculis aspicere illum in dilectione inimicorum imitando. Potes & vis? Non domine mi, sed ploro ob vindictam obtinendam: & non valeo radium istius solis, hoc est præceptum de dilectione inimicorum voluntatis oculo aspicere. O pulle aquilæ degener & adulterine, absque dubio à nido gratiæ & gloriæ expulsus eris & filius meus nō eris. Ego Domine mi, tuo adiutorio, aspicio in solē iustitiæ & diligo inimicos meos vt ipse, & illis benefacio & oro vt des illis locum pœnitentiæ vt respipiscant à laqueis diaboli quibus tenentur captiui. O benedicte fili mi, ingenue & nobilis, ego pascam te hic & in futuro, in nido beatitudinis collocabo, filius meus eris & frater illius qui in cruce moriens pro malefactoribus orauit.

Si filius Dei dixisset tibi: dilige inimicum tuum & pasce illum & ora pro illo ad Dominum, & dabo tibi facultatem sanandi infirmos, & ambulandi super aquas, imo & suscitādi mortuos. Feciſſes, saltim vt huiusmodi mirificis esses præditus dotibus? Quis dubitat quin statim libenter feciſſem? Vide frater, quia cum hoc posses in animā infirmus esse & mortuus, & in aquis vehementibus inferni submergi. Audi maiora tibi à Christo promissa parcenti inimicis: ora pro tuis persecutoribus ex animo diligēs illos, & esto filius Dei per gratiā & adoptionem: quia impossibile est non saluari si in illa perseueras: & sic eris Dei filius per gloriam, & meus frater & angelorum conciuis & beatorum socius & hæres bonorum cœlestium. Est qui tale amittat priuilegium? Innumeri sunt homines lupis crudeliores qui (etiam tali brauio proposito & diuina filij Dei adoptione) in odio sunt perstantes adamante duriores. Igitur erunt dæmonis filij, & Antichristi fratres: videte discrimen. *Simile.*

Eia homines, si honorē cōcupiscitis, quis maior honor quā Dei filiū esse? Si diuitias anhelatis, & gloriam mūdi, gloria & diuitiæ sunt in domo patris vestri: si voluptatū amatores estis, torrente voluptatis suæ potabit vos, dum modo inimicis beneficia conferatis. Nam hac bonitate vtentes erga omnes tā bonos quā malos, declarabitis vos esse non degeneres filios patris cœlestis, qui cupiens omnes seruare tam multa bona largitur dignis & indignis,

& vos eritis filij eius. Nescio quid amplioris præmij possit habere in inimicos & aduersarios diffusa dilectio, quã adoptiua cum Dei filio filiatio, cui necessario sequitur hæreditas Patris cæle-
Rom.8.c. stis. Iuxta illud Pauli, si autẽ filij, & hæredes Dei. Quia tam præclarum facinus (ait Euthymius) omni alio maius erat, nempè inimicos non solùm diligere & illis benefacere, sed insuper orationem pro illis ad Deum effundere, ideò præmium omni præmio maius Deus promittit, vt saltim illo inuitatꝰ inimicos diligas, sci licet Dei filiationem, quam non potuisti assequi per naturam, gaudeas te percepisse per gratiam, & amorem erga inimicos impensum. Et sic ait, vt sitis filij Dei per virtutem, similes illi facti, quantum est homini possibile. Nam filij proprium est suo assimilari patri: sic & vos vt sitis filij nõ natura, sed similitudine. Nã ipse Deus maximus etiam si à malis & iniquis hominibus, blasphemijs tanquam iaculis petitus & percussus & contumelia affectus, proprioque honore priuatus, multisque peccatis irretitus est, tamen ob amorem quo eos prosequitur naturalem, etiam si indignos supernaturali amicitia, & ob bonitatem suam natiuã, solem suum oriri facit super illos, ac super bonos & amicos suos, illum in omnibus honorantes, & operibus & verbis laudantes, & pluit super illorum sata pluuiam congruentem, sicut bonorũ, etiam si aliquando pluet super animas illorum ignem & picem.

Vt quid ergo & ipse similia non facies cum fratre & conseruo, cum tu si aliquid damni passus es, à conseruis passus es, & Deus à seruis sanguine suo redemptis? Tu aliquando peccasti, Deus impeccabilis est, vnde Deus absque culpa offensus benefacere nõ desistit, ipse culpæ immunis non es. Deus plura tibi præstat, & non petit à te nisi minimum, dilectionem nempè inimicorum, & pluas super illos amorem & beneficia aliqua & orationem: vt sis filius Dei adoptiuus naturali filio in hoc assimilatus: qui innumeras ab inimicis suis passus iniurias ipsos amabat, beneficia, ipsos docendo tanquam pluuiam conferebat, & verbi sui radios ad illos in tenebris odij existentes, incessanter emittebat. Et linguarum sagittis percussus, imò, & clauis cõfossus morti propinquus beneficia illis conferebat, & lachrymis perfusus ad Patrem pro ipsis intimo corde, vt ignosceret, clamabat. De ista filiatione sancta, videbis filio Dei adiuuante in eius natiuitate: modo tamen ne obliuiscaris tanti doni, sed ora pro tuis inimicis

micis, vt Deus & Dominus Iesus Christus dignetur illos ab ira, & odio, & omni mala voluntate liberare, & te & illos saluare.

¶ Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. *Text.*

FAcit hoc diuinus artifex, vt mali suo beneficio prouocati resipiscant, bonos excitans, vt gratias agant & merita acquirãt. Non est funis adeò fortis, & apta ad taurum ligandum, & ad te at trahendum, neque catena, qua canem post te ducas; nec frenum, quo equum facias vt te sequatur, sicut beneficium attrahit hominem. Et ideò diuinus magister beneficia malis confert, vt ad se per gratiam trahat: & illa consulit nobis, vt erga inimicos impẽdamus, vt illos in obsequium Dei deducamus. Vnde Dominus per Oseam dicit, ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis: & nescierũt quod curarem eos: in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. *Ose. 11. A.*

Ego nutritius fui populo Iudaico, quia pater ei⁹ erã (vt ait glosa interlinea.) per diem abscondi eos nube, ne æstuarẽt: per noctem illuminaui, ne tenebris terrerentur: portabam eum in brachijs, ne læderentur in solitudine; & nescierunt, quod curarem eos, quia noluerunt beneficia mea intelligere, nec grati esse. In funiculis Adam traham eos: id est, quo affectu feci sanctum primum parentem Adam & in gratia creaui, eadem dilectione volui istos sanctificari (ait glossa interli.) quod exponendo subdit, in vinculis charitatis, id est, affectu dilectionis. Alia translatio (ait glossa ordina.) in funiculis hominum, id est, ea charitate, qua astrinxi mihi Abraham, & Isaac, & cæteros, coniungam & istos mihi. Lyra, in funiculis, hoc est, in beneficijs exhibitis, quę attrahunt cor hominis, & sunt quædam vincula dilectionis. Hieronymus ait: curaui autẽ eos propter funiculos & vincula charitatis: quibus mihi Abraham, Isaac, & Iacob astrinxeram. Ecce vnde beneficia esse funiculos, quibus homines facillimè ducantur, scimus.

Si tamen ita de populo illo loquitur Deus, & meritò de ingratitudine illius conqueritur: quãto magis cuilibet nostrum dicet sol iustitiæ Christus: ego fui nutritius tuus, quia in tãtum dilexi te, vt in humeris meis, te, vt morbidam ouem, portarem, quãdo

peccata tua ipſe pertuli in corpore meo ſuper lignum (vt ait Pe-
1. Petr. 2. trus) & non ſolum lacte cibi corporalis, ſed ſanguine meo nutri
D. ui te, & magnis doloribus in cruce peperi te, nam ibi fuerunt mi
Pſal. 47. hi dolores vt parturientis. Et tu ingrate, neſcire ſimulaſti tãtam curam, qua erga te vſus ſum tanta beneficia exhibẽdo: vnde tua ingratitudo magna euidẽter apparet. Nihilominus, quia bonus ſum & tanto pretio emi te, in funiculis Adam & in beneficijs magnis quib⁹ homo faciliter ducitur trahã te, & bonis operib⁹ cooperiã te, etiã mihi ingratũ & beneficiorũ meorũ oblitũ, & multoties inimicũ mihi per peccatũ: vt diſcas à me ſic tecũ proximo tibi ingrato & te odio perſequẽte habere: & ſolem dilectionis erga illum oriri facere, & pluuiã beneficiorum ſuper illum effundere, vt ſic trahas illum ad me, vt ego traxi te: & non erit in quo melius, beneficia à me tibi exhibita ſoluere poſsis in vita, quam inimicum tuum & meum ad me reducere.

O Dei ſumma clementia, qui ſolo velle de tuis poſſes inimicis vltionem ſatis debitã facere, & in tenebras horrendas repente illos mittere iuſte tanquã animo tenebras diligentes, & non ſolum hoc non facis, ſed ſolem luminoſum, totius mũdi corporale gaudiũ, ab ipſis inimicis tuis & æmulis infœlicibus nõ abſcõdis: imo quod maius eſt ſolem iuſtitiæ filium nempe tuum, & radios meritorum ipſius quotidie illis promittis, ſi reſipiſcere curauerint. Quid mirum vt ſimilia dilectionis ſigna ab hominibus erga ſuos inimicos petas? Quid magni facies ó homo, vt erga fratrem tuũ radios dilectionis infundas ſi læſit te, cum Deus erga te radios ſuæ bonitatis & merita filij ſui, quotidie crebro peccantem tanto amore diffundat?

O Dei pietas atq; bonitatis æterna, qui cum merito poſſes ſuper peccatores, quotidie delictorũ grandines contra te pluentes,
Gen. 19. E ignem & ſulphur, vt contra Sodomam, emittere, non ſolum expectas illos ad pœnitentiam, ſed inceſſanter inſpirationum & verbi Dei pluuiam ad animas illorum irrigandas emittis, imo & ſanguinem filij tui, vt ſic reſipiſcant, & ſimilia cum perſecutoribus eorum faciant, etiam lachrymarum aquam pluendo ſuper illos: quanto magis dilectionis beneficij, & orationis pluuiam effundendo.

Exo. 10. F. In Exodo Deus meus, non feciſti per manum Moſi extẽſam in cœlum, vt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti fierẽt

tribus

tribus diebus, & ſic Ægyptij ſine ſole in tenebris erant: vbicunq; tamen habitabant filij Iſrael, lux erat, & ſol illuminabat eos. Verum eſt: quid inde vultis. Vt facias modo ſic & iubeas vt tenebræ horribiles peccatores cooperiant & Ægyptios tenebroſos, vt tenebras peccatorum abhorreant & conuertantur, & ſol nõ luceat illis, vt ſolem iuſtitiæ perſequi deſiſtant: boni autem & iuſti luce perfuſi ſint & ſole gaudeant vt feruẽtius te Deum inquirant: & lætentur iuſti & proficiant in melius; mali autem confundantur, & ignominia cooperiantur, vt quærant nomen tuum Domine.

Quid homines erga inimicos feciſſent ſi metalia facientem vidiſſent? Non faciam: ſed ſolem meum oriri faciam ſuper iuſtos & iniuſtos vt homines tali exemplo dilectionis radios ſuper inimicos infundant, & ab illis beneficia non ſubtrahant. Etiam metalia faciente, erunt aliqui homines ita duro corde, & procaci vt inimicos diligere nolint, nec beneficiorum lucem ſuper illos infundere. Quid tales feciſsẽt, ſi malos & peccatores ego ſolis luce priuaſſem? Quid, ſi ſuper iniuſtos non pluerẽ, cogitaſſent? Quod licebat illis ſimilia erga inimicos ſuos facere. Iubeo ego Deus, feci prius & peperci & ſolem & aquam ſuper inimicos meos effundo: filiationem Dei parcentibus promitto, dæmonis ſocietatem odio infectis: & cum hoc ſunt multi cor lapideum, vt Nabal, habentes, & inimicis indulgere nolentes, quid feciſſent, ſi malos mea luce priuaſſem? Si tunc in Ægypto feci, cupiebam Pharaonem & Ægyptios ad cognitionem tenebrarum interiorum inducere, vt pœnitentiam agerent, ſignans per illud factum, tenebras terribiles malis futuras æternas fratres perſequẽtibus, & denotans lucem futuram in cœlis omnes diligentibus, & beneficia inimicis impendentibus. Quia dies diei gloriæ eructat verbum, & animæ promittit lucem: ſicut nox culpæ, nocti infernali indicat ſcientiam, & docet futuram malis noctem æternam. *Pſal.* 18.

Magna Dei bonitas, in mittendo ſolem ſuum ſuper bonos, & peccatores indiſcriminatim oſtẽditur: quid tamen cũ illa pietate qua ſolem iuſtitiæ, filiũ nempe ſuum, abæterno genitum ſubſtantialiter ab ipſo, in carne oriri fecit in tempore, vt egreſſus talis ſol exultando vt gigas viam huius vitæ curreret, & pertranſiret illuminando ſua doctrina, & ſanando omnes oppreſſos *Pſal.* 18.

à diabolo, & benefaciendo, tam bonis, quam malis, & cum ad-
*Eccle.1. A.* huc peccatores eſſemus? Quia ipſe eſt ſol, de quo Salomon affirmat in ſua concione: oritur ſol naſcens ex Virgine Maria, & occidit in cruce, & ad locum ſuum cæleſtem per reſurrectionem reuerſus eſt. Tamen prius gyrauit diuinus ſol per meridiem bonos illuminando, & in gratiæ calore conſeruando, & tamen etiã flexus fuit ad Aquilonem radios ſuos ſuper peccato frigidos emittendo, nolens partem malorum abhorrere. Et ob hoc ex peccatoribus anteceſſoribus naſci dignatus eſt, ex matre tamen ſan-
*Matth.9. B.* ctiſsima, non tantum quærens iuſtos vocare, ſed etiam peccatores. Imò velut optimus medicus magis ægros quam ſanos quærebat: & pluuiam doctrinæ ſuæ malis & bonis impendit, iuſtis congruentem, iniuſtis neceſſariam: vt nos doceret dilectionis radios ad inimicos & amicos dirigere, vt filij adoptiui patris cæleſtis efficiamur.

Pater æterne, quid cum ſole iuſtitiæ Chriſto, iſte luminoſus ſol à te per ipſum creatus? Cum tamen inimicorum tuorũ amore, non ita corporalẽ ſolem ſuper illos oriri facis, vt ſua luce morte priuetur, etiam ſi occaſum noſcat per interpoſitionem terræ; tamen hic, aut alibi ſemper viuit, & ſuam lucem poſsidet. Qui tamen filium tuum non ſolum oriri naſcendo habitu humano veſtitũ ſuper bonos & malos feciſti, ſed inſuper in cruce eclipſim pati, & occidi, & mori permiſiſti? Hinc videbitis quam male mihi & filio meo ſoluant homines, nolẽtes dilectionis lucem ſuper inimicos ſuos diffundere, & beneficiorum aquam pluere ſuper illos, etiam ſi filius iubeat. Tamen non erunt impuniti re-
*Amos.8. C.* belles, nam vnicuiq; illorum dicit Dominus per Amos: occidet ſol iuſtitiæ tibi in meridie, & ſol iſte non dabit lumen tibi, quia mortuus eris in odio tuo, & tenebreſcere faciam terram corporis tui in die luminis & vitæ: & feſtiuitates tuas in luctum conuertam, & omnia cantica in planctum, Vide alia ibi.

Diſcant hi vindictæ cupidi ab illis damnatis miſeris ſocijs ſuis
*Sap.5. A.* dicẽtibus: quia inimicis ignoſcere noluimus, nec lucem dilectionis ſuper illos diffundere, ſed errare à via veritatis, ideò iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis, nempè Chriſtus per gratiam. Ob tria Chriſtus ſoli comparatur inter alia. Primo, quia ſicut ſol eſt cauſa & fons luminis, & calo-
*8. Phyſico.* ris, & vitæ corporalis in iſtis inferioribus, iuxta illud Ariſtotel.

ſol

ſol & homo generant hominem, ita Chriſtus cauſa eſt iuſtitiæ & vitæ gratiç in omnibus creaturis. Et ſicut ſol radios ſuos nõ ſolum ſuper prata, & flores, & loca amœna, & virentia, & odorefera, ſed etiam ſuper ſtercora & cœnum mittit ſepulchraque fœtida: ita Chriſtus radios ſuæ bonitatis, non ſolùm ad bonos & odore famæ præditos, & fructus operum odoriferos præbentes emittit, vt luceat lux illorum coram hominibus: ſed etiam ſuper iniuſtos & fœtore malæ famæ putridos, & ſepulchris immunditia plenis ſimiles diffundit lucem ſuam, vt ad pœnitentiam alliciat, & temporalia eis præbet & pœnam differt, vt corrigantur. Nam iſte ſol (vt in Salomone dicitur) illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini. *Simile.* *Eccli. 42. C.*

Tamen quando ſol radios ſuos ſuper niuem, & glacie, & gelu diffundit, & non liquefiunt, aliquis planeta frigidus, aut aer impedit tales radios ſolis & eius effectum. Miſit Chriſtus filius Dei radios ſui amoris ſuper te, duro corde & odio obſtinate, & lucem præcepti ſui vt inimicos diligas & illis benefacias, vt ipſe tibi inimico facit: noluiſti, ſed in deteſtando odio perſtitiſti: quid dicã, niſi quod reuera frigidus planeta, diabolus nẽpè, per malitiã infrigidatus, in corde tuo regnat gelu frigidiori, cum nõ liqueſcat beneficijs Chriſti & radijs præmiorum? Ploret hoc Ieremias, dicens: ſicut frigidã facit ciſterna aquã ſuam, ſic frigidã fecit malitiam ſuam. Quis Ieremia? diabolus regnans ſuper tale cor glacie frigidius, vnde ſequitur: iniquitas & vaſtitas audietur in ea, quia peccatum & pœna in tali anima ſemper erunt. Aliter Petrus, cuius cor ex aſpectu ſolis liquefactũ eſt, & in lachrymas reſolutũ. Aliter & mulier illa olim peccatrix, quæ irradiata à verbo ſolis, lachrymis cœpit rigare pedes illius: de qua canit Eccleſia: liquefecit & refecit reſolutã in lamẽtis verbũ miſſũ cælitus: nã mittit verbũ ſuũ Chriſtus, & liquefacit corda peccatorũ in lachrymas, flat ſpiritus eius, & calor, & amor, & fluũt ſtatim aquæ ab oculis & corde: ſi nõ ſunt corda frigidiſſima & obſtinatione cõgelata. *Simile.* *Ierem. 6. B.* *Luc. 22. G.* *Ibid. 7. F.* *Pſal. 147*

Deinde ſicut ſol radios ſuos domum intromittens, quantumcunque videatur pura, oſtendit habere pulueres: ita Chriſtus declarat domum conſcientiæ, quantumcunque videatur honeſta, multas in illa imperfectiones eſſe & venialium pluuerem: quid tamen erga conſcientiam ſtercore plenam faciet? Solem tamen iſtum diuinum & radios ſuos, tria à nobis ſubtrahunt & abſcon- *Simile.*

dunt: terra, nubes, & luna: terra mundialis cupiditatis; nubes temporalis vanitatis, & luna carnalis voluptatis, discurre per singula si placet & lege Holcoth in Sapientiam.

Lecti. 60. B. in Sap.

Solē suum facit oriri pater cœlestis super bonos & malos, vt nos similia facere discamus, nam bonitatis suæ radios (ait D. Bonauent. in mystica theologia in petitione sexta orationis dominicæ, & ne nos inducas intentationē) in bonis submittēs & dein de per ipsos ad se ipsum attrahens: super malos etiam expectans forinsecus, sicut radius solaris ad fenestram pulsare videtur: qua aperta statim ingreditur lætus & illuminans, omniaq; illustrat interiora domus, & clausam expectat: magis desiderans ingressum & lucē præbere, quam ipse qui fenestram aperit, cum Dei bonitas & voluntas sint idem, & bonū diffusiuum sui (teste Dionysio) vnde ipse sol iustitiæ de natura bomtatis suę habet non retrocedere, sed continuo pulsare, vt ianua cordis per charitatem aperta, cedat luci diuinæ & soli lucidissimo: qui ingrediens illustrat omnia cordis interiora, & gaudium præbet vt lux, & talis lux. Et fenestra cordis per culpam clausa, pulsatur à radio solis, volentis illuminare illud; pulsat perseueranter, vt sibi aperiatur ne per defectum ipsius, vllus spiritus rationalis Christianus aut infidelis, aut Iudæus diuini amoris inopiam patiatur. Nam si vult Christianus peccator illuminari ab ipso, vt est fide, etiam charitate, radius inuitat ad hoc, sicut infideles ad fidem & charitatem: nam vult omnes saluos fieri: teste Paulo.

5. A Ben. to. 2. fol. 290. col. 4. Simile. 1. ad. Tim. 2. A.

Igitur omnis discipulus huius magistri, & omnis radius huius solis Christi, nempe omnes fideles, solem dilectionis oriri faciant erga bonos & amicos habentes corda sua aperta amore; & etiam super iniustos persecutores detractores clausa habētes corda odij fera: vt pulsantibus amoris luce & beneficiorum radijs confusi, aperiant vobis & diligant quos prius odio habebant. Hoc tamen officium præcipue concionatoribus commendatur, vt omnes amicos & inimicos illuminatione doctrinæ & virtutis perfundant & illustrentur: solemque verbi Dei oriri faciant super iustos vt iustificentur ad huc magis ac magis, tanquam corda patentia amore Deo & proximis habentes. Et super peccatores, corda peccato clausa contra Dominum retinentes: ita vt flet lux doctrinæ & boni exempli pulsans perseueranter, ad-

iauam

ianuam cordis illorum, vt Dei adiutorio & verbi eius auxilio & luce, recipiant gratiam illuminationis vt salui fiant, in vita æterna, Amen.

# Feriæ Sextæ post Cineres Homilia Quinta.

¶ Si enim diligitis eos qui vos diligũt quã mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciũt. *Text.*

AMare amãtem (ait gloss. inter.) naturæ est, inimicũ vero diligere charitatis. Quod diligas vxorẽ & filios & amicos quã habebis mercedẽ? gentilis pro amico moriebatur: leæna pro filio, gallina pugnat cũ milvo, & ouis cũ lupo amore filiorum. Publicani sunt exactores Romanorũ, quos Iudęi sic vocãt, quia de republica curam gerebant. Dicuntur & nomẽ traxisse à Publio Romano rege, qui prius eos ordinauit, hæc gloss.: tamen interlinearis dicit: Publicani sunt qui publica vectigalia exigunt, vel publica negotia sęculi & lucra sectantur. Sint hi vel illi. Quia (vt Theophylactus ait) trepidemus quia neq; publicanis sum⁹ æquales, cũ neq; nos amãtes diligamus, neq; salutãtes nos resalutemus, timeamus quid de nobis erit.

His verbis Christus videtur insinuare, nõ solũ maioris meriti esse inimicũ quam amicum diligere, sed esse nullius momẽti ne cessariũ redamare, dicens, quã mercedẽ habebitis de tali amici dilectione? Quasi dicat, nullam. Si non est merces igitur nec meritum, & sic tollitur quæstio. Tamen non erit ab re illam hic ponere sub breuitate, quam intentio nostra requirit in hoc opere: in disputandis quæstionibus theologicis, scholis merito reseruatis, saltim vt ora aliquorũ concionatorũ claudantur, cõtra Diuũ Thomã Doctorem angelicum vita & doctrina, & valde ecclesiam Dei illustrantem ironice insurgentium, & fere ioco, hanc quæstionem contra illum tractantium, & vtinam ne fit tantum, quia ipse dixit. Quod æquo animo ferre non possum. Præcipuè audiens idiotas insipientes, à limine theologiam scholasticam

lasticam salutantes, tam temerè & inuerecundè doctrinam adeò Catholicam irridentes, & salua pace S. Thomæ (coram vulgo multoties dicentes publicè) hoc tenet ipse, sed ego aliter sentio. His auribus audiui in oppido sancti Clementis super hanc met quæstionem talia dicentem, & peiora. Pacem saluas, non vis illam, sed pacem Iudæ adducere videris mihi. Honore magno prosequimini sanctos Doctores, ô Dei concionatores, date illis laudem & honorem, tanquam Spiritus sancti primitias habentibus, & tanquam facientibus verè illa quæ docuerunt: percutiamus nos pectora nostra dicentes, & non facientes, concionantes
*Matt. 23.* & non operantes: & alijs onera grauia imponentes, & digito illa operationis, nec à limine tangentes. Hæc dixi semel zelo Dei & amore Doctoris angelici ductus, non contentionis causa reuera.

Quæstio igitur nõ irrisione, sed veneratione & consideratione digna, & à sancto Doctore optimè (vt omnia alia) vẽtilata, ex
*2.2.q.27. art.7.* his verbis Christi mota, talis est. Vtrùm dilectio amici non solũ meritoria sit, sed sit magis atq; perfectior quã inimici. Dupliciter considerari possunt huiusmodi dilectiones: vno modo ex parte rationis qua diligimus aliquẽ: & sic dilectio inimici præeminet ob duo: primũ, quia solus Deus est ratio & causa istiꝰ dilectionis: deinde, quia fortior esse ostenditur, sicut virtus ignis quãdo ad remotiora diffunditur. Alio modo cõsideratur ista dilectio ex parte proximi qui diligitur: & sic dilectio amici præualet inimici dilectioni: quia amicus est melior & magis diligibilis, quia magis coniunctus & alter ego: & me magis teneor diligere quam alĩ: & per hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est: vnde eius oppositum, nempè, odium amici deterius esse constat quam inimici, vt odium mei.

*Simile.* Et sicut idem ignis in propinquiora fortius agit, quam in remotiora, ita etiam & charitas feruentius diligit coniunctiores quam remotos: & quantum ad hoc dilectio amicorum secundũ se considerata est feruentior & melior quam dilectio inimicorũ. Vnde cæteris paribus, videlicet quod æquali charitate & æquali conatu & propter Deum (qui est ratio dilectionis) diligatur amicus & inimicus, dilectio amici multo melior est, & magis meritoria essentialiter quã dilectio inimici. Nec oportet quod illud quod est difficilius sit magis meritorium, sed quod sic est difficilius,

ficilius, quod etiam est melius. Nam magis meretur qui minori labore ob consuetudinem ieiunat, quam qui magno ob inconsuetudinem. Et facilius est diligere Deum (quem omnia naturalia diligunt, & in quo nihil occurrit quin sit diligendum) quam hominem inimicum, tamen valdè magis meritorium est Deum diligere. Et si Aristoteles dicit virtutem esse circa difficile & bonum: plus facit ad rationem meriti & virtutis, bonum quam difficile. Vel quantum ad præmium accidentale, secundum quod excedit dilectio inimici ratione difficultatis. Dilectio tamẽ amici, vt amicus est, non ita meritoria est, vt inimici; quia illa fit ob obsequia, non considerando de Deo; dilectio tamen inimici nõ fit nisi Dei amore: & ista sufficiant pro nunc.

℣ Et si salutaueritis fratres vestros tantum quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? *Text.*

ETthnos Græcè (ait glossa interli.) Latine gens, & sic Gentiles, quales geniti sunt. In generali tripliciter inimicum diligere tenemur. Primò, corde non odiendo: secundò, ore pro illo orando, hoc est ab orationibus communibus illum non excludendo. Quia hic iubemur orare pro persequentibus nos, sed in communi: & deinde tenemur salutare illum, vbi consuetum est, vt in nostra Hispania. Nam salutatio est dilectionis species, & in textu nostro dicit Redemptor, si salutaueritis eos qui vos diligũt & fratres, quid amplius quam gentes facitis?

Vnde oritur quæstio quotidie in vsu, & sic necessario tractanda, vt confessiones audientes sciant, quomodo cum nolentibus inimicos salutare se habere debeant, etiam si affirment illos corde diligere. Vtrùm teneatur quilibet inimicum suum in via salutare. *Quæstio.* Ad quod breuiter respondetur: hæc signa communia necessaria esse exhibenda ob scandalum aliorum. Quia non videntes te inimicum salutare, iudicant odium in corde habere, cũ nesciant abscondita cordis tui. Et sic factus es illis in ruinam & in scandalum, ad iudicandum malũ de te: vnde teipsum diffamas. Secluso tamen scandalo, bene potes negare ad tempus ob emendam alterius qui offendit, vt resipiscat, & agnoscat se iniuriam fecisse, & quærat reconciliationem: etiam si hoc aliquo modo tibi sit periculosum, quia ipsimet inimico scandalum præbes, &

ansam

anſam vt iudicet te in odio permanere. Vnde melius eſt, vt ſemper illum ſalutes, in communi: nam alia ſigna dilectionis particularia, quæ quis aliquibus perſonis exhibet, non ſunt de neceſſitate inimico exhibenda, niſi ſecundum animi præparationem, ſi opus nempè eſſet: & in articulo extremæ neceſsitatis: & amico poſſumus talia ſigna dilectionis negare.

In ſcholis limpidiſsimis Salmantinis, & vbi ſcientiæ omnes caſtius & diuinius quam in vniuerſo orbe tractantur, & à magiſtris fideliſsimis, & magna virtute, ſcientia, & religione prædi-
*Super. 2.2 q. 25. arti. 9. dub. 2.* tis, memini me audiſſe hanc quæſtionem à magiſtro Sotomaior ſpiritu columbino, cui iam Deus ſoluit præmium labiorum & laborum ſuorum: affirmabat enim aliud eſſe non loqui cum inimico ſalutante, & conueniēte, aut obuiam occurrente & fugere aſpectum illius: aliud verò eſſe quando non ſalutat te, aut conuenit: & deinde aduertendum eſſe aliquando inimicitiam eſſe ſecretam & abſque teſtibus, aut publicam: modo tamen dicimus, ex neceſsitate charitatis & præcepti, non teneor conuenire inimicum, nec ſalutare quando ille non me conuenit, nec ſalutat: quia non teneor impendere illi ſigna ſingularia, nec ſalutare vniuerſos proximos: quia ſatis eſt reamare inimicum in corde, vt extraneum quem non teneor ſalutare.

Hoc tamen intelligitur, ſi ſcandalum alicui perſonæ non datur ex hoc; nam ſi eſſet ſcandalum teneor ſalutare illum ratione ſcandali, etiam ſi non ratione præcepti. Deinde intelligitur, quãdo homo eſt ſibi bene conſcius, ſe ex animo & verè iniuriam remiſiſſe: quoniam ſi habet ſcrupulum de hoc, & timet probabiliter quod ex odio denegat allocutionem, & ex mala radice, tenetur alloqui ex charitate ad tollendum odium: & in hac re debet, ſi timoratæ conſcientiæ eſt, Diuo Paulo conſultare ad Hebræos
*Hebr. 12. D.* dicenti: contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei: nequa radix amaritudinis ſurſum germinans, impediat amicitiam veram, & per illam inquinentur multi ſcandalum patientes, quia non vident te ſalutantem inimicum.

Secundum dicimus, ex neceſsitate charitatis & præcepti tenetur quis reſalutare inimicum ſalutantem illi & alloquentem, & obuiãtem: quia eſt ſignum vniuerſale dilectionis, & nulli poteſt negari: & ſi negas illud, eſt mortale crimen ratione ſcandali, quod in corde inimici & aliorum generas. Imò ſi ſcires probabi-

liter

liter emendam inimici ex tua allocutione priori, & conuersionem illius, teneris illum prius alloqui, etiam si sit præceptum difficilius in Euangelio. Tamen Deus iubet, dicens: esto consentiens aduersario tuo, dum es in via: quod optimè Caietanus exponens ait: esto consentiēs, id est, beneuolus animo ac benignus in opere, aduersario tuo homini aduersanti tibi, quamuis tu non aduerseris ei; tibi & illi prosit benignitas tua. Nec totum tempus vitæ tibi conceditur: sed vrget ad accelerationē dicendo, citò: esto consentiens aduersario in via, quādo illi obuiam fis salutanti tibi, vt resalutes: quia nescis an benignitas tua aduersarium à malo auerter, seu etiam ad bonum conuertet. Ideò, sub dubio, aduersarij malum, quod ex negata tua benignitate perseuerauit, & auctum fortè est, inducitur accusans te apud Deum iustum iudicem: & ex tali tuo demerito tradat te iudici, à quo tradaris ministro pœnarum diabolo, & mittaris in carcerem inferni. Et meritò, quia per seueritatem & crudelitatem tuam, noluisti illū mederi cum posses: solùm illi leniter loquendo, & illum salutando amicabiliter: Christo iubente corripe illum inter te & ipsum solùm: peribit ergo frater tuus ob quem Christus mortuus est, solùm quia salutationem in via illi negare disponis? noli vinci à malo, ne & ipse malus sis: sed vince in bono salutationis malum inimici. *Matth. 5. D. Caiet. ibi. Matt. 18. B.*

¶ Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cæle stis perfectus est. *Text.*

DEus igitur cum ponatur tanquam primum principium, nō materiale, sed in genere causæ efficientis, & oporteat, vt tale primum principium actiuum maximè sit in actu, per consequēs (ait D. Tho.) oportet perfectissimum esse: imò & cum sit prima causa effectiua omnium, & ipsum esse per se subsistens, eminentiori modo oportet omnium perfectiones habere rerum. Vnde verbum, sicut, impossibile est vt omnimodā dicat similitudinē: & ita glossa interli. dicit, sicut, imitatione, non æqualitate. Nam vt ait D. Augustin. in festo martyrū: licet sint alia multa, in quib⁹ debemus Deū & beatos martyres imitari: ista tamen duo præcipua sunt, vt mites simus & humiles corde: & inimicos nostros totis viribus diligam⁹: de quo nullus potest in veritate se excusare. *1. p. q. 4. art. 1. in cor. Ser. 7. plurimorum, mart.*

Magna

Magna res est inimicorum dilectio, cum filiationē Dei inducat & eius perfectionem, aliquomodo, in habentem illam. Postquam ille patiens & benignus Ioseph tanta à fratribus passus pe percit illis, & se illis reuelauit, nil aliud magis inuenies commendasse illis, quam pacem inter se dicens: ne iraſcamini in via. Mul ta feciſti contra Chriſtum homo, vendidiſti illum, periurio aut voluptate, miſiſti illum in ciſternam veterem, conſcientiæ putridæ, quando in peccato buccellam ſacram altaris recepiſti: confeſſus es peccatum tuum vere, & ipſe remiſit tibi, & ſe fratrem tuum eſſe magnis beneficijs oſtendit: nil magis tibi commendauit, & omnibus noſtris, ſi volumus filios patris eius eſſe & fratres illius & perfectionem habere, & hoc valdè intimat nobis fratrū dilectionem dicens: ne iraſcamini in via, fratres mei, via huius vitæ breuiſsima eſt: multi inimici infernales cōtra vos inſurgēt, vt perdant vos, ne iraſcamini inter vos, neque inuicem proſequamini odio, vt ſitis perfecti (aliqua ſimilitudine) vt Pater veſter cæleſtis: quis non adimplet conſilium tanti fratris?

*Gene. 45. G.*

*Text.* ¶ Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

*Homi. 13. in imper.* IN ſuperioribus Chriſtus mandauit (ait Diuus Chryſoſtom⁹) diligere inimicos, & illis benefacere: videns autem, quia in ipſo beneficio, laqueus diaboli latebat incluſus, qui bonorum operum ſolet perdere fructum. Nam vana carnis natura, ſicut primū difficilis eſt ad benefaciendum, ita etſi bene fecerit, facilis eſt ad auram vanam, vnde citò per iactantiā amittit opus, ad quod difficiliter adducitur. Ideò Chriſtus ſeruator noſter maximè deſiderans, ne fructum bonorum operum amittamus, poſtquam nobis dilectionem inimicorum ſuaſit (vtinam ita ſit) alloquitur, dicens: attendite, & non vtcunque attendatis, vt talis operis fructum, quia magnus eſt in dilectione inimicorum conſiſtens, ne amittatis oō ſolum hominis viſum, ſi tali intētione & fine diligitis: ſed facite amore mei, & ego ſoluam. Væ nolentibus inimicos diligere, ad illos non diriguntur iſta verba, cum iactentur ſe de

de inimicorum vindicta: sed ad illos qui ex animo iniurias condonant, vt faciant propter Deum tantum, vt à patre suo cœlesti mercedem accipiant, alias sine præmio manebunt.

Et vbi est illud Domine verbum tuum (ait Petrus Ravenas vt allegoriæ bibliæ adnotant hic) luceat lux vestra coram hominibus, si hic, vt coram illis iustitiam nostrã ne faciamus, admones. Qui enim potest celare radium solis, poterit iustitiæ occultare fulgorem. Tamen hæc cœlestis præceptio vult iactantiam tollere, auferre pompam, inanem gloriam submouere. Iustitia enim per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, nec fauorẽ hominum requirit, neq; illius eget à Deo genita est, cœlum expectat, in oculis agit diuina diuinis, supernis virtutibus immixta: semper à Deo solo vt glorificetur anhelat. Sed hæc iustitia ex Deo est: illa vero iustitia quæ est hypocritis, præsentem rapit mercedem, nõ cogitans in futurum, cæcat oculos cæca ipsa, non videns vult videri: propter quam cæcitatem Christus ista dixit diuina verba. Attẽdite homines, iustitiã vestrã ne faciatis corãhominib⁹, tali fine vt videamini ab eis, alias pater me⁹ nil vobis retribuet, & homines pauperes sunt: ne tã graue præmiũ amittatis. *Matt. 5. B.*

Aderant quidam ipso in tẽpore nuntiantes Iesu de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum, ait Lucas. Vbi Beda sic ait: Pilatus, id est, os malleatoris, diabolus est, semper ferire paratus & cædere; sanguis peccatum est, quem dæmon miscere cum sacrificijs conatur: Quãdo bona opera nostra, humanæ laudis ambitione vel alio peccato, nefaria peste cõmaculat. Domine Iesu, & quando abundantius quam hodie, iste malleator infernalis, & Pilatus crudelis miscuit sanguinem & peccata & auram vanam sacrificij; fidelium? Quando sacerdotum sacrificijs magis miscuit carnem & sanguinem quã tẽpore isto nunquã hucusq; viso? Attẽdite ne iustitiã vestrã perdatis, quia ob Dei laudẽ nõ facitis illã: attẽdite & cauete (ait Theophy.) Quasi de aliqua mala bestia & fera crudeli, dicat Christus: attẽdite ne te inanis gloria dilaceret. *Luc. 13. H. & Beda ibi.*

Ne bona opera faciatis vt videamini ab hominibus: nõ enim prohibet videri (ait glossa) vt Deus laudetur, sed videri vt ipsi laudentur. Semper est benefaciendum, siue videant homines siue non, semper enim vos intuetur Deus, à quo præmiũ expectatis: non est semper celandum bonum opus: sed non est agenda

*simile.* fabula conſpectibus humanis. Velut hiſtriones fabulam agentes, quibus nihil aliud ſtudio eſt, quam vt oculis & auribus populi placeant. Ita qui bona faciunt tantum vt hominibus placeant: ac ſi non eſſet ſcriptum, qui hominibus placent tantum
*Pſal.52.* (Deo ſpreto) confuſi ſunt hic, & erunt in iudicio: quoniam Deus ſpreuit eos, quia ipſum ſpreuerunt: & Deus diſsipabit
*simile.* oſſa eorum, ideſt, virtutes illorum. Candela accenſa à modico vento extinguitur, quæ tamen in laterna exiſtens à magno cuſtoditur, & in nocte illuminat & à foſsis liberat portantem, & à multis periculis. O candela operis boni, gratia accenſa, quã vtilis es autori tuo, in nocte mortis ab omni periculo illũ defendis & à foſſa infernali liberas. Tamen attende diligentius homo, ne illud conducibile & illuminans opus, auræ vanæ exponas, alias extinctum inuenies in hora qua neſcis, & quando illo maxime indigeas, nempe in mortis tempore: nam mortalis inanis gloriæ ventus extinguet illud: reconde in laterna humilitatis, aut inhumanitate Chriſti, quæ vt laterna diuinitatis lumen intra ſe clauſam habebat: & manebit opus tuum gratia lucidum.

*Simi lia.* Ne ſis homo inanis gloriæ cupidus, alias eris vt ouis, eris vt apes iſta fauos, & mel non ſibi, & illa lanam & vellus alijs portans & componens. Bona opera tua facta vt homines illa videant, non Dei amore, faui ſunt mellaque dulcia, tamen alijs, quia exemplo tuo bene operantur: lana qua veſtes ſibi faciunt eſt tuum ieiunium, nam & ipſi ad bonum inuitantur: tamen quid tibi proderit ſi illo, non Dei laudem & tibi meritum quæris? Aranea euiſcerat ſe vt muſcam capiat: *simile.* & magis aranea es tu homo, qui vt muſcam laudis vanæ tibi capias, multa pateris quæ ſi ob Dei laudem feciſſes, cælum obtinuiſſes. Attende multum vt iuſtitiam tuam, id eſt opus bonum quod in gratia factum ex rigore iuſtitiæ ex Dei voluntate cælum meretur, ne amittas illud ob auram popularem, ne oculis hominum confidas: nam faſcinabunt illud opus bonum & nullius valoris reddent. Eleazar fortis fuiſti qui Elephantem magnum occidiſti (vt in Machabęis legimus) tamen
*1. Macha. 6. E.* cecidit ipſe in terram ſupet te & interfecit te. Fidelis fortis opus bonum feciſti quo dæmonem, Dei adiutorio occidiſſes: quid tamen profuit tibi cum ab ipſo occiſus es auram vanam cupiens.

cupiens? Sicut piſcis extrà aquam cito moritur (ait Thomas de kempis in libro Vallis liliorum) ita opus bonum extra diuulgatum: nam deprædari deſiderat, qui theſaurum ſuum publicè portat; & quid mirum vt meritum operis tui furetur, cum omnibus opus tuum oſtendas? *Simile. cap. 18. D. Gregor. Homil. 11*

Prudens apis, & ſi exeat ab alueario in campos vt inde colligat flores & aquam deducat, non tamen ibi in publico laborat, & mel & fauum fabricat, ſed in ſilentio & in loco abdito. Vt quid ita facis laborioſa apis? Quia ſi fauos meos in campis & publicè coram omnibus componerem, oues & aſini & paſtores mel & fauum furati eſſent, & pedibus conculcaſſent. Quid igitur facis vt illos ſerues? Abſcondite intra cubiculum aluearij mei intro, & ibi valde ſecrete & in abſcondito operor, in tantum, vt nullus oculus viuentium hucuſque vidit nec intellexit mirum artificium quo fauos compono: & ſic neceſſaria mihi ad hyemem reſeruo & alijs vtilis ſum: alias opus & operam perderem. O vtinam omnis fidelis prudentiam apis eſſet inſecutus, vt haberet in hyeme mortis merita quibus viueret in cœlo. Iam video ò anima Chriſtiana, te apem eſſe, & tibi neceſſarium fore ad campum eccleſiæ (vnde verbi Dei florem & corporis Chriſti, & aquam ſanguinis eius, & ſacri officij colligas fructus) exire: & cum Dauid dicere: quã dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo, Domine mi. Tamen maximè caue, ne foris coram hominibus & illorum amore, fauos bonorum operum componas & opereris: alias ne mireris vt beſtię conculcent, & homines ſubripiant ea. Intra in aluearium cordis tui & coram Deo tantum & illius amore, fauos bonorum operum fabricare cura, & habebis quid in morte comedas, & beatus es & bene tibi erit, & alijs prouides vt apis, tuo exemplo. *Simile. Pſalm. 118.*

Contingit alicui dolium vino plenum habere putanti: quia tam quãdo guſtare illud vult, nec guttam inuenit, quia per rimulã paruã omne perfuſum eſt. Multa opera feciſti bona ex quibus cogitas, te multum gratiæ vinum, in aliam vitam reſeruatum habere; verũ eſt, ſi in Dei gratia & amore illius feciſti & aliquo mortali illud in acetum non conuertiſti: & tamen etiam ſi nõ peccaſti in alio, in iudicio Dei quid inuenies, quia per rimulam mortalẽ inanis gloriæ, effuſum eſt omne meriti tui merũ, & hominibus ꝓpinaſti illud neſciẽtibꝰ nec volẽtibꝰ nec valẽtibus tibi ſoluere. *Simile.*

Quod vinum si Deo reseruasses, illud cœleste quod lætificat cor
*Dani. 5. G.* hominis ipse tibi in cõmutatione dedisset: alias dicet tibi iudex
quod regi Balthasari, appensus es in statera, & inuentus es mi-
*Exo. 4. B* nus habens. Manus Mosi in sinu sana erat, quæ tamen extra prodiens lepra plena fuit. Manus in scriptura bonam, vt in plurimum, operationem signat: præcipue per dexteram: sinus est secretum conscientiæ & intentio: fac ergo opus bonum in conscientiæ conclaui, vt sanum & perfectum permaneat: si tamen per ostentationem illud retraliis foras coram hominibus, quid mirabis vt lepra respersum sit, & contagione inanis gloriæ polluatur, & per iactantiam deprauetur? Redeat igitur opus tuum ad secretum, considerando te ipsum & Dei amore faciendo illud, si vis, vt manus Mosi munda fuit à lepra, sic & opus tuum sit à iactantia. Alias audi Dauid tibi dicentem: vt quid auertis manum
*Psalm. 73.* tuam, hoc est opus tuum & dexteram tuam, de medio sinu tuo, & de conscientiæ secreto? Vis illam lepra polluere? Et hoc in finem & intentionem vt videaris ab hominibus. Multum reuera meriti destruis.

Domine mi (vt cum D. Tho. loquar tibi) nihil excludit mer-
*2. 2. q. 132.* cedem æternam nisi peccatum mortale, sed tuis verbis insinua-
*ar. 3. in. 1. ar.* re videris inanem gloriam mercedem æternam excludere, cum dicas, alioquin mercedem non habebitis apud patrem, est ne ergo inanis gloria peccatum mortale? Tam graue malum est bestia ista? Sciendum est tamen, nullum peccando mereri posse vitam æternam: vnde virtuosum opus amittit vim merendi vitam supremam, si ob inanem gloriam fiat, quamuis illa inanis gloria non sit mortale peccatum. Sed quando aliquis simpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non solum, quãtum ad vnum actum: inanis gloria tũc est mortale peccatum: caue igitur ô homo ab illa vt à peste, de omni bono opere, quod à gratia procedit, duo præcipue emanant, Vtilitas ope-
*Isai. 42. B.* ranti, ratione laboris, laus meritum causanti Deo gratiã danti, hanc laudem & honorem vult Deus sibi, & nobis vnde opus est meritorium: vtilitatem & meritum. Vnde debemus suam partẽ relinquere Deo dicenti, gloriam meam alteri non dabo: si volu-
*1. Tim. 1. D.* mus nostra vtili non spoliari. Et si illi honorem damus, vterq;, honor nempe, & vtilitas, nobis datur. Igitur vere dicamus cum Paulo: regi autem immortali inuisibili soli Deo honor & gloria

in secula

in ſæcula ſæculorum amen. Soli Deo, non alteri, non nobis do- *Pſal.* 113.
mine, non nobis ſed nomini tuo da gloriam: & nos etiam illam demus, ne ob vanã auram exterminemus facies. Nam ecce (ait D. Ioãnes) equus pallidus, ideſt, cœtus hypocritarum, facies pal- *Apoc.* 6. *L.*
lidas habentium ficte: tamen qui ſedebat ſuper eum, & illi domi nabatur, nomen illi mors: Diabolus ipſe eſt.

Plinius de Simia tractans affirmat: præcipuam affectionẽ eſſe *Li.* 8. *ca.* 54.
ſibi erga fœtum ſuum, geſtat catulos quos manſue facta intra do mos peperit, omnibus demonſtrat, tractariq; gaudet tractatu gra tulationem intelligens: vnde magna ex parte cõplectendo ne- *lib.* 10. *c.* 90.
cat filios. Cõtra naturam omnium beſtiarum (ait Berchorius) ta- §. 7.
lia ſimia facit, quia aliæ non gaudent de catulorum tractatione.
O hypocrita ſimiæ ſimilis, nam tu ſolus es inter homines, illis in apparentia ſimilis qui boni ſunt, non tamen in bonitate: quia in domibus & publice & palam vis opera tua facere vt videaris ab hominibus: vnde valde gaudes in mentione operum tuorum, & quando aliquis illa commendat: contra naturam bonarum men tium certe eſt: nam boni abſcondunt catulos, bona nempe ope ra, ne forte inanis gloria occidat illos: vnde, vt ſimia, multoties occidis filios tuos: ideſt opera tua infructuoſa reddis, quæ mag no præmio digna erant.

Nomen habes vt viuas (dicit Deus cuilibet noſtrum vt ange- *Apoc.* 3. *A.*
lo Eccleſiæ Sardis, ideſt, epiſcopo) & mortuus es. Quia bonum opus tuum fecerat animam tuam, viuere gratiæ meæ adiun ctum: tamen mortuus es, quia hominibus voluiſti illud ven dere: vnde eſto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant. In quo loco Ambro. Ansber. ac ſi alijs verbis diceretur: ſi vis vt *lib.* 2.
membra corporis, ideſt compago virtutum viuat, caue hoſtem, ne caput corporis feriat, hoc eſt intentionem operis ſuperbia & inani gloria, nec illud elatio vitiet: alias non inuenio opera tua plena coram Deo meo, quia caput elanguit tentationis: & ſic nequaquam, vel plena, vel pinguia vigent membra virtu- *Luc.* 11. *L.*
tum coram Deo, ſed macilenta ac pene mortua tabeſcunt. Vn de alibi dominus dicit: lucerna corporis tui, eſt oculus tuus: quod ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam & corpus erit tenebroſum. Quid per corpus hic niſi multarũ virtutum compago intelligitur? Quid per oculum corporis niſi intentio actionis? Vnde ſi intentio operantis bonũ

ab omni laudis appetitu aliena extiterit, atque in superni amoris culmine defixa, omnis actio succedens, splendore sanctitatis perfunditur: si autem nequam fuerit intentio, quia iactantiæ illecebris obumbrata, cunctarum actionum summa caligine peruersitatis tenebratur. Quicquid agunt homines intentio iudicat illos.

Quam perfecte hoc saluatoris consilium adimpleuit ille patientissimus Iob, qui dicebat: Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: humerus meus à iunctura sua cadat, & mihi illa & alia accidant aduersa. Quid igitur mali est ô Iob, vt solem fulgere videas, aut lunam claram? quid? interrogate summum Pontificem & sanctissimum ecclesiæ doctorem Gregoriũ magnum, & ipse verborum meorum sensum moralẽ & vtilem contra inanem gloriã ostendet. Sol est quodlibet opus bonum in gratia Dei factũ, quia valde lucet in terra, & in cœlo. Sol quippe in fulgore (ait D. Greg.) est bonum opus in manifestatione, si tale opus soli mali mirantur, lucerna in nocte est: si etiã bonis & perfectioribus prodest, sol in die est: & cũ Iob multa bona opera fecisset quę non solum mali admirari sed etiam boni potuissent, fatetur talem lucem bonorum operum oculo neq; iactantiæ aut inanis gloriæ non vidisse: cum tamen nullũ malũ in se videbat.

*Iob. 31. C.*

*Lib. 22. mo. cap. 6. 7. 8. 9*

O nos infœlices qui cũ sceleribus plena sit nostra retroacta vita, cum primis aliquod opus bonum facimus, etsi imperfectum, omnium iniquitatum nostrarum protinus obliuiscimur, & oculos ad illas dirigere nolumus: sed cordis oculos & intentionem in consideratione illius operis boni fingimus, atq; eo nos iam sanctos æstimamus, quo inter bona quæ agimus malorũ in quibus forsan adhuc impliciti sumus, memoriam declinamus. Non est solutus debitor qui multa reddit, sed qui omnia. Multa Deo debemus, vno bono opere soluere credimus illi? Non ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte spectaculi velociter currit, si iuxta metas veniens deficit: quãto magis nos qui tepidissime in virtutis via & mandatorum ambulamus, necdum currimus, & tamen statim aspicimus in solem & bonum opus oculo iactãtiæ. More viatorum, ne aspiciamus quãtum iter egimus, nec bonum aliquod opus (tanquã solem) videamus nostrum, sed quantũ supersit vt peragamus, amplius videamus bona quæ nondũ fecimus, quã ea quæ iam nos fecisse gaudemus. Habet tamẽ hoc

infir

infirmitas humana proprium, vt plus ei intueri libeat quod ſibi in ſe placet, quam quod ſibi in ſediſplicet. Boni tamen & electi non ſic, ſed ab eo in quo ſibi placent mentis oculos diuertunt tollentes omnẽ lætitiam à ſe de peractis bonis, & de his quæ minus recte feciſſe intelligunt triſtitiam requirunt, indignos ſe in omnibus iudicantes, & ipſi pene ſoli bona ſua non vident, quæ omnibus ad exemplum prębent: vt ille qui dicebat, ego arbitror me non apprehendiſſe: cum tamẽ innumera bona feciſſet Paulus: quæ feci obliuiſcens, ad ea quæ priora ſunt extendens me ip ſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis: fui blaſphemus & perſecutor & cõtumelioſus. Ecce quomodo aſpiciebat Paulus, mala quę fecerat, oblitus bonorũ ſuorũ. Tamẽ in fine vitæ ſuæ ad memoriã bona quæ fecerat reducebat dicens, bonũ certamẽ certaui, & alia, vt nos doceret, dũ viuim⁹, bona noſtra quæ fecimus à memoria repellere ne extollant nos; tamẽ ap propinquante exitu noſtro & morte, ad memoriã iuſte reuocamus, vt nobis fiduciam præbeant ſalutis, & deſperatum mœrorem abigant. *ad Phi. 3. C.* *2. Tim. 4. B*

Etſi vidi lunam incedentem clare, quia nec fama laudis extulit me: nam ſunt nonnulli quos ita laus inflat: vt vſque ad verba elationis pertrahat. Quanuis nonnunquam etiam ſancti viri de bona ſua opinione gaudeant, ſed quia per illam ad meliora proficere audientes cogitant, non ita de opinione ſua, ſicut de proximorum lætantur vtilitate. Tamen cum audientium vtilitati non proficit, mentem noſtram fama laudabilis non eleuet, ſed fatiget. Nam cum laudamur lingua aliena, ad propriam recurramus conſcientiam, quid de nobis ipſa ſentiat, vt potius humiliemur quam ſuperbiamus: ſuperba mens eſt quæ cum bona de ſe etiam falſa audit exultat. Quia non apud Deum qualiter viuat, ſed apud homines qualiter innoteſcat excogitat. Deſpicit iudicium Dei, & hominum ſolum quærit, & ſic exultat quaſi de brauio quęſito cum laudatur, & non triſtatur de Chriſti iudicio. At tamen è contra ſi cor veraciter humile eſt, bona quæ de ſe audit, aut minime recognoſcit, & quia falſa dicuntur de ſe metuit: aut certe ſi adeſſe ſibi veraciter ſcit, bona, quæ in eius laudem dicuntur; eo ipſo formidat, & corde pauet ne ab æterna Dei retributione ſint prodita, & à Deo iuſſa ab hominibus diuulgari, tanquam in retributionem. Pauetque vehementer *D. Greg. ibi capit. 9.*

ne ſpes præmij cœleſtis & futuri muneris, in illam caducam mer cedem tranſitorij fauoris permutetur. Quanto magis ego: qui ſcio ingratitudinem meam, & multa à Deo beneficia accepiſſe, & rariſsima ei ſeruitia exhibuiſſe, & facinora multa commiſiſſe: corde pauere debebam, & vultu pallere & toto corpore, imo & corde, exhorreſcere, quoties homines ora laxantes in mei
Dani. 9. 8. laudem inuenio & audio? O Domine mi, dicebat Daniel, tibi iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie nobis. Dicam & ego, tibi laus & honor & mihi confuſio faciei: & per viſcera tua peto, ne his caducis laudibus, hominumque fauoribus tranſitorijs ſoluas mihi rara & tepida obſequia, quæ ego vermis & non homo in tui amorem hucuſque feci: ſed tua beatifica viſione, & meritorum augmentatione: Et fac vt crucier igne laudum mearum, & timore concuſſus ſim, ne aut de his in quibus laudor, & non ſunt mihi, maius iudicium tuum inueniam: aut ſi illa bona mihi inſunt, ne præmium tuum perdam: ſed in omnibus ſeruiam tibi & laudem dicam nomini tuo in ſæculum & in ſæculorum ſecula. Amen.

Attendite igitur ô homines, ne opus adeo mihi acceptum vt eſt inimicos diligere, & illis benefacere, amittatis gloria
Homil. 13. in imper. inanis. Nam omnia pene mala (vt ait Chryſoſt.) vexant ſeruos diaboli & peccati: concupiſcentia autem vanæ gloriæ, etiam ſeruos Dei & fideles viros impugnat. Imo magis ſeruos Dei quam diaboli. Attendite igitur non ſolum ad homines, ne illorum amore inimicos diligatis, & alia bona opera faciatis: ſed etiam attendite in cor veſtrum, ne ſerpens antiquus virus iactantiæ infundat: & vt aſpiciatis hoc vt decet, habete cor mun-
Simile. dum. Nam ſicut in loco mundo, & ſpecioſo, ſi modica ſordes fuerit, de longe apparet: latere non poteſt oculis apertis & perſpicuis: ſin autem locus ipſe ſordidus fuerit, quantumuis ſtercoris iaceat ibi, non videtur, nec poteſt requiri ſtercus vbi totũ eſt ſtercore plenum. Ita & in corde mundo, ſi ſurreptio & tentatio inimici ſucceſſerit, tam iactantiæ quam voluptatis: mox cor ſuum homo rectus diſcernit, & ſtercus cogitationis prauæ videt iactũ: & cum ſit mundo corde, ſpeculatur ſtatim latronem immunda conſulentẽ: & ſic reijcit illũ & percutit eodẽ ſtercore, non illi aſſentiens, Dei auxilio & gratia.

Væ tamen miſero, cor immundum & ſtercore voluptatum plenum

plenũ habẽti, & ſuggeſtionẽ dæmonis non ſentiti, & ſic non repellenti. Igitur attendite ad cor veſtrum vt mundum ſit, vnde cauebitis ne auræ vanæ ſtercus in illud cadat: alias ſi immũdum habetis cor, quomodo introitum dæmonis intelligetis, qui ſemper in corde veſtro eſt, vt hoſpes continuus & tyrãnus imperãs dirus? Igitur petamus cor mundum à Domino, & conſcientiam albam vt papyrum, vt ſic facile videamus ſpiritualem maculam, & culpæ lituram, vt à tam nociua fera, vt inanis gloria eſt, liberi ſimus, & mercedem noſtrorum operum apud patrem cœleſtem habeamus.

¶ Cum facis Eleemoſynam, noli tubã canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. *Text.*

MVnus abſconditum (ait Salomõ) extinguit iras: & donum in ſinu indignationem maximam. D. Hier. aut ſi Beda eſt, in hunc locum ſic ait: qui iram diſtricti iudicis, quam peccando meruit placare deſiderat, eleemoſynas det pauperibus, & hoc nulla delectatione fauoris humani: ſed tantum amore cõditoris, qui cordium occulta reſpicit, ſciẽs ſoluere & diues vt poſsit. Sic enim fit munus abſconditum, ſic admitigandum conditoris irã proficuum cõſtituitur, ſi nullo extraneæ retributionis intuitu porrigatur. Igitur da & opera charitatis exerce tamen Dei amore, & ob proximi ſubuentionem ſi vis extinguere iras Dei contra te motas, habe donum in ſinu, hoc eſt non extra apparens hominibus, ſi vis indignationem Dei maximam euadere. *Prou. 21. 8. To. 7. interpe. Hier. fol. 39.*

Noli tuba canere ante te, quando opera charitatis exerces. Bene dicitur tubam canere: quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt nõ ciuilis, non miſericordiæ dedita, ſed clamori, oſtentationis nũdinatio, non commercium caſtitatis. Eleemoſynam quiſquis oſtentat, inſultat. Fugienda eſt hypocriſis, quæ captu gloriæ verecundiam pauperum, non releuat, ſed fatigat: quæ pompam ſuæ gloriationis, de gemitu pauperis inquirit: & ſuã laudem dilatat pauperis ex dolore.

Mulier illa vidua, Eliſei iuſſu, vaſis infudit oleum, ſed clauſis oſtijs, ex quo habuit ad ſoluendum creditori, & vnde *4. Reg. 4.*

ipſa & filij viuerent. Ex conſilio filij Dei fratermi, oleum elee moſynæ infunde, non tamen vaſis plenis diuitibus & potentibus, ſed vacuis, pauperibus & indigentibus: claude tamen oſtium inani gloriæ, non publice ad mundi laudem ſed in ſilentio ad Dei honorem fac bona opera tua: & reuera ſi ita feceris, oleum tuum & bona temporalia, quanto magis ſpiritualia, ita multiplicabuntur, vt ex facultatibus non ſolum habeas ad pauperes alendos, ſed etiam vnde ipſe & filij tui viuant: & ex meritis ſolues debita tua atque peccata, & filij tui, opera nempe
*Luc.6.F.* tua, viuent gratia abundantiori. Nam qui dixit Deus, date & dabitur vobis, adimplebit: nam hilarem datorem diligit creator. Et potens eſt Deus abundare facere in vobis omnem
*2. Cor. 9.C.* gratiam (ait Paulus) & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.

*Pſalm.76* IN Die tribulationis meę: Deum exquiſiui (ait Dauid) tamen manibus meis, & operibus bonis, nocte etiam ſum huius vitæ operatus, coram eo, legit Diuus Auguſtinus, non coram
*D. Auguſt.* hominibus, & ſic non ſum deceptus. Quia inueni quod quærebam, nempe veniam peccatorum, & præmium à Deo: quia illius amore bona opera faciebam. Diuina certe Tobias promit-
*Tob.4.B.* tit facientibus eleemoſynam, ſufficit illa ſic nuda referre, vt nullum ſit cor adeo durum quod ſaltim vtilitate ſua motum, ad dãdas eleemoſynas non inuitetur: ait ergo filio ſuo, ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam: non ex furtis & vſuris, redde aliena veris
*Eccle. 34.C.* Dominis ſi ſaluari cupis: nam dona iniquorum non probat altiſsimus (ait Salomõ) nec reſpicit in oblationes iniquorum aut eleemoſynas: ſed nec in ſacrificium oblatum ex ſubſtantia pauperum. Quia eſt quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Ita & ipſe qui de ſanguine pauperum vſuris & iniuſtis cõtractibus acquiſito, eleemoſynas præbes, ſacrificia iubes fieri; cum ſint pauperes, imo etiam ſi diuites eſſent veri Domini, quos fraudaſti, dicit Dominus, redde illis quod debes: nolo eleemoſynas tuas & ſuffragia quæ fieri iubes. Nam in conſpectu meo, ſacrificas filios meos quos fraudaſti & occidis illos, cum ſubſtãtiã, & victum abſtuliſti. Igitur ex ſubſtantia tua bene parta eleemoſynam præbe, & aliena veris Dominis redde.

*Tob.4.B.* Noli auertere faciem tuam (ait deinde Tobias filio ſuo) ab vllo paupere, illi non præbendo eleemoſynam: nam hoc eſt faciem

ciem auertere ab illo, ita enim fiet vt neque à te auertatur facies Domini. O diuina promissio, non auertere Deum faciem suam à te in quacunque tribulatione fueris, quod Dauid in magnum beneficium à Domino petebat dicens: ne auertas faciem tuam à me: alias auertisti illam semel & factus sum conturbatus. Quomodo potueris esto sic misericors: si multum tibi fuerit, abundãter tribue: si exiguũ exiguum præbe pauperi, sed libenter & hilariter, Vide alia ibi. *Psal.101* *Psal.29.*

Cum tanti meriti sit eleemosyna noli igitur amittere illud, coram hominibus dando pauperibus necessaria, sed corã Deo. Domine mi loquar ad te cum sim puluis & cinis, & quia insipiens ego sum, verbis Diui Chrysostomi vtar: Quomodo eleemosynam non dabimus corã hominibus, si præsente aliquo occurrerit pauper? Et etiam si nullus alius homo sit ipse pauper necessario videbit, non dico absolute ne coram hominibus facias, qui dixi alibi: sic luceat lux vestra boni operis coram hominibus, vt ipsi discant glorificare patrem meum similia operando sed addo, vt videamini ab eis. Nam qui bona opera facit coram hominibus, non vt ab ipsis videatur, sed Dei amore, non videtur coram hominibus feciſſe. Quia sicut accensa lampas abscondi non potest, sic nec opus iustitiæ potest celari. Igitur non eleemosyna ingrata est ante me quæ ab hominibus visa fuerit, sed quæ ideo datur, vt ab hominibus videatur, non vt mihi illa seruiatur: amore mei abhinc illam præbe. *Homi.13. in imper. in Matth.6* *Matth. 5. 2.* *Simile.*

Nam adiutorio meo, si oculos & cor mundum habes, faciliter hoc adimplebis: sicut Epistolam scribens alicui amico, semper in corde habet illum, quamdiu scribit (etiam si adsint multi homines) ita si eleemosynam mei amore pauperi porrigis & ad me Epistolam dirigis & me in corde tuo habes, nullum alium intentionis oculo videbis, etiam si multi sint homines coram te. Velut artifex tenens opus in manu, semper illum præ oculis habet, qui ei illud commisit faciendum, quoties cogitat qua nocte illud facere mandauit: sic ipse homo, faciens quodcunque misericordiæ opus, cogita me iubentem illud facere, & non plus attendas circunstantes, quam si valde intentus alicui cogitationi transiens per viam, à multis visus esses tamen nullum vidisses, nec verba illorum audisses intendens in id quod cogitabas: per viam *Simile.* *Simile.*

huius

huius vitæ transiens ó homo, aue velocior & naui, me tantum Deum tuum cogita, & valde intentus esto operi à me iusso, & sic nec visio nec loquela hominum circũstantium tibi obstaculum ponent, nec auram vanam adiuuabũt: alias si amore hominum, ibi à stantium, opus, bonum fecerint, mortales, & non, ob meum honorem & suam spiritualẽ vtilitatem.

¶ Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

*Text.*

*Feria. 4. Cinerum.*

QVIA Supra, istamet redemptoris verba exposita inuenies, ideo breuiter dicamus: illos qui ob hominum laudem, eleemosynam corporalem aut spiritualem (nempe inimicorum dilectionem) dederunt, nullam apud Deum mercedem habere & merito: nam quid à Deo petis aut accipies cum nil illi dederis, neque illius amore? Nam quod Dei amore dedisti, illi das & ab ipso retributionem accipies: quod autem propter homines, in ventos effunditur, & nullum præmium expectes. Quid enim est hominum laus quam ventorum transeuntium sonus. Quid vtilitatis affert iste sonus? Sic & hominum laus: cessauerunt homines loqui (ait Diuus Chrysostomus, vbi supra) & perdidisti fructum operis tui: ò grauis iactura, ò stulta venditio, & quotidiana.

*Simile.*

Quæ maior insipientia potest esse, quam res magni pretij stulto date, & verba vacua comparare? Quæ maior siniſtra electio, quam mercedem Dei contemnere, magnam & perpetuam manentem in cœlis, in illius visione consistentem; & fallaces, & infrugiferos hominum sermones eligere in præmium? Iam recepisti mercedem siniſtram: & melius tibi esset, tale opus non feciſſe, quam hominum amore & illorum laude facere. Quia si non feciſſes, & si in cœlo præmium non inueniſſes: tamen nil super terram perdidiſſes: feciſti ob hominum laudem, & sic in terra perdidisti factum, & in cœlo nil inuenies. Imo inani gloria animam tuam maculasti. Si laudem cupis, & præmium simul: fac opus bonum Dei amore: & laudem beatorum hominum & Angelorum, imo & ipsius Dei obtinebis: & hic centuplum,

& in futuro gloriam perpetuam: friuolam mercedem ab hominibus accipies, cum pauperes sint & inuidi, imo & nullam vt hucusque.

Nam considera illum à quo laudem expectas, quid de te sentiat quando intelligit te opus bonum feciſſe coram illo vt ab illo laudem accipias. Laudabat te quia Dei amore dediſſe te ſtipē cogitabat, certe, non feciſſet ſi ſciret illius amore & ob inanē gloriam inopi dediſſe te eleemoſynam, ſed potius vituperaret: Quid ergo illi placere feſtinas, qui ſi te aliquando intellexerit, deridebit. Quid ipſe de mercenario malo cogitaſſes, qui intra tē pus locationis ſuæ, comediſſet, & conſumpſiſſet omnes mercedes ſuas? Quod egrediatur pauper & nudus, & vacuus, tempore completo laboris. Tu ipſe es de quo narratur fabula: miſſus es à Deo in terram vt operareris, & in ſudore vultus tui Dei adiutorio pane gratiæ & meriti veſcereris: & labore tuo lucra cœleſtia acquireres: feciſti opera cœlo digna: tamen in talem inſaniam es conuerſus vt illa hominibus ob inanem gloriam venderes: recepiſti mercedem ridiculam in terra, pauper & nudus & meritis vacuus exies in hora mortis à mundo conſumptis mercedibus, ſine aliqua actione ad cœleſtia præmia. Quo quid ſtultius fieri vnquam audiſti? *Simile.*

¶ Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. *Text.*

PER hyperbolen hoc dicit, ſecūdum Theophylactum: Quaſi dicat, ſi poſsibile eſt etiam teipſum ignores, quando bonum facis opus. Aut ſiniſtra eſt inanis gloria, dextera eſt bonū opus: neſciat igitur opus bonum, illa canicula rabida inanis aura, ne deuoret illud, & ſine præmio maneas. Aut ſiniſtra vitium ſignat (ait gloſſa) & dextera virtutem, Quod ergo agit virtus, neſciat elatio aut gloria vana ſeu aliquod vitium, ſed lux rectæ operationis, abigat & expellat tenebras peccati. Et fac bonum opus intentione recta & dextera, & ad gratiam obtinendam & ad locū manus dexteræ Dei, cum ouibus & iuſtis in iudicio lucrandum.

Neſciat

Neſciat ſiniſtra intentio tale opus tuum, neſcias & ipſe ſiniſtrã damnatorum, hœdibus & maledictis reſeruatã: occulta opus bonum ab omni malo quod poſsit fructum & meritum illius impedire. Nihil fucatis & perſonatis hominibus intereſt, cum proximi calamitate, ſed auidi glorię, paululo pecunię & eleemoſynæ mercari cupiunt auram popularem: te vero ò homo Dei tantum oportet abeſſe ab iſtorum affectu, vt cum cõfers beneficium aut eleemoſynam porrigis, nec ſiniſtra quidem ſciat quid faciat dextera. Et adeò non deſideres hominem ſpectatorem, & teſtem, vt ſi fieri poſſet, ne ipſe ſcias te facere quod recte facis, ne te ipſum aliquo ficto applauſu, tui ipſe boni operis merito ſpolies: cum ſciat ille, qui nihil ignorat Deus, & ſcit & poteſt & vult retribuere.

Deinde: neſciat ſiniſtra, ideſt non vacet à bonis operibus, nec ſit ocioſa. In pœnitentia agenda ſolicita ſit, & non vacet & locum habeat aſpicere dexteram opera charitatis exercentem. Nam multi ſunt qui peccata ſua eleemoſynis redimere curant, & tamen ob beneficia quæ pendunt, aſpera ſuſtinere refugiunt, & pœnitentiam facere renuunt: ergo ſi dextera eleemoſynam facit, & ſiniſtra vacat ab abſtinentia, & non laborat bonis pœnitẽtiæ operibus: tunc nouit & bene attẽdit ſiniſtra quid faciat dextera, contra Chriſti præceptum: labora igitur ſiniſtra pœnitẽtiã agendo, quando bonis charitatis operibus vacas.

Dextera manus eſt voluntas animæ ſemper ad bonũ cõtendens (ait Chryſoſt.) ſiniſtra autẽ eſt volũtas carnis, ſemper Deo cõtraria & rationi: neſciat ergo carnis voluntas, quid faciat animi voluntas: & hoc fit ſi repreſſeris carnem conſulentem vt bonum opus propter homines facias. Vnde fac eleemoſynam in abſcõſo: non tantũ in abſcondito loco, quantum in abſcondito conſciẽtiæ: nam quid prodeſt actus corporales abſcõdere, ſi anima per vanas cogitationes fuerit euagata? Sic abſcõdis vt amplius publices. Fac in abſcõdito cordis intentione ad Deum directa, & pater qui videt in abſcõdito, reddet tibi, etiã in hac vita. Quia impoſsibile eſt vt bonum opus in abſcõdito & Dei amore factũ, dimittat ſine prẽmio Deus ſed in hoc ſeculo manifeſtat illud, & in alio glorificat, quia gloria Dei eſt. Nã ſicut diabolus, qui hic ſuggerit tibi malum adulterij aut furti facere, ipſe manifeſtat illud: ſic & Deus qui cõſuluit, & dat tibi bonũ fieri, nõ ſoluit tibi in occulto

*Simile.*

ſed

ſed vult vt manifeſtum fiat opus tuũ bonũ ad laudẽ eius, & vtilita ẽ tuã, & proximi exẽplũ. Vide ſi optimũ habeas præconem operis tui, ſimul & remuneratorẽ, ſi corã illo & ob eius honorẽ facis illud. Nam ipſe publicat, quia eſt laus eius opus bonũ tale, cũ gratia eius & auxiliũ, in illo opere oſtendantur. Et tamẽ totaliter in ſeculo venturo manifeſtabit corã omni creatura tuũ opus gratũ, quãdo appareat merces magna nimis tibi ob illud reſeruata, nempe Dei viſio & beatifica fruitio, cum hic tanta iuſtitiæ merces manifeſta fieri nõ poteſt. Igitur operare bona & coram Deo optimo remuneratore: & neſciat ſiniſtra tua, ideſt, familia tua opera bona à te facta aut ne ſit in te operante ſiniſtra intẽtio: & ſic neſciet ſiniſtra, quia nõ erit, & quod nõ eſt ſciri nõ poteſt.

¶ Cũ oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amãt in Synagogis, & in angulis platearũ ſtãtes orare, vt videãtur ab hominibus. Amẽ dico vobis, receperũt mercedẽ ſuã. Tu aũt cũ oraueris, intra in cubiculũ tuũ, & clauſo oſtio, ora patrẽ tuũ in abſcõdito, & pater tuus qui videt in abcõdito reddet tibi. *Text.*

OPortet ſemper orare (dicebat Chriſtus) & nõ deficere. Nã qui bene operatur inceſſanter, orat cõtinuo: & oratio valde redolet corã Deo ſi iuſti eſt. Nã multũ valet deprecatio iuſti aſsidua (ait Iacobus) vt patet de Elia oratione ſua obtinente ne Deus plueret, annos tres & mẽſes ſex: qui rurſum orãs cœlũ dedit pluuiã, & terra fructũ ſuũ. Cupis vt aqua deliciarũ nõ cadat ſuper terrã animæ tuæ, ne ſpinas & tribulos peccatorũ proferat? Eſto iuſtus & ora aſsiduè. Vis vt cœlũ det pluuiã donorũ ſuorũ tibi, & anima tua det fructũ ſuũ bonorũ operũ? Eſto iuſtus & ora ad Dñm inceſſanter, nam valet multum talis oratio corã Deo, & odorẽ ſuauiſsimũ emittit. Vnde in Apocalypſi, angelus venit & data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium (viuentium ſuper terra) ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum. Quia ſicut thymiama & thus bene confectum delectat hominem odorantem, ſic oratio iuſti ſuauis eſt ante Deum. *Luc. 18. A* *Iaco. 5. D.* *3. Reg. 17. A.* *Apoc. 8. A*

Vis

Vis dignitatem eius ſcire, mox vt de ore iuſti proceſſerit, ſuſcipiunt eam Angeli manibus ſuis, & offerunt ante Deum. Teſtis ſit vnus Archangelorum Sanctus Raphael nuncupatus, qui
*Tob. 12 C.* ſic Tobiæ dicebat: Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum: ego obtuli orationē tuam Domino, orationis D. Franciſci humiliſsimi, ne obliuiſcaris: Quis tu quis ego. Nam à maxilla viduæ (ait Salomon) lachrymæ eius aſcendunt, cum oratione vſq; ad cœlū; & Dominus ex-
*Eccleſ. 35. C.* auditor delectabitur in illis. Vide quid facias viduarum oppreſſor. Ibi, oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit: & donec propinquet, non conſolabitur: & non diſcedet, donec altiſsimus aſpiciat. O diuina verba in laudem orationis iuſti, à ſpiritu diuino prolata. Oratio, tamen humiliantis ſe non ſuperbientis, potius ſulphur quāthus orationis ad Deum mittentis: ſed oratio humilis penetrat nubes tentationum, & penetrat quatuor elementa, & aſcendit ſuper cœlum ſtellatum, imo & empyreum, tranſcendit ſuper omnes Angelorū choros, & volat ſuper cherubim, imo ſuper pennas ventorum, ideſt ſeraphin: & intrat in ſanctiſsimæ Trinitatis conſiſtorium: nec conſolatur in aliquo beatorum donec appropinquet ad Deum: nec diſcedit inde ſed perſeueranter expectat dicens, non diſcedam, donec aſpicias me altiſsime implendo petitionem meam. O virtus orationis.

Vbi tamen ſunt ſimiliter orantes? Iam in cœlum aduolarunt
*Thren. 3. F.* nam plorare cum Ieremia nobis licebit, & ad te Domine clamare dicentes: nos iniquè egimus, & ad iracundiam malis operibus noſtris prouocauimus te: idcirco tu inexorabilis es: & oppoſuiſti nubem tibi quam nos malis noſtris congelauimus, ne tranſeat
*Danie. 3. C.* oratio noſtra ad te & exaudias. Nā magna eſt orationis vis & virtus: cum videas orationem puerorum trium, ignem extinguentem fornacis ardentem: multum valet oratio ad ignem concupiſcentiæ, incendentem omnia animæ bona, extinguendum. Et credo nil in Eccleſia vtilius (ſacramenta diuina & verbum Dei veneror & excipio) quam oratio, ſed iuſti, ſed aſsidua: Vnde principuam malorum cauſam, eccleſiam Dei perturbātium: & ſceleratum fideles deſtruentium raram & fere nullam orationem inter ipſos eccleſiæ filios, eſſe credo.

O iuſti oratio & aſsidua quis vtilitates tuas dinumerare valeat. Non inuenio (forſan dices) has vtilitates in oratione. Quid inuenies.

inuenies qui raro ad illam accedis: nam ſicut vtiliſsima res & medicina valde ſalubris, eſt etiam inter res difficiles eccleſiæ, difficilior: præcipue ſi aſsiduitate non dulcoretur & vincatur. Tu tamẽ cum primum aliquem guſtum in illa inuenis, aut internum ſolatium (quod præcipue orare incipientibus tãquam pueris lac aut nouæ plantæ irrigatio, conceditur à Deo, vt illos captet in bonũ) ſtatim ab oratione ſurgis acſi genua tua tribulis aut clauis eſſent percuſſa. Eſto aſsiduus & in oratione perſeuerans, & tunc melius, quando Deus fructum orationis immittere incipit, vt ad magnam Dei & tui conſiderationem, cum D. Frãciſco humiliſsimo, peruenias: nã oratione iugi obtinetur hoc. Ipſe lætaris, vt terra tua, dum valde ſicca eſt, paruo rore ſit perfuſa, pulnere tantum foris madente? Fructificabit ſine alia aqua? Non, ſed pluuia terræ interiora penetrans neceſſaria eſt. Et vis vt anima tua vt terra ſine aqua ſicca, fructificet virtutum & meritorum fructus, paruo rore deuotionis madida, & paruo guſtu orationis breuiſsimæ contenta? Vide quia parum roris ſtatim arefacit, paruo veniente calore, & ſæpe damnum infert, & ſata comburi in cauſam eſt. Minima animæ deuotio ex breui oratione habita, multoties plus nocet quã prodeſt: quia calore tentationis arefacit, & ſata meritorum comburit; quia homo nil ſibi iam deeſſe putat, quando parum ſolatij interioris in oratione inuenit. Sit aſsidua vt humilis ſit oratio: & quãto magis ſolatio cœleſti in illa fueris dotatus, magis cõſtãs eſto, in orationeque perſeuerãtior, vt maiora dona in illa reperias. *Simile.*

Qualis eſt foſſor, qui aurum in mineralibus quærens magno labore, & ſudore, ligonem proijciat, cum primum venam auri inuenerit? Ipſe es, qui rẽ, arduã orationẽ, magno labore quæſiuiſti, & cum primis aurum deuotionis in illa inuenis, & iotam ſolatij interni, orationem dimittis. Ora perſeueranter, & magnum meritorum & humilitatis theſaurum inueniesin hoc. Nã qui frigidiſsimi ſunt & gelu percuſsi & calefieri volunt, ſi ignem in ligna viridiſsima & humentia introducere curant, patientia vt prædicti ſint & perſeuerantia oportet, & expectare vt ligna paulisper areſcant, & humiditatem deponant; & inſuper ſufflare illis opus eſt, & interdum lachrymas, fumi cauſa, emittere, ſi flamma deſiderata frui deſiderant, & calore vri: quanto magis, in ignem charitatis accendendo meditatione, vt corda humẽtia & frigidiſsi- *Simile.* *Simile.*

*Hom. 13. in imper.* gidiſsima ardeant, opus erit laborare, plorare, & perſeuerantiã habere. Non vero, imo præcipio, vt in eccleſijs ores (ait Diuus
*3. Reg. 18. E* Chryſoſtomus) ſed non clamoſe cum prophetis Baal: quia videris non credere Deum eſſe vbique, & intima cordis penetrare. Et quia petitiones tuas auribus multorum committis, vt irrideant te, & alios impedis: vnde non ſolum exauditus nõ eris, ſed
*1. Reg. 1. E.* peccatum colligis, dum alios orare non ſinis. Ora vt Anna, cuius labia mouebantur, vox autem eius non audiebatur. Intra in
*To. 2. cap. 5. fol. 93. col. 2.* cubiculum tuum (vt ait D. Bonauentura de perfectione vitæ) omnes cogitationes & affectiones & deſideria orationem impedientia reijciendo, & illis ianuas cordis foris exiſtentibus claudendo; vt Deus aperiat tibi ianuas cœli, hic per gratiã & poſtea per gloriam. Amen.

# DOMINICAE Primæ Quadrageſimæ Homilia Prima.

*Them.* ¶ *Scriptum eſt: non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4. A.

*Text. Matt. 4. A* ¶ Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

*Gene. 3. A.* ACceſsit malignus tẽrator ad Euã matrẽ noſtrã in paradiſo terreſtri de gula illã tentans & dicens: fac la pides huius præcepti à Deo impoſiti vt panis & fructꝰ dulcis tibi fiãt, & comedeiam de ligno tibi vetito, vt valde ſapiẽs ſis. Vnde aſſenſum illi antiquo ſerpẽti præbẽdo mulier, fructꝰ in lapides cõtra ſe & maritũ, & percõſequẽs, cõtra oẽs nos cõuertit: & ſe illũq; in exiliũ miſit, & nos in tãtas redegit angustias. Quia Adã præuaricatus fuit cũ illa, alias nil mali nobis accidiſſet, etiã Eua peccãte & comedẽte, & præceptũ frangente.

Sed

Sed gratias verbo & opere posſibiles Deo agamus, & vni viro & mulieri, quibus omnia iſta reſtaurantur, nec ſine fœnore magno gratiarũ (vt ait D. Bern.) crudelis fuit Eua virus & venenũ, ſerpentis ſuaſu, viro ſuo in fructu porrigẽs. Fideliſſima Maria, quæ ſalutis antidotũ & fructũ vẽtris Ieſum nobis omnibus donauit. Miſſa fuiſti in deſertũ huius mũdi virgo puerpera, à ſpiritu diuino vt nobis ieiunantibus cibũ præberes humanitatẽ filio tuo dãdo, vt poſtea in ſacramẽto nobis prandiũ ipſe corporis ſui porri geret. In deſerto huius mũdi ſumus nos filij Euæ cibũ vetitum quotidie comedẽtes, exules & flẽtes: in bello feroci cõtra dæmones inceſsãter ſum⁹: eia ergo aduocata noſtra, quę ieiunij filij tui virtute & gratia, caput ſerpẽtis cõtriuiſti ſi fili⁹ tu⁹ dux eſt in iſta militia, ipſa ſignifer ſacrata, obtine nobis victoriã, quę ſine gratia nõ cõtingit, vt pater amore filij concedat nobis dicẽtibus Aue.

*D. Ber. inſer. ſuper Aper. 12. ſignum magnum.*

*Gene. 3.*

Altiſsimus filius Dei qui ab æterno fuerat in ſinu patris abipſo genitus, & dignatus fuit ſua pietate & bonitate in vterum, per carnis aſſumptionẽ, deſcẽdere matris, vt qui in cœlo dæmonẽ, angelis ſuis mediãtibus, vicerat & vt fulgur in tartara mittere nõ dubitauerat, per ſe ipſum humanitate interueniẽte, in mũdo vinceret ipſum malignũ: nobis hominibus vires & exẽplũ præbens ad præliandũ cũ draconẽ. Vnde poſtquã conceptus fuit ſpiritus ſancti virtute, & abipſomet paraclito in Betheleẽ vbi natus fuit duct⁹, & ibi circũciſus, vt nos in gratia naſceremur & corda noſtra circũcideremus: ab ipſomet in tẽplũ ductus eſt, vbi quæ dixerat Simeõ audiſtis: & ſpiritus ſancti monitis duct⁹ eſt in Ægyptũ, & inde in Nazareth reuerſus, vſq; dũ in vita occulta ſua ſilens & tacens per tot tẽpora, verbũ patris caro factũ: ductus eſt ab ipſomet ſpiritu cœleſti vt à Ioãne baptizaretur, & tactu ſuæ mundiſsimæ carnis, vim regeneratiuã cõtuliſſet aquis & tandem poſt baptiſma.

*Luc. 10. C.*

## ¶ Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu.

*Text.*

DVcitur autem non inuitus (ait D. Hiero.) aut captus ſed voluntate pugnandi; & à ſpiritu ſancto ducitur, quia ſi illi qui ſunt filij Dei per adoptionem, ſpiritu Dei agũtur (vt ait Paulus) aut econtra, quicunque ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei. Quãto magis filius naturalis Dei? Euãgeliſta ſacer, Ieſus non eſt

*Roma. 8*

Deus ita fortis potens & ſapiens vt ſpiritus ſanctus. Quomodo affirmas ductum fuiſſe ab illo in deſertum? Imo Spiritus ſanctus à Patre & filio per amorem procedit & eſt amor vtriuſque quomodo ergo illum ducit? Etiamſi Ieſus Deus eſt & in quantum talis æqualis ſit Spiritui ſancto, & ſic non ducatur ab illo: eſt etiam & homo perfectus: & ſecundum humanitatem ductus eſt à Spiritu ſancto in deſertum ad pugnam, tanquam à Patrino duelli: & cum opera Trinitatis ad extra indiuiſa ſint, & æqualiter tribus diuinis perſonis conueniant, & hoc opus ad extra ſit, etiam Patri & ipſi filio conuenit iſta ductio. Spiritus enim Sãctus reddit fortes quos replet: & omnes nos ducti ſumus à tali ſpiritu ad pugnandum contra dæmonem & vitia & peccandi occaſiones, ſed quia illius adiutorio non omnes vti volunt vt decet, vincuntur à ſpiritu maligno, & deinceps ab illo in præcipitium ducuntur, & de abyſſo in abyſsũ, vſq; dũ vinctos ducit in tenebras perpetuas, niſi in tẽpore à bono ſpiritu vires gratiæ recipãit, & dæmonem pœnitentia vincant. Et quando ductus eſt Ieſus?

*Text.*

## Tunc.

TVnc ait Euangeliſta Decimoſexto Februarij fuit tentatus prope mõtem Phaſga & ieiunium à ſeptimo Ianuarij ad decimum quintum Februarij. Tunc quando (ait Chryſoſto.) poſt baptiſmũ: vt ſcias & nõ turberis, maiora tibi manere certamina poſt baptiſma: nec pugnã cũ dæmone formides quaſi inſperatã: quia cõſequenter eſt bellũ tibi, poſt militiã quã accepiſti Chriſtianã: & poſt arma tibi in baptiſmate data, & poſtquã dæmonẽ in illo ad certamẽ prouocaſti, abrenunciando operibus eius & ipſi & põpis eius. Accepiſti arma Dei in ſacro baptiſmate, vt otieris & ocio vaces fidelis? Factus es miles tanti ducis Chriſti vt bellum fugias? Pugna fortiter & viriliter age, cũ in ſacro fonte miles fortiſsimus effectus es, & Chriſtum in ducẽ & angelũ inculto dẽ habeas. Adamum Delphium vide in hoc. Sciat malignus ex victoria tua contra illum habita, quod perfecta ab illo renuntiatione diſceſſeris: & vt inde fortior ferro diſcedas, ad omnia pro Chriſto aduerſa toleranda: & vt magnam ſpem concipias magna tibi à Domino cuſtoditi dona & præmia ob victoriã. Alias vt quid aduerſus te dæmon irruere debebat, & inceſſanter bellũ cõtra te crudele

*Hom. 13. in Matt.*

*A. 30. M. 1. D. 22. 16. Februarij.*

*Concio. 1. in illud Leuit. 20. eritis mihi Sancti. fo. 10 & 11.*

crudele gerere, ni ſi magna tibi à Deo reſeruentur? Vnde ſtatim poſt baptiſma ducitur Ieſus ad pugnã; vt ſcias omnes ſpiritus dã natos malignos, cõiuratione adunatos eſſe ad prẽliandũ cõtra te poſt baptiſma in quo illis abrenunciaſti, & poſt pœnitentiã in qua ablutus es, & dæmones viciſti Dei adiutorio: & è manibus eorum aufugiſti, à quibus captiuus & ſatis infœlix in carcere cul pæ tenebaris, catenis peccatorũ ligatus: quod valde ſentit dẽmõ atq; dolet. ¶ Vnde ſatis moleſte ferunt dæmones, videre hominis conſcientiã mundã aut baptiſmatis lauacro aut pœnitentiæ. Nã ſicut filij Iſrael, ex Ægypto exeuntes & per mare rubrum trãſeũtes, perſecuti fuerunt à crudeli Pharaone & ab omni exercitu ſuo, vt viam terræ illis promiſſæ impedirent: ſic & dẽmõ ſtatim quod animam tuam videt peccatorũ tenebras abhorrere & vere relinquere, & mare ſanguinis Chriſti rubrum per veram confeſsionem tranſire, vt ad terram viuentium peruenire ſibi liceat: fremens cum omni exercitu ſuo infernali, cõtra te inſurgit: tentans an poſsit tuam impedire viam, teque ad Ægyptum peccati reuertere captũ. Et vt hoc nobis innoteſceret dux noſter cæleſtis, ne incautos nos caperet dæmon, ſed iam monitos de hoc inueniat, poſt baptiſmum ducitur à ſpiritu Sancto ad pugnam acerrimam, & ad duellum hucuſque non viſum. Igitur fili mi (ait Salomon) ſi acceſsiſti ad ſeruitutem Dei, & ablutus es ſanguine Chriſti in pœnitentia vere, ſine animam tuam à ſpiritu ſancto duci, & ſta in iuſtitia, Deo & vnicuique quod ſuum eſt dando, & in timore & tremore ſalutem tuam operando, & Deum toto corde, vt auxilium tibi exhibeat, deprecando: & præpara animam tuam ad tentationem meritis & virtutibus, & occaſiones fugiendo: quia ſtatim veniet ad te diabolus habens iram magnam, teſte Ioanne.

*Figura. Exo. 14. C.*

*Eccleſ. 2. A*

*Apoc. 12. C*

Ductus eſt Ieſus ſponte ſua ad ieiunium & pugnam, vt diſcas libenter ieiunia eccleſiæ exercere & voluntarie, vt dæmonẽ vincere poſsis in bello continuo quod contra te exercet: nihil boni inuite facias, alias parum præmij tibi manet. Ieſus fuit ductus vt dux noſtræ pugnæ ad deſertum, ſequere illum miles, vt auxilium ſuum ad vincendum præbeat tibi: confuge ad ipſum, nam ſtatim quod populus Dei bibit de petra, Amalech init bellum contra illum (vt ait D Auguſt. in de tempore) tamen Moſes fugiens ad mõtẽ vicit illũ manibus eleuatis. Vide frater, quia ſta-

*Exo. 17. C. ſer. 93. fe. 6. do. 3. q. ſer. 2.*

tim quod de petra biberis, ideſt, Chriſti ſacramenta ſuſceperis. Neceſſe eſt vt ad pugnam præpareris: quia Amalech, nempe dæmon, bellum graue contra te excitabit. Eſto Moſes mitis & ab aquis voluptatum & mundi delitijs totaliter extractus: & eleua manus tuas operando viriliter ob cœleſtia, & ad montem qui Chriſtus eſt confuge: & ipſe qui manibus eleuatis in cruce vicit illum in monte caluario, adiuuabit vt inimicum vincas & cõculces & ipſe. Eia fratres mei dux noſter ieiunus adeſt in monte vt dæmonem vincat, quid nos milites eius agimus ocio vacãdo & vitijs & dormiẽtes ſomnũ noſtrũ culparũ. Surgite iã ieiunijs.

Tex. ¶In deſertum.

INter Ieruſalem, & Iericho (ait gloſſa) vbi Adam incidit in latrones figuraliter Chriſtus diabolum vicit realiter. Docet nos baptizatos de mũdo (ſaltim deſiderio) exire, vt ſcilicet in illo deſideria noſtra non ponamus, ſed in quiete Deo vacemus. Si filij Iſrael poſt tranſitum maris rubri, in deſertum aſcenduut, manna comedunt donec ad terram promiſſam perueniant: quanto magis nos fideles, qui in baptiſmate mare rubrum, imo ſanguinem, tranſiuimus, & illo abluti ſumus, debemus deſertum pœnitentiæ petere, & à vitijs ieiunare & ab eſcis ab eccleſia prohibitis, vt digniſimus accedere ad ſacrum manna corporis & ſanguinis domini: quo diuino cibo recte, vt decet vtentes, ad terram viuentium perducti erimus? Fuge tamen hominum conſortia & ad deſertum perge. Vt quid domine mi, angelorum gaudium homi-

Mar. 1. B nes fugis, & ad deſertum tendis ad ieiunium & pugnam, cum nil mali tibi ex hominum ſocietate prouenire poſsit? Ad deſertum fugio & cum beſtijs ſum (vt ait Marcus) etiam ſi nil periculi mihi ſit à turba hominum, quæ me turbare non poteſt, cum magiſter cœleſtis ſim: tamen commonſtro tali facto ego dux omnium, nouo militi fideli aut ſacerdoti monacho, & præcipue concionatori, militiam meam Chriſtianam aut religionis aut cõcionis ingredi volenti, neceſſariam eſſe fugam promiſcuæ multitudinis: donec domita carne, ac deuicto Satana, meditatione & lectione diuinæ legis ac puris deprecationibus, ſpiritus robur collegerit. Vnde tutius fuiſſet multis illorum, inter feroces verſari beſtias, & crudeles ſerpentes mecum, quæ inter homines leonibus crudeliores: & in mulierum conſortio, ſerpentibus in ve-

neno

neno ſuperantium. Fuge qui ſaluari cupis.

Quia Adam in paradiſo & delitijs à dęmone muliere interue niẽte victus fuit. Nam vt ait D. Paul. Adam non fuit ſeductus à ſerpente, ſed mulier: & ipſa decepit virum à Dæmone ipſa decepta. Ego filius Dei, qui illius fideiuſſor effectus ſum, in deſertum ducor à Dei ſpiritu, vt ieiunijs ſoluam, quod ipſe co medit. Et debitor qui victoriam contra malignum in morte reportare voluerit, commercia hominum fugiat, à vitijs ieiunet, in deſertum pergat & pœnitentiam faciat. Quia ſi fideiuſſor talia facit, quia vt à debitore ſimilia requirat in planicie Iericho homo ille Adam in latrones incidit pergulam, in mulieris conſortio & ſerpentis & in delitijs: ſpoliatus fuit ab illis & vulneratus, hoc eſt, priuatus bonis & onuſtus malis. Venit hodie ſecundus Adam cœleſtis vt vulnera illius medeatur, & latrones illos infernales vincat & ſpolia tollat: vnde Dominus angelorum eratque cum beſtijs, vt homo qui iumentis comparatus erat in conſortiũ redderet angelorũ. Fili hominis (dicebat Deus Ezechieli increduli & ſubuerſores homines ſunt tecũ, & cũ ſcorpionibus tu habitas: ideo homo fuge in deſertũ, & eſto cũ feris: quia minꝰ nocebũt te quã homines: vt Joãni contigit, imo & Chriſto: qui ambo à feris nil nocumẽti receperũt, & homines eos occiderunt.

Gene. 3. A. 1. Ad Thimo 2. Diuus Tho. ibi.

Luc. 10. E.

Pſal. 48.

Ezec. 2. C

Multa bona hominibus in deſerto venerũt qui ſi in tumultu fuiſſent illa nõ inueniſſent, ſed forſan damna grauia non fugiſſent. In deſerto inuẽta fuit ciſterna qua ſaluus eſſet Ioſeph à furia fratrũ: quia mortis cõſideratio & ſepulturæ, adeo vtilis ad homines liberãdũ à morte ſpirituali, raro inuenitur in tumultibus & inturbis hominũ inter obſtrepẽtes hominũ voces, talis memoria aufugit. Vis liberari à furia hominũ eſto innocẽs vt Ioſeph & ſanctus & iuſtus, & filius magni Dei per gratiã, qui tamẽ in magno periculo mortis ſpiritualis es, quãdiu in tumultu hominũ & mulierũ frequẽtia es. Vis mortẽ animę euadere? Vis nõ mori ſpiritualiter. Vis filiationẽ tanti patris morte ſpirituali nõ perdere? Fuge in deſertum, & quære locum ſecretum & orationi aptum & ibi de ciſterna ſepulchri cogita, ſine aqua deliciarum: & certe eſt præciputum euadendi medium.

Gene. 37. E

Moſes ille ſanctus vir, nonne cũ ingrederetur in interiora deſerti dominũ in rubo vidit, velut ignem inflammantem, & multa ab illo notatu digniſsima audiuit. Tamen in Ægypto

Exo. 3. A.

Exod.2. B. existens,nec vidit Dominum nec talia audiuit: imo in delitijs Ægyptiacis manens,homicidium perpetrauit. In tenebrarum Ægypto & hominum tumultibus cogitas Deum per considerationem attentã & deuotam videre? Inter turbas credis igne suo charitatis accendi,& diuina verba necessaria animæ tuæ audire cogitas? Quis talia audiuit? In delitijs tenebrosis cupis Deũ per gratiã videre? Inter hominũ disidia inquiete cogitas animam possidere & contẽplationẽ cœlestẽ habere? Homicidium animę peccando,cito poteris perpetrare,& voluptatibus vacare,tamen contemplationi diuinæ insistere & suo igne calefieri, nõ nisi in deserto loco & ab hominum frequẽtia separato. Perge homo ad desertũ & desere vitia & luxus cũ Christo & Mose, si vis Deum in rubo charitatis videre hic & in futuro. Saltim in domo tua fac desertum locum à vocibus & turbis & tumultibus, vt dæmonẽ oratione vincas,& virtutibus sis ornatus.

Multum desiderat Deus suos ab Ægyptiaca seruitute liberare & à mundana conuersatione: & per desertum vitiorum expers, & pœnitentiã sciens,ad terram promissam & cœlestẽ deducere auxilio nos fideles. Maiori desiderio quã illũ populũ in terram promissam deducere concupiuit, quanto cœlũ terra maius est, ecclesia Synagoga dignior,& sacramẽta ceremonijs prœeminẽt, & sanguis eius mari rubro,& corpus eius dignius est manna: & crux excelsior omni ligno cedrorũ,quãto magis Mosi virga. Vt quid ergo sumus duro corde vt illi fuerunt contra Dñm? Quare
1.Cor.10.B. tentamus Dñm vt ipsi,& ad iracundiam prouocamus? Vt quid murmuramus vt ipsi,& detractores in fratres sumus? Quare tot fornicarij inueniuntur inter nos vt inter illos? Ne Dei monitis repugnemus vt ipsi,nec de loco deserto murmuremus vt murmurauerunt,alias à serpẽtibus peribimus,& nobis iurabit,vt ipsis,si
Hebr.4.C introibimus in requiẽ eius: sed festinemus ingredi in illã requiẽ, ex consilio Pauli,relinquẽdo Ægyptũ tenebrosam,nẽpe mundũ,& omnia impedimẽtũ nobis in itinere præstantia detestantes,& ad desertũ cũ Christo fugiamus. Alias,si enim qui per angelos dictus est sermo diuinus illi populo rudi,factus fuit firmus
ibi.2.A & inobedientes puniti sunt,accipientes iustã mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus irã Dei, qui talem doctorẽ habemus Christum Dñm,& talẽ ducẽ in deserto Ieiunantem,si tantam neglexerimus salutem? Paulus ista affirmat.

Dilige

Dilige deſertum ô homo, & hominum conſortium ad horam fuge, ſi Dei ſocietatem & angelorũ perpetuã deſideras. Nã vbi eſt homo blaſphemus? Inter homines. Vbi Deum laudat? Quãdo factus eſt vt paſſer ſolitarius in tecto & in angulo domus orãs & plorans. Quãdo detrahit proximũ? In cõſortio hominũ. Quã do agnoſcit ſe qualis ſit & aliosomittit? in deſerto cõtẽplationis. Quando voluptatibus agitatur? in frequentia mulierũ. Quando carnem ſuam domat? in deſerto & cubiculo ſuo flagellis caſtigã do corpus & in ſeruitutẽ Dei & animæ redigendo, ne reprobus efficiatur. Vides quãta dãna ex hominum frequentia? intellexi ſti vtilia & conducibilia ex ſolitudine & deſerto?

Vbi Dei populus? in deſerto. Vbi Elias tãta mirabilia faciẽs? in deſerto & ieiunus. Vbi Eliſeus & diſcipuli prophetarũ? in de ſerto. Vbi eſt iam alter Ioãnes baptiſta, qui deſertũ ab infantia tenerrimus habitauit? vbi ſunt deſerti Ægypti habitatores? vbi tot ieiunia in deſerto frequentata? vbi tot orationes & lectiones? vbi eſt Antonius alter, & Paulus primus eremita? Reſpõdeat ad hæc Ioel: Iã ſpecioſa deſerti ignis comedit, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis: ad te Domine clamabo. Et ego etiã clama bo ad te Deus meus, & dicã ſpecioſa ieiunij & orationis & pœni tentiæ olim in deſerto facta, combuſsiſſe illa inter nos ignem cõ cupiſcentiæ & voluptatis, & odij, ex frequentia populorum accenſum: & flammam vitiorum, omnia ligna fructifera & ani mas aliquãdo fructificantes, ſuccendiſſe. Vnde manet iã fere om nis gens deſerta omni bono, & delitijs ſeruiens & vitæ ſenſuali. Quare non eſt dæmoni neceſſe, contra huiuſmodi gentẽ voracẽ gulæ deditã, voluptuoſam & flãmis vitiorũ accenſam, nullum q; malũ fugientẽ, neq; peccatum deſerentem, pugnare: ipſi ſibi bellũ ſatis ſanguinolentum gerunt, quo animæ cruentãtur. Diſce ô homo, miles terrene, à duce tuo cœleſti, diſce à rege & Deo tuo ſerue fugitiue, deſertum inhabitare, & ieiunus omnia defere mala, vt aduerſarium vincas, quotidie cõtra te telis incognitis in ſurgentem: aſpice mentis oculis, & moueatur anima tua à fleti bus, cõtrahatur mœrore, atq; turbetur, ſuſpẽdatur in admiratio nẽ, conſideratione debita, cũ Chriſtũ in deſerto intueatur ieiu nũ, & cũ beſtijs conuerſantem, gaudium cum ſit & corona ange lorũ: quia nos iumẽtis ſimiles in moribus ſumus, Chriſtus cum beſtijs degebat, malens cũ illis quã cũ hominibus verſari: & ſatis

*Ioel. 1. D.*

magis ſecurus fuit à morſibus ſerpentium quã ab dictis hominum?

Quando in deſerto exiſtens ego filius altiſsimi dentes ferarũ timui? Inter vos rationales viuens & ratione male vtentes, quod genus iniuriarũ à vobis eſt prætermiſſum, quo honorem meum non ſitis percuſsi? Quos morſus ſerpentes contra me in eremo
*Matt. 11. C.* dederunt? Quod venenum effu derunt? Vos autem momordi-
*Ioan. 10. D.* ſtis me voracem vocantes, venenum infudiſtis, potatorem vini me dicentes, dæmonium me habere, imo me inſanire dixiſtis. Dicebatis multi ex vobis, non pauci, dæmonium habet & inſanit. O ſapientia increata patris, dum tibi viſum eſt in deſerto & cum beſtijs vitam tranſire, nunquam talia contra te dixerunt, vt homines crudeliſsimi: fuge homines te inceſſanter blaſphemijs laceſſentes. Quando lupus momordit caput meum in deſerto? Homines vulnerauerunt tribulis peracutis, & modo ſuperbi homines, non minus quã tunc, ſed magis, elatione ſua feriunt. Quando leones aut viperæ ſcapulas vulneribus affecerunt? Ecce illas flagellis dilaceratas per manus hominum: & modo non ceſſant voluptatibus ſuis crudelius cruentare dorſum meum & ſu-
*Pſal. 128.* per illud fabricare: ideo in deſerto maneo & cum beſtijs ſecurior.
*Pſal. 68.* Quando ſerpentes venenum in pedes meos effuderunt? homines mihi in lecto crucis exiſtenti, & iam iam morienti, in cibum fel & in potum acetum porrexerunt: & modo periurijs & amarulentis blaſphemijs & maledictionibus, & detractionibus amariorem mihi potum præbent. O, veloces pedes ad effundendum ſanguinem.

*Pſal. 13.* Deſine iam homo, fera crudeliorem eſſe, contra iuuenem delicatum Chriſtum Ieſum Deum & hominem & amore tuo ieiunum in deſerto inter beſtias ſine cibo & potu exiſtentem. Si nõ vis cibum orationis illi dare, ne nomẽ eius blaſphemijs inhonores: ſi non vis proximum honorando, Chriſto potum ſuauem conferre, ne fel illi præbeas, fratrem detrahendo. Conſideratione tamen à cordis medullis procedente, vide corpore & mente & animi ſuſpirijs, cauſa ſalutis tuæ & vt aduerſarium tuum vincat & doceat te (magiſter cœleſtis) vincere malignum: vires & auxilium & arma ſacramentorum præbentem tibi. Aſpice illum delicatum iuuenem trigintaannorum, nobilem adoleſcẽtem, deſertum cum beſtijs incolentem: & immaculatum ob maculas animæ tuæ factum incolam in antris, vbi incolatus eſt eius

prolon

prolongatus, & materna conſolatione priuatus: vt tibi cœleſtis patris ſolatium eſſet lucratus. Vide illum ſqualida facie ob conſcientiam tuam immundam: conſidera illum inedia & ieiunio cruciatum ob tuas epulas & ieiuniorum fractiones: Vide regem regum & dominum dominantium pallidum & eſurientem, & in deſerto vt vitia deſeras exiſtẽtem. Vis ſaluus fieri? Fuge cum Chriſto à conſortio hominum.

Arſenius ille Abbas ſanctus (vt in S. Antonino legere tibi licebit) dum adhuc eſſet in palatio magnus, rogauit Dñm: vt dirigeret eũ in viam ſalutis. Et facta eſt vox ad eum de cœlo: Arſeni fuge homines & ſaluaberis. Et deſcendens ad vitam Monachalẽ & ſolitariã, rurſus orauit Dñm, vt prius dicẽs: dirige Dñe Deus meus in conſpectu tuo viam meã, & animã meam in viam ſalutis. Qui iterum audiuit: Arſeni, fuge, tace, & quieſce: hæc enim ſunt radices non peccandi. Fuge hominũ ac mulierũ frequentiã (acſi dixiſſet Deus illi) in deſertũ: tace, loquere parum: quieſce, perſeuerans in bono expectando, optimæ radices non peccãdi, vide quid audiuit homo ſanctus, qui incuria imperatoris Romæ glorioſe militauit vſq; ad annũ quadrageſimũ ætatis ſuæ, & ex ſenatore eſt factus monachus. Abbas Daniel referebat de illo: quod die ſabbatorum veſpere ſolẽ relucentẽ poſt dorſum ſuum dimittebat, extendenſq; manus ad cœlũ, nõ deſinebat orare, donec ſequenti die ſoliterũ oculos eius exurgens impleſſet. Vide quid locus deſertus adducat; quid miraris vt inter homines viuẽs nõ liceat tibi per horã in mẽſe orare. In terra deſerta (ait Dauid) ab hominũ frequentia, in via nõ in plateis: & in aquoſa non voluptate humectata, ſic in ſãcto & firmiſsimo opere apparui tibi Dñe, & in oratione ſancta, vt viderẽ virtutem tuam mihi cõmunicatã, & deinde gloriã tuã: ſic benedicã te in vita mea. In plateis inter homines mentientes detrahentes, blaſphemantes peieran tes & lites cauſantes: quæris Dñm tuũ ò homo Dei oblite? Non inuenies certe virtutẽ eius, ſed vitia & animæ tuæ nocumenta. Quære Deũ extra turbã rerũ labentiũ. Quomodo Chriſtũ in deſerto exiſtentẽ inuenies inter hominũ tumultus? Ducẽ tuũ ieiunantẽ credis inuenire miles, cibis repletus ieiunia eccleſiæ ſanctæ cõculcans? Ieſum inter beſtias pro peccatis tuis pœnitentiã agẽtem quæris inter ludos & luxus, & inter vana gaudia mũdi: falleris certe & ſic nũquã inuenies illũ nec peccatorũ tuorũ veniam.

2. p. hiſt. ti. cap. 8. §. 3.

Pſalm. 62

Adam

Genes. 3. A Adam vbi cecidit in tam miserandum statum à tãto honore? In paradiso & eius delitijs. Et in quo loco, Dei adiutorio, surrexit ad gratiam & gloriam? in deserto & in terra maledicta spinas & tribulos producẽte: quia in illa ieiunauit quod in paradiso comedit, & pẽnituit in terra, de gaudio in delitijs habito. Cecidisti cum parente tuo Adam in consortio delitijs vacans à tanto gratiæ honore & à Dei amicitia, terra corporis tui maledicta est ob peccatum tuum, spinas tentationum, & tribulos peccatorũ germinat incessanter animæ tuæ: ieiuna & fac in terra tali pœnitentiam vt saluus fias & plora in terra maledicta quod cõmisisti cõtra Deum in ecclesia. Benedicta, vt sic ad gratiam Dei sis receptus, & saluus fias. In mentem tibi veniat ille Propheta regius, qui
1. Reg. 17. D Act. 13. D. in deserto pauculas oues, vt pastor, custodiens cor habebat tale, quod dicebat de illo Deus: inueni virum secundũ cor meum: & tamẽ inter homines, mulierẽ subripit à sancto duce Vria, & bel
2. Reg. 11. A. C. lo grauissimo illũ cõmittit vbi crudeliter occisus fuit. In deserto erat ouis cum ouibus, inter homines leo factus est contra oues: in deserto leonem & vrsum interficiebat & Goliath vincebat: inter homines à se ipso & à concupiscentia sua victus fuit, & nisi pœnitentiam egisset, væ illi fuisset. Vis esse tantæ virtutis vt te Deus inueniat iuxta cor suum virum fortem & robustum? fuge hominum & præcipue mulierum familiaritatem: cupis aliena abuti vxore? desideras virum suum mori? Esto inter gentes, & occasiones non fugias. Fuge cum Arsenio ad locum secretum orationis & cum Christo ad desertum, & leonem mundi occides, & vrsum carnis tuæ prostrabis, & Goliath dæmonem interficies: alias mundus deuorabit te: caro tua prosternet animam tuam, Diabolus inter pedes eius portabit te conculcans. Au-
Iere. 2. A. di Dominum dicentem per Ieremiam: recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, ideſt, quando mecum desponsata es in baptismate ò anima, tamen hoc quando secuta es me in deserto orationum, & à tumultu segregato, & in terra quæ non seminatur verbum malum, & opus prauum. Fœlix anima quæ talis
Ioan 7. F. est. Quæritis me, & nõ inuenietis (vt Christus dixit ad Iudæos) quia male inter turbam rerum labẽtium quæritis, ò homines gulosi & ridentes, me in deserto ieiunum & pœnitẽtem existentẽ: & sic vbi ego sum nẽpe in cœlo in quãtũ Deus & in beatitudine

in

in quãtum homo quia ab inſtanti conceptionis ſum beatus) vos ſic me quærentes inter mundi fluctus, non poteſtis venire: quęrite me in deſerto & inuenietis.

Sapiẽtia increata, filius nempe Dei, vbi inuenitur (ait Iob.) & quis eſt locus intelligentiæ? neſcit homo pretium eius, alias alia cura & ſollicitudine non pigra quæſiſſet illam per gratiam: tamen quærunt illam homines inter delitias & epulas: inter ludos & voluptates, cum tamen non inueniatur, iſta diuina ſapientia in terra ſuauiter viuentium: & guſtum & voluptatem ſuam in omnibus quærentium: ſed in deſerto ieiunijs & pijs obſecrationibus, pœnitentia non ficta & ſanis operibus. Quæritis Chriſtũ vbi non eſt, & nõ vbi eſt, vnde nil mirũ vt non inueniatis illum. Chriſtus non eſt in delitijs nec in diuitijs, neque in honoribus, vos omnes in his quæritis illum. Quantũ ad delitioſos abyſſus dicit non eſt in me (ait ibi Iob) quia abyſſus voluptatis nõ poteſt in ſe habere Dominũ. Et mare loquitur non eſt mecũ, quantũ ad auaros quorũ cupiditas fundum non habet: & quantũ ad ſuperbos qui ſemper tumidi ſunt & inflati mare dicit non eſt mecum. Inuenitur autem in humilitate: vt paſtores inuenerunt infantem, ecce quãta humilitas: pannis inuolutum, eccequã ta paupertas: & poſitum in præſepio, eccequãta aſperitas. Igitur in humilitate, & paupertate ſpiritus, & aſperitate vitæ quęre dominũ in deſerto vitiorum & deſertione illorum, ſi cupis illum inuenire: vbi inueniatur lege Diuum Auguſti. *Iob. 28.* *Luc. 2.* *li. Solil. c. 13*

Quandiu Adam in paradiſo deſertus manſit ab humana ſocietate, nempe à muliere ſua (& ſi parũ temporis fuit) delectauit autorem ſuum ſimilitudine ſpeciei ſuæ: ſolam ibi conſolationẽ re accipiens in animo ab angelis, quos mẽte nouerat, & cum quibus ſe ſociandum agnouerat, creaturas cæteras ratione carentes ad vſum atque dominium acceperat, & manſit à Deo dilectus, quandiu ſtetit humana ſocietate deſertus: vbi vero adiutorium ſimile ſibi (triſte obſtaculum) habuit & humanã ſocietatem quod ſecutum eſt potius fiere, quam loqui libet. Nam miſeria noſtra inceſſabili voce & gemitu oſtẽdit atque clamat: & ad vitiorum pronitas. Hoc tamen dicam bonum eſſe homini, ſolũ ab hominibus & actibus eorum fieri, ſocietatem in animo gerere creatoris & incorruptibilium ciuium ſupernorum: nam ſocietatem humane humanis, ſi non ſemper ſæpe tamen deluſum vidi, *Gene. 2.*

& in

& in multis deuolutum miſerijs. Et tunc lacrymæ noſtræ acceptabile ſacrificiũ ſunt altiſsimo, quæ profundius & acceptius & magis ardore plenę inueniũtur, in locis ſolitarijs męrorib⁹ aptis.

Gene. 36. C. Legimus in Geneſi, Anam ſiue Ana filium Sebeon inueniſſe aquas calidas in ſolitudine, cũ paſceret aſinas patris ſui. Quis Anã paſcẽs aſinos in ſolitudine, niſi qui beſtiales motus & quinq; corporis ſenſus in ſolitudine oratione & ieiunio paſcit, eos à voluptatibus & amœnitatibus ciuitatũ & locorum & platearum humanæ conuerſationis auertens? & ne illiciantur & ad mala & nociua paſcua conuertantur, in deſertum minatur illos, vt Moſes oues, neà creatore omnium auertantur, & à domino & redẽptore. Timebat valde Dauid ob ſua peccata Dei auerſionem dicẽs, ne auertas faciem tuam amę; time & ipſe & in deſerto paſce ſenſus tuos ab amęnis auerſos, & motus animales retine in deſerto, & inuenies aquas calidiſsimas lacrymarum Deo acceptas, ignę orationis extractas, quibus & Deo ſoluere pro delictis, & macu las animæ abluere poteris.

Exo. 3. A. Pſal. 26.

Vt quid igitur domine mi, ſtatim non profilis ad prædicandum poſt baptiſmum, cum cælitus tibi tradita ſit autoritas & à patre æterno dicente: ipſum audite omnes gentes, quia eſt filius meus dilectus & ſapientia mea? non ſat eſt te per triginta tacuiſſe annos cum ſis infinite ſapiens, ſummę bonus? Cur à turbarum oculis ſubduciſte in ſolitudinem? cum officium concionãdi præcipuum fere ſit in eccleſia mea, velim magnopere concionatores docentes, vt ſe prius doceãt pœnitere & ieiunare, & operari, quã intromittant ſe ad concionandum. Nam quæ audacia imo temeritas hodie multis illorũ contingit, qui cum ſibi data non ſit à prælatis autoritas nec dum cœlitus: & ſi datam habent, cum careant domo cõcionandi necdũ ſcientiã, nec ſanctos doctores è limine ſalutauerint: & quod magis doleo vita & exemplo priuati ſint, audent auſu nefario, vtrumq; teſtamentum meum in ore ſuo aſſumere, & enarrare iuſtitias meas populo ac ſi peccatori non dixiſſem: quare tu enarras iuſtitias meas? eſſes ſapiens & bonus, & cum hoc exemplo meo debebas pauliſper à populi commercio ſe cedere, quia auget autoritatem concionandi, & acuit deſideriũ proficiendi in animabus: quanto magis ignarus cũ ſis fugiens in deſertũ & illud nos cõmonefacit Chriſtus, neminẽ idoneum & aptũ ad euangelicã prædicationẽ, niſi qui iam ſui periculo facto

Matt. 17. A

Pſal. 49.

firmus

firmus sit & validus aduersus omnes mundanas cupiditates, luxumque & huius comites, libidinē ambitionem, auaritiam inanem gloriam, & his consimiles animi morbos: quibus hostes animos simplicium, velut arietibus pulsat & quatit, si inconcionatore aliquid huiusmodi viderit. Vnde vt iam dæmonem te credas prius debere vicisse cū actibus suis ò cōcionator, quā officiū adeo diuinum assumere ad desertū pergit Christus & dæmonē scripturæ testimonijs in terram prosternit, & sic victor ad cōcionandum se contulit: vtinam mihi sic contigisse viderem.

Post baptismum Christus discessit ad desertum & tentatur, quia miris iaculis (vt diximus) & insidijs sollicitat fidelem baptizatum aut vere cōfessum improbus ille Satanas: tam inuidus humanæ salutis vt maiori tyrannide possideat relapsum, quā antea possederat lapsum. Tu tamen fuge hominum & mulierū nociua consortia nam aliquoties tutius est te feris committere quam hominibus: & serpentibus quā mulieribus: & discè à Christo duce tuo: qui velut optimus doctor omnia te necessaria ad victoriam docebit & adiuuabit ipse gratis, ne victus illum inhonores, vt victor euadas ad obtinendam gloriam, Amen.

# Homilia Secunda

## ¶ Vt tentaretur à Diabolo.

*Text.*

VT tentaretur ductus fuit à spiritu haud dubium (ait Diuus Hieronymus.) quin à spiritu sancto. Vt, sumi potest consecutiue, ex quo secutum est vt tentaretur: & etiam potest accipi causaliter: nempe ductus fuit Iesus à spiritu vt inde sequeretur tentatio, vt noster esset dux & nos contra dæmonem pugnare doceret, non tentatur à diabolo (ait glossa) nisi qui ad desertum exierit, idest bono studere cæperit: nam in locis publicis & inter hominum tumultus & mulierum consortia, fere non habet opus dæmon tentatione. velle homines in crimina præcipitare, ipsi ad inuicem se molestantur & ad malum inuitant: vt ipsemet malignus Diuo Antonio confessus est:

2.p.ti.15.c. 3.§.1. est: nam (vt refert D. Antoninus in sua historia) Diabolus appa-ruit Antonio semel in tanta proceritate, quod quasi capite cœlũ tangens videretur: quærenti quis esset: respondit, Satanas sum: & addit: cur me sic frustra impugnant monachi? cur me omnes male dicunt Christiani? Respondit Antonius: Iuste quidem hoc faciunt, tuis enim frequentãtur molestijs. At ille, nihil ego facio, ipsi se inuicem turbant: nam & ego ad nihilũ redactus sum, Christus vbique regnat: vbique nomen Christi personat. Antonius Deo gratias retulit, & dæmon vt fumus euanuit. Audistis ex ore ipsiusmet diaboli, quomodo inuicem turbatis vos, & ad malum prouocatis? Igitur fugite societatem nociuam, alias ex parte loci & societatis surget culpa & mors sine dæmonis tentatione.

Deinde non tentatur nisi virtuti vacans & mundum deserẽs. Diabolus enim & mundus suos non persequitur, vt audistis in die cinerum, quia non debet pugnare quis contra castrum sibi in omnibus traditum. Tentatur etiam filius Dei, vt non deficias in tentationibus, cum habeas ducem & pontificem magnũ Iesum tentatum per omnia pro similitudine nostri, absque peccato, id est, absque minimo motu peccati. Vnde compassus erit infirmitati tuæ: tantum ne cedas malis neque culpis consentias sed accede cum fiducia ad thronũ gratiæ eius & vires tibi necessarias absque dubio conferet.

*Ad Heb. 4 A. D.*

Tentatur filius Dei, vt scias cum hoste improbo & fortissimo oportere te dimicare, qui ausus fuit duellum cum rege angelorũ ingredi. Audi & timeò homo, & præpara animam tuam virtutibus & oratione ad tentationem: & non sit tibi graue in manum dæmonis & suorum ministrorum, malorum nempe hominum, hic per pœnam & vexationem & detractionem tradi, si immunem à culpis vides animam tuam, saltim coniecturaliter: cum videas gaudium beatorum non esse liberum à tali pœna: disce vincere ab illo; considera etiam mentis oculis quo modo tentamur vt probemur, sicut aurum in fornace: vt Deus amicum suũ Abraham tentauit.

*Gene. 22. A Heb. 4. D. le Fi. 3.*

Triplex est tentatio (ait D. Thom. in Paulum ad Hebræos) vna quæ est à carne, quando concupiscit aduersus spiritum: & talis tentatio nonnullum peccatum est (vt dicit August.) quia hoc est carnem concupiscere: & talis tentatio non fuit in Christo cũ peccare non potuit. Alia est tentatio ab hoste & à mundo & hoc duplici-

dupliciter, vel alliciendo per prosperа, vel terrendo per aduersa, & his duobus modis Christus fuit tentatus. Quid mirum ergo vt & nos tentati simus, cum nobiscum ipsam tentationem & rebellionem confixam in membris habeamus? igitur cum talem habeamus ducem, simus & nos milites fortes in bello. Nos etiam ducti sumus à Spiritu sancto in desertum huius mundi, vt tentemur à mundo diabolo & propria carne, & vt victoriam reportemus, talem ducem habẽtes adiuuantem & victoriam expectantem magno desiderio. Dicite mihi fratres, si vnus vestrum à rege nostro grauissimo Philippo electus esset in militẽ, vt in duellum cõtra fortissimum Turcarum (illorum canum Granatẽsiũ) descenderet, & in singulare certamen: & ibi adesset rex & regina, & curia regia & regnum ex parte tua: & ex parte Turcæ esset Turca magnus & perfidus, & omne Regnum illius: posita magna præmij corona victori; & victo morte & confusione: quis nõ pro viribus pugnasset pro victoria & corona obtinenda, & vita seruanda, & regnum & regem liberãdo, saltim quia rex magno desiderio ardebat in spectaculo existens de victoriæ tuæ corona, magnam enim inde sibi reputans gloriam? Vnde si vincis magno gaudio coronam de lapide pretioso imponet super caput tuũ Turcis omnibus confusis manentibus: & tamen è contra, si victus fueris, rex nobilissim⁹ cõfusus & inhonoratus inde recedet Turca & gẽte sua contra te & regem gloriantibus, & tu eris vita, & honore priuatus. *simile.*

Audisti similitudinem frater mi? Scito de te illam enarrari, & magnam viam tibi aperire vt viriliter contra inimicum dimicare coneris, nam miles qui contra Turcam fortissimum (dęmonẽ scilicet) in duellum grauissimum exire incessanter compellitur, tu ipse fidelis es: & à rege regum electus vt contra malignum & eius tenebrosum regnum viriliter pugnes virtutum armis, & in singulare certamen contra vitia descendas. Vide regem angelorum bello tuo adesse, reginam q; poli & omnem Angelorum & beatorum curiam cœlestem, omnes cum Deo te adiuuare cupiẽtes, & magno desiderio tuam victoriam desiderantes. Ex parte dæmonis omnis carcer tetrus, tenebrosus q; infernus adest, & damnatorum cætus, maxime omnes cupientes te victum videre & vitio succumbere. Quid maius præmij, quæ corona precio sior ex victoria tibi proponi potest, quam scire regem cœli ma-

gno ardere desiderio vt vincas, & tibi innotescere à parte ipsius, magnam sibi reputare gloriam victoriam tuã, & matri suæ & Angelis esse honorem grauissimum, præter hoc quod super caput tuum coronam immarcescibilem de lapide precioso beatitudinis æternæ ponet, & hæreditatem incorruptibilem, & incõ
1. Petr. 1. A taminatam & in cœlis conseruatam (vt ait pastor ecclesiæ Petrus) dabit tibi, & omnes inimici tui confusi & inhonorati recedent? & his auditis fortissime & viriliter ad bellum de nouo nõ insurgis, occasiones peccãdi tollendo, adiutorium Dei & matris eius & omnium sanctorum inuocando, vitia occidendo confessione, virtutes acquirendo oratione, vt coronam obtineas vitæ mortis expertis, & Deũ & curiam cœlestem honores? si tãtis nõ es allectus donis & tanta corona pretiosa, viriliter pugna saltim ne infamis & sine honore vita gratiæ priuatus, inferno de te gloriante in Dei contumeliam miser ad tartara ductus sis.

Iacob. 1. B. S. Thom. ibi. Beatus vir fortis & virilis (ait Diuus Iacobus) qui suffert tentationem: non mollis (ait D. Thom. ib.) aut effœminatus: sed virdictus à virtute animi, virore fidei, vigore spei, virilitate charitatis. Qui suffert tẽtationem, ideſt, in sensualitate sub ratione est,
Gen. 4. A vt illi accidit quod Dominus Cain dixit: sub te erit appetitus tuus, quia meo adiutorio, si vis illo vti vt decet, faciliter sensualitatem conculcabis. Aut qui suffert, ideſt sursum fert, pro eis & amore illorum qui sursum sunt bona & cœlestia: quoniam talis cum probatus fuerit, hoc est exercitatus & depuratus sicut aurum in igne, & dæmonem & vitium in Dei honorem vicerit:
Similo. accipiet à Deo spectaculũ certaminis præsente, coronam vitæ. ideſt, vitam perpetuam, quæ finem nescit. Sicut & corona quæ datur victoribus in signum victoriæ fine caret; ita & gloria tibi pro victoria contra dæmonẽ habita perennis erit atque æterna. Erit corona vitæ, quia mortis corona & pœnę perpetuę erũt cõfixi mali homines & desides, qui contra Dei honorem & propriũ præmium non sunt veriti se à diabolo vinci & manibus, per culpam suam, illiustradi. Coronam vitę repromisit, ideſt, iterũ atq; iterũ promisit Deus. Promisit in veteri instrumento, & repromisit in nouo: promisit per prophetas, repromisit per proprios Apostolos: promisit vt Deus prius deinde factus homo repromisit: quã accipies gratis, non quia mereãtur illã opera tua ex se sine Dei gratia, nec digna tãta corona inuẽta sunt: quia nõ sunt

cõdignæ paſsiones huius vitæ & temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Vbi D. Bernar. non ſunt condignæ ſine Dei gratia, ad præteritam culpam, quæ remittitur: neq; ad præſentis cõſolationis gratiã, quę immittitur: neq; ad futurã gloriã quæ promittitur. Igitur pugna viriliter vt bonus Chriſti miles, & Deo & omni cœleſti curiæ honorẽ ex victoria tua tribues, & tibi coronã vitæ reportabis ęternæ, quã repromiſit Deus diligẽtibus ſe: & fortiter à dæmone & vitijs defendentibus ſe. Ro. 8. D.

In hunc mundum atq; deſertum inaquoſum, miſſus es homo in quo impoſsibile eſt nõ tẽtari: cũ tecũ tẽtationis fomitẽ inceſſanter portes: vnde nemo veſtrum (ait ibi Iacobus) cũ tentatur tẽtatione interiori vt vitio ſuccũbat, dicat quoniã à Deo tentatur: ideſt à Deo, pueniat, quod capiaris in vitio vt ſuperat⁹ à culpa, quaſi Deus immutet cogitationes tuas ad malũ (quod de Deo cogitare nedũ dicere impiũ & blaſphemũ & execrãdũ eſt) Deus enim intentator malorum eſt, ipſe enim neminem ad culpã tentat, vt hoſtis & caro. Deus non tentat vt decipiat aut peruertat: neq; in tentationẽ ducit: imo vt â tanto malo liberet nos, in oratione dominica atq; diuina ipſe docuit nos petere vt dicamus: ne nos inducas intentationem, ideſt tua bonitate fac Dñe, vt quando à dæmone tentati fuerimus; ne victiſimus malo culpæ cõſentiẽdo: ſi Abrahã & Iob & Tobiam & alios innumeros ſanctos tentaſti Deus meus: vt tentatione virtutem illorum, nõ ipſe omnia agnoſcens, ſed omnes in illis incluſam viderent & illorũ exẽplo, victoriam de inimico haberent, tentaſti ipſos. Iaco. 1. B. Matt. 6. B. Gen. 22. A. B. Iob. 1. Tob. 2. C.

Non tamen aliquem hucuſq; tentaſti vt deciperes: nam tẽtatio decipiens (vt ait D. Tho. poſt gloſſam) tribus modis agitur: ſuggeſtione hoſtis, delectatione carnis, conſenſuq; mentis. Diabolus tentat vt decipiat & peruertat: caro vt alliciat & ſubuertat mũdus vt abomni virtute ſubtrahat & auertat animam Dei ſanguine emptam. Et homo tentat, vt experimentum habeat aut ſciat: Deus autem vt ad bonum, hominem promoueat & ad maiora virtutum: vnde ipſe tentat vt probet: probat, vt acceptet & remuneret. Quæ omnia in Sapiẽtia oſtẽdũtur dicente: tãquã aurũ in fornace probauit bonos Deus, & in tẽpore viſitationis erit reſpectus & præmiũ illorũ. Igitur (cõcludit Iacob⁹ Apoſtol⁹) ſ̃a ueat vnuſquiſq; à carne propria quã fouet in ſinu ſuo: vnuſquiſq; tẽtatur tẽtatione ſeducẽte & decipiẽte interiori àcõcupiſcẽtia D. Tho. in iaco. 1. & gloſ. ibi. Sap. 3. A.

Rom. 7. D. ſua, ideſt à fomite originali, quæ à Paulo (appellatur lex membrorum, & caro concupiſcens aduerſus ſpiritum) dicẽte: video aliam legem & fomitem peccati in membris meis repugnãtem legi mentis meæ, imo & captiuantem me in lege peccati: infœlix ego homo: infeliciſsimus ego Paule, nam tu fœliciſsimus es: quis me liberabit de morte quam mecum continuo in corpore meo porto? nemo, niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum & ipſius mortem acquiſita.

Tentat ergo nos malignus, tentat & mundus, ſed periculoſius vnuſquiſq; à ſeipſo & carne ſua inimico domeſtico: nam
Michæ. 7. B. inimici hominis præcipui, ſunt domeſtici eius, & motus ſenſua-
Matt. 10. D. litatis proprij vt ait Micheas & à Chriſto confirmatum: alij inimici non ſemper nobiſcum ſunt: nos tamen à corpore proprio, in ſe contra nos tam crudeles hoſtes habente, quo fugiemus? Tẽtatur ergo vnuſquiſq; noſtrum à ſeipſo & à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: abſtractus à bono, & (vt ait gloſſa) à recto itinere, & illectus ad malum. Tangit Apoſtolus duos terminos motus: per defectũ, qui eſt peccatum: vel abſtractus à bono incõmutabili per auerſionem à Deo: & illectus ad bonum cõmutabile, per conuerſionem ad creaturas, bono commutabili ad hærendo: vnde homini ſic audaci & tali tentatione victo, pœna damni & ſenſus contingit, ſi pœnitentia vera in tẽpore opportuno non reſipiſcit, ò miſer homo, quantis periculis & tentationibus in vita iſta ſubditus es, vt abſtractus ſis á ſummo bono, & illectus ad grauiſsimum culpæ & pœnæ malum: & tamen præcipuum telũ contra te concupiſcentia tua eſt quæ habitat in te, quanuis improbiſsimus hoſtis cõtra eſt diabolus, inimicus Dei & totius generis humani, & quanuis occaſio tentationis ab illo
D. Tho. in 14 cap. 1. B. immittatur ad te; tñ vis tẽtationis ſine cõcupiſcẽtia (ait D. Tho. ibi) non completur vt culpa fiat. Sicut flatu ligna non accenduntur, niſi ignis præſens fuerit, ſufflare dæmon tentatione poteſt vt anima tua peccato incendatur, ſine concupiſcẽtia tua &
Simile. conſenſu tuo, ardere & culpa accẽdi, impoſsibile eſt. Vnde tentatio hoſtis exterior eſt, vt medicus recognoſcens infirmitatem
Simile. in vrina, ſcientia ſimplicis notitiæ: aliter tẽtatio interior fit à cõcupiſcentia, ex qua ſcientia experientiæ infirmitatem tuam agnoſcis. Deus igitur qui pro nobis tentari dignatus eſt: à tã crudeliſsimis hoſtib⁹, cõtra nos inceſsãter bella gerẽtib⁹, defẽdat nos.

Cum

¶ Cũ ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Text.

IEiunat vt tentetur, tentatur quia ieiunãt (ait glossa) & exemplum ieiunandi nobis dat, & vt ieiunio contra hostem munia mur, cum certo certius tentari debeamus, vt cum Christo illum debellemus. Quod ieiunat diuinæ potentię est, quod postea esu riat humanæ infirmitatis & hominis est, vt scias infirmitatem tuam diuinis auxilijs adiuuare. Et confusus in animo sis gulose, cum debita emenda, qui quatuor continuis diebus, quos adhuc quadragesima habuit, & ecclesia ieiunare iussit; abstinere à cibis prohibitis, & à duplici comestione inuerecunde noluisti. Cum videas Angelorum maiestatem & panem cœlestem, per quadraginta dies sine cibo, & potu manentem, hominem etiam verum vt Deum verum, nimis delicatum & nobilem. Deus nil gustauit & tibi semel in die comedere permisit, & de nocte, ne tibi noceat potus, aliquas cibi buccellas non vetuit: & cum hoc potius Adam cibum vetitum edentem & epulonem contra Deũ & ecclesiam, sequi voluisti: quam iuuenis Christi ducis tui sacrati, seculi creatoris vestigia. Ad famem caninam inferni cum epulone perges ò homo, & tunc quomodo ferre poteris, sine cibo & potu perpetuo manere & famelicus. Vos ieiunantes, etiam & à vitijs abstinentes, & dæmonem in omnibus vincẽtes, ad gaudia paradisi cum Christo in cœna agni perẽniter, sedebitis.

Velle in cœlum sine ieiunijs ascendere (vnde multi dicũt, vt insani, si ego ieiunijs in cœlum pergere debeo, nusquã illuc ascẽdã: ego credo certe) & sine laboribus: est velle Christo esse dignior ẽ, & Apostolis perfectiorem, & omnibus fidelibus sanctiorẽ, solo cogitatu. Velle dæmonem & carnem sine ieiunijs vince re est insanire: certe gulose cõtinget tibi, vt cuidam prepositi cui rex filiã suã cõmisit custodiendã & ornandã, & delicate nutriendã, & quendam canẽ suũ quem diligebat ipsa ad sustentandum, duris & paucis cibis, ne impinguatus in filiã desęuiret: ipse autẽ è contrario filiam regis famelicam & nudam fame afflixit, & canem ita impinguauit delitijs, quod insaniens & insiliens ruptis vinculis, ieiunijs debilem regis filiam, neque cani resistere valentem iugulauit: qua pœna dignus est tam perfidus homo regis? Iudica ipse homo vorax. Simile.

Quis præpositus iste est nisi tu o homo, cui rex cœlorum animam filiam suam sanguine redemptam Dei, tradidit tibi adcustodiendam à malo, & virtutibus ornandam, & cibis bonorū operum delicate nutriendam? Tradidit etiam tibi canem rabidum, corpus nempe tuum, quod anima non potest non diligere naturaliter, tamē vt tale corpus aleres paucis cibis & duris, ne impinguatum & incrassatum, derelinqueret Deum factorē suum & contra animam insurgeret. Feciſti tamen econtra homo perfide, nam animam filiam regis diuini, famelicam & virtutibus nudam habes, & ita fame affligisti, & canem corporis tui ita cibis delicatis nutriuisti & delitijs. Quod insaniens contra animā, ruptis rationis vinculis & præceptorum Dei, insiliens in illā debilem, neque resistere valentem cani adeo rabido, iugulauit culpa & occidit peccato. Qua pœna plectendus eris ô homo, quādo coram Deo filiam suam tibi committente, & illam sic occidenti appareas? ipsemet iudicium profer.

Christi ieiuniū pœna fuit sui corporis, sed totius humani generis est refectio: & sibi erat ad supplicium, nobis autem ad beneficium. Ieiunium tuum domine, tuum est & nostrum, tuum per actualem corporis pœnam, nostrum per exemplum: nostrum per doctrinam, nostrum per solutionem: nostrum per dietam quæ fiebat in capite, pro liberatione membrorum, quę multa & superflua comestione ciborum & vitiorum infirmauerant: & caput sanctissimum ieiunabat, vt quod non rapuit solueret, & quia nos comedimus vuam acerbam vitiorum dentes illius obstupescerent, quia noster fideiussor effectus est.

*Hom. 13. in Matth.* Ieiunauit Christus (ait D. Chryſ.) nō quia ipse hoc indigeret, sed vt homines doceret peccato gulæ infirmos fuisse, & quomodo suo contrario curari debebāt & in capite, cum infirmitas esset in membris. *Simile.* Vt si medic⁹ peritus aliquem ægrotum ad sanitatē reducit, iubet illum cauere à cibis aut ab illo cuius causa est infirmatus & ex quo morbus cōtigerat: ita & Christus diuinus medicus post baptisma, ieiuniū induxit: quia Adā de paradiso intēperantia ventris eiecit: & diluuium sub Noe ista commeruit: & fulmina in Sodomitas ipsa ingluuies deduxit & saturitas panis *Ezech. 16. F* cum otio, vt ait Ezechiel. Quare igitur o homo infirme infelix, tam graui medicina à Christo capite tuo susceptā (vt est ieiunij & postea fellis) non es factus sanus, sed quotidie peior euadis?

Si

Si pro exemplo noſtro & ſalute noſtra caput noſtrum ieiunauit, quid nos guloſi facimus? vt quid ab omni illicito non ieiunamus? Cur medicinis ſacris vt decet, non vtimur? Quotidie magis comeſtionibus atque voluptatibus dediti ſumus? Quid membra putrida, capiti medicinam amaram pro noſtra ſalute accipiẽti, cum apparuerit cito & horrende dicemus? Eia infirme, vis ſanus fieri? vtere capitis tui medicina, ſcilicet Chriſti Domini, cum ipſe infirmus ſis.

Ieiunat Chriſtus, vt doceat nos ſimilibus armis dæmonem victuros: non eſt nobis lucta (ait D. Chryſoſt. ad populum) aduerſus carnem & ſanguinem tantum, ſed & contra dæmones & cibos & delitias. Tu vero luctaturus contra tam horrendos hoſtes, temetipſum impinguas? Facillime in terram te inimicus proſtrabit. Stat ſtridens dentibus ſine cibo & potu aduerſarius tuus deſiderans te deglutire, tu vero diffunderis & mensis lautis vacas & eccleſiæ ieiunia frangis? Chriſtus ieiunat & fame tabeſcit, cum ſit valde fortiſsimus dux, antequam intret duellum contra dæmonem, nunquam comedentem: & cogitas ipſe de victoria voracitate diſtendens temetipſum? Nunquid mactandus es in macello, quando teipſum ſic ſaginas, aut vincendi in duello, aut credis te Chriſto duce tuo ieiunante eſſe fortiorem? inſanis certe. *Homi. 54.*

Quid lautam menſam vermibus apponis? nam & in chordis craſſa quidem & immunda ad cantus ſuauitatem inutilis eſt: vndique vero raſa intenſa eſt & conſonantiſsima: quid animum obruis? Quid parietem facis craſsiorem? Saltim Athletæ doceant te, quoniam gracilius corpus eſt, & fortius, & hi ab omnibus ſe abſtinent (vt ait Paulus) & vt quid, niſi vt corruptam coronam accipiant? Nobis autem vincentibus in corrupta manet: & tamen per parum tempus vt eſt quadraginta dierum, nolumus ab aliquibus abſtinere cibis & cum duce noſtro Ieſu ieiunare? Ieiunate & à vitijs abſtinete, qui victoriam deſideratis, & coronam vitæ perpetuæ: alias confuſio non deerit. *1. Cor. 9. D.*

Quare ergo in abſtinentia (ait D. ille Gregorius) quadragenarius numerus cuſtoditur à domino & deinde à nobis, niſi quia Deus maxime deſiderat, vt per virtutẽ decalogi & impletionẽ mãdatorũ decẽ, quatuor euãgelia ad vnguẽ obſeruem? Denari? *Homi. 16.*

enim quater ductus in quadragenarium ſurgit: quia tunc decalogi mandata perficimus, cum quatuor Euangelij libros cuſtodimus. Deinde ex hoc Chriſti quadragenario conſidera, nos ex quatuor elementis in hoc mortali corpore ſubſiſti & per corporis voluptates præceptis Domini contraire & diſsipare, vt dęmoniacus catenas: dignum ergo & iuſtum eſt, vt qui per carnis deſideria decem mandata contẽpſimus & quatuor Euangelia conculcauimus imperio corporis ex quatuor cõſtantis humoribus. vt eundem corpus quater decies ieiunio affligamus: vt per illud quo peccauimus & Deum offendimus, per illud puniamur, & Deum placatum nobis conſtituamus: & hoc docet nos Chriſtus innocens in ſuo quadragenario ieiunio. *Mar. 5. A.*

Adhuc poſſumus & aliud intelligere ex Chriſti ieiunio quadragenario: à præſenti enim die, ideſt, Dominica prima quadrageſimæ vſq; ad paſchalem ſolennitatem ſex hebdomadę, quadraginta duos dies continentes veniunt: ex quibus dum ſex dies dominicales abſtrahuntur ab abſtinentia, manẽt triginta & ſex, decima anni trecẽtos & ſexaginta quinque dies habentis. Vt ſaltim decimas temporis Deo per ieiunium demus, & autori noſtro nos in eius decimis per abſtinentiam mortificemur: ſicut regi decimas rerum per vectigalia redditis, quid mirum vt decimas dierum Deo reddamus, à vitijs & cibis abſtinentes? Si ſacerdotibus oportet vos decimas tritici & vini & aliarum rerum dare, quare non Deo noſtro temporis decimas nõ ſoluemus? Additi ſunt quatuor dies ab Eccleſia vt quadraginta fiant.

Cum ieiunaſſet Chriſtus quadraginta diebus, vt diuinitas diabolo celaretur, ieiunando tempus quo Moſes & Elias abſtinuerũt, nec plus aut minus. Et vt cõueniret legi per Moſem intellectæ: & prophetis per Eliam: vt contra non allegarẽt perfidi Iudæi: & illum de fractione legis aut ſolutione prophetarum accuſarent. Et præcipuè vt dominum legis & prophetiæ ſe eſſe oſtẽderet: & quod non venit ſoluere legem ſed adimplere. *Matth. 5. C.*

Iſte quadragenarius numerus valde à filio Dei fuit honoratus & autoritate decoratus: nam quadraginta hebdomadibus in thalamo virginis matris quieuit: quadrageſimo die in templum eſt præſentatus: quadraginta menſibus paulo plus vel minus ad populũ prædicauit. Quadraginta horis plus vel minus paulo, in ſepulchro iacuit: quadraginta diebus pluit vt mundum aqua diluuij

uij ſubmergeret: & quadraginta annis proximus fuit generatio ni malæ & adulteræ Iudæorū quibus dixit ſemper errare corde. O vtinā & nōbis fidelibus ſimilia verba dicere non poſſet, cū quibusnō quadraginta annis in colūna nubis & ignis, ſed mille quingētis & ſeptuaginta à natiuitate ſua: & in ſacramēto altaris in cibū noſtrum & potū ab anno & nocte qua traditus eſt. O vtinam & nos non ſemper erremus corde. Cum ſint omnia iſta de numero quadragenario, quis dubitat quin Deus fecerit, vt euangelia maxime veneremur, & decem præcepta totis viribus adimpleamus? Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. *Pſal. 94.*

Quid credis aut cogitas fidelis quadrageſimā inſtituere & facere? Miſſas celebrare & corpus Chriſti ſacratiſsimum conſecrare? In alio temporis anno quotidie per vniuerſam Eccleſiam ſacrum peragitur, & corpus & ſanguis Chriſti conſecrantur: eleemoſynæ non faciunt illam: quia ſemper à bonis opera Charitatis exercentur. Si dicis conciones quadrageſimam componere: falleris certe, nam & alio anni tempore verbum Dei prædicatur, & væ populo aut ciuitati vbi frequenter Euangelium, vt decet calore & exemplo, non concionatur. Si Dominus Sabaoth & exercituum non reliquiſſet nobis ſemen diuinum verbi ſui in Eccleſia ſancta: abſq; dubio (vt ait Iſaias) quaſi Sodoma in vitijs fuiſſemus & quaſi Gomorrhæ in ſupplicio ignis & ſulphuris ſimiles iam effecti eſſemus. Quid ergo quadrageſimam conſtituit? Ieiunia ſunt quæ quadrageſimam faciunt: vnde tu non ieiunans, quantum eſt in te, illam deſtruis, & tibi non conſtituitur? Tamen vę vobis qui ſaturati eſtis in die ieiunij illud frangendo, & vetita comedendo, quia eſurietis aliquando, & non erit vobis cibus. Dominus dicit væ? Multum malum eſt. Væ qui conſurgitis mane (ante horam ab Eccleſia conſtitutam) ad comedendum & ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſq; ad veſperam. *Eſai. 1. C. & ad Roma. 9. G.* *Eſai. 5. C.* *Luc. 6. D.*

Ieiunabat per dies quadraginta ſine cibo & potu, & etiam per noctes: ne quis putaſſet licere de nocte vorare: vt Mauri faciunt ſtultiſsimi: etiam ſi ne noceat potus aliquid ſumi poteſt (vt ſupra feria quarta diximus) id quod timorata docet cōſcientia. Et etiam, vt in proſperis & aduerſis mens noſtra à vitijs ieiunet, & cautelā habeamus erga virtutes & vitia. Ieiunabat nocte & die & ieiunio orationem iungebat: nā (vt ait Origenes) ſuperabundanter & digne dñs conſequentia orationis ieiunium comēdauit: *Homi. 4. in diuer. aut. fol. 513.*

uit:conueniens valde eſt,& conſequens orationis ieiunium, alterum alterum gignit.Fœlix qui his duobus ſcutis ſemper inuenitur armatus:difficulter ab aduerſario victus erit, & parũ damni à dæmonis ſagittis recipiet anima ſua. O felix qui à vitio etiam,cum Chriſto ieiunauerit:nam vt ait Diuus Bernardus,nõ ab eſcis tantum ſed ab omnibus illecebris carnis,& vniuerſa corporis voluptate ieiunandum eſt:imo lõge amplius à vitijs quam à cibis. Sed eſt panis à quo vos ieiunare nolo ne deficiatis in via huius mundi:& ſi neſcitis,panem dico lachrymarum:mirabilis potus lachrymarum eſt,ieiunij cibo additus & orationi. Quis cogitat,Chriſtum Domini in deſerto ieiunantẽ & in oratione pernoctantem,lachrymis nõ fuiſſe perfuſum, dum cogitabat cuius cauſa ieiunabat,& quam peruerſe nos illi ſoluere debebamus? Ieiuna ab omni peccato,nullum cibum malitiæ ſumas:nullas capias epulas voluptatis(ait Origen.)nullo vino luxuriæ cõcaleſcas,ieiuna à malis actibus,abſtine à malis ſermonibus contine te à cogitationibus peſsimis:tale ieiunium Deo placet, & ipſe illud elegit:elige & tu ſi cupis ſaluus fieri in gloria, Amen.

*Serm. 1. in capit. ie.*

*Hom. 10. in Leui. 20. fol. 176.*

# Homilia Tertia

*Text.* ¶Poſteà eſurijt.

DERMITTITVR autem eſurire corpus(ait Diuus Hieronymus)vt diabolo tentandi tribuatur occaſio:perfectus Deus es,& ſic ſine cibo & potu quadraginta dies tranſis: perfectus homo es vnde tibi eſuries prouenit. Nec de Moſe & Elia ſcribitur eſurijſſe poſt quadragenariũ ieiuniũ ſuũ Dñe, tamẽ Moſi corpus in illo fere ſtatu(cũ ad diuinũ cõſortium admiſſum eſt)conſeruatum fuit,nulla facta cõſumptione humidi radicalis,ſed nec forte nutritiui:quia cũ ſpiritus & calor ab imi ſtomachi partibus ad ſublimia intellectus rapi oportebat,actio caloris parũ aut nihil circa nutritiuã operationẽ intẽdebat:& præcipue quia virtus diuina operabatur cui omnia ſubijci debent. De Elia autem ex virtute à Deo & ab Angelo cõmunicata pani illo ſubcinericio,

*Exod. 24. D.*

vt

vt Angelus dixit vt comederet, sic ambulauit infortitudine cibi illius quadraginta diebus & noctibus sine fame: nã virtute Dei & angelica, pani illi tantum nutritiuæ virtutis miro artificio insitum fuit, quantum ad nutriendum hominem quadraginta diebus sufficere poterat. Filius tamen Dei propria virtute diuinitatis humanitatem adiuuauit vt non esuriret quousq; ipse voluisset: vnde postea esurijt, quia salutem nostram (ait Diuus Anselmus) desiderabat: & ista fames cruciabat magis viscera illius. Et esurijt etiam vt audaciam tentandi dæmoni præberet (ait Chrysostomus) vt optimus Athleta qui vt discipulos ad pugnã inuitet & exerceat (data opera) in palæstris cum superbo dæmone intrat, & prius esurie illum prouocat: interim tamen facilitate, qua (eum qui Deus erat) decebat illisit & vicit. Et (vt ipsemet Chrysostomus in imperfecto affirmat) Christus esurijt, ne manifeste intelligeretur Deus, & sic Diabolo spem tentandi extingueret, suamq; victoriam impediret, & exemplum quod nobis dare intendebat: nam dæmon postquam esurientem illum sensit cœpit sperare, nam antea desperauerat videns Dominum per tãtũ tempus sine fame ieiunare.

3. Reg. 19

Hom. 13. in Matt.

Hom. 5. fol. 78.

Et sic accessit ad extra esurientem, & inuenit intus nunquam esurijsse, & dum tentat esurientem vincitur à non esuriente. Esurire & non manducare patientiæ est humanæ, non esurire autem diuinæ naturæ. O Christe Iesu pastor bone, in exilium tendis acsi male factor esses? Inter bestias habitas, acsi non esses Angelorum Princeps? Ieiunijs vacas, acsi cibos vetitos comedisses? sitim pateris, acsi nociua bibisses? vigilas, ac si multum somno indulsisses? Laboras, oras, pœnitẽtiam agis, vt quid talia mi Domine, nisi quia peccata nostra meruere æterna ieiunia æternos labores, & exilia perpetua, famem & sitim caninã, & cũ tu fideiussor, ob tuã bonitatem, factus es noster, soluis quod nõ rapuisti. Laboraui sustinens, dico per Isaiam, quia multos labores passus sum sustinens vos ad pœnitentiam, & expectãs an similia pati voluissetis. Vnde seruire me fecisti ò homo, in peccatis tuis & ieiunare: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis, & ideo esurie patior, ob cibos vetitos quos cõtra Dei præceptũ comedisti: pro comestione tua vitiorũ esurio & pallida fum facie & mortali colore: vide quãti mihi stet voluptas tua vnius horæ.

Isai. 1. D. Ierem. 6. C. Isai. 43. D.

Si

Matth. 17. A. Si vidiſſes ò homo, faciem illam (quam poſtea Apoſtoli ſplendentem tanquam ſolem viderũt in Thabor) macillentã, & cum eſſet ſpecioſus forma præ filijs hominum, vidiſſes Dei filiũ quaſi febri quartana correptum pallidum & abſq; colore, quia colorem charitatis à facie conſcientiæ tuæ ob mortale delictum, deſtruxiſti frater mi, & ego itidem, ideo Dei verbum caro factum eſurit & ſine colore manet in facie. Qui das etiam omni carni eſuriem pateris, domine mi? O culi omnium cœleſtium & terreſtrium ſperant in te & das illis eſcam & cibum vnicuiq; aptum, & eſuris ipſe? etiam, quia me eſurire facitis ob peccata veſtra & laborare.

Pſal. 144.

Vide animæ oculis ò homo, iuuenem delicatum & valde nobilẽ ab inedia & ieiunio cruciatum ob tuas epulas, vide pallidum & eſurientẽ regem regum, & valde dolentem de ingratitudine tua ab ipſo præuiſa. Interroga illum, quid hic agis domine mi, adoleſcens pulcher, & tamen iam facie macillenta & eſuriens? Es ne aliqua febri laborans? Eſt ne tibi aliquis lateris dolor? ſum eſuriens vt cibum gratiæ tibi præbeam, & caueas in futurum cibos vitiorum tangere necdum edere: non habeo febris ardorem, tamen habeo charitatis calorem: non me tenet lateris dolor, ſed amor cordis, in talem eſuriem me deduxit: nam operui in ieiunio animam meam (ideſt vitam fere operui) ita vt infirmum me iudicaſſent me videntes. Et non eſt facta ſolutio ex parte hominum laudando te & ſeruitia impendendo domine mi? Et factum eſt in opprobrium mihi: nam loco laudis nomen meum iugiter blaſphematur ab illis tota die (vt per Iſaiam conqueror) & loco ſeruitij ieiunia frangunt & cibos voluptatum comedunt: vnde ieiunium meum factum eſt in opprobrium mihi, & ſic homines ſoluunt mihi: nam operui quaſi quodam pallio triſtitiæ in ieiunio animam meam, vitam & potentiam meam ob ſalutem hominum & vt ſoluerẽ debita ſua, & ipſi improperant me quotidie verbis & factis: vidiſtis ſolutionem. Aut in cruce ſalutem humani generis eſuriens & ſitiens (ait Hugo Cardinalis) ieiunaui, quia niſi vnum latronem, & alterum Centurionem nullum ibi alium comedi, & incorporaui mihi tanto ſanguinis mei diſpendio: & in tali ieiunio operui animam meam, diuinitatem celando nempe, cũ tã paucos cõuertiſſem ibi: nec me vindicãdo potentiam meã exercui.

Pſal. 86.

Iſai. 52. B.

Et

Et fere idem mihi modo cum fidelibus contingit: quorum paucis ieiunium ſuadeo, & virtutum opera; vnde erga illos qui legi meæ non obediunt factum eſt ieiunium meum & mors in opprobrium: & amore illorum nomen meum blaſphematur inter gentes: videntes tã parũ vtilitatis fideles meos ex paſsione mea, & ieiunio in deſerto lucrantes. *Ezech. 3. D. ad Rom. 2.*

Audi ó homo, iuuenem nobilem ex ieiunio, tui amore ſumpto, pallidum atq; atq; verba dolenda dicentem patri ſuo: genua mea diuina pater mi, infirmata ſunt, & vt hominis infirmi effecta ſunt, à ieiunio quadragenario in deſerto à me habito: & caro mea & corpus meum & facies mutata eſt in pallorem ex rubicunda, propter oleum & medicinam componendam morbis hominum aptam & voluptatibus, & comeſſationibus illorum. Et quam ſolutionem dederunt homines fili mi, pro tuis genis pallidis ex ieiunio amore illorum ſuſcepto, & ob oleũ & medicinã quam morbis ſuis confeciſti? nam cum nunquam febri neq; alia infirmitate corporea laboraſſes, quomodo dicis genua infirmata tua fuiſſe? nam (vt ait Thomas) defectus qui proueniunt ex culpa hominis particularis (puta ex inordinato victu, quandoq; ex defectu virtutis formatiuæ quorum neutrum Chriſto conuenit filio meo) nõ aſſumpſiſti, mors tamen & fames, ſitis & alia huiuſmodi prouenientia ex peccato primi parentis, qui in omnibus hominibus communiter inueniuntur, & in te Chriſte etiam inuenti ſunt: quid igitur gratitudinis ab hominib⁹ accepiſti fili mi, ob ieiunium à te habitum quo caro tua in palledinẽ verſa eſt & mutata? Et ego tuæ maieſtatis filius factus ſum opprobrium illis, nempè hominibus, nam Iudæi viderunt me in cruce ieiunãtem, & mouerunt capita ſua irridentes & vah dicentes: & multi fideles opere & lingua ſimiliter irridentme, mandata mea contẽnentes & ieiunia conculcantes. *Pſal. 108* *3. p. q. 14. ar. 4. in cor.* *Matt. 27. E*

Quieſcite iam agere peruerſe fideles obſtinati, ieiunate, conſortia nociua ludi, aut voluptatis fugite vt à facie colubri? Videntes hodie mentis oculis & fidei lumine & in eccleſiæ repreſentatione, filium Dei ieiunum & pallidum ſolitarium in agro, cum beſtijs, ob noſtra vitia brutalia & carnalia deſideria, ploran tem exiſtentem: non ſecum patrem Ioſeph & nutricium, non matrem virginem nec aliquem diſcipulum, aut ſodalem habentem:

tem: tamen patris cœlestis & angelorum non carebat consortio, qui hominum frequentiam vitabat, nõ alebatur vt homo, supra hominum natura agebat: carebant lecto artus sacrati nec pului-nar, saltim ligneum (vt in nauicula habebat) supponebatur diuino capiti humanitus quiescenti: vnde non habebat filius virginis & Dei, vbi caput reclinaret, nisi lapidem durum, aut humum frigidam: sedile non erat illi vbi quiesceret, aut sederet: terra stratum illi erat atque sella cum esset terra sua, & plenitudo eius. O Domine quanta passus es in terra, vt nos à terrenis ad cœlestia attraheres, sed frustra cum multis. Quibus pannis denocte cooperiebaris à frigore Domine, qui cœlum octauum stellis, & campos floribus, & oues lanis cooperis? Nullo panno cooperiebar nisi cœli: in hospitio stellæ (vt communiter dicitur) sub diuo nocte & die eram: tugurio aut sepulchro Hilarionis carebam, colonus ego super terram, nullas habebam ædiculas neque aliquo tegebar tecto, sed solitarius eram vt passer, sed sine tecto nec domo: intemperiei aeris & frigoris expositum corpus meum nobile semper erat: hyemis frigoribus & gelu algens eram cum in deserto calido versabar, duabus tunicis pauperculis accinctus, quas paupercula mater mihi dederat: quia à septima Ianuarij die vsque ad quintamdecimam Februarij in deserto fuit mora mea: quod tempus aut imbribus, aut niuibus aut pluuijs aut est frigoribus aptum.

*Marc. 4. D. & ibi Theophylactus.*

*Psalm. 23.*

Et omnia ista & alios quos taceo labores libentius in solitudine ieiunus & pallidus plorans & orans patiebar, quam corda vestra fideles mei modo videre, consortia nociua amantia, & vitiorum commercium, & Dei & Angelorum & virtutis societatem fugientia, & mala perpetrare volentia, bonum vero & ieiunare nolentia, sed voluptates & luxus, & lectos delicatos & molles diligentia: puluinaria assentationis, & adulationis ad inuicem ponentia sub omni cubitu? Video corda vestra lapidea & terrena imo silice duriora, in quibus caput meum reclinare non potest neque quiescere: sunt hyeme frigidiora, ignem charitatis meæ non admittentia: gelu & niue tepidiora: væ vobis si verbum meum non liquefacit illa vt fluant aquæ lachrymarum pœnitentiæ debitæ.

*Psal. 147.*

Reuertamur obsecro fratres mei ad iuuenem cœlestem pro nobis

nobis ſolitarium & ieiunantem: nam reuera tepidiſſimo corde, & frigidiſſimo ſum, tamen non inuenit cor meum viam qua recedat à tali diuino iuuene, & à cõſideratione qua illum pallidum & ieiunum, & inter beſtias, & quaſi infirmum ob meum amorem videt: & ſi aliqua amoris ſcintilla mihi adeſſet erga illum, fere non minus de peccatis meis, & cibis vitiorum meorum dolerem illum ſic modo cõſiderans, quam in horto triſtem & ploran- Luc. 22. E.
tem & vſque ad ſudorem ſanguineum in agonia orantem. Volo tamen modo (& ſi puluis ſum & cinis) interrogare te vt audax clientulus & ingratus, iuuenis ſacer, tua bona venia: tuliſti aliquid de ciuitatibus pro liberatione famis bone iuuenis? alimentum aliquod tecum in deſertum portaſti, panem ſaltim aut aliquos fructus? nihil mecum cibi tuli: nam cum à Iordane, vbi nudus baptizatus ſum, huc nudus & ſpoliatus omni cibo veni, ſine ſeruo ſine iumento nil ad comedendum portaui, poſtulaſti aliquid à Ioanne? cum adeo abſtinẽtia incredibili fere vteretur nihil ab illo petiui, & in mõtibus eſt cibus eius & coquina. A matre ſanctiſsima (etſi pauperçula) non petiſti ex epulis & cibariis quos ipſa mundiſsimos, etſi pauperes, tibi in Nazareth & alibi cõdiebat? nil à matre poſtulaui, imo nec à patre cibum aliquẽ corporalem accepi cum ſim vnus Deus cum illo: vt ſoluerẽ peccatum tuum gulæ.

Pauper ſum ego, & eſuriens & in laboribus à iuuentute, Pſalm. 87.
imo & à pueritia mea pauper & mater mea, pauper & Ioſeph nutritius meus: pauperrimus hîc in deſerto maneo: ſine pane ſine aqua ſine lecto ſine menſa ſine cella ſine tugurio Antonij eremitæ, nec Hilarionis ſepulchro: nunquam igne calefactus ſum, neque buccellam alicuius cibi guſtaui. Vbi mundi reges? vbi ſunt quos ambit multitudo populorum? vbi prælatorum & animarum paſtorum ſplendidæ menſæ? vbi delicati peccatores? vbi guloſi ieiuniorum fractores? vbi maligni luſores? vbi voluptatum magis quam Dei amatores? veniant omnes plorantes & gementes, & præ anguſtia ſpiritus dolentes, & coram Domino procidentes: & contempleatur regem regum, & principem paſtorum ab animalibus ſociatum, ieiunum & pallidum, & ab omni deſtitutum ſolatio: vt diſcant delicata reſpuere, & aſpera cum Chriſto eligere, ſi cupiunt cum illo in cœleſtibus regnare. Et dicant,

noſtris

nostris malis offendimus nos Deus tuam clementiam, & ad tã-
lem deduximus statum, effunde nobis desuper remissor indul-
gentiam, & da locum pœnitentiæ.

*Psal. 140.* Quid hic faciebas delicate iuuenis solitarius existens & singu
laris homo, donec tranfires ex hoc mundo ad patrem? Semperin
omnibus operibus tuis singularis & particularis fuisti nec sociũ
habuisti nec æqualem: singularis in ieiunio, in opprobrijs, in fla-
gellis, in miraculis & in vita, & etiam in morte turpissima: & in
resurrectione virtute propria: singulariter viuẽs singulariter mo
riens. Orabasne quotidie, & pernoctans eras in oratione? duce-
*Luc. 6.* bas noctes in somnes? legebas? quid domine mi, in eremo facie-
bas? non enim portabam codicem, thesauris sapientiæ plenus:
plorabam interdum, videns hominum malitiam præsentem cõ
tra patrem meum, & ingratitudinem futuram contra passionem
meam: flebam largiter sciens quam pauci erant ieiunaturi amo-
re ieiunij mei: quam pauci castitatem erant seruaturi & veram
pœnitentiam de peccatis acturi, & laboribus meis & morte quã
pauci essent bene vsuri, respectu damnandorum.

Quid tamen Deus summus tunc inter bestias egisset temera-
rium est diffinire, quod cœlici notarij non scripserunt nec ipse
prædicans notum fecit: sed illud certissime faciebat, quod facere
decebat hominem diuinum, humana diuinè, & diuina humanè
operantem: & nihil sine causa & ratione aut steriliter agentem,
sed semper vt decebat Deum & hominem in vno existentẽ sup
posito diuino, hominem & Deum, faciebat: & facta eius intelle
cta siue ignorata omni veneratione digniſima fore quis dubita
re audebit? imo eo magis digna, quo inuestigari nõ possunt. Sed
incunctanter & absq; dubio credamus, quod in omnibus agebat
& intendebat salutem nostram, per exemplum documentum
præostendens, prius debere hominem esse sui ipsius quam alte-
rius, & debere misereri animæ propriæ & illi eleemosynam bo
norum operum prius præstare, si Deo placere desiderat quam
*Eccle. 30. D.* alios viam salutis docere, & in illos sermonem & opera charita
tis diffundere. Miserere animæ tuæ prius, placens Deo:
idest, qui Deo placere desideras: hoc maxime docebat Christus
in hoc.

*P. 3. ti. 24.*
*cap. 7. §. 11.* Dicebat frater Egidius tertius discipulus, seu habitu indutus,
à D. Frãcisco (referente D. Antonino in historia sua) videns mul
tos

tos libenter prædicantes & negligenter operantes: si operaris bonum quod intelligis: venies in bonum quod non intelligis. Magis distant à verbis opera, quam cœlum à terra: melius est homini quod doceat se ipsum, quam quod doceat totum mundum: si vis multum scire multum operare, & inclina caput tuum: nobilis prædicator est humilitas. Et suspirando dicebat: multum distat ouis balans à pascente: id est prædicans ab operante. Reuera in corde meo velim verba ista semper habere: & hoc Christi exemplum mirandum alta mente retinere. Nam quid mihi coram iudicis tribunali tot conciones tot scripta de verbis & factis Christi Iesu proderunt, quibus multi potuerunt pœnitentiam veram agere, & salui fieri & ieiunare, & orare, & in viam veritatis reuerti à vijs prauis (Dei auxilio) & bene operari, si meipsum non doceo humilitatem castitatem & alias virtutes, & nec digito volo tangere operationis, tam multa quæ alios doceo in concionibus? O vtinam ex hac hora mihi contingat, operari prius, & deinde alios, cum timore & tremore & humilitate non ficta, docere: meritis immaculatæ Mariæ, cuius conceptionem crastino die ecclesia celebrat. *Matt. 23. A*

Vtinam ego & omnes alij verbi Dei præcones, discamus à magistro veritatis Christo Domino, qui prius omnia quæ iussit fecit: quam aliter audientes in virtute profeciſſent, & prædicãtes, in perfectione. Si alijs ieiunium consulere vis concionator Dei, ieiuna cum Christo prius: alias si de ieiunio prædicãti per dixeris tibi, nescio quam vim suadendi verbum tuũ habebit. Si dicis non adulterandum & es concubinarius, quid vtilitatis concio talis populo malitia pleno conferet? Si pœnitentiam agite dicere vis alijs vt Christus & Ioannes dixerunt: sequere amborum vestigia prius rigidissimam pœnitentiam agentium: sic prius facere incipiendo mirifice vtilia docebis. Et consortia nociua fugiens ipse, alijs hoc optime suadebis: alias in vanum laboras: & eris vt ossa Elisei alios mortuos tuis verbis Dei auxilio viuificans & à latrunculis infernj liberans, te ipsum interim in sepulchro fœtido conscientiæ prauæ habens mortuum, & in peccatis iacentem. Disce à Christo prius facere quam docere, & per maius tempus. *4. Reg. 13. D* *Actu. 1. A*

Quid interim pia mater & virgo faciebas quando filius ieiunus, & esuriens in deserto solitarius viuebat? Cur sustinebas ab-

sentiam tanti filij in deserto ieiunijs macerati? noueras tamen eũ esse Dei filium, & voluntatem eius esse infallibiliter bonam & sapientem & sic sub regimine illius semper constituta fuisti: & non dubito quin prius dixerat ipse absentiam suam & in desertum fugam tibi. Beatus qui cum virgine castus & cum matre purissima mũdus te visitasset charitate succensus ignis diuini, & ieiunus vitiorum te ieiunum ciborum, damnosa consortia fugiens: & attulisset de naturæ bonis quæ tu Deus factus homo creasti: sed præcipue de bonis moralibus & meritorijs, quæ homo tuo auxilio & gratia creat, quibus tu potius delectaris quam omnibus terrenis quæ creasti. O vtinam tibi ieiuno tales ego præbuissem cibos, & tua fuissem allocutione potitus, certe non rediissem vacuus & absq; præmio: gratanter in solutionem accepissem vt prius facerem omnia quæ docerem. Sed pauperes semper habemus nobiscum ieiunos & famelicos & omni solatio desertos, quos loco tui nobis commendasti & locum tuum tenentes: & ipse scis quam parua cura nobis de illis est, ac si non dixisses, accipite gratiam hic & postea gloriam: quia dedistis mihi manducare. Amen.

# DOMINICAE Primæ Quadragesimæ Homilia Quarta.

*The.* ¶ *Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.* Matth. 4. B.

*Text.* ¶ Et accedens tentator, dixit ei: si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quire spondens, dixit: scriptum est: non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctã ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.

SA-

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

CONtra nos accedit tentator virgo ſancta, inceſſanter, vt lapidibus tentationum duris in terram, & deſideria terrena nos proſtret: vt cœleſtia perdamus vt ipſe corruit. Non eſt quod ille magis deteſtetur, quam nos filios Dei per gratiam videre: vnde non vult niſi quod opera pœnitentiæ dura in molliciem & luxus conuertamus, & ieiunia in comeſſationes. Scriptum eſt te Dei matrem eſſe, in cuius vtero panis vitæ charitatis igne, tanquã in ſacro furno, decoctus eſt in cibum noſtrum; quo viuimus & mouemur & ſumus, & cuius auxilio dæmonem vincimus. De ore Dei patris, verbũ æternum per generationem procedens, venit in vterum tuum, ore Gabrielis mediante: vnde egreſſus eſt velut ſponſus procedens de Thalamo ſuo. Quis melius, poſt filium tuum, cõtra dæmonis lapides adiuuabit, quã ipſa virgo fortiſsima? Cõtra terrena deſideria adiuua nos cœleſtis puerpera: vt filiationẽ Dei non amittamus, mater Dei, tuis precibus ſuccurre nobis: vt in dies magis ac magis operibus pœnitentiæ vacemus, quibus lapidibus dæmonẽ vincamus: cũ ſcriptũ ſit non coronabitur niſi qui legitime certauerit. Coronã aliã, quã beatitudinis nolumus, hæc ſine gratia nõ datur, qua victoria obtinetur. Petat illam virgo à patre, meritis filij, vt ſicut ſcriptũ eſt, ſpiritus ſanctus doceat, & vnctio, illa quæ dicturus ſum, vt ego & vos victores contra dæmones ſimus. Interim intimo corde & humiliter coram illa dicamus, Aue.

*Matth. 1. C.*

*Pſalm. 28.*

*2. ad Tim. 2. A.*

*1. Ioan. 2. D.*

Ad filiũ Dei in deſerto ieiunũ ſolitariũ & eſuriẽtẽ reuertamur; nã ſi hoc ad ieiunãdũ, nõ ſolũ àcibis à ſancta eccleſia inhibitis, ſed etiã à vitijs, nõ ſufficit, Chriſtũ pallidũ ex ieiunio videre noſtri amore; nõ ſat erit illũ in cruce ſitiẽtẽ aſpicere, & loco cibi, fel: & loco potus acetũ accipere. Quis vltra nõ ieiunabit homo? angelorũ gaudiũ cibus beatorũ, quomodo in deſerto eſuris, qui miſiſti cornuos vt ad Eliã deferrẽt panẽ & carnes mane & ſimiliter veſperi? Ob veſtrã pœnitẽtiæ procraſtinationẽ ò homines coruis nigriores & erga proximos crudeliores, talia ego patior. Dediſti populo dura ceruice manna, quo per quadraginta annos pauiſti: & tu eſuriẽ in deſerto pateris ieiunus quadraginta diebus? Et vobis fideles corpus meũ in cibum, & ſanguinẽ in potum, pluſquã mille quingentis annis dedi: & quotidie magis ingratos inuenio,

*Pſalm. 68. 3. Reg. 17. A*

*Exod. 16. D*

& ieiuniorum fractores & magis quam Dei voluptatum amatores.

Quam multi (interea dum Christus seruator noster ieiunabat & famem patiebatur Angelorum panis) homines crudeles & Deo inobedientes fures, auari, inhonesti abundabant pane & otio & erant in conuiuijs suis splendidis, ducentes in gaudijs & in bonis cibis dies suos & in peccatis. Sicut & modo contingit, nam multi peccatores abundant pane & in conuiuijs fere totam expendunt vitam: & multi iusti ieiunantes & famem patientes, & vnde cibum emant, non habent. Venient tamen dies, in quibus illud Isaiæ adimplebitur, vbi dominus ait: serui mei comedent panem cœlestem, in domo mea super mensam meam, & vos esurietis peccatores, & famem passi eritis vt canes, quia viscera misericordiæ pauperibus clausistis.

*Isai. 65. C*

*Simile.*

Esto ne aliquis vestrum corde adeo duro, vt alter Nabal, qui si obuiam Christo in deserto esurienti fuisset, & dixisset tibi, frater, da mihi panem, quia valde esurio cum sim Dei filius, quia & homo etiam, ob salutem tuam factus, & ieiunauit tui amore, quod illi nō dedisses, sed dixisses: adiuuet te Deus pater tuus, ego nolo tibi panem dare? Ne talia affirmes concionator, nam cor meum in cibum illi esurienti dedissem. Ne tu tale proferas verbum crudelis Nero, obstinate Nabal, nam ipsemet Christus

*Matt. 25. D.*

dixit, se recipere panem quem pauper petit à te: & nihilominus famelicum à te ejicis. Et quando aliquid præbes, verbum est dicens, Deus te adiuuet. Deus illum adiuuabit: sed & tu adiuua etiam necessitatem suam: nam ipsi Christo non vis dare panem, quem pauperi non præbes. Quid tamen de pane corporali loquor, cum sint multi fideles panem mendacij & voluptatis nolentes Christo petenti dare; à peccato desistendo & veram pœnitentiam agendo?

Cum ieiunasset esurijt Christus, quia impossibile est vt iustitiam & virtutem esurias & magnum desiderium habeas ad illam, nisi prius à culpa ieiunes: imo nec dæmonem vinces, nisi à

*Hom. 1. fol. 130. E*

culpis ieiunando & iustitiam esuriendo. Nam (vt ait D. Basilius de laudibus ieiunij) qui caput est omnium ieiunantium Dominus noster, non prius in carne, quam pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit, quam eā ieiunio comminuisset; & cogitas pinguissimus cibis & voluptatibus deditus, & sine iustitiæ esu-

rie,

rie, sic dæmonẽ vincere, vilis & sine viribus homo? Vince prius carnem tuam & abstinentijs comminue illam, & animam ad esuriem & famem virtutis inuita, à vitijs abstinendo, & sic Dei adiutorio fretus ad pugnam cum dæmone egredere. Hoc docet hic Christus, qui per esuriem, tentatori præbuit tentandi ansam: alias non patebat aditus per diuinam sublimitatem: nec opus est dæmoni tentare te, si ieiunijs & abstinẽtijs nõ vacas: & à vitijs ieiunas & iustitiam esuris, iam victus es.

Esurijt filius Dei, quia comedit Adam: nam (vt ait Diuus Basilius ibi) si à ligno ieiunasset Adam, nequaquam hoc nunc ieiunio opus haberemus, pœnitentia sine ieiunio ociosa & infrugifera est: igitur sanemur per pœnitentiam & ieiunium, cum per cibos infirmitatem incurrimus. Ne causeris corporis valetudinem infirmam, dicendo te ieiunium ferre non posse: neque enim mihi istas excusationes profers, sed iuxta prouerbiũ: scienti loqueris: nimirum Deo, quem nil latet. Age dic mihi, ieiunare non potes, & potes explere edulijs, potes conficere corpus escarũ pondere, & peccare potes & non ieiunare. Vide filiũ Dei tui amore ieiunantẽ & esurientem, & non volentẽ, vt abstinentia corpus: num occidas & inordinatis ieiunijs, sed vt corpus spiritui subditum reddas, vt inde in omnibus Deo tuo obedias.

Esurijt Dominus, sed non occidit corpus: vt doceret nos rationabile obsequium (ex consilio Pauli) Deo offerre in ieiunijs & pœnitentijs. Nã homines & mulieres frequenter extrema quærunt viciosa, vt medium virtutis fugiant. Alij nunquam ieiunio vacant: alij, & si pauci, in alio extremo ieiunant, vt nil operis virtutis aut orationis possint exercere: & præcipuè tales mulieres sunt parui cerebri, audaces in omnibus. Ieiuna à vitijs mulier, & deinde, ieiunium ab Ecclesia præceptum. Si vis feriam sextam ob amorem filij Dei crucifixi & felle cibati in ieiunio suo hora nona: & sabbathum (in honorem Virginis, tali die mœstissimæ existentis ob filij mortem & absentiam) ieiunare: ex consilio S. Apollonij, vt est videre in historia S. Antonini. Deus adiuuabit te tẽperate comedentem. Tamẽ noli extrema quærere, vt in vno mense ieiunes immoderate, sine alio cibo & potu, præter panem & aquã, & deinde, quia infirmata es ob hoc, in die veneris sancti, & Ecclesiæ vigilijs carnes comedas. Certè bene scio hoc, in nostris intemperatis tẽporibus, paucos & rarissimos fore admonen-

*Ad Roma.* 12. *A.*

2. *part. titul.* 15. *cap.* 10. *fol.* 129. *col.* 3. *ante.* §.

monendos consilio isto, cum Ecclesiæ ieiunia conculcent: tamẽ semper dæmon extrema consulens, habet suos: præcipuè suas, quas hamo isto captare vult: vt valde ieiunantes ab oratione retardet, & sine viribus ad aliquod bonum relinquat. Ob tales dicebat D. Paulus, corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est pietas ad omnia. Si aliquas inueneris confessor huiusmodi mulieres stultas dicto D. Bernardi illas instrue in modo bene viuẽdi ad sororem, iam supra Feria quarta Cinerũ à nobis relato. Sed audi, tremẽda D. Bernardi verba. Crede mihi soror mea, quia tentationes vincere non poteris, nisi corpus tuũ per abstinentiam debitã & moderatã castigaueris. O verbum Bernardi omni acceptione dignum: quid conquereris, ô homo, te quotidie à tentationibus prostrari & vinci, quanuis potius mori quam peccare desideres: quid tibi prodest, si corpus delicate nutris, neque ieiunijs spiritui illud subijcis? Iam audisti Bernardum, impossibile esse vt corpus vincas & illius tentationes, si abstinentia illud nõ castigas: per cibum & potum crescit luxuria: ciborum saturitas suscitat luxum carnis. Voluptas semper saturitati adiũcta est, & maligni spiritus ibi magis intrant, vbi plus escam & potum vident. Igitur ita corpus affligamus, vt vires ad nos adiuuandum in Dei seruitio reseruet: & ita nutriamus illud, vt contra spiritum non recalcitret: exemplo Domini nostri Iesu Christi esurientis, qui cum peccare non posset, ita corpus affligebat ieiunijs & famem pati faciebat, quod tamen non occidebat: & cum rebellionem careret, nihilominus vt nos doceret, castigabat corpus suũ, abstinentia & oratione: vnde sumpta occasione malignus venit.

*2. ad Timot. 4. c. Homilia. 2. pag. 68.*

*Text.*

¶ Et accedens tentator.

*2. P. tit. 5. cap. 2. §. 18. fol. 77. col. 3*

CVm diabolus sciret Dei filium incarnandũ, & genus humanum liberãdum de manibus suis (vt ait D. Antoninus in historia sua cuius adiutorio, post diuinũ, sequẽtia dicemus etsi alio modo quã ipse) sed tẽpus vel modũ ignoraret: diligẽter obseruabat, si fortè posset illũ agnoscere incarnatũ, & liberationẽ nostrã & redẽptionẽ valuisset, omnibus suis astutijs appositis impedire. Et ita cũ videbat aliquos viros sanctos magna operari, obseruabat ne aliquis illorũ esset Dei filius, habitu humano dissimulatus. Tamen cũ in omnibus aliquid imperfectionis & etiã defectus perpendebat & peccata, nullum priorũ talem existimauit.

Nam

Nam etsi in Ioanne Baptista nullum viderat mortale, sciebat tamen non à Virgine sed à corrupta muliere habuisse ortum: & cum hoc varius extitit. Videns tamen Christum in mundum venisse, & se modum ignorasse: Quia etiam si virgo immaculata conceperat illum Spiritus sancti virtute, virgo manens post partum: quia tamen habere Ioseph in sponsum videbat, existimauit de illo esse conceptum: vnde ideo voluit Deus illam esse desponsatam, vt tale mysterium diabolo tegeretur. Nam (vt ait Origenes) quæ fuit necessitas vt desponsata esset Maria Ioseph, nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur; & ille malignus fraudis commenta aduersus Virginem & prægnatam, nulla penitus inueniisset? Et etiam vt nato & matri curam gereret iustus Ioseph. Et tanta erat sanctitas virginis atq; humilitas & castitas & in verbis suis sic erat prudentissima & sobria in omnibus, vt diabolus nunquam agnoscere potuisset, quo modo aut qua virtute conceperat Dei filium. *Origen.*

Christus natus est, & à matre nutritus, vt alij vicinorum filij, circunciſusq; octauo die vt alij: & duxit illum mater sua in Ægyptum & reuersus est in Nazareth vsq; in annum trigesimũ ætatis suæ, qui ad fluenta Iordanis perueniens à Ioanne baptizatus, in desertum à Spiritu sancto ductus, per quadraginta dies & noctes sine cibo & potu ieiunauit. Videntes igitur dęmones quãta admiranda & insolita circa Christũ contigerant in natiuitate & vita, forsan conuenerunt inter se cõtra illorũ principẽ Luciferũ, volentes illum dilacerare dicentes: ò stulte spiritus, quid agis, & vbi est astutia tua? Et quid facimus, cũ circa hunc hominẽ Christũ multa signa fiant à Deo? Nunquid non ipse Deus? Si dimittis eũ sic, omnes credent in eũ & à laqueis tuis recte operando, euadẽt homines, & ipse sanguine suo redimet illos: quomodo stultus factus es tã euidẽtia signa nõ intelligens? Quid facitis maligni dęmones (ait forsan Lucifer tenebrarũ princeps.) Quid de me frustra & sine causa cõquerimini & gemitis affligentes cor meũ? Nonne malitia & sciẽtia & astutia omnes vos præcedo sicut & in pœna? Nõne melius quã oẽs vos attẽdi, quę circa hũc hominẽ Christũ contigerũt? Frustra est querela vestra, nã nõ debet esse Deꝰ ob multa quę in illo vidi. At illi è cõtra, Deꝰ debet esse certe. *Matth. 3. D.* *Ioan. 11. F.*

Colligamus igitur nostrũ infernale & malignãtiũ cõciliũ (ait Lucifer) & in carcere tetro & tartareo locus assignetur; in quo

omnes dæmones ibi assistentes, & alij per aera & terras peruersa facientes, congregentur in vnum; & de re nobis adeo necessaria
Psal.1. consilio, tractemus. Ego serpens antiquus & omnium pessimus
Isai.14.D. & in malo prudentior, præses existam, & in cathedra pestilentiæ sedebo in latere meo aquilonis, frigiditatis nempe & superbiæ, & ventiletur quæstio, an iste homo filius Dei sit: nam certe mihi videtur quod non est Deus. Alij è contra dicebãt iam omnes in vnum congregati, certe ille debet esse Deus. Et Lucifer, nõ debet esse: quia filius Dei nõ per viri operationem sed Spiritus sancti virtute nasci debet: iste habet matrem & etiam patrẽ Ioseph, non debet esse Deus. O stulte dux (dicebat vnus surgẽs in concilio malignus) & quomodo debebat fieri vt ipse non intelligeres, nisi sponsum sanctæ matri tradẽdo cum videas illam totam pulchram & sine macula culpæ viuere? Ille debet esse & absq; dubio virgo est illa post partum.

Isai.7.C. Tace imprudẽs (ait Lucifer) quia, iuxta Isaiæ Prophetiam, debet nasci de Virgine filius Dei, & ab Angelo annunciatus: talia de ista muliere nescimus, cum virum habeat, igitur non debet esse Deus. O pestifer (dicebant alij dæmones) & non retorularis quomodo ab Angelo fuit Nazareth annũtiatus: & sine obstetrice & sine dolore ipsa contra mulierũ maledictionẽ in Bethleem peperit, velut rosa præbet odorem integra manente? Ille debet
Iudic.13.A esse. Tacete ignari, Sansonem & Ioannem ab Angelo nunciatos ante natiuitatem agnoscitis, & paupertatem natiuitatis suæ sæpe
Luc.2.A. sine domo sine lecto: si esset Deus, ille intus corda habitantium in Bethleem moueret vt hospitium illi nasci volenti dedissent: non debet esse. O draco infernalis & quando vidisti nec audisti in alicuius natiuitate, canticum ab Angelis dicentibus, gloria sit
Ibi.B. Deo in excelsis & pax hominibus in terra, sicut quando iste natus est? Quis nisi Deus potest pacẽ in terris cũ hominibus componere? Ille debet esse. Tacete timidi, nam si Angeli talia cecinere & pastores venerunt festinantes, erat tanquam ad hominem sanctum: alias, vt quid plorare & lacte indigere illum oportebat si esset filius Dei? Non debet esse. O, quam stultum, etiam spiritũ angelicum, facit peccatum: quanto magis hominem.

O apostata miser, quomodo maiestatem suam tibi abscondere debebat, sub humanitatis habitu, nisi accipiendo infirmam naturæ humanæ, præter culpam? Et sic ploratã pro hominibus pa-

ti &

ti & ſoluere incipiens, & cum hoc dictum ſuit ab Angelo paſtoribus, natus eſt vobis ſaluator: ille ergo debet eſſe. Ne me amplius terreamini ſpiritus debiles, nam cum circũciſio contra originale inſtituta ſit, & ipſe octauo die circũciſus fuerit: igitur inculatus natus eſt, & per cõſequens Dei filius nõ poteſt eſſe, alias pollutus quomodo mundabit alios? Non debet eſſe. O tenebroſe præſes, & ſi ob multas cauſas circunciſus eſt, vt non videretur legem ſoluere & alijs eſſet exemplum, & Iudæis non eſſet ſcandalum: non audiſti nomen eius quo ibi vocatus eſt & ab angelo prænunciatus, nempe Ieſu? Tale nomẽ terribile nobis malignis ſpiritibus atq; tremendum, nõ ſonat ſaluatorem? Poteſt aliquis eſſe ſaluator, niſi ſit Deus? Ergo ille debet eſſe. *Luc. 2. B.* *Ibi. C.*

Ne tali nomine affligatis me infeliceminã. Ioſue filius Naue Ieſus etiam dicebatur: & alter ſacerdos, de quo Zacharias mentionem facit: vnde nil mirum vt & iſte ſic nominetur: & mater illius à pauperculo tugurio & diuerſorio exire nõ valuit vſquo ad diem purgationis legem timens, & ſic non debet eſſe Deus. Oprime peccator, quid tibi videtur de regibus coronas de capite proijcientibus & de longinquis terris venientibus, & in ſtabulo illum adorantibus (Quos ſtella regit) & munera magna offerentibus, aurum tanquam regi, thus tanquam Deo? Ergo ille debet eſſe. Ne talia dicatis, quis nõ videt Deum audire vagientẽ & vbera ſuggẽtem circunciſum & gementẽ? Hæc hominis ſunt non Dei. Et reges aurum & thus alio fine quam dicitis illi obtulerunt: quia pauper erat, & in loco animalium: etiam illi myrrhã, tanquam mortali dederũt: Deum & mortalem quis hucuſq; vidit? Non ipſe eſt Deus. *Zacha. 3. A* *Luc. 2. C.* *Matt. 2. A.*

O præuaricator magne (dicebat alius dæmon) in templo præſentato iſto puero non audiſti Simeonem ſenem dicentem, illũ eſſe lumen ad renelationem gentium & gloriam plebis Iſraelis? Quis hoc niſi Deus poteſt eſſe? Igitur ille debet eſſe. Tace tu inuerecũde (ait Lucifer) ſcio teſtimonia Simeonis & Annæ viduæ & ſatis de diuinitate eius tunc trepidaui: tamen non conſideras eum purum hominem, cum fugiat in Ægyptum vnius hominis Herodis iram? Nunquid Deus homines timet? Non eſt ipſe Deus, & ibi dicitur, poſitum fuiſſe in ruinam puerum: quomodo peccatores leuabit. Surgunt tot ſulti dæmones vlulantes atque magno gemitu clamantes atque dicentes: ô te infelicem atque *Luc. 2. E.*

deceptum ô Lucifer, & neſcis quomodo nos omnes de ſimulã-
cris decidimus & in hunc locum tormentorum fugimus, in il-
lius ingreſſu in Ægyptum? Non intellexiſti locum Iſaiæ dicen-
Iſa. 29. A. tis: ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem & ingredietur
Ægyptum, & commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius?
Nubes leuis, & ſine culpa mater eius eſt: & nobis experientia cõ
ſtat cerruiſſe ſimulacra ad ingreſſum illius cum nosmet cor-
ruimus: igitur quid deliras, cum abſq; dubio ipſe ſit Deus? Nõ
Luc. 2. B audiſti Simeonem quanta in eius laudem dixerit?

Ne vltra mihi timorem incutiatis ſerui mei infernales, nam
ſi iſte Deus eſſet vt quid cum peccatoribus baptizari à Ioanne
debebat? Baptizari non eſt ablui? Vt quid ablutio, ſine macula,
eſt? Igitur pollutus eſt cum ablutionem quærat, & ſic non ipſe
Deus. O ſerpens antique tui oblite, quanto magis verborũ quæ
in ipſo baptiſmate audiſti à patre ſuo dicente: hic eſt filius meus
Matth. 3. D. dilectus: nam ſi baptizari voluit, vt aquas ſanctificaret, nõ quod
ipſe ablutione indigeret. Mente iam conſternatus Lucifer dixit,
confuſus ſum: quid clarius hoc teſtimonio? Tamen forſan illa
vox indicat quod filius Dei eſt per excellentiam & magnæ ſan
ctitatis, non quod Dei filius ſit naturalis: alias vt quid illi opus
erat in deſertũ abire, quaſi hominũ & mulierũ conſortia timens?
Et quid mali comedit vt ieiunaret? Non debet eſſe: ne vltra mihi
loquamini. Vnicum verbum dicemus: Iam vidiſti illũ per qua-
draginta dies & noctes ſine cibo & potu tranſeuntẽ, ſupra huma
nam conditionem: cogita quid ſit faciẽdũ, nã certe ille debet eſ-
ſe Deus, & noſtra totalis deſtructio. Etiam ſi alios ſcio ieiunaſſe
tot tempus vt Moſem & Eliã, & illum eſurientem videã, quod
hominis eſt: in dubio tamen ſit vel nõ, exeat à Cõcilio iſto infer
nali, & à carcere tetro, & ex nobis peſtilentior & aſtutior: vt ten
tet & exploret an ipſe Deus ſit vel non: & ſic, & forſan Lucifer.

Text. ¶ Accedens tentator.

A B officio, quia inceſſanter tẽtat dicitur tentator: aut forſan
antonomatice dicitur tẽtator, ſi erat iſte diabolus Lucifer
vt videtur ſentire D. Aug. dicens: hic diabolus fuit Lucifer, qui
primum hominẽ ſuperauerat, & ſic credidit ſecundũ Adam ſu-
perare: ſed mentita eſt iniquitas ſibi. Et aſſumpſit habitũ religio

ſum,

sum, vt à Christo Eremita putaretur: & sic accesſit quasi cõpatiẽdo fami Christi. Et quod fuisset Lucifer, videtur insinuare Christus Dominus dicens: venit enim princeps mundi, & in me non habet quicquã, nec inuenit aliquid mali, nec sciuit quod desiderabat, nẽpe an ipse Deus essem. D. Antoni. dicit: alij dicunt diabolũ sumpsisse formam hominis formato corpore ex aere: sicut fit in apparitionibus Angelorum bonorũ aut malorũ factis hominibus: imaginantes tanquã assumpserit formã Eremitæ accedẽtis ad Christum ad desertum per modum visitationis, & sic loquentis ad eũ in illa forma. Glossa autẽ expresse dicit corporeis sensibus ista fuisse operata, & quod diabolus in specie hominis apparuit. Maximus ait etiã quod transfigurauit se dæmon in speciem humanã: quia quod ipse per se non potest obtinere, multoties homine mediante contra Deum & mulierem perficit: iuxta illud Saluatoris, vos ex patre diabolo estis & desideria eius, quæ ipse per se non potest adimplere, vos vultis illa perficere: quod alibi fusius diximus quando de inimico homine tractabamus. Dolendum certe est vt te homo, Deus ad imaginem suã faceret: & diabolus imagine & specie tua & verbo tuo & operatione, cõtra factorem tuum & animam tuã abutatur. Ne amplius dæmonis instrumentum sis contra Dei honorem & animarũ perniciẽ, amore Christi esurientis & famelici in deserto ob tuã salutẽ existentis, ò homo.

*Ioan. 14. D.*

*p. p. ti. 5. capit. 2. §. 18.*

*Ioan. 8. F*

Quomodo accedere potest Euangelista sacer, Belial ad Christum, tenebræ ad lucem, pessimus dæmon ad optimũ Deũ? Distat in infinitum omnis peccator à Deo, quãto magis malignus tẽtator. Quomodo accedit, cũ dæmõ fieri bonus nõ potest? Accedit corpore ex aere sumpto nõ mente: accedit gressibus sed non virtutibus & gratia: accedit ad tentandum, non tamen ad bonum operandum. Sic Iudas ad osculandum, sic & Iudæi ad illum ligandum: sic gentes ad flagellandum. Sic multi Dei ministri in altaris sacramento existentem ad filium Dei accedunt ad consecrandum, sumendum & osculandum, quod maxime dolendum est: & tales Iudæ officium & Iudæorum, imo dæmonis tentatoris exercent, quoties mortali culpa vulnerati audent impuris manibus & conscientia polluta accedere ad filium Dei, pro illis olim ieiunantem esurientem imo & in cruce morientem, & nunc maxime bonum nostrum cupientem, &

ad dextes

ad dexteram patris sedentem: vbi pro nobis interpellat: teste
Ad Ro. 8. F Paulo. Ne vltra fidelis quisquis es aut sacerdos aut religiosus in-
dignus & peccato maculatus accedas ad sacram buccellam, ne sis
vt dæmon tentator, qui de bonitate Dei experientiam sumere
uis aut de illius potestate: an puniet indigne accedentes: verax
1. Cor. 11. G est, potens est, ideo iudicium manducas & bibis: ait Paulus. Ac-
Homil. 5. in imper. cedens igitur tentator dicens intra se: ipse enim tentabo & si-
quidem inuenero eum hominem (ait Diuus Chrysostomus,) si
cut puto (etiam si vos alij dæmones contrarium affirmetis) do-
minabor illius, sicut omnium fere hominum: si autem inuenero
Eccles. 6. D. eum sicut audio filium Dei, recedam ab eo, nec congrediar con-
tra eum: quoniam qui vadit contra fortiorem, occasionem illi vi
ctoriæ prouidet. Et sic sciens Dominus Diaboli cogitationes,
quia volebat eum tentare, processit contra eum: nō quasi Deus,
sed magis quasi homo: nec in toto quasi Deus nec in toto quasi
homo: nam quadraginta diebus non esurire, non erat hominis:
aliquando esurire, non erat Dei. O homo, vacabonis operibus
vt sis Dei filius per gratiam, & dæmon timebit cōgressum & bel-
lum gerere tecum, imo vt non plus meriti acquiras, fugiet
illud.

Iam fratres charissimi, contra nos Christi milites (qui per to-
sum fere annum terga duci dignissimo vertimus: & in hoc tem-
pore sancto quadragesimali, sub adiutorio & verbi Dei tuba ad
illum conuersi sumus) carnem nostram insurgentem vidistis: &
Feria quarta, cinere impositi frontibus nostris & debita mortis
consideratione: & præcipue Dei auxilio, illam vicimus, luxus
illius & cibos fugiendo. Venit secundus inimicus, mundus nem
pe, inuitans fortiter, vt qui contra nos insurgit soluat: & pœnas
luat: iam hunc inimicum feria sexta debellauimus præcepto
Dei dicentis: diligite inimicos vestros & illis benefacite. Ho-
die tamen insurgit tertius & crudelissimus hostis generis huma
ni inimicus capitalis Lucifer ille infernalis, quondam Cherub
Matth. 5. G. extentus & in cœlo primitias inter omnes creaturas habens; mo
Ezec. 28. C. do magis pestifer & cruciatibus maioribus traditus, & contra hu
cem nostrum diuinum in singulare certamen audet ingredi, vt
si posset illum debellare, nos omnes pacifice possideat. Tamen
in foueam cadet quam alteri parat: vt ille alter Goliath contra
Dauid mansuetum insurgens.

Bellum

Bellum crudele gerebatur inter filios Israel & Philisthæos, qui omnes congregati fuerunt in valle Terebinthi. Egressus fuit vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath de Geth, altitudine sex cubitorũ & palmi: & cassis ærea super caput eius, & lorica hamata induebatur: porro pondus loricæ eius, quinque millia siclorum æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium: ipsum autẽ ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum. Stansq; clamabat aduersus phalangas Israel dicens: quare venistis parati ad prælium? Eligite ex vobis virum qui descendat mecum ad singulare certamen: si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui: si autem ego prævaluero vos seruietis nobis. Et dicebat, ego exprobraui agminibus Israel hodie. Et sic fecit quadraginta diebus, omnes Israelitæ stupebant, & metuebant nimis: & nemo ex illis erat qui aulus esset in singulare certamen cum Goliath ascendere. Quousq; vnus pastor iuuenis & rufus, & pulcher aspectu decoraq; facie, venit ad castra Israelis relinquens pauculas oues, nempe Dauid, qui sinear mis Saulis, tulit baculum suum, & elegit sibi quinq; limpidissimos lapides de torrente & fundam manu tulit. Quem videns Goliath despexit & dixit, nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestijs terræ. Dixit autem Dauid: tu venis ad me cũ gladio & hasta, & clypeo: ego autẽ venio ad te in nomine Dñi. Et vno lapide percussit illum in fronte & occidit & proprio gladio præcidit caput eius: & sic victi fuerunt Philisthæi. 1. Reg. 17. A. B. C.

Bellum crudelissimum & plusquam ciuile, in mundo gerebatur à Lucifero & infernalibus militibus eius ex parte vna; & à Deo duce cum suis fidelibus hominibus, ex parte altera: dæmones habebant Goliath (qui robustus interpretatur) id est luciferum ductorem: non est potestas in terra quæ compararetur ei, & sic nullum hominem timebat: imo populum Domini & sanctos patres grauabat; & quotidie exprobrabat. Habebat altitudinem sex cubitorũ & palmo. In Ezechiele etiam legitur, quod vir ille cuius species erat quasi æris candẽtis, habebat calamum mensuræ in manu, quo mensurauit templum: & calamus ille erat sex cubitorum & palmi: ecce eadem fuit mensura, & Goliath. Iob. 41. D. Ezec. 40. A

ljath. Mensura templi consistit in diuersitate graduum in ecclesia; & Diabolus contra hos habet mensuram suam, quando in ecclesia est diuersitas & contentio. Exprobrabat terribilis Lucifer homines per multum temporis, sciens nos captos, & præcipitatos esse, & dicebat: Quare venistis in mundum parati ad præliū contra me, si nil minus facitis quã contra vitia debellare? Venite mecum ad singulare certamen, ideſt, viribus pro
*Eccles. 4. C.* prijs. Vę soli & sine Dei auxilio dimicanti & sine gratia, qui cũ ceciderit non habet subleuantẽ. Multum desiderat dæmõ singulare certamen nobiscum: quia debiles nos agnoscit, si Dei adiutorio non sumus muniti, & virginis precibus.

Tamen postquã per multos annos mũdũ exprobrauerat ma lignus Goliath, ecce venerat manu fortis & visu desiderabilis, filius nempe Dei, habitu pastoris indutus, & nostram naturã in vnitate suppositi accipiens: relinquens, vt ipse dixit, oues in de-
*Luc. 15. A.* serto, angelos nempe, manens semper cum illis; vt nos ouiculam errantem à lupo, Lucifero scilicet, liberaret & ad caulas supernas in suis humeris reduceret. Et tamen nolens armis diuinitatis & potentiæ suæ totaliter vti, processit ad bellum: & si tẽtauit arma Saulis, dum suscepit Iudaica sacramenta circunciſionem & alia, sed statim ea deposuit, grauiora iudicans, nolens nobis tam graue iugum imponere. Tulit tamen quinq; lapides de torrente: quia duritiam & ieiunium & pœnitentiam & labores, de hoc mundo fluxibili, semper in illo existens, accepit Dominus: vn-
*Psal. 109* de de torrente laborum in via huius vitæ semper bibit: omnem
*Isai. 53. A.* gloriam & luxum fugiens. Vnde vere languores nostros ipse tulit, qui quinq; lapides tulit, & quinq; vulnera præcipue, sine alijs multis, in corpore tulit: vnde limpidissimi dicũtur lapides, quia sine peccato fuit vulneratus. Et tamen lapides duros sibi, & dolores grauissimos, nobis in panem conuertit & redemptionem: vnde in peram pastoralem, vbi panis seruatur immisit. Quia quæ tulit vulnera, nobis in panem gratiæ conuersa sunt, & in gladium valde acutum contra dæmones. Hodie tamen accedit tentator, velut irridens Christum, esurientem videns. Et Dominus dicit illi; tu venis ad me gladio gulæ, quo multos occidis, & hasta superbiæ in secũda tentatione, & clypeo auaritiæ in tertia, quia auari excusam prætexunt dicentes, habemus familiam & filios, vnde tanquam clypeo defendunt se frustra. Ego autem in no-

mine

mine Domini, ſcripturę ſacræ telo, percutiam te, & auferam caput tuum, initium ſcilicet tentationis, & baculo crucis interficiam te: & ſic gladio proprio occidit illum. Quia de peccato damnauit peccatum in carne, ait Paulus, ideſt, humanitate diuinitati coniuncta. Quia pro peccato commiſſo (in carne innocente, Diabolo inſtigante) ab occiſoribus eius, damnauit & deſtruxit peccatum. Aut debilitauit fomitem peccati in carne noſtra, de peccato ideſt, virtute paſsionis ſuæ, & ſacrificij quod dicitur peccatum quia offertur pro peccato. Vel gladio proprio ideſt ligno: vt qui in ligno vicerat hominem, à Chriſto in ligno victus eſſet, & nobis beatitudo daretur: Amen. *Rom. 8. a*

# Homilia Quinta.

¶ Accedens tentator. *Text.*

ECCE Fratres mei, tertium inimicum noſtrũ terribilem atque ferocem, in duellum contra Dei filium ingredientem: quid nos miſeri debiles & peccatis aſſueti faciemus? Audite Paulum dicentem: de cætero fratres, confortamini in Domino Ieſu duce veſtro, & in potentia virtutis eius, cum ſitis infirmi & imbecilles, & debeatis pugnare cum antiquo ſerpente: induite vos armaturam Dei: ideſt dona & virtutes, ieiunium, & conſortium fugere nociuum, vt ipſe. Induimini arma lucis, vt poſsitis ſtare contra inſidias Diaboli, qui inſidiatur in abſcondito velut leo, & accedit ad vos quota hora, dolo tentandi & vincendi. Quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, tantum: vel actio quæ inſtrumẽto attribuitur, principaliter eſt agẽtis: & quia etiam ſi nos impugnant caro & ſanguis, ideſt, vitia carnis, hoc non eſt eorum principaliter, ſed à diabolo mouẽte illos. Vel non eſt iã nobis colluctatio aduerſus carnẽ: quia Dei adiutorio & mortis cõſideratione, feria quarta proſtrauimus illã: neq; aduerſus ſanguinẽ & genus & mũdi honores & vindictã; quia iã feria ſexta inimicis pepercimus & illis bene facimus. Sed manet nobis pugna, aduerſ⁹ principes & poteſtates tenebrarũ harũ, quia *Epheſ. 6. b*

quia peccatoribus in tenebris peccatorum existentibus dominã tur dæmones contra spiritualia nequitiæ: quia spirituales & nequissimi sunt, quod est graue malum. Quid volunt à nobis auferre isti spiritus nequam, Paule? Volunt facultates tollere? Non, nisi vt per fas & nefas plura possideatis, quibus vt restibus ligatos facilius in terram prosternat vos. Volunt honorem nostrũ? Non nisi in cœlestibus: vt tollant vobis præmia cœlestia & merita (non sibi) pugnant: & quia in aere sunt caliginoso & non in terra. Vnde volucres cœli dicuntur à Domino.

Luc. 8. A. Quomodo ergo vincemus illos crudeles & fortes spiritus animas nostras tantum venari cupientes? Estote milites Christi ducis potẽtissimi fortes in bello fide & charitate muniti: induimini arma eius, abluite maculas vestras fugite nociua consortia. Iejunauit ipse, & vos etiam, & deinde ab omni vitio abstinete: dimittite arma Saulis, idest carnalia desideria: accipite baculũ crucis super vos & pœnitentiam veram, abnegantes vosmet ipsos: memoriam passionis Christi & quinque vulnerum eius semper habetote in conscientiæ pera: & illis in fronte, ideſt in principio tentationis, malignum percutite, & facillime sic ipsum occidetis: & proprio gladio suo: quia si tentationi resistitis ex illa humiliores & magis Dei amici euadetis, vnde suo gladio occisus manet dæmon. Si tamen non ablutus à peccatorum sordibus, sed pollutus & in delitijs manes & inter ignem occasionum, comessationibus deditus & lusibus, & sine virtutibus, vis cum forti armato dæmone pugnare, quid mirum vt victus euadas & seruus illius per peccatum fias? Eia fratres (ait Diuus Petrus) Christo in car-

1. Petr. 4. A ne passo, & vos eadem cogitatione armamini. Ideſt eius passionem recolite: nam vt ait Diuus Gregorius, si passio Christi ad memoriam reuocetur, nihil tam durum quod non æquo animo toleretur. Diuus Bernardus: tanta est virtus crucis Christi, vt si in mẽte fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prævalere possit inuidia; sed cõtinuo ad memoriã eius totius peccati & mortis, scilicet spiritualis fugatur exercitus. Ecce quibus armis debes cõtra dæmonem dimicare. Et nota valde arma quibus Dominus amore nostro armatus fuit in cruce vt dæmonem vinceret, à D.

D. Thom. in Thom. ibi.

1. Pet. 4. A. Habait enim in capite quasi galeam, non de auro vel argento sed de spinis: habuit loricam non de ære vel ferro sed carnẽ im-

macu-

maculatam de virgine ſumptam flagellis indutã & coopertam habuit in manibus non lanceam aut gladium, ſed magnos clauo manibus affixos: in pedibus quaſi calcaria clauos infixos: pro equo vero habuit ipſam crucem: iſta cogitatione armamini fratres contra ſpirituales nequitias, cœleſtia volentes tollere à vobis. Nam ſicut ad Chriſtum poſt baptiſmũ & ieiunia venit, ſic ad vos fideles quando per pœnitẽtiam abluti eſtis accedere non tardat: præcipue cum illum in baptiſmate prouocaſtis.

Quid ipſe iudicaſſes de homine, qui hoſtem ferocem & fortẽ infamia aſperſiſſet & illum ad ſingulare certamen coram multis prouocaſſet: & cum contrarius iniuriam paſſus armis vallatus ſine intermiſsione die ac nocte in omni loco illum quæreret ad occidendum: Iurans ſe non manducaturum nec bibiturum, nec ſomnum accepturum, nec veſtem mutaturum, donec vitam ab ipſo tolleret: ſi vidiſſes iniuriantem & illum prouocantem, comedentem & in conuiuijs exiſtentem, ludis & delicijs vacantẽ, ſine enſe & armis ambulantem? O ſtulte, & cito ab inimico tuo occidende, dixiſſem. *Simile.*

Expecta pauliſper homo ignaue, nam contra te ſententiam protuliſti. Tu ipſe es qui dæmonẽ, imo omnes malignos fortiſſimos & crudeles in ſacro baptiſmate infamaſti, & omnes illos ad bellum prouocaſti. Scito te à ſacerdote fuiſſe interrogatum: dic puer, abrenuntias Satanæ & omnibus operibus & pompis eius? Et patrinus dixit pro te: abrenuntio diabolo & opera eius deteſtor. Vnde inimicus tuus effectus eſt, & in omni loco eſt armatus malitia ſua paratus ad bellum contra te: iurans ſe non manducaturum (quia nunquam comedit nec dormit) donec mortali vulnere occidat animam tuam: quid tu graui ſomno deprimeris, & ludis vacas & voluptatibus, ſine virtutum armis incedens? Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renunciaſti? Ait Diuus Auguſtinus. O ſtulte & tarde corde ad credendum hoc, & magis ad induendum arma lucis, quæ bona opera ſunt: vnde quotidie à dæmone occiſa eſt anima tua: & quod peius eſt te non ſentiente. Nam dolendum eſt vt vnus homo à quatuor armis vallatus inſidietur ad mortem: tamen ſi ille ſcit & cogitat, cuſtodit ſe prout poteſt aut fugit: tamen ſi hoc non intelligit? Graue malum: non cuſtodit ſe & ſic facile occiditur. Omnes dæmones in baptiſmate & in pœnitentia prouocaſti & exprobraſti *De Symbo. ad Catech. lib. 4. cap. 1. simile.*

homo, & ſtatim arma virtutum à te reijcis, non cogitans & valde conſiderans eſſe armatos illos contra te & in omni exitu viarum expectantes & in omni angulo domus tuæ vt te culpis occidant? Quid mirum vt interficiant te inermem?

Niſi ieiunate cœpiſſet Dominus poſt baptiſmum, tẽtandi occaſio non fuiſſet diabolo (ait Hieronymus) fili accedens ad ſeruitutem Dei, poſtquam filius Dei factus es poſt baptiſmum; ieiuna & ora & cõſortia nociua fuge & ſta in iuſtitia & timore Dei quia ſtatim accedet ad te tentator. Nam (vt ait Innocentius) quid faciet peccatoribus in ciuitate & foro manentibus, mille negotijs implicatis, ſi Chriſtum Deum verum tentauit in Eremo? Si ieiunantem, quid indelitijs viuentem? Si in templo, quid in lecto? Si inter beſtias exiſtentem, quid inter mulieres? Acceſsit tẽtator ad Chriſtum, & accedit ad omnes bonos, fortiter vt milites tanti ducis dimicantes. Accedit ſuis machinis & tecnis: non tamen ingredi poteſt ad illos ſine conſenſu: quia, Dei adiutorio tentationibus non conſentiunt. Væ malis, ad quos dæmon accedit tentans, & ſtatim in illos ingreditur, ianuam cordis aperientes per conſenſum, vnde dæmoniaci ſpirituales efficiuntur: & diaboli ſerui & captiui miſerandi. O fœlix homo, qui Dei auxilio magno adiutus, reſiſtit dæmonis telis & nil mali ab illo patitur, ſed meritum, non conſentiendo, acquiſiuit. Quid mali tibi Turca feciſſet ſi multas cõtrate emitteret ſagittas, & ad te acceſsiſſet, vt in Argel captiuum deduceret; ſi nulla es vulneratus ſagitta neq; in captiuitatẽ duxit te, ſed tu illũ? Sic fidelis, qui Dei adiutorio, pugnat vt decet, oẽs ſagittas tentationũ quas dæmon contra illum emittit reijcit à ſe, non conſentiendo, & ſic non ſolũ nõ fit maligni ſeruus, ſed terret illum vt non audeat cito illum tentare.

*Simile.*

Ad malos accedit dæmõ & intrat corda illorũ per cõſenſum, ad bonos accedit tentator, nil tamen mali contra illos facere poteſt. Quia deteſtantur cõſilia eius praua. Vnde velim admonere perſonas ſuæ conſcientiæ curam habentes, vt non ſtatim quod dæmon illas aggreditur tentatione & accedit ad illas ſuis telis, credant iam victas & captas à dęmone eſſe & in illas intraſſe. Pater mi (dicit muliercula ſolicite Dei mãdata ſeruans) ſum omniũ mulierũ peſsima. Quid feciſti? Veniunt ad mentem meã cogitationes, quæq; nõ licet loqui, fidei dubitationes, & alię immũdiſſimæ, quas neq; nominare audeo. Similiter & homo timoratæ conſcien-

conſcientiæ dicit, pater, ſum omniũ peſsimus hominũ: facinora mihi in cogitationẽ veniũt, hucuſq; à nullo neq; homine perpetrata. Dic ſoror, aut tu frater, remoraris in his cogitationibus? Minime: & ſi retardor valde inuitus. Gaudes vt huiuſmodi tela veniãt ad cor tuũ? Nõ, ſed doleo vehemẽter, & potius moriquã illas pati tẽtationes velim quãto magis illis aſſenſum præbere. Nil timeas frater mi aut ſoror, quia acceſsit ad te, vt ad ducẽ tuũ Chriſtũ, tentator malignus, tamen intrare nõ potuit in animã tuã: & ſic in tantum nil mali fecit, vt nec de ieiunio in pane & aqua per vnã quadrageſimã à te perfecto in gratia: forſan tantũ meritum & gratiæ augmentum animæ tuæ nõ reportaſti, nec de cilicio in ducto iuxta carnes, quã de triſtitia illarũ tẽtationum, & de victoria, illis non conſentiendo. Et gratias poſsibiles Chriſto adiuuãti te vt nõ aſſentires illis redde, acceſsit tẽtator etſi nõ es immoratus in illis tẽtationibus adeo nociuis; non ſolũ non peccaſti venialiter, verũ etiã magnã meriti (vt diximus) victoriã habuiſti: Si tamẽ in illis detentus es, venialiter deliquiſti; ſin autẽ & inſuper vidẽs quid cogitabas, immoratus es in tã abſurdis cogitationibus volẽs, & inſuper cõſenſum cordis dediſti dicẽs intus, etſi nõ ore: cõſentio & ita eſt verũ quod iſta tẽtatio cõtra fidẽ docet: aut voluptati in animo aſsẽtio: iã mortaliter es vulneratus, & demõ nõ ſolũ ad te acceſsit, ſed intrauit animã tuã & reueſtiuit ſe in te, vt vulgo dicitur. ¶Hoc ponit optime D. Chryſ. in imperfecto (quia reuera ſcriptura mirabilis eſt) dicẽs, in illud Matt. alioquin nõ habebitis mercedẽ apud patrẽ: nunquid & cõtinẽs aut virgo, mox vt cõcupierit iã cecidit? Tãtũ plena volũtate nõ cõcupiſcat, vt velit implere cõcupiſcentiã ſuã: ſi aũt ex neceſsitate carnis & demonis tẽtationis ſine cõſẽſu nec mora cõcupiuit, & cõtra dixit cõcupiſcẽtię ſuę, nõ peccauit: ſed magis glorioſior eſt effect⁹, quã ſi nõ fuiſſet pulſat⁹ & tẽtatus: quia vicit tẽtatorẽ & cõſu ſum emiſit. Nã hoc dixit Chriſtus, ſine vtraq; creſcere triticũ, ideſt bonũ op⁹, & zizaniã tẽtationis: ideſt a dimple bonũ op⁹ tuũ, tẽtationi nõ cõſentiẽdo, & duc ad perfectũ bonũ quod cogitas: & ſic vana cogitatio quaſi zizaniũ exiccatur, ideſt ſoluitur & euacuat & perit: bonũ aũt opus quaſi triticũ manet perfectũ. Ne in tẽtationib⁹ immoreris ſi ab illis vinci nõ vis; qui carbonẽ ignitũ in manu diu etiã ſi inuitę & inuolũtarię teneat, ſi nõ cõburit, tñ aliquomodo lędit. Carbo ignis eſt tẽtatio in corde, nõ in manu, ad ęmone in

*Hom. 13. in Matt. 6. tex. alioquĩ, &c*

*Matt. 13. D.*

*simile.*

tromissus, etiã si nõ cõsentias (nã sic mortali igne animã tuã incenderes) caue ne immoreris in illa cogitatione siniſtra, alias venialiter delinquis: & hoc quia in periculo satis propinquo es cõstitutus consentiendi, vndè mortaliter peccasses. O fœlices illi qui cum primum sentiunt dæmonem suis machinis accedẽtem contra illos, Dei adiutorio freti, tentationes destruunt, & illas in Christum lapidem fortissimum & angularem comminuunt.

*Psal.136.* Hos vocabat beatos sanctus Propheta dicẽs: beatus qui tenebit, aut ifmebit Deum: & allidet paruulos suos (id est tentationes paruulas & incipientes aut venialia antequam mortalia fiant) ad Petram, id est Christum, suo adiutorio vincentes & à cogitatione & mora illarum, quanto magis à consensu, fugientes.

*Simile.* Quis posset per pontem amplum supra flumen profundissimum serpentibus plenum existentem, ire per medium: & ambulasset per oram pontis in magno cadẽdi periculo? Tu ipse peccator, quando in tentationibus immoraris aut venialia perpetra

*Eccli.19.A* re non metuis, dicens, leuia sunt aqua benedicta dimittuntur, nõ illis in fluuium profundum inferni cado, per pontem gratiæ ambulo etiam cum illis venialibus: verum est, tamẽ si potes per medium põtis gratiæ securius ambulare, sine tot venialibus, & sine mora in cogitationibus Dei adiutorio, contra illa fortiter pugnando & non remisse quare pergis in tanto periculo. Scio ex D.

*1.2.q.8.ar. 8.in cor.* Thoma, nõ posse hominem abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferiorem appetitus sensualitatis, cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest (& ex hoc habẽt rationem peccati & voluntarij quia possunt à ratione reprimi & non fit) non autem omnes. Quia dum vni resistere nititur, fortasis alius insurgit. Et quia ratio non semper potest esse peruigil,

*Simile.* ad vitandos tales motus. Nam homo fortis bene potest hanc paleæ sagittam huius pueri iacientis & huius & alterius euitare ne illis percutiatur: non tamen multorum simul in illum iacientiũ. Sic de venialibus sentiendum est. Si potes in quam securior incedere venialia fugiens & tentationes statim abigere (vt Dei auxilio potes) quare vis per oram pontis, venialia parui pendens in tẽtationibus morã faciendo in periculo magno mortaliter delinquendi, aut tentationibus consentiendi, & in flumen inferni cadendi ambulare frater mi? Tene certum Dei auxilio & magis securum, & dimitte incertum & periculosum.

Nota

Nota valde ô homo, conſcientiæ tuæ curam vt decet habens, quia non ſolum à te volo, vt in tentationibus dęmonis ad tẽtandum te accedentis, ne immoreris, nec illis cõſenſum præbeas, & venialia pro viribus & poſſe euites: ſed etiam vt ex ſuggeſtionibus tentatoris, maiorem virtutem & humilitatem acquiras, & illum ſuis telis occidas, & virtutibus tentationibus contrarijs vates: vt inde, & anima tua maiora acquirat merita, & fortitudinẽ contra malignum: & ipſe eneruatus & debilis contra te euadat. Alias etiam ſi non conſentias illius tentationibus, nec immoreris in illis: non deſiſtet à tentationibus niſi eiſdem ſuis telis illum vulneres, contrarijs virtutum ſagittis. Quia res magni momenti (meo iudicio) eſt, volo tali oſtendere exemplo. Venit ad te vnus ex canibus illis, modo in ſaltu niueo Granatẽſi exiſtentibus, multis armatus atq; munitus ſagittis: incipit contra te eijcere vnã & alteram: etiam ſi nil mali tibi (quia optime armato) inferre videret: nõ deſiſteret tela iacere ſperans forſan an aliqua te vulneraret, ſi ipſe contra illũ, nullo gladio aut telo inſurgeres. Tamen ſi damnatus Turca vidiſſet, ſagittas ſuas nil damni tibi cauſare, nec vulnus infligere, inſuper te fortiſsime & viriliter contra illum pugnare, & ſuiſinet ſagittis ab aere receptis in illum reijere & grauiter illum vulnerare, te incolumi exiſtente: quis dubitat, quin malignus Mahumeticus (etiam ſi ſtultiſsimus eſſet) duellum contra te inceptum dimitteret, & à facie tua fugiſſet, vidẽs te ſine læſione & ipſum vulneratum? *simile.*

Tentator malignus, etiã ſi Dei inimicus eſt, tamen valde aſtutus eſt atq; ſagax: ſi viderit tela tentationum à ſe contra te miſſa, non accipi à te contra illum contrariam virtutem vitj, ad quod te inuitat, operante: etiam ſi non conſentias peccato, nõ deſinet vnam & alteram imo & multas contra te iacere ſagittas: ſperãs aliquãdo fore vt aliqua vulneret cor tuum cõſentiendo. Quid ad illum inceſſanter ad malum te inuitare, ſi illum nõ percutis ſuo telo? Tamen ſi dæmon videt, te nil mali culpæ accipere, neq; cõſentire ſuis ſuggeſtionibus neq; in illis immorari, inſuper contrarijs virtutibus fortiter illum, tãquam ſagittis vulnerare proprijs: vt ſi ad detractionem & odiũ inuitat, proximum multum diligere & illi benefacere: ſi ad blaſphemiã, orare inceſſanter: ſi ad voluptatem, occaſiones fugere & corpus ieiunijs & diſciplina ſpiritui ſubijcere, victoriam magnam contra illum reportando:

tunc miſer confuſus manens deſinit tela immittere & tentandi finem imponit: ſaltim ne merita magna ex victoria tentationis acquiras, & ſuis proprijs iaculis illum vulneres, in magnam animæ tuæ vtilitatem. Ideo inceſſanter nos perſequitur iſte malignus tentator, quia non ſolum contrarijs tentationum virtutibus illum non occidimus: & inſuper in ſuis ſuggeſtionibus immoramur, imo & delectamur, & aſſenſum præbemus, vnde occiſi in mortali delicto manemus. Non ſic ab hac hora fratres mei, non ſic, ſed occidamus illum ſuis telis proprijs, operando ſemper bona vt tentator confuſus abeat (quia cum aliquando valde nobilis fuit, confunditur, quia propria fuſte illū percutimus) & Chriſtus in nobis victor ſemper maneat, de quo valde gaudet.

Accedit tentator ad malos & in illos reinduitur, quia ianuam cordis per conſenſum illi aperiunt, & ſic dæmoniaci fiunt: accedit & ad bonos milites Chriſti, & fiunt meliores & in virtute fortiores & humiliores. Quia, Dei adiutorio, proprijs tentationum telis ipſum dæmonem vulnerant, contrarias virtutes viriliter operando. Quis enim hominum eſt, qui non tentatur à maligno & in corde ſuo non ſentit cogitationes vanas noxias & inutiles? *Eccl. 10. A.* Impoſsibile eſt carnis illecebras non ſentire frequenter fere, & à dæmone non tentari, & muſcas morientes quæ ſuauitatem vnguenti & gratiæ perdunt, tentationes nempe, non pati aliquando. Sed aliud eſt tētationes ſentire, aliud eis cōſentire: illud iuſti, boni, & recti corde patiuntur & ſufferūt inuiti & cū dolore, diaboloq; fortiter reſiſtunt fide & opere, nullū locū illi accedēti dā tos per delectationē: nec moram aut cōplacentiā ſiue cordis cōſenſum: & tunc nil damnationis illis eſt à tali tentatione prouenientis, imo merita multa acquirunt. Nam Dauid (loco omniū *Pſal. 18.* ſic in tentationibus pugnantiū viriliter) dicebat: ſi mei non fuerint dominati, motus & tentationum fluctus, per cōſenſum aut delectationem, tunc immaculatus ero ab ipſis & emundabor à delicto maximo conſenſus & accedit tētator, & nil mali facit mihi. *Tob. 4. B.* Nā Tobias nō dixit filio ne peccatū ſentias, ſed caue ne illi cō ſentias: quia illud impoſsibile eſt, & hoc eſt boni militis Chriſti, & Sāſonis op⁹, & Pauli ſtimulis reſiſtētis, & Ioſeph & Suſannę.

Quia fruſtra moleſtati fuerunt ad carnis delectamenta, in deſiderijs impudicitiæ explenda, cum non conſenſerint, reſiſtēdo:

hic

hic honorem maximum apud homines, & in futuro coram Deo immortalem laudem & iuſtitiæ coronam promeruerunt. Fœlix terque quaterque in facto ſuo erit, qui tela ignita quæ contra illum à tentatore miſſa ſentit, & tamen illis non conſentit: ſed ſcuto fidei, & rectæ operationis clypeo recipit illa, vnde illis iacientem dæmonem repercutit contrarias virtutes operãdo. Fœlix cum ſcintillam tentationis à diabolo miſſam, in ignem conſenſus exurgere non ſinit, ſed illa aduerſarium comburit charitate ardens: nec feſtucam iræ in trabem odij creſcere permittit: ſed ſcintillam igne charitatis extinguit, & odium dilectione incendit. Neque ad verba venit cum ſerpente, vt Eua loquendo & exigendo: ſed mox vt ſentit immiſsiones tentationum per Angelos malos: ad Dominum verbo & opere clamat: Domine, ſalua me ex ore Leonis, & erue me à circundantibus me nè infigar in culpæ luto: & dicat tentator prævalui aduerſus fidelem tuum Deus. Et tunc adeſt Dominus, & per gratiæ ſuæ rorem facit medium fornacis quaſi ventum toris flantem, ne ignis tentationis comburat nos: ſed incendit impugnantes nos: vt ſe habuit cum pueris tribus & cum illos perſequentibus.

*Geneſ. 3. A.*

*Dani. 3. E*

Infœlices tamen illi ad quos non ſolum accedit tentator per ſuggeſtionem, ſed ad illorum animas ingreditur per conſenſum & operationem. His minabatur væ, Vox (quam Ioannes magnam audiuit in cœlo) dicens: Væ terræ & mari: quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet. Væ terræ, ideſt auaro, væ mari, ideſt lubrico voluptate: quia ad vos deſcendit Diabolus, & non ſolum accedit ſed intrat per conſenſum veſtrum: habet iram magnam contra vos vt Deum offendat, & quia ſcit modicum tempus habere tẽtãdi homines, nẽpe vſq; in diẽ iudicij: vel vſq; ad mortẽ veſtram particularem. Væ terrenis, væ voluptatũ amatoribus. Magis quã Dei. Accedit tẽtator ad pœnitẽtes & ſanguine Dei ablutos deſperationis telis, in memoriã mala prẽterita adducẽs, & delicias habitas: vt ad illas ſaltim cõſenſu reuertãtur & deſiderio. Profecti filij Iſrael de Elim venerũt in deſertũ Sin, quæ fuit mãſio octaua, & murmurauit populus cõtra Moſen & Aarõ in ſolitudine, & dixit: vtinã mortui eſſem⁹ permanũ dñi in terra Ægypti, quãdo ſedebamus ſuper ollas carniũ, & comedebamus

*Apo. 12. C.*

*Exo. 16. A.*

panem in ſaturitate: cur induxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dominus tamē dedit illis manna de cœlo & coturnices ad ſaturitatem.

Pœnitentiam veram feciſti ô homo, de peccatis tuis anno præterito? Filius Iſrael es, ab Ægypto & peccatorum tenebris egreſſus fuiſti, & iram dæmonis & iugum duriſsimum illius & peccati fugiſti, adiutorio veri Moſi Chriſti Domini: & in deſertum Sin, quod interpretatur egreſsio tentationis, veniſti; quia ſtatim tentatio erit contra te egreſſa, cum primum in deſertum pœnitentiæ veneris. Cane tamen ne longa tentatione infamiæ aut neceſsitatis aut alterius perſecutionis tædio affectus dicas, & ſi non verbo, opere aut conſenſu: vtinā mortuus eſſem, ideſt iuſto Dei iudicio damnatus, aut vtinam adhuc in mortali eſſem & in tenebroſo priori ſtatu proſperitatis aut voluptatis, quando ſedebam quietius & ſine tot conſcientiæ remorſibus, & deſperationis tentationibus, ſuper olla s carnium: ideſt ſuper carnales voluptates, & comedebam panem in ſaturitate; abundans in omnibus quæ anima mea deſiderabat, & in diuitijs iuſte vel iniuſte, acquiſitis. Tam terribili tentatione á maligno perſequor, vt neſcio quid magis eligerem mortuum eſſe in culpa, in priori ſtatu ſine dæmonis & mundi moleſtijs, aut viuere gratia tot perſecutionibus & tentationibus circūdatus. Ne talia cogitatione dicas ô Chriſti miles, quanto magis verbo, quanto magis opere: ſta in iuſtitia vera iuxta ducem tuū, & timore Dei circundatus: nam ipſe ſolus poteſt mittere animā tuam in gehennam: & ipſe met Deus tollet famem tuam caninam vitiorum, ad quæ perpetranda tentaris: & non manna ſed cibo cœleſti; non coturnicibus, ſed corpore ſuo, & conſolatione cœleſti. Nā per horā, imo & inſtans, tentatio torquebit cor tuum, & præmium erit æternum: ſi tantum accedit tentator & animam tuam cōſenſu nō intret.

Petierūt veri pœnitentes & tentationibus non cōſentientes, vt veniret illis cœleſtis cibus (ait Dauid) & venit coturnix, conſolatio & auxilium cœleſte, & rerū diuinarū contēplatio: & pane cœli & ſpe bonorū æternorū ſaturauit bonos, qui non deficiūt in tētationibus. Nā cōtra tædio affectos & ollas carnū quas reliquerūt deſiderātes, ſcriptum eſt: quia ignis accenſus eſt in Iacob, & ira Dei aſcendit in Iſrael. Ideo eſto fortis in pœnitentia quandoquidē culpa tua in carcerem dæmonis ingreſſus fuiſti: nā

*Pſalm.* 104.

*Pſalm.* 77.

cum

cum fugias ab ipso dolore debito. & ipse cũstos carceris sit, in se-
qui debet te fortiter & omni dolo vtens: vt iterum, catenis pec-
catorum ligatum, in carcerem mittat, vt impotentia satis propin
qua sis in terra infernali; q; teneri custodia. Ingredere locum sa-
crum pœnitentiæ & bonorum operum pro immunitate haben
da, vt malefactor quotidie faciat vt ad carcerem non trahatur: fi-
de & opere, dæmoni accedenti quotidie ad te, resiste: spera in
Deo & ipse faciet, si ex parte tua non es negligens ad gratiam.
Vnde gloriam obtinebis. Amen.

# Homilia Sexta.

¶ Accedens tentator. *Text.*

ACcessit igitur tentator ad Christum, & ad nos quo-
tidie, quia sine nostro consensu, accedere potest adtẽ
tandum, non tamẽ ingredi ad ligandum. Qui in por
cos, sine Dei facultate, intrare non valuit; neq; oues *Matth.8.D.*
Iob comburere nisi prius habita licentia à Deo, dicente: ecce vni *Iob. 1.C.*
uersa quæ habet in manu tua sunt, quomodo in animas nostras
libertate donatas, & sanguine Christi redemptas, malignus, etiã
si tentatione accedat, culpa intrare sine consensu nostro poterit?
Ipse aperis ianuam furi vt spoliet: igni vt comburat facultates *Similia.*
tuas meritorum: custodi carceris vt teliget: alias ipse quid sine cõ
silio tuo facere potest? Omnis dæmonum turba te, ad vnum ve-
niale perpetrandum, sine libero consensu tuo, adducere non po-
test: quia alias iam non esset peccatum cum debeat esse volunta- *Lib.2. mo.*
rium. Nam vt ait D. Gregor. ibi in moralibus: qui per semetip- *ca.9.10.11.*
sum ire in porcos non poterat, quid mirum, si sine autoris manu, *in Iob.1.C.*
sancti viri domum contingere non valeat? Voluntas dæmonis
semper iniqua est, tamen potestas nunquam iniusta: quia volun
tas est à seipso, & potestas à Deo. Vnde spiritus ille malignus, *1.Reg.16.D*
qui Saulem regem torquebat, scriptura sacra vocat illum spiritũ
Domini malum: quia potestatem nocẽdi à Domino habet, ideo
dicitur Domini, quia voluntatem à se nocendi, dicitur malus.
Vnde nos ipsi sumus qui molestiam ad inuicem causamus: no-
stra voluntate: dæmon accedere tantũ potest, ingredi minime,

ſine conſenſu noſtro. Iam alibi diximus, hoc ipſum dæmonem affirmaſſe Diuo Antonio.

Iudit. 5. A. 8. Dixit Achior de populo Iudaico Holoferni vallanti illum; & interroganti, quare illum contempſit, & nō exijt obuiam illi ad recipiendum eum in pace vt aliæ nationes fecerunt: Domine mi, iſta gens habet Deum multum appropinquantem ſibi: ſi illam capere vis & ditioni tuæ ſubijcere, inquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum contra Dominum ſuum, & certe tradet illos Dominus eorum tibi: ſi vero nō eſt offenſio populi huius corā Deo ſuo, non poteris reſiſtere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & ego veritatem dico, etiam ſi ſerui tui ligēt me ad arborem manibus & pedibus. Holofernes infernalis dæmō, acceſsiſti hodie manu armata contra populum fidelem, & contra vnum quēque Chriſtianum per ſe: & valde indignatus es, quia te contempſit: & quia vt aliæ miſerandæ nationes non exijt ad te recipiendum in corde ſine tentationis congreſſu. Scito maligne draco, quod non eſt alienatio tam grandis, quæ Deum habeat tam ſibi propinquum, vt eſt gens Chriſtiana. Si tu hominem fidelem capere vis, attēde ſi eſt aliqua iniquitas contra Dominum ſuum in corde ſuo, de qua non pœnituit aut pœnitere vult: & ſi eſt tale delictum in illo & mala conſuetudo contra Deum ſuum de qua non doleat, certe tradet illum Dominus eius in manum tuam in morte. Si tamen non eſt offenſio in iſto fideli contra Dominum ſuum, de qua veram non fecerit pœnitentiam: tolle fallaciam â te, quia accedere potes ad illum, tamen ſine eius conſenſu, non valebis illum tibi ſubijcere: ego veritatem dico, quia Deus cuſtodit diligentes ſe, & viam peccatorum diſperdet: veritatem dico ligate me etiam.

Ibi. 6. B.

Deu 4. A.

Pſal. 144.

Cum tot homines eſſent tunc in mundo, dic mihi peſtifer tentator, & malignisſime generis humani inſidiator, quare nō legitur tanta cura & ſollicitudine ad vllum illorū te acceſsiſſe ad tentandum, ſicut ad Chriſtū Dominum meum, ducem animarum? Quia caput omniū bonorum eſſe videbā, & ducem, & ſic cogitabam intra me: ſi hunc in rete peccati capio, qui caput hominum videtur, facillime reliquos in culpę ſagenam immittam: quia nil aliud deſidero in vna domo, quam patrem familias blaſphemum aut luſorem aut voluptati deditum conſtituere: ſtatim & filij & famuli capiuntur à me in eodem rete: & matrem familias

familias maledicam iratam inuerecundiam facere: filiæ illius maledictæ erunt.

Nil magis opto quam in loco, rectores ſine conſcientia & parochum diſtractum & delitijs deditum videre: quia ſtatim vulgus illos ſequitur & Deum perſequitur. Nil magis ego tentator antiquus deſidero, quam videre in ciuitate gubernatorem auarum partialem, & Epiſcopum crudelem criminatorem & reprehenſibilem: & in regno regem boni communis oblitum & ſui ipſius tantum curam habentem: ſi capita ego colligo, pedes & manus facillime capiuntur. O maledicte dæmon, quanto deſiderio ardes, vt maiores domus, oppidi, vel ciuitatis aut Regni, collegij aut cœnobij, aut eccleſiæ capitulares, in rete peccati & prauæ conſuetudinis capias. Quia ſi ſol, dignitas nempe ſpiritualis, obſcuratur vitijs, & luna poteſtas nempe ſecularis, ſanguinolēta & auara conſtituitur: quid facient populares qui ſunt velut ſtellæ in firmamento eccleſiæ niſi cadere de cœlo & de gratia & virtute in vitia & præcipitium? Vtinam oculis iam hoc malum nō aſpiceremus in eccleſia. *Matt. 24. c*

*Similc.*

Quocunq; loco caput ingreditur, & corpus etia m & alia mēbra facillime intrāt, vt eſt videre inpiſce: ſi caput videt piſcator illius in rete, reliquum corporis eius facillime intrat. O maledicte dæmō, quomodo gaudes videns capita maiorum in rete tuo intrantia: ſtatim dicis, & cætera membra abſque dubio mea erunt. Si per retis foramen caput, ideſt patrem, aut rectorem, aut animarum paſtorem, aut religionis prælatum ingredi per culpam, publicam præcipue, facio: facillime ſubditos & familiares & oues capiam: quia ſi caput intrat in rete, pedes & manus cito capiuntur. Quando Sanſon (etiam ſi fortiſsimus erat) Philiſthæos occidiſſet in templo, niſi columnas illius nō proſtraſſet prius & fortiter illas concuſsiſſet? Vnde cecidit domus ſuper omnes principes, & deinde ſuper cæteram multitudinē quæ ibi erat. Fortis eſt malignus tentator, tamen abſq; dubio credo, quod nō poſsideret tot laicos & ſubditos ſub morte culpæ: niſi prius columnas templi & maiores eccleſiæ, & religionis, & iudices ſeculares & rectores populorum, & patres familias, in terrena & vitia proſtraſſet. O columnæ templi, dimicate fortiter contra Leonem rugientem. Quia reuera (poſt Deum) à vobis artificiū domus Dei dependet. O eccleſiæ prælati, & religionū, pugnate forti- *Iudi. 16. e.*

fortitudine & rectitudine columnarum vtentes, si vultis subditos vobiscum in cœlum deducere: alias quid mirum vt vos primi, deinde illi prostrati sitis?

*Dani. 3. B.* Si magistratus & iudices & optimates primi non veniissent ad adorandam statuam Nabuchodonosor (teste Daniele) quando minores & populares illam prostrati colerent? O quãta cura magistratus & Ecclesiæ prælati debebant animas suas custodire ab adoratione vitij & peccati, quo statua dęmonis adoratur, & Deus contemnitur: alias si illi prius ad idolum auaritiæ prostrantur in terram, & ad statuam voluptatis aut odij & vindictę: quis seculares in doctos à tali adoratione impediet? Deus potest, & nemo alius illis resistere, ne terrena adorent. Filij Iob in domo fratris maioris & primogeniti in conuiuio exiflentes mortui sunt. Quia (vt optime notat ibi Diuus Gregorius) cum maiores voluptati & luxui deseruiunt, nimirũ minoribus lasciuiæ frena laxantur. Quis enim sub disciplinæ se constrictione retineat: quando & ipsi qui ius constrictionis accipiunt: sese voluptatibus relaxant, dum ergo in maioris fratris domo conuiuantur pereunt? Quia tunc contra minores & subditos hostis vehementius vires accipit: quando & ipsos qui pro custodia disciplinæ ac virtutis prælati sunt, & tamẽ ventri seruire cognoscit & nõ meati. Antiquus tentator in minorum morte, subuersionis aditũ per negligentiam maiorum quærit: & sic nil mirũ vt ad Christum caput omnium accedat (& si frustra) videns an illum capere posset, nescions Deum esse, sed hominem iustum: agnoscens maiorem perniciem contra minores & subditos non esse, quam maiores & prælatos in rete peccati mortuos immittere.

*Iob. 1. D.*

*Lib. 2. ca. 16 mo.*

*Simile.* Multoties vidimus hominẽ sine pede, aut sine brachio viuere, aut sine oculis, aut auribꝰ: sine capite vero nusquã hucusq; visum est animal viuere. Dominus aut respublica habens filios & subditos, à gratia abscissos & moribus perditis, infelix & miseranda est: tamen cum hoc viuit talis domus aut Ecclesia (quia isti sunt pedes illius) dum modo caput aut prælatus viuat gratia. Quod respublica habeat malos & in Ecclesia sint peccatores, & in grege aliquæ oues scabiosæ, & in regno sint latrones, malum est: tamen possunt scindi tales pedes suspendij gladio, & valent familiæ consistere cum illis; tamen si caput dolet, & pater familias aut prælatus siue iudex non viuunt vt decet, miseranda

certe

certe est talis respublica, & dæmon iam obtinuit quod multum cupiebat, nempe caput abscindere: acephala est. Cygnus percussus in capite (teste Berchorio) statim moritur, qui in alijs corporis partibus vulneratus multos sustinet ictus; & hoc ipsum dicitur in libro de natura rerum: sic domus tua, sic respublica, sic ecclesia sancta, magnum in se nocumentum recipit, si caput illius, scilicet rector aut prælatus peccati ictu percutiatur: præcipue si publicũ sit peccatũ: nõ tamẽ itidẽ, percussis filijs aut subditis, aut ouibus. Etiã si lupus decem comedat oues, aliæ à pastore custodiuntur: tamen si pastor occiditur, omnes oues errabunt per montes & colles, in magno periculo, non solum à lupis & furibus sed etiam à vulpibus, occidendi: & idem in spiritualibus contingit certe. Quod nouerat bene aduersarius quando ad Christum omnium ducem & pastorem pergit ad tentandum, etsi in vano laborauit. Egressus est à filia Sion (ait Ieremias plorans) omnis decor eius, & ab ecclesia sancta magna pars sanctitatis & virtutis in membris suis: & hoc quia facti sunt principes eius & prælati, velut arietes non inuenientes pascua vera sibi & animabus, quia nociua voluptatis quærebant. Percusso pastore, statim oues & subditi ad vitia disperguntur; vt dixit bonus pastor in nocte lugubri.

*Lib. 7. c. 24 §. 7.*

*Simile.*

*Simile.*

*Thre. 1. C.*

*Matt. 26. C.*

Quam pernicioſa res ſit impius magiſtratus aut prælatus iniuſtus, non poteſt melius oſtẽdere quam in Caipha: quẽ diabolus vt caput arripuit, & inde innumeras animas captauit. Eſt dæmõ vt princeps terrenus, qui in ſeditione contra illũ, primũ tollit vitam illius qui magis potens eſt ad reſiſtendum illi: (vt ait Diuus Chryſoſt. de Ozia) enimvero diabolus tunc infeſtat vehementius: ſicut piratæ nauigantes in mari, non tunc inſidiantur, cum è portu vident egredientes: nam quid prodeſſet inuadere nauem vacuam? Sed tunc omnes artes mouent, cum onuſtæ redeũt: ita & malignus ille dæmon, cum videt bonos multa acquiſiſſe merita, multam eleemoſynam, ieiunia & continentiam aliaſque virtutes, & naues illorum eſſe gemmis pietatis plenas: tunc vnde quaque ſe obijcit vt theſaurum rapiat, & in ipſo portus regreſſu vincat & ſpolietur naues virtutibus & meritorum vacuas (vt ſunt multorum) ille non aggreditur. Latro aſtutus & ſagax, in plateis ciuitatis & tabernis magno oculo inquirit, quis viator multos oſtendat argentos, vt illum in via ſpolietur & occidat:

*Ioan. 11. G.*

*Simile.*

*Ser. 9*

*Simile.*

*simile.*

nolite

nolite timere quod accedat ad pauperem nudum & mendicum. O dæmon latro infernalis, qui vt leo circuis omnes in plateis huius mundi & tabernis, inquirens & inuestigans, qui sint diuites in anima & meritis abundantes, vt spolies illos & culpę morte occidas. Vt quid accedes ad miserum peccatorem, à mundo & voluptate micam falsi gaudij mendicantem? Quid à blasphemo & maledico, auaro aut rapace, futari poteris? Nihil. Iam mei sunt.

*Hom. 38. in ca. 21. Matt. in imper. fol. 1010.* Sicut in corpore (ait Diuus Chrysostomus) si aliquod membrum infirmatum fuerit, non omnino languet stomachus: si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant & sacerdotes: si autem & sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Si vides arborem pallentibus folijs, marcidam intelligis, quia aliquem defectum habet circa radicem: ita cum videris populum indisciplinatum, & irreligiosum sine dubio cognoscis, quia sacerdotium eius non est sanum: & è contra si radix sancta & prælatus bonus & pater familias deuotus & sanctus: rami etiam, scilicet subditi, & familia fere semper disciplinata est: si tamen non fuerit, non est tam graue malum, vt si caput langueat. Et erit sicut populus. O graue malum. Sic sacerdos (ait Isaias) & ego dico, populum futurum esse vt sacerdotem & prælatum: nam quia nobiles & maiores & qui videbantur regere ecclesiam & rempublicam & domum, interierunt fame, sine pane virtutis, non esurientes & sitientes illum: ideo multitudo (ait Isaias) & turba siti exaruit, & mortua in culpis mansit. Vide Pascasium in Thre. dicentem: quãdo hi, qui præesse videntur, totos se exterioribus tradũt curis, & intelligẽtiæ vanæ disciplinis: quid de intimis virtutis discutiendum mandent, non inueniunt: quibus ab interno intellectu cadentibus, quid faciet intelligentia paruorũ, nisi in exterioribus excęcari?

*Simile.*

*Simile.*

*Rom. 11. B.*

*Isai. 24. A.*

*Isai. 5. C.*

*Thre. 4. A.*

*Ibidem.*

*Pasc. fol. 249*

*Gen. 30. F. G* Iuxta colorem virgarum quas Iacob ponebat in canalibus, vbi effundebatur aqua, sic concipiebant oues & pariebant maculosa, & varia & diuerso colore respersa. Fortis Iacob fili Dei, quæ opera cõcipere debẽt & parere operatione, oues tuæ & fideles, nisi iuxta exempla quæ prælati corã illis apposuerint? In templo tuo sunt canales sacramentorum, vbi aqua gratię effunditur; si mini-

fiminiſtri tui virgas maculoſas & opera polluta habẽt in ſe, & populo oſtẽdunt, & varia vitia eructant: quid niſi immũda opera populus concipiet cogitatione, & pariet operatione? Væ huiuſmodi prægnãtibus & cõcipiẽtibus in die rationis vltimæ, & ſubditis maculoſa opera perpetrãtibus exẽplo maiorũ: tamẽ væ & millies væ paſtori animarum, aut maiori aut prælato, tales virgas & actiones maculatas & varias ſubditis oſtendentibus & ſuo malo exemplo inuitantibus, iudicium duriſsimum fiet illis. *Sap. 6. A.*

Nunquam armiger Saulis irruit ſuper gladium ſuum, nec occidit ſe, etiam ſi vulneratus erat, donec vidit Saulem regem arripientem gladium ſuum & illo ſe interficientem. O quanti filij familias & quanti ſubditi, gladio peccati occiſi ſunt (quia parentes & prælatos prius interficientes ſemetipſos linguę gladio aut alio quocũq; peccato viderũt) qui tamẽ viui eſſent gratia etiã ſi fomite vulnerati: & hoc nõ requiret Deus? Peſsima gens erat illa, quæ Ieſum Dñm meũ, in nocte qua ſudore ſanguineo correptus fuit, ligauit ad mortem in horto: tamẽ non legitur, aliquem illorũ Chriſtũ tetigiſſe, donec eius diſcipulus & Apoſtolus, dux latronũ factus, oſculo ſignũ dedit, & ad malũ ſuo exemplo inuitauit. O quã multi homines, & innumeræ mulieres, Chriſtũ Ieſum culpis nõ ligaſſent (quãtũ eſt in ſe) ſi nos altaris miniſtri & religioſi verbis & oſculo ad malum non inuitaremus, ſimiles Iudæ effecti & latronum duces, tamen patibulum manet huiuſmodi inuitatoribus & laqueus Iudæ, ni reſipiſcant. *1. Reg. 31. B.* *Matt. 26. E.*

Cauete ò homines, à tentatore inceſſanter ad vos accedente, poſtquam Deus inimicitias poſuit inter nos & illum ſerpentem antiquum: cauete, latet ſubherba virus ſerpẽtis, qui ſæpe venit & puerũ decipit ſub ſpecie pulchri pomi intus fœtẽtis. Quis pigrũ in lecto retinet, niſi diabolus? Quis ad odiũ inuitat & diſcordias inter fratres ſeminat, & ſuſpiciones multas in eis generat? diabolus: pacis turbator, litis amator, nequitiæ inuentor, mendacij pater, veritatis obſcurator, doloſitatis autor, partialitatis ſuſcitator: huiuſmodi nominibus miniſtri eius decorantur, imo deturpantur. Quis docet amare delitias & voluptates, vitare labores, concupiſcere honores, ieiunia frangere per fas & nefas acquirere? Iſte malignus tentator, qui ad Chriſtum Dominum auſus fuit accedere ad tentandũ. Eſt incitator gulæ, cõmotor iræ, caſtitatis *Gene. 3. C*

præ-

prædator, clericorum insidiator, monachorum tentator virginũ molestator, continentium impugnator: innocentium seductor, simplicium derisor, sapientium subuersor, bonorum detractor, prauorum commendator, deuotionis impeditor, dissolutionis procurator. Hæc & alia multa nomina, isti diabolo tentatori cõueniunt: & quod maxime dolendum est) ipsum, multos homines tanquam suos satellites, habere; ad executioni mandandum opera, quæ istis nominibus significantur, contra fratres suos.

Quod per se non valet dæmon ab homine vel muliere contra Dominum obtinere, mediante alio homine contra mulierem, vel muliere cõtra hominẽ opere adimpletur. Nõ potuit Achab, 3. Reg. 21. C cũ esset rex & potens, à Naboth vineam tollere: tamen mediante excommunicata Iezabel vxore sua, non solum vinea ablata fuit ab illo sed & vita. Quantæ honestæ mulieres per multũ tẽporis à dæmone prouocatæ, vineam suę castitatis dare noluerũt; quæ tamen maledicta pronuba aut lenone interueniente, nõ solum castitatem sed etiam animæ vitam perdiderunt. Quod Ie- 3. Reg. 13. A roboam non potuit vindicare se de viro Dei, dicente contra altare quod Dominus illi iusserat: senex fecit vt à Leone occideretur in via. Nam vindictam quam contra nos dæmon sumere desiderat, quia veritatem dicimus operando, & non potest: mediante aliquo sene homine, mundo aut vetula infernali, obtinet multoties: & sic in via vitæ multi à Leone peccati sunt occisi. Vnde si dæmon credidisset potius de Christo victoriam reportandam in propria specie accedendo ad tentandum: non venisset specie humana. Quia reuera, multi homines ad mulieres tentandi gratia accedunt & decipiunt & ad malum inducunt: qui si in specie diaboli accessissent, minime illas vicissent. O homo, non fecit te Deus ad imaginem suam, vt illa creaturas illius inescares & ad malum prouocares; quare ausus es diaboli fieri instrumentum & procurator, ad tollendas animas à Christo, sanguine illas redimente & lupo voraci tradẽdas? Hoc est officium magis execrandũ dæmonis, quo ipse vsus es. Per viscera Christi doleas multũ de præteritis, & sicut à facie colubri, imo inferni, fugias: ne amplius dæmonem contra animas adiuues.

Capit. 17 O maligne tentator, qui siue dormiamus (ait D. Aug. in solilo quio) siue vigilemus: siue comedamus, siue bibamus aut ieiunemus:

mus: siue quodcũq; opus operemur, omnib⁹ modis instat die ac nocte, fraudibus & artibus tuis. Nũc palã, nũc occulte, sagitas venenatas contra nos dirigis & ignitas: & quod graue malum est, spirituales & à nobis non visas, vnde minus obseruamus nos ab illis: vides nos & non ipsi te cernimus, dormimus & semper vigilas cum dormire, nisi in culpa, nescias: comedimus & semper es ieiunus. O domine, libera nos à tam feroci & forti inimico, detestanda & pessima est insania nostra, quia cũ continue videamus cõtra nos draconem ore aperto paratum ad nos per culpam deuorandum, in pœnam ęternam, quam ipse patitur: nihilominus dormimus & lasciuimus & ludis & voluptatibus vacamus: maledici & blasphemi inuenimur, tãquam securi ante eũ, qui nihil aliud desiderat quam vt nos perdat.

Inimicus vt occidat semper vigilat sine somno, & nos vt custodiamus nos, nolumus euigilare à culpa? Ecce ò homines, mẽtis oculos aperite, quia accedit ad vos tentator indesinenter, & ante pedes vestros laqueos infinitos tentationum ad capiendũ vos ponit. Non est ex meo cerebro, audite patrem illum sanctissimum Eremitam Antonium, qui (referente, Antonino in historia sua) cum semel in spiritu raptus fuisset & totum mundum laqueis sese inuicem connectentibus plenum vidisset, exclamans ait: O Domine, quis istos tantos euadet laqueos. Vox de cœlo statim ab ipso audita est: humilitas ipsa. Humiliare igitur frater mi, sub potenti manu Dei, si vis non capi à laqueis diaboli: nam omnes vias nostras varijs repleuit decipulis ad capiendas animas nostras: quis effugiet? Verus humilis. Laqueos posuit in diuitijs, laqueos in paupertate: laqueos tetẽdit in cibo, imo & in ieiunio vt hypocrite fiat & simulate: in somno & in vigilia: laqueos posuit in verbo & in opere, & in omni via nostra. Sed tu Domine, qui hodie tẽtatorem prostrasti, libera animas nostras à laqueo dæmonum venantium, & à verbo tuo aspero, ite male dicti, vt ne peccato cõsentientes, libere tibi dicere possimus: benedictus Domine, sis ab omni creatura verbo & opere laudatus & superexaltatus in secula: qui non dedisti nos in captionem dentibus dæmonum: sed anima nostra tuo auxilio sicut passer erepta est de laqueo maligni, & laqueum contriuisti & nos liberati sumus àte.

*P. 7. Titu. 15. ca. 3. §. 3.*

*Psalm. 123.*

Accedit tentator: sed tu in principio tentationis ei (consilio

*Iaco. 4. B. Simile.*

Iacobi adiutus) resiste: resistite diabolo & fugiet à vobis: appropiate Deo, & appropinquabit vobis. Est vt Vrsus fortis in posterioribus & debilis in anterioribus: hoc est fortissimus infine tentationis, si à principio, quando debilis est, non illi resistis occasionem fugiendo, & in nullo illi consentiendo. Dicebat Syncletice Abbatissa (vt refert Diuus Antoninus) qui nauigare incipiunt, primo prosperum ventum habent, postea sæpe contrariũ: sed sicut nautę nõ statim nauẽ exonerant, sed sustinent procellã & pugnant contra fluctus, postea multoties rectũ cursum inueniunt. Sic & nos, cum per mare huius mũdi rurbulẽti in tãto periculo submergendi nauigare incipimus, piratæ maligni contra nos tentationum fluctus incitare debent: ne statim dæmoni cedamus, nec tempestate illius moti cito merces meritorũ à nobis peccando proijciamus: sed resiste illi fortiter in tentationis initio, & fugiet à te cũ suis fluctibus suggestionum, quãdo non cogites, hilarem & diuitem & diuitijs meritorũ oneratã, in portu salutis inuenies animę tuæ nauẽ: si tamẽ merces proijcis statim cũ tẽtatio aduẽtat, qd in portu mortis facies sine meritis?

*Par. 2. ti. 15 cap. 8. §. 2. Simile.*

Accedit igitur malignus tentator ad ducẽ nostrũ Christũ: O clemẽtissime Deus, vt quid finis hanc cruentã bestiam ad te agnum accedere? Cur non dicis illi cum Martino sancto: quid hic astas cruẽta bestia. Ad quid accedis ad me? Nil mali in me funeste reperies, sed sinus Abrahę (gloria nẽpe cœlestis) me suscipiet (vt refert D. Antonin⁹) in me nõ habebis quic quã in cruce, quid hic agis Dñe mi, cũ tali socio? Vt impletũ videatis illud Isaię, habitabit lupus cum agno: & pardus cũ hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur. Ecce lupũ rapacem accedentẽ ad me agnũ sine macula, propter vos oues errantes, vt vos ab ore illius sanguinis mei dispendio eruã, ecce leonẽ rugientẽ mecũ cõmorantẽ, cũ sim ouis quæ ad occisionẽ ducta ero & ad crucem, os meũ non aperiendo ad balatum neq; ad querelã. Vt discatis à me mansuetudinem: & si necessarium vobis fuerit, cum malolu pis leonibus homine crudeliore esse, discite à me esse agnos & oues, tamen nil mali ab ipsis discatis, sicut certe, ex dæmonis societate ista, nil mali mihi proueniet, sed victoria & maior laus. Ita & vos satagite facere: estote apes cũ tribulis malorum hominum, & ex malitia sua humilitatem & victoriã & merita acquirite. Quæ conuentio lucis infinitę, ad tenebras infernales Domi

*Par. 2. ti. 10 cap. 11. §. 4. Isai. 11. B.*

ne mi?

ne mi? Quid hic agit Belial tecum Christe Domine? Quæ cõmunicatio (vt ait Salomon) potest esse tibi sancto homini (imo & Deo vero etiã) ad canem istum nigrũ? Aut tibi diuiti ad pauperẽ dæmonẽ, quæ pars? Tui amore ò homo, veni ad locũ, vbi lupus iste auderet ad me accedere: quia & ipse lupus factus es ad rapinas, & canis ad vomitum, vt te liberẽ & diuitẽ meritorũ faciã: *Eccli. 13. C.*

¶ Dixit ei: si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. *Tex.*

NIl dubiũ quin prius salutasset ipsum & alia verba dixisset illi: vidi te per tot dies sine cibo ieiunare: ego etiã sum Eremita ieiunijs vacans, tamẽ moderamine quodã ieiuno: & ad talem esuriẽ vt ipse modo habes non peruenio, quia ex pallida facie & mortali colore ostẽdis magnã habere famẽ: nã etiam si pulcher es, modo tamen marcidus appares: Deus non vult seruos suos ad horam seruientes, & statim in lecto infirmos quiescentes: nec ipse velles, vt maculã à pannotuo aut lintheo ita tolleret mulier, *simile.* vt etiam rumperet illũ. Dei seruus es, in vno die ne te occidere cures, sed rationabile sit obsequiũ tuum vt duret: alias est experimentum de Deo sumere velle, an possit te sine cibo seruare, hoc est illum tentare: Audite maledictum quo modo intrat blande veritatem dicendo vt mendaciũ suadeat. Homo cũ sis, cibo indiges, vt radicalis humidus calore naturali nõ destruatur sed cõseruetur: quomodo igitur ausus es per quadraginta dies, nec cibum gustare? Si homo purus es, vt intelligo, & non etiã simul es Dei filius: nã virtus & sanctitas tua multũ hoc insinuat: & si tu es ille filius Dei benedictus, quid opus est te fame cruciari, cum omnia possis & mundum tua voluntate redimere, tantum illi parce & iam erit liber & redemptus, sine hoc quod esuriem & famem patiaris. Si non es filius Dei, vt quid Deũ tentas per tot dies ieiunus existẽs? Si tamen es, & fami tuæ satisfacere vis, dic, & statim fiet, vt hi lapides tibi vertantur in panes; nutu tibi potes præstare quod desideras: vnde isto argumento declarabis te filium Dei, non erit pater surdus filio suo fame periclitanti cũ ex nihilo cũcta pater tuus cõdiderit, nil magni erit si tu filius eius lapidem in panem conuerteris, & sic ab hominibus eris cognitus & cultus & honoratus, & à dæmonibus reueritus, nam ti-

bi genua flectent etiam nolentes, nunquid possunt ipsi redemptionem contra te impedire si Dei es filius?

O audacia serui fugitiui contra Dominũ suum, ò temeritas stultissimi dęmonis sapientiam patris docentis, & quid faciat cõsulentis: & tu serue Domino dicis? Damnatus iudici? Creatura superba & bestia elata humili homini & Deo simul, audes talia
*Luc. 10. C.* dicere? Serue puniende, cum hero tuo accedis ad pyra partienda? illi loqueris, qui dixit & factum est, vt sicut fulgur de cœlo
*1. Cor. 15. F.* caderes maligne insidiator? Non est primus Adam de terra terrenus, vt illum sic cibo capias vt primum hominem: secundus est de cœlo cœlestis fideiussor primi Adæ, qui tollet à te spolia quæ possides. Et dicis illi dic, dic, nam scriptũ est de te (si filius
*Psalm. 32.* Dei es) ipse dixit & facta sunt: & pater per te omnia fecit, & cũ
*Ioann. 1. A* sis verbum facile tibi est dicere & tuum dictum opus est; igitur dic & comede lapides istos, iam in panem à te conuersos intelli ge. O maligne & talem cibum Domino meo & tuo adducis, ad suum ieiunium tollendum & reficiendum? Lapides duros agno famelico portas? Iam dixit aliquando & creauit te, & in magna sapientia & gratia dicens formauit te: dixit vt confirmationem gratiæ & beatitudinem humilitate & medijs à se datis inquireres, & noluisti, nisi superbia intumescere, & ascendere quo non tibi licebat: iam dixit vt abires in locum tuũ: vt quid modo accedis ad illum? Vt lapides & duritiam cordis tui in panem mollem conuertat? Nec ipse hoc desideras, nec ille faciet, quia malitia & obstinatione peccasti, non tamen ignorantia.

Si venire potuisses contritione superbiæ tuæ debita & dolore, & dixisses illi: quia filius Dei es & potens, dic, & erit ita, vt lapides ideſt mentes dæmonum lapidibus duriores panes fiant & molles, vt non vltra homines ad te lapidandum inuitemus, & nos serui tui facti simus. Forsan (vt Deus ita pius & misericors est) si vere & toto corde hoc dixisses statim fecisset quia vt tibi dixit Diuus Martinus (conquerenti de illo quare esset tantę cõpassionis vt omnes peccatores pœnitentes, sinu misericordiæ reciperet, & absolueret: & cur lapsos in peccatum rursus ad pœnitentiam reciperet) si tu ipse superbe dæmon, & miserabilis, ab hominum infestatione desisteres, & factorum tuorum te pœniteret: confisus in Domino, ego tibi Christi misericordiam pollicerer. Audite pœnitentiæ valorem, quasi dæmõ (ait Diuus Martinus

tinus referente D. Antonino) vſus eſſet vt deceret abſolutionē obtineret à Deo illi. Noli peccare ò homo, & ſi peccaſti nō tardes conuertere, & magnā ſpem venię de ſacramēto pœnitētiæ cōcipe, nefias vt dæmon impœnitens: tamen ò draco, ſuperbiā depone non valens neq; duritiam & obſtinationem, venis ad Chriſtū vt lapides in panē cōuertat & comedat? Nā ipſe cōfeſſus fuiſti aliquādo ſancto illi Machario in humilitate vinci te ab ipſo: nam (vt idem D. Antoninus refert) dum aliquādo Macharius à palude ad cellam reuerteretur, occurriſti ei diabole, cum falce meſſoria volens illum percutere, ſi tibi data eſſet facultas, ſed non valuiſti: ſed illi dolens dixiſti, multam violentiam à te patior Machari, quia non poſſum prævalere aduerſum te: ecce enim quod tu facis & ego facio, & maiores labores patior. In quo ergo vinco te dęmon? In ieiunijs meis multis? Non, nā ego hucuſq; buccellā nō comedi, & penitus non edo. In vigilia? Ego nūque dormio. In laboribus pœnitētiæ? minime, ego ardorē ignis mecum porto infernalis: ſi caſtus es, mulierem nunque agnoui: vnum eſt ſolum in quo me ſuperas: in quo humilitas tua eſt, per quam non prȩualeo aduerſum te: & ego humiliari non valeo.

*P. 2. Tit. 10. cap. 11. §. 2.*

*Ibi. Titu. 15. cap. 6. §. 3. in fine.*

Dic vt lapides iſti panes fiant, & comede iuuenis delicate, & ob famē pallidus effectus, ſi filius Dei es. Sēper induritia tua per manes, obſtinate ſpiritus? O lapidāda malignitas, quę lapide refici filium Dei ſuades. Quis pater pro pane lapidē filio ſuo porrigit? Tu tamē cum ſis maledictus tyrānus & nō pater, das pro pane lapidē, & pro ouo ſcorpionē, & pro piſce ſerpentē: ſicut multi parentes filijs ſuis. Pro pane diuitiarū filijs ſuis lapides reſtitutionis, quibus Deū lapident, relinquunt: ſimiles in hoc diabolo, lapides filio Dei adducēti: ſed fruſtra venit ad filiū Dei dicēs: dic vt lapides pœnitētię, & rigoris in ieiunio, habiti, panes, lux? fiāt; gaude & lætare in iuuētute tua; quid in deſerto ieiunās & plorās exiſtis, cum in ciuitatibus gaudens & honoratus viuere poſſis?

*Luc. 11. B.*

O maledicte draco, cōtra ducē noſtrū nil hoc telo profeciſti, imo illo te occidit ſua reſponſione, & cōtraria ieiunij & doloris operatione; tamē heu, quātos milites eius in terrā & terrena, imo in tartara miſiſti & proſtraſti iſtamet ſagitta à te miſſa & ab illis recepta & conſenſa. Accedit diabolus tentator malignus ad quendam hominem pauperem, magnos die ac nocte ob inopiā patientem labores, & ait illi: quid eſt quod facere decernis? Vt

quid homo, vt tu es, tales pateris neceſsitates & infamias? Eſto mercator, etiã ſi cum paucis incipias argẽteis & perfas & nefas, iurando & peierãdo acquires tibi neceſſaria imo & ſuperflua: & ſi alia via breuiori ambulare cupis eſto fur, & iniuſtis contractibus vtere: dic vt lapides iſti duræ paupertatis panes fiant diuitiarum & ciborum. O vtinam multi hoc execrandum dæmonis conſiliũ non fuiſſent inſecuti, & ex noſtris fidelibus. Qui ſciũt theſaurum ſuum eſſe illis reconditum in cœlis, & non licere ſibi mentiri, necdum peierare, & vnicuique eſſe proprium reddendum: & nil illis prodeſſe totum mundum lucrari ſi animas dæmoni tradunt. Et Deus ſcit quanti fideles modo in flammis ardeant tartareis, quia hoc dæmonis conſilium acceperunt: & paruo tempore ex pauperibus & Dei ſeruis, diuites & diaboli captiui effecti ſunt, & heri inopi erant & hodie iam tria millia aureorum dant filiæ in dotem: tamen de male acquiſitis non gaudet tertius hæres, & male acquirentes iam ſunt miſeri in tormentis: caue ne lapides paupertatis tuæ in panes diuitiarum male partarum conuertas. Nam contrarium facis: panem pacis & gaudij in lapides inquietudinis & inferni conuertis: eſto cõtentus paupertate tua, nam & Dei filius egenus factus eſt.

Dico homo, ait dæmon, vt lapis vitæ tuæ rigidæ panis delitiarum fiat: o quantas debiles mulieres ſub eſca iſta decepit diabolus hamo culpæ. Contingit vt ſit paupercula mulier, manibus ſuis laborans die ac nocte, & inde panem manducans beata & bene illi eſt: orat frequenter, rem diuinam quotidie audit, confitetur crebrius, conſpectui hominum nõ apparet, quia pauper & nuda, & nemo niſi Deus ſcit de illa neque cogitat, nec illa cogitat niſi de illo cui ſeruire diſpoſuit: plorat gaudens intus: eſt in pace animæ valde quieta. Inimicus generis humani talia videns & inuidens, accedit ad illam vt tentator aut maledictæ internuntiæ perſona, & dicit illi: quare ſtulto labore conſumeris? Quare famen caninam pateris? Quare ſemper nudam in angulo domus es nec inter gentes remoraris? Accede ad talem diuitem, aut canonicum, & ſine labore comedes: & ſine vigilia eris ornata: dic iam opere vt lapides iſti laborum tuorum & ieiunorum, panes fiant delitiarum & diuitiarum. O maledicte ſerpens ô infernalis pronuba, quantas mulierculas captiuas & peccatis oneratas tali eſca ad tartara duxiſti, Deus aliquando

oſten-

oſtendet: vtinam non eſſent multæ in noſtris temporibus ſub tali rete.

O mulierà dæmone decepta, conuertere ad Dominũ Deum tuum & ad vitam quietam. & fac vt panes doloris & delitiarum in lapides pœnitentiæ conuertantur & in vitæ rigiditatẽ: certe, vt adulterã, talis lapidibus in delitias conuerſis, vult malignus te lapidare perpetuo. Dices forſan, vellem equidem (nã ſatis mihi conſtat de vitæ prioris diſcrimine, & experientia miſeriã meam intelligo, & pacis primæ aliquando recordor) tamen iã non poſſum aliter facere: quid dicẽt illi qui hodie bene ornatã & cras me nudã viderint? Vnde cibos conſuetos emam? Vnde veſtes acquirã? O te infelicem, iuuenis fui, & iam ſeneſco, & non vidi iuſtum derelictum nec mulierem recte viuentem & panem quærentem medijs debitis, & non inuenientem: nam Deo cura eſt de illa & de omni bono: tibi non conſtat experientia paupercula mulier? Adulter homo, vt Deum offendas, veſtes & cibos tibi prębet: & Deus, ſi illi ſeruires, qui bruta veſtit & agros: non daret veſtes tibi? Et qui coruos alit non daret cibos? Dat corpus ſuum tibi in cibum, & non daret panem? Dedit ſcapulas ſuas verberibus vt caſta eſſes, & nõ daret veſtes tibi neceſſarias? Accipe ſanguinem brachij mei & non pecces, imo Deus tibi ſuum dedit.

*Pſal. 36. Vide S. Antoni. 3. pa. hiſt. Ti. 19. cap. 12. ante. §. fol. 50. co. 1.*

Si mihi fidem non habes audi Spiritũ ſanctum (quod ipſa experientia ſcis) dicentem tibi: melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quã domus plena victimis cum iurgio. O mulier ſtulta & à dæmone decepta, melior eſt domus conſciẽtiæ tuæ (vt ipſa aliquãdo vidiſti) & magis gaudẽs anima tua erat, cũ buccella panis manibus tuis acquiſita, & ſicca ſine aliqua voluptatis humiditate: quã modo eſt plena cibis & delitijs & veſtimẽtis, & cõuiuijs: quia eſt triſtis modo & cũ iurgio, à cœleſtibus & terreſtribus ſeruis Dei proueniente, miſera anima tua: & ſaltim cũ iurgio & verme cõſcientiæ, quẽ neceſſe eſt velis aut non te illũ pati: & cum hoc Dei iniuriatrix & illi iniuriam irrogans, affirmas ſine Dei iniuria, te nõ poſſe viuere, nec habere neceſſaria? Ideo miſerabiliter & infamis viuis. Interroga illam maledictam Herodiadem, quã melior illi eſſet buccella panis (imo & lapides comedere) ſine voluptatis humore: quã in ſolio regijs & in conuiuijs regalibus inhoneſta & inceſta, cum Herode rege peccare, & voluptati vacare. Quia meras feces diuinæ iræ (vt ait Nicephorus) & in

*Pro. 17. A.*

*Mar. 6. C.*

*Lib. 1. c. 20.*

tolerabilis indignationis Domini calicem iam bibit: cum sua psaltatrice infernali quæ filia, terribiliter à glacie & gelu decollata, cum traijceret fluuium glacie constrictum, vt ibi est videre cum tremore iudicij Dei.

O vtinã ne lapides virtutũ multi homines, dæmonis officiũ exercentes, in vitia, & pœnitentiam in voluptates nonuertisset: tales ex patre diabolo sunt. Qui fratrem aut sororem in necessitate aut egestate aut fame sua aggreditur, & infirmitati eius, cuiuscumque generis, infidiatur tentando, & occasionem peccãdi illi dando; legi se diaboli subdit & eam implet & officiũ suũ peragit; & quod ipse Christo Domino consuluit nec obtinuit, mediãte homine malo suadet & obtinet à misera muliercula, vt lapides virtutum & pœnitentiæ in panem mendacem voluptatis cõuertat. Suauis tibi est ò homo, aut mulier, ad horam panis
Prou. 20. C. mendacij (ait Salomon) voluptatis: quia gaudium promittit & tristitiam confert, & saturitatẽ, & famem præbet, ideo panem mendacij voco voluptatem: hic mentitur tibi, & in futuro os tuũ implebitur calculo, ideſt carbone ignito, siue lapilulo, aut ense acuto. Quia calculus est ratio, numerus, sententia, carbo: calculus est pondus, minimus lapis, ensis acutus. Igitur qui aliũ ad malum inuitat, diabolus est dicens: fac vt lapides isti panes fiant, & virtus tua vitium; & pœnitentia, luxus. Tremendum verbum contra diuites, pauperes opprimẽtes, & contra lenones fœminis insidiantes & ad voluptatem inuitantes. Diabolus es adulter, non natura sed similitudine; cum facias tua suasione vt bona mulier lapidem virtutis & honestatis, in vitium & voluptatem conuertat. Esto fortis mulier vt Susanna & obtinebis gloriam cum illa, Amen.

# Homilia Septima.

¶ Dic vt lapides isti, panes fiant.

QVid tamen dicã, aut quid faciam, si malignus insidiator obtinuit iam à multis Dei ministris, imo & à multis in sanctis religionibus viuentibus lapides pœnitentiæ & rigoris ieiuniorũ & orationum, vt in panes relaxationis dissolutionis & luxus cõuer

tant?

tant? Quid miror de fragili muliere, si de moniali Christi sponsa, mundo iam sepulta (nam cellula sepulchrum eius est & habitus sindon funeralis) obtinuit dæmon rigorem sanctæ religionis & pœnitentiam; vt in consortia nundana conuertat & dissolutionem? Si de me sacerdote Dei & concionatore, & de te monache, lege Dei religate, obtinuit dæmõ ieiuniorum fractiones, nociuas conuersationes, imo inuidias & voluptates & detractiones, & pœnitentiam & orationem neque cogitatione tangere; quid miror de secularibus in mundi mari valde immersis? Vtinam aliqui Dei ministri officiũ dæmonis nõ exerceant in hoc, quod alijs vitia consulant, & à virtutibus & castitate abigant, suis verbis & suasionibus, & lapides pœnitentiæ in luxus conuertant. Quicunque talis fuerit, non solùm dæmonis, consilium in se adimplet, sed officium diaboli exercet: imo diabolus hic tantum consuluit, nec obtinuit; & aliqui Dei ministri & religiosi, & suadent, & (quod peius est) ad malum persuadent: væ illis erit cum apparuerit princeps sacerdotum.

Cauete cõcionatores & Dei præcones, ne malignus obtineat à vobis hoc suum consilium, primum in vita & moribus, deinde in doctrina & concionibus: nam prius inuitabit vos ad tollẽdum pœnitentiæ rigorem & orationis consuetudinem, & deinde virtutes, & sic vt panes mẽdaces voluptatis comedatis. Deinde dicet vobis, declamate concionatores, vt lapides isti & terrores & terribiles Dei increpationes in scriptura positæ cõtra peccantes (quas vos magno rigore hucusque prædicastis) dicite vt panes fiant & in adulationem conuertantur, dicite placẽtia, nec sic homines terreatis: nam & vos etiam Dei misericordia indigetis. Væ concionatoribus consilium diaboli adulando implentibus, & consilium Pauli (dicentis, argue increpa cum omni impe rio, increpa illos dure) contemnentibus. 2. *Ti.* 4. *A.* *Ad Ti.* 1. *D*

Vult aliquis homo cõcionibus cõmotus ieiunia incipere, ad satisfaciendũ pro delictis suis, & ad implendũ Ecclesię sanctę mãdatum: statim accedit vxor vt serpẽs antiquus dicens illi: bene potes cænare, nam non es ad ieiunium consuetus. O misera, es iã ipsa pontifex dispensans, aut dæmon dicẽs, dic vt lapides ieiunij fiant panes? Aut è contra maritus nõ sinit vxorẽ ieiunare, vnde officiũ dæmonis accipit alter contra alterũ: ieiunat nobilis & delicatus & sine culpa filius Dei, & tu homo robustus, rusticus, &

magno peccatorum pondere grauatus, ſeruas ieiunia ad infernũ vbi fames eſt cibus non? Ad inuicem prouocate vos coniuges, ad ieiunium & pœnitentiam, ſi forte Dominus recogitet de vobis, nullam pacem inter vos habentibus, & ad iracundiã prouocantibus mutuo; & vtinam ne alter alteri infidelis ſit & legem matrimonij ſoluat, vt quid vnus alteri bonum impedit?

Si filius Dei es, vt quid tanta ieiunia & abſtinentia? Dic vt lapides frigoris & præſepij, in panes caloris & mollis lecti conuertantur. Quia filius Dei ſum, tam dura pati volo: & vt doceam milites Chriſtianos, ſi volunt filiationem Dei recipere, non deſiſtere à pœnitentia, & bonis operibus ieiunijs & obſecrationibus: & quando ipſe tentator accedas & dicas illi, ſi filius Dei es per adoptionem & gratiam, vt quid tibi opus ſunt tan frequentia ieiunia? Vt quid cilicium iuxta carnes? Vt quid in oratione pernoctare, & omnium conſortium euitare? Reſpondeat tibi: quia filius Dei per gratiam ſum, volo ieiunare & talia cum ſanctis qui Deo placuerunt facere: alias ſi filius tuus eſſem dæmon, delitijs & voluptatibus & ludis vacaſſem. O quã confuſus recedit mliagnus, quãdo talia audit à vero fideli, & operibus pœnitentiæ dedito: ſicut in quinquageſima diximus de filio Dei, nolente de cruce deſcendere ſed potius ibi mori, quia filius Dei erat: ita & tu ne de cruce deſcendas.

Infelices tamen, qui ad conſilium dæmonis pœnitẽtiã in luxum conuertunt & de cruce ieiunij & reſtitutionis, & dilectionis inimicorum deſcendunt ad comeſſationes vanas, ad furta & odia & voluptates: talis quicunque es, lapides comedis diabolico conſilio aſſentiendo, cum cibos ſenſualitatis animæ tuæ
*Numer.11.5.* præbeas. Non erant ingrati duroque corde & ruſtici Iudæi illi, quibus Deus tanta beneficia in Ægypti egreſſu contulit; quando anima illorum nauſeam patiebatur ſuper cibum mannæ de cœlo ſibi à Deo datũ? Et dicebãt; ò cibi Pharaonis quos comedebamus in Ægypto gratis, ò piſces, ò cucumeres, ò pepones ô porri & cepe & allia: anima noſtra arida eſt. O miſera gẽs ruſtica, cęparũ & alliorũ amica, & Dei & cibi ipſius inimica: gratis accipiebatis à Pharaone piſces, quos ſanguineo ſudore emebatis, in lateribus & luto cõtinuo inuoluti, captiui & ſub iugo duriſsimo? Sẽper erraſtis corde: grati Pharaoni tyrãno, magno pretio ſudoris veſtri piſces & cepas vendenti; & Deo panẽ Angelorũ gratis dãti, &

ti,& à tam iugo duriſsimo ad terram promiſſam liberanti,ingra tiſsimi & rebelles exiſtentes?

Vtinam ne multi ex his perfidis & ingratiſsimis Iudęis inter noſtros reperirentur fideles: qui malunt cibos duros & groſſos vitiorum diſpendio ſalutis,& honoris, & præmiorũ æternorũ, à dæmone accipere:ſeruiendo illi in auariæ luto, & voluptatis lateribus, & lapides comedendo duriſsimos in conſcientiæ remorſibus:quam gratis & animo quieto à Domino cœli cibos virtutum accipere,& panem gratiæ, & Angelorum manducare in pace. Quid cogitas perfide homo, quando cibum verbi Dei tibi proponitur,aut manna cæleſte corporis Chriſti datur tibi gratis?Statim veniunt mihi in mentem,piſces voluptatum lubricarum,quos dæmon dabat mihi gratis in Ægypto tenebroſa peccati,ò cucumeres delitiarum, ò pepones conuerſationum inhoneſtarum,ò cæpe & allia vitiorum:anima mea arida eſt cum his cibis leuiſsimis verbi Dei & virtutis,& corporis Chriſti.

O ruſtice infernalis,gratis tibi dæmon vitia conferebat? Nõ ſine labore piſces in flumine capiuntur,quomodo in mari inferni, volebas ipſe gratis piſces voluptatum capere? Cucumeres,& pepones male ſani ſunt? Quanto magis conſortia praua animæ tuæ? Quis comedit cepas & allia,quin lacrymas emittat, & malum ex ſe odorem præbeat? Velis aut non voluptatis cepas comedens plorare hic, aut æterna liter in futuro te oportet: & malum famæ odorem vicinis præſtare debes. qui tamen ſi cibum verbi Dei vt decet tibi incorporas, aut virtutis alimentum, aut ſacrã corporis Chriſti buccellam;& gaudebis in anima,& Chriſti bonus odor eris,& proximo redolebis:aliâs lapides dæmonis comedes duros, & vt ruſticus eris qui magis vult cibos ruſticos alliorum & ceparum,quam perdicum delicatos.

Tẽtat malignus prius per gulã,vt inde ad nociuas hominẽ per ducat voluptates & ad mortẽ. Nã ſicut Abſalõ fratrem ſuũ Amnon inuitauit prius ad manducandum,deinde iuſsit ſeruos ſuos dicens.percutite Amnõ cũ temulẽtus fuerit,& interficite,nolite timere: & ita occiderũt illũ:ſic diabolus (per Abſalon qui interpretatur pater amaritudinis intellectus)qui mendacij pater eſt & amaritudinẽ peccati,inceſsãter nobis propinare deſiderat, inuitat Amnõ, ſcilicet quẽlibet inſolentẽ hominẽ, prius ad gulã & ad ieiuniorum fractionem,& cũ in tali conuiuio illũ videt, iubet 2. *Reg.* 13, *F.*

bet ſeruos ſuos, ideſt appetitus ſenſuales, dicẽs: percutite hũc hominem guloſum voluptatis gladio, quia iam temulentus eſt cibo & potu, interficite culpa & ad luxuriã inducite, quod frequẽter contingit: nã (vt ait D. Hiero.) vẽter & genitalia ſunt mẽbra propinqua, & ex vicinitate mẽbrorũ deſignatur propinquitas vitiorũ: & ſic diabolus iugulat te morte culpæ, vt poſteà pertrahat ad mortẽ gehẽnę: Lyra aliqua ex his. Lapides portas dæmõ, & non cibos delicatos cum poſſes, vt quid ita facis? Quia dũmodo ieiunium frangatur, nil mea refert vt pane tantum aut alijs delicatis cibis præceptum tale tranſgrediatur. Et etiam vt ſciant omnes ſerui mei; ſolutionem quam à me ſunt pro laboribus quibus mihi ſeruiunt accepturi, ex lapidibus & duriſsimis ſupplicijs conſtare; & conſcientiæ remorſibus, & infamiæ & inquietudinis animæ & corporis.

*Lyra ibi moraliter.*

Nota multum diaboli malitiã: Chriſtum filiũ Dei vocat dicens, ſi filius Dei es, & lapides illi ad manducandum portat: ore ſuo benedicit & corde duro & opere iniuriam illi irrogat. O vti nam multi fideles, dæmoni in tali facto ſimiles non eſſent: venis ad Eccleſiam Dei ad ſacrum audiendũ, & conciones, genua flectis & dicis ad Ieſum: reuera filius Dei es, quem credo conceptum fuiſſe de Spiritu ſancto, natum & pro me mortuum. Frater mi, & qualis eſt iſte lapis odij, quem in corde contra proximum habes? Eſt, quo volo hunc Ieſum quem Dei filium voco lapidare. Igitur diaboli filius es, qui ore filium Dei Chriſtũ vocas: & in corde & manibus operationis lapides odij aut obſtinationis, aut lateres voluptatis contra illum portas. Ergo es ex illis perfidis Iudæis, aue Rabi Chriſto dicentibus, & faciem eius ſpecioſam atque ſacratiſsimam crudeliſsimis alapis percutiẽtibus: ore dicis credo in Ieſum Chriſtum filium Dei & genu flectis coram illo, & alapa periurij faciem ſuã, quantũ eſt in te, feris crudeliter? O phariſæe, ò fili diaboli, lapides in manibus & operibus portans, & in ore filium Dei, & fide.

*Pſal. 61. A*

*Ioan. 19. A.*

Verbum iſtud tentatoris maligni, in alio ſenſu accipiamus nos fideles, & lacrymis perfuſi procidamus coram Domino qui fecit & ſanguine redemit nos, dicentes: quia filius Dei es, genitus Deus de Deo lumen de lumine infinito: dic & factum erit, vt lapides iſti, ideſt corda hominum lapidibus duriora, & in obſtinatione exiſtentia, panes gratiæ fiant: & contri

tione

tione vera in panem & partes minutas conuertantur, vt tu Domine, comedas talia corda & tibi per gratiam incorpores. Quia alias, ipse dixisti per Hieremiam, audi populе stulte, verbum meum: & mihi in omnibus obedientiam præsta, stulte, quia peccator: qui non habes cor molle & aptum vt ego comedam, sed durum & lapideum & obstinatum. Bene scio te sine corde viuere non posse, vita corporali: sed cor durum habes, & tale cor (vt dicit Salomon) male habebit in nouissimo; nempe in morte in iudicioque suo. Dic ergo Domine, vt talia corda lapide duriora, molleſcant gratia & panes, ad conuiuium cœleste apti fiant. *Hiere. 5. E.* *Eccli. 3. D.*

Domine mi, ipse per Ezechielem non semel sed bis non dixisti: auferam cor lapideum de carne vestra & rebellione, & dabo vobis cor carneum & molle? Quando à temporibus Iudæorum, quibus ista dixisti, sic opus fuit vt adimpleres illa quã hodie, quando homines videntur cor carneum non habere, sed lapideum? Quando magis dura hominum corda fuerunt ad ingratitudinem exercendam contra te Domine cœli, quam hodie? Quando obstinatiora in suis consuetudinibus prauis? Quando rebelliora ad non parcendum proximo? Quando frigidiora ad charitatem exercendam? Quando grauiora ad terrena amplectenda, & cœlestia nec cogitanda? Si lapis durus est, frigidus & grauis, absq; vlla similitudine, multa corda fidelium lapidibus duriora, grauiora atque frigidiora vides Domine. O homines, vsquequo duro & frigido, & graui eritis corde? Vsquequo diligetis mendacium, & vitium vobis mentiens, & vanitatem voluptatis qua non potestis finem vestrum obtinere? Domine, adimple verbum tuum in nobis, & aufer cor lapideum nostrum ita durum, frigidum ad cœlestia, & graue ad terrena inclinatum, & da carneum & molle & pœnitens: & dic vt lapides isti & homines, Nabal duriores, panes & in pauperes misericordes fiant. De me ego (& si dolens) libenter fateor cor habere durissimũ: alias tam innumera beneficia tua digna erant vt alio tibi seruirem corde & animo & lacrymis. Dicam ergo melius & verius quã dese dicebat Diuus Bernar. (cum ipse sanctus esset & ego durus & rebellis) tolle à me cor carneum & da lapideum: cum videam petras in tua morte sciſſas, & cor meum semper integrum & sine dolore. *Ezec. 11. D. 36. F.* *Psal. 4. A.*

¶ Qui

Tex. ¶ Qui respondens, dixit: Scriptum est.

O Mansuetudo redemptoris & omnium creatoris: qui nõ dignatur seruo fugitiuo & puniendo, & lapidibus onerato & tẽtãti, mollia respõdere verba: nec abhorruit audire verba sua venenosa: & qui potuerat lapides è manibus tollere & illum cõminuere ipsis, aut in lapidẽ cõuertere: nil mali illi irrogat, sed patiẽtia digna Deo, ac si socius eius esset, respondet illi: & malũ pro malo illi reddere noluit. Vt nos doceret, similia cum fratribus calumniantibus nos & detrahentibus facere: nempe malum pro malo non dare, neq; loquelam iratam, sed mollem vt frangamus iram illorum. Dominus autẽ ita leniter aduersario respondit, ne aliquod signum diuinitatis illi præberet: quod tẽtator maxime desiderabat. Deinde, quia miracula non sunt indignis communicanda & fictis: vt es tu dæmon & Herodes, ideo nolo coram te
Luc. 23. B. neq; coram illo signa facere: etiam si sciam quod me es persecuturus & Herodes illusurus. Quia valde cupio vt milites mei fideles, in nullo tibi placeam neq; obediam, in magno neq; in minimo, in verbo neq; in opere: & similiter neq; membris tuis dæmon, in suo vitio & culpa. Respondit Dominus nolens dæmonis volũtati acquiescere: vt videas misericordiã eius, qui alijs aquam in vinum cõuertit, & tot hominibus panem dedit in de-
Ioan. 2. B. 6. B. serto, & ipse sibi non vult lapides in panes transubstantiare: vt discas alijs esse liberalem, & tibi temperatum: sed contrario modo fit fere ab omnibus. Pessime dæmon, qui conuerti petram in stagna aquarum (vt biberet populus ille duro corde) & rupem in fontes aquarum (vt ait Dauid) non possem si vellem la-
Psal. 113. B. pides in panem conuertere? Possum & nolo, vt in nullo tibi placeant fideles mei: sed corda illorum dura in stagna lachrymarũ conuertant, & rupem duritiæ suæ in fontes aquarum, quia contra dominum suum peccauerunt. Et etiam respondeo tibi leniter, vt discant maiores auditum præbere minoribus & illis responsum dare: & sciant iudices me habituri rigidum iudicem, si pupillis & viduis & pauperibus, non audierint libenter, & necessaria responsa dederint.

Multoties cũ hac quæstione ad me draco venisti, vt lapides panes fierent à me: & lapides duros quos contra meos seruos portabas in panem contra voluntatem tuam conuerti: sed modo no

lo,

lo, quia mihi laborem volo & ieiunium, vt inde fideles mei ſolatium & cibum cœleſtem reportent. Ne recordaris maligne inſidiator, quãdo contra fideliſsimam ſeruam meam Suſannam, per manus ſenum presbyterorum maledictorum, & in diebus malis inueteratorũ, igne concupiſcentiæ ardentium: lapides iã portabas, vt lapidaretur honor ſanctę mulieris & vitæ? Neſcis miſer, quomodo, puero Daniele mediãte, in panem ad vtilitatem Suſannæ, lapides conuerti, & te & ſenes lapidare iuſsi? Idem feci, erga innumeras mulieres innocentes, quas falſo crimine lapidare voluiſti ego defendi: etiam ſi alias, vſq; in diem iudicij reſeruaui liberandas. Imo (quod eſt ſignum magnę audaciæ in te) cõtra virginem matrem meam puriſsimam & immaculatam & ab omni labe, etiam originali, præſeruatam: voluiſti lapides adducere, ſuſpicionem in ſancto Ioſeph nutritio meo, de ſua virginitate & fidelitate cauſando: quia prægnantem & non à ſe agnoſcebat. Iam ſcis, me tales lapides in panem cõuertiſſe, veritatem docendo Ioſeph per Angelum dicentem: noli timere Ioſeph accipere in ſocietatem tuam virginem ſanctam coniugem tuã. Eſt prægnata. Verũ eſt, ſed quod in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt. Et quid de matre dico Virgine ſanctiſsima, cum etiam lapides, quos in manibus phariſæorum portabis, contra mulierem adulteram & peccatricem: quia dolebit de peccatis ſuis, in panem abſolutionis & remiſsionis conuertam, velis aut non. Contra protomartyrem meum Stephanum, lapides etiam adduces: ſed ipſe orando pro inimicis ſuis, meo auxilio, in panes ſibi meritorios conuertet. Sicut omnes qui perſecutiones libenter patiuntur, & inimicos diligent, & pro illis orauerint facient. Si nolui lapides quos cõtra Naboth, per manus maledictæ Iezabel, adduxiſti, in panes conuertere liberando illum: tamen conuerti illos in vtilitatem animæ ſuæ, quia innocens lapidatus eſt: hic non omnes libero.

*Dani. 13. E.*

*Matt. 1. C.*

*Ioan. 8. A.*

*3 Reg. 21. C.*

Aliquoties tamen lapides punitionis quos contra aliquos malefactores adduxiſti, nolui in panes remiſsionis conuertere: nam contra hominem ligna in die ſabbati colligentem, lapides ego iuſsi turbam vt acciperet, & illum irrueret illis, vt factum fuit: quia lapidibus inferni obrutus erit omnis feſtorum trãſgreſſor & dominicæ diei fractor. Nolui etiã lapides in panẽ conuertere blaſphemo illo, de quo dixi Moſi: educ blaſphemum extra caſtra

*Num. 15. D.*

*Leui. 24. C.*

ſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eum omnis populus: quia reuera (etiã ſi iudices ſeculi in damnum ſuum remiſsius cum blaſphemis ſe habẽt in hac vita: in alia quando coram me appareant) dicam infernali populo: lapida iſtos inuerecundos blaſphemos, duritia tua infernali; nolo vt lapides illis in panem remiſsionis conuertantur. Quemad-
*Ioſu. 7. D.* modum contra Achã de anathemate furantem, populum iuſſi lapidibus ſurgere, & lapidauit eum: vt erit lapidatus omnis fur & auarus, & vſurarius & malis contractibus vacans, ſi in tempore veris Dominis aliena non reddiderit, & pœnitentiam fecerit.

Itaque nec tibi dæmon, nec malis obſtinatis, lapides in panes conuertere volo: peccatoribus autem, ſi voluerint pœnitẽtiam agere, meo auxilio, diuitiam cordium eorũ in mollitiem & pa-
*Similc.* nem gratiæ conuertam. Tamen ſicut triticum durum, ipſi ſibi taliter componunt, vt ex illo panem efficiant: ſimilia circa corda dura faciant, & ſic panis mihi gratus fiet. Quid facis erga triticum vt panis quo veſcaris efficiatur homo? Cribrare illum vt lapides ſeparentur & foris exeant tritico manente: confitere & ipſe, virtutes tacendo, tanquam animæ tuæ alimentum, lapides peccatorum foris per veram confeſsionem ſacerdoti oſtendendo: & paleas & ſtercora longius proijciendo, nempe vitium & illorum occaſiones, ne iterum cum tritico animæ tuæ commiſceantur. Deinde, vt triticum inter duas conteris molas, ſic & duritiam cordis tui inter ſpem & metum, & inter iuſtitiam meam & miſericordiã, contritione debita tere, & tunde illam: & aqua lacrymarum in maſſam mollem conuerte, vnde igne charitatis coctum tale cor tuum, ex duro lapide panis fiet, quem ego Deus libenter comedam & mihi iungam.

Scriptum eſt (ait filius Dei aduerſario) nullo alio ſcuto telum eius excipiẽs, niſi ſcripturæ diuinæ clypeo. O ſcriptura diuinitus inſpirata à Deo, quam vtilis es ad docendam veritatem (ait
*2. Tim. 3. D* Paulus) & ad arguendum & refellendum & confutandum mẽtientẽ: & ad corripiẽdum hominem vt deſiſtat à malo: & erudiẽdum vt faciat bonum. Molle videtur hoc verbum Chriſti vobis fideles, nempe ſcriptum eſt? Certe tremendum eſt & terribile verbum contra impios & peccatores, & ſceleratos: etiam ſi bonis & iuſtis & recte viuentibus ſolatio plenum eſt. Scriptũ eſt,

nec

nec deleri poteſt, mali, qui mala fecerint, in ignem æternum ibunt, ſi pœnitentiam veram in tempore non fecerint: boni, in vitam perpetuam ibitis, nam ſcriptum eſt & nemo delebit, iuſti in perpetuum viuent. Auari, infernus expectat vos & cœlum non videbitis. Vnde ipſe ſcis? Scriptum eſt, & non delebitur, ſed reuera implebitur: auari regnum Dei non poſsidebunt, affirmat Paulus. Fornicarij, adulteri, fures, ebrioſi, maledici rapaces, in cœlũ non aſcẽdetis: es tu propheta? Nõ, nec filius Prophetæ: ſed quod oculis video digito oſtendo: ſcriptũ eſt ab ipſomet Paulo in eodem loco, & non poteſtis delere ſcripturã, ſicut nec D. Ioãnis, contra execratos homicidas, fornicarios, beneficos & alios. Etiam ſi ſanguine Dei ſacramento communicato poſsitis modo peccata veſtra, auaritiam & adulterium radere: tamen verbũ Dei ſcriptum manet in æternum. Scriptum eſt, & ita erit quod vitam tuam perdes quia illã cõtra Deum amas: qui amat animã ſuã (ait veritas) perdet eam. Diuites auari crudeles timete & elee moſynam facite, nam ſcriptũ eſt, diuitem auarum eſſe in tormẽtis inferni: mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno.

*1. Cor. 7. B.*

*Apoc. 21. C & 22.*

*Ioan. 12. D.*

*Luc. 16. B.*

Peccatum Iuda (dicebat Dominus per Ieremiam) ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum. O graue malum, quod peccatum tuum ſit ſcriptum, & non in terra vbi faciliter deleri poſſet, aut in papyro aut membrana quæ rumpi poſſet, ſed in adamante & corde tuo duriſsimo? Et hoc ſtylo ferreo & calamo frigidiſſimo? Scriptum eſt: quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei (dicat Chriſtus melius quam Iob) quis mihi det vt exarentur in libro cordis humani, ſtylo ferreo & plumbi lamina: vt intelligat culpę grauitatem homo: vt ex ſcriptura mea cõſtat, vel celte ſculpãtur in ſilice, ſcilicet in anima lapide duriore, vt contritione mollis fiat. Et quis mihi concederet, vt ſermones quos concionaui vobis, ſcripti eſſent in cordibus veſtris, debita conſideratione illos ruminãdo: etiam ſi aliqua corda veſtra ſint libri ferrei & ſilice duriora? Bene tamen credo & in Domino cõfido, eſſe multos inter vos, in quorum cordibus ſcripta ſunt verba diuina quæ prædicaui, ad operandum illa: etiam ſi in alijs in aere ſcripta ſunt. Timetamen peccator, nam omne verbum Dei quod à me audiſti, etiam ſi illud contempſiſti, neque executioni mandare voluiſti, ſcito velis aut non ſcriptum eſſe: ſi non in

*Ieremi. 17. A.*

*Iob. 19. D.*

corde tuo ad operãdum, eſt in Dei memoria vt quærat illud à te in tempore ſuo, & iudicet te: ſcriptum eſt vide quid facias. Hoc
Iſai.30.B dixit Dominus Iſaiæ & omni concionatori: nunc ingreſſus in templum meum, ſcribe omne verbum quod dixeris ſuper buxum lignum fortiſsimum, & in libro memoriæ Dei diligenter exara illud: Quia certe, ſi homo noluerit ſermones tuos operari: erit in die nouiſsimo ſuo & in die mortis in teſtimonium contra illum, vſque in æternum: ſcriptum eſt illuſores verbi Dei, & obliuioſi illius effecti.

Text. ¶ Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Deut 8. A. SCRIPTVM Eſt in Deuteronomio. 8. Moſem dixiſſe populo illi rudi: afflixit Dominus te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt oſtenderet tibi quod non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Verbum in ſcriptura multoties rem ſignificat aut factum: tranſeamus vſque ad Bethleem (dicunt
Luc.2.C. paſtores) & videamus hoc verbum quod factum eſt: ideſt hanc
Iſai.39.B rem quæ modo contigit. Et apertius in Iſaia: non fuit verbum quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua: vnde tu venis ad me cum lapidibus vt in panem conuertam: cum homo conſtet ex quatuor qualitatibus & humoribus, non indiget neceſſario pane ad comedendum ad ſe in vita conſeruandum: nã Deus creauit multas alias res, vt carnes, fructus, piſces, herbas, & poma quibus homo viuere poteſt: & ſic non in ſolo pane viuit homo, & alitur, ſed in alio alimento quod Deus creauit, & in omni verbo & re quæ procedit de ore eius.

Deinde, cum homo ex anima & corpore conſtet, non poteſt ſolo pane viuere qui corpus tantum alit: vnde anima neceſſe habet comedere cibum ſpiritualem, ſed præcipuum alimentum illius, verbum Dei eſt, poſt Chriſti corpus. Ita vt ſicut corpus pane indiget ad ſui conſeruationem, ita animæ mori neceſſe eſt ſine verbo Dei: ait Rabanus: & Diuus Hieronymus: Si quis ergo non veſcitur verbo Dei, iſte non viuit ſicut ſine pane. O efficacia verbi Dei atque virtus & anima neceſſarium alimẽtum.

tum. Igitur ſicut radicalis humor appoſitione panis cõſeruatur, & ſic viuit homo vita naturali, & moritur ſi cibus non datur ſtomacho: ſic & anima valde cõſeruatur in ſpirituali gratiæ vita, appoſitione verbi Dei vt decet edocti, & ſani, & calore cõcionati: & nil mirum vt multi ſint ſpiritualiter mortui vbi Deus talem cibum non præbet: ſed adimpleuit, quod per propheram minauit: ecce dies veniunt, dicit Dominus: & emittam famẽ in terrã: non famẽ panis cibi corpori apti, neq; ſitim aquæ: ſed audiendi verbũ Domini. Quia cũ prædicatio (ait Paſcaſius in lamẽtis) & intelligentia verbi Dei ſubtrahitur à populo, auditus quoq; ceſſat, & deſideriũ audiendi. Sicut ſtomachi fames ceſſat ſi per multũ tempus cibus non applicetur: ſicut ignis extinguitur, ſi ligna aut alia materia illi non apponatur: quia calor ſtomachi cõſumit humidũ, & ignis ligna, & anima verbum Dei: vnde ſi non applicetur non deſideratur: vt experientia video, loca in quibus raro vel nunquam Dei verbum prædicatur, modicũ aut nullum audiendi deſiderium habere: & vbi frequentatur vt decet, non ſatiantur auditu illius, ſed quota hora concionem deſiderant.

*Simile.* *Amos. 8. D.* *In Thre. 4. A* *Simile.* *Simile.*

Vnde inter alia quæ Ieremias plorabat hoc erat: quia paruuli petierunt panem, verbi Dei, & non erat qui frangeret eis. Quem locum citat Concilium noſtrum Tridentinum, admonens epiſcopum: vt prouida cura & ſolicitudo paſtoralis non deſit in prouiſione verbi Dei. Alias væ paſtoribus, panem adeo neceſſarium animabus ſubtrahẽtibus: væ illis erit cũ apparuerit princeps paſtorum Chriſtus, qui tam ſolicitus fuit in partiendo panem verbi Dei, ita vt ipſemet fateatur ad prædicandum veniſſe: vt dixit diſcipulis ſuis: eamus in ꝓximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni: & alibi euangelizare pauperibus miſit me: & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo miſſus ſum. Sed iam (dicit ibi Ieremias ploranſ) adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti. Et vt Paſcaſius optime ibi ad notat: cura paſtorum ac ſolicitudo deeſt, nec eſt qui minoribus mammam denudet doctrinarum: neq; qui maioribus frãgat panem. Abundans panis verbi Dei, eſt in arca ſanctæ eccleſiæ: deeſt tamen qui paruulis frangat vt decet & vt poſſit comedi & intelligi ab illis & operari. Quid prodeſt puero paruulo fame deficienti, in arca clauſa multos eſſe panes: niſi aperiatur ab alio, & illi panem frangat? Sic de Verbo Dei in eccleſia

*Thre. 4. A.* *Sess. 5. ca. 2. de refor.* *Mar. 1. D* *Luc. 4. C. G.* *Thre. 4. A.* *Paſca. ibi in fol. 247.* *Simile.*

& ſcriptura ſacra incluſo: ſi paſtores paruulorum, nullam curam vt illis per concionatores frangatur, quiq; vnicuiq; cõueniat doceant, habent: quid tale alimentum conducet illis? Quod bene intuens Ieremias, iure paſtorum reprobam deplorat vitam, & ſubditorum plangit crudelitatis mortem.

*Ibi. Simile.* Multi paſtores animarũ crudeliores ſunt lamijs (acſi dixiſſet Ieremias) & negligẽtiores ſtruthionibus: quoniã lamiæ, etſi valde crudeles, nudant mammã & lactãt catulos ſuos: & ſtruthio, etiã ſi ab omnibus de negligẽtia circa oua ſua notetur, quia ſine cura videtur illa ponere, tamen phyſici dicunt, quod ea in ſabulo exponunt, vbi nimis ſolis feruor quotidie candeſcit: vnde calore ſolis & confotu ſabuli, vſq; ad concretionem pullorum temperanter conſouentur. Tamen cum non dicatur tibi ô paſtor animarũ vt des panem verbi Dei de domo tua aut de corde, ſed tantum vt illud frangas per te & alios: crudelior lamia, & ſtruthione negligẽtior coram Iudice Chriſto repertus eris: acſi oues tuæ ſanguine Dei non eſſent redemptæ, ô panis verbi Dei non fractus à paſtoribus. Quid creditis eſſe in cauſam, paſtores animarum, adeo negligentes & crudeles eſſe in pane verbi Dei par

*Iob. 28. A.* uulis & ouibus ſuis frangendo? Dicat Iob: terra de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubuerſa eſt: quia profecto (vt cum Paſca-

*Paſ. vbi ſupra in Thre.* ſio ibi dicam) paſtorum atque Doctorum corda, de quibus panis vitæ oriri conſueuerat, atque eloquiorum verba affluere, cũ terrenis vitijs atque curis ſæculi cæperunt repleri, igne concupiſcentiæ ſubuerſa ſunt. Quomodo autem ſcriptura ſacra aliquando ſit cibus & aliquãdo potus vide D. Grego. in libro moralium:

*Lib. 1. c. 21. in Iob. 1. A.* & cum Ieremia plora in lamentis: vbi eſt triticum & vinum, cũ deficerent paruuli, quaſi vulnerati in plateis.

*Thre. 2. D.* Deinde, non in ſolo pane vivit homo, quia panis nõ pluſquã palea aut herba hominem aleret: niſi Dei benedictione, ab ore ſuo procedente, talem virtutem ſuſtentandi accepiſſet. Vt videas homo, Deum tibi, non ſolum de pane prouidere, ſed etiam pani dediſſe efficaciam tibi vitam conferendi: de quo latius dominica quarta quadrageſimæ. Paſce ergo paſtor animarum, verbo Dei fame morientem: alias ſi non pauiſti occidiſti, vt dicit,

*Cap. 3. cap. elementum. fol 109.* concilium Colonienſe de diſſeminatione verbi Dei: & inde euchariſtia. Hic eſt enim panis ille ſuperſubſtantialis, quem petimus nobis in oratione dominica, quotidie dari dicentes: Domine

ne panem noſtrum verbi Dei quotidianum da nobis hodie, per manus bonorum cõcionatorum. Victus igitur diabolus & confuſus, primoque verbi Dei lapide percuſſus videnſque nil Chriſto per gulam ſuaſiſſe: dicit intra ſe, volo illũ aggredi, per ſuperbiam, qua ego corrui: & multi quotidiè cadunt. *Matth. 6. 2.*

¶ Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi. *Tex.*

ASſumpſit illum, non coacte neque vi, nec forſan tetigit illum, ſed verbis admonuit dicens: ſi placet tibi eamus in ciuitatem. O maligne, Iam oſtendis te maxime deſiderare viros perfectos & religioſos, inter hominum & mulierum frequentiam videre; cum Chriſtum á deſerto in ciuitatem ire rogas. Tamen quia iam erat tempus vt verbum patris oſtenderet nobis viam ſalutis, non dubitauit tecum venire; & vt finem victoriæ daret, & vt doceret nos, tandiu perferre patiẽter moleſtos & aduerſarios, quandiu peccata non ſuadent nobis, etiam ſi conſortium eorum vitare debemus: ſi officium noſtrum non petit vt inter illos verſemur. Aſſumptio iſta (ait Diuus Hieronymus) non ex imbecillitate domini venit, ſed de inimici ſuperbia, qui volũtatem ſaluatoris neceſsitatem putat. Eia milites Chriſti, ſequamur ducem noſtrum Ieſum: ſemper dęmon inueniat nos cum acceſſerit paratos & Chriſti auxilio & gratia armatos, vt victoriam reportemus in morte vt ſemper in gloria viuamus. Amen.

# Homilia Octaua.

Them. ¶ *Fratres, ſobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tãquam leo rugiens circuit, quærẽs quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* 1. Pet. 5. C.

Text. ¶ Si filius Dei es, mitte te deorſum.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

QVia filia Dei es, imo & mater vnigeniti filij Dei, virgo omni ſãctitate decorata, mitte nobis auxiliũ de ſancto, deorſum ad hanc lachrymarũ vallẽ: vbi exules exiſtentes, quotidie à maligno inducimur, vt animas noſtras deorſum ad terrena mittamus. Accipe nos in manibus pietatis tuæ, ne offendamus lapidẽ viuũ filium nempe tuũ, neq; illũ tentemus: ſed omnia mundana conculcemus & eorũ gloriam: ſemper verbo & opere Deũ ſolũ adoremus, & illi ſemper ſeruiamus. Angeli miniſtrabant tibi virgo ſancta, in filij tui natiuitate, & invita etiã, quis dubitat? Habebas regẽ Angelorũ tecum, igitur & curiã cœleſtẽ in tui obſequium poſsidebas. Eſtote vos filij mei, ſobrij in omnibus. Vigilate in orationibus cõtra aduerſariũ veſtrũ rugientẽ vt leonẽ, valde deſiderantẽ deuorare vos: & ego Dei mater auxiliũ meũ vt illi reſiſtentiã faciatis præſtabo. Obtine igitur mater ſanctiſsima, nobis abſtinẽtiã magnã cõtra gulæ telũ: humilitarẽ nobis impetra, cõtra terribilẽ ſuperbiæ ſagittã: cõtra auaritię gladiũ mitte nobis deſurſum magnã charitatẽ erga fratres: vt ſic angeli in manibus ſuis nos recipiãt nec à dęmone vinci ſinãt, vt ſemper & in omnibus Deo ſeruiamus. Sed quomodo iſta fieri in nobis poſſunt ſine Dei gratia? Vt omnia quæ cõtra dæmonẽ dicturus ſum mẽtibus noſtris adhæreant, vt Deo ſemper ſeruiamus, pete illam à patre amore filij, vt nobis Spiritus ſanctus concedat Amen.

Fratres chariſsimi, ſobrij eſtote, ieiunij s vacate corporalibus & ſpiritualibus, vigilate & ſomno culpæ ne indulgeatis: quoniam pugna

pugna terribilis vobis eſt cum aduerſario fortiſsimo, nunquã comedente niſi animas: ſemper vigilante vt iugulet homines, deniq; eſt aduerſarius veſter (ait vobis oues, Princeps paſtorũ Petrus) & aduerſus leonem eſt bellũ quod geritis ouiculæ debiles, & rugientem paratum ad deuorandum vos. Circuit vbiq; vnumquenq; veſtrum, quærens magna ſiti & fame imo & rabie, quem deuoret: hunc gula deuorare vult: aliũ ſuperbia, alium auaritia, aliũ blaſphemia & detractione: aliũ voluptate aut male dictione: aliũ odio & iudicio temerario. Videte ô homines, cum quali hoſte à vobis pugnãdũ ſit cum leone audaci qui auſus fuit ad ducem noſtrũ Chriſtum accedere, an in illo poſſet aliquid inuenire ad deuorandũ: tamen mentita eſt iniquitas ſibi, nam loco lanæ tonſus (vt vulgo dicitur) reuerſus eſt: ita & vos reſiſtite illi fortes Dei adiutorio & ſcripturæ ſacræ, in fide quæ per charitatem operatur. *1. Petr. 5. C.*

Aſſumpſit igitur ducem noſtrum Diabolus, non violentia nec inuitum (vt dicebamus) ſed per concomitationem: vt legimus in ſcriptura: aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos, & certum eſt quod non in humeris, ſed pariter pergebant: ſicut & aſſumpſit Petrum & Iacobum & Ioannem ad transfigurationem: ſic & dæmon aſſumpſit illum: quia formam ſerui accepit ibant pariter ambulantes, & quia dæmon ſuaſit ad iter dicitur illum aſſumpſiſſe. Ecce (ait Diuus Gregorius) cum dicitur Deus homo, vel in ſanctam ciuitatem, vel in excelſum montem à Diabolo aſſumptus, mens refugit credere: & humanæ aures tale audire expaueſcunt. Tamen quid mirũ, cum Diabolum omnium malorum hominum caput eſſe agnoſcamus, vt permiſerit Chriſtus per viam ſocialiter deduci à dæmone, cum ſciamus ex fide à membro Diaboli, nempe à Iuda, vendi voluiſſe: & ab alio membro Diaboli alapa fuiſſe percuſſum, & ab alijs flagellari Diaboli membris, & à Pilato ad mortem damnari, & à militibus crucifigi? Omnes iſti non erant Diaboli manus, pedes, & membra? Quid ergo mirum ſi ſe ab illo permiſit in montem duci: qui ſe pertulit etiam à membris illius crucifigi? Non eſt in dignum Redemptori noſtro tentari ſe velle, qui venerat occidi. Iuſtum fuit vt qui mortem noſtram ſua morte venerat deſtruere: vt etiam noſtras tẽtationes ſua vinceret. Timete peccatores, nam diaboli mẽbra *Matt. 20. C.* *Ibid. 17. A.* *Homi. 16*

eſtis (ex ſententia D. Gregorij) quia vobis vtitur aduerſarius, ad iterum (quantum ex vobis eſt) Chriſtum voluptatibus flagellã-dum: blaſphemijs felle potandum: ſuperbia caput ſpinis feriendum: & clauis peccatorum crucifigendum: fur, manus tua membrum diaboli eſt: & tua lingua detractor.

O infelix illa anima, quam diabolus per mortalem conſenſum aſſumit, & ducit quo vult, aliquando non in ſanctam ciuitatẽ cœleſtem perducet illam, ſed ad maledictũ infernalem carcerem in dæmonũ ſocietatem: & merito, vt quæ non à Deo ſuo duci voluit, ſed à leone rugiente, ſit eſca diabolo, & Deus illam perdat. Dic mihi ſacer Euãgeliſta, quam vocas ciuitatem ſanctam? *Matt. 27. F.* Ieruſalem. Ex hoc loco (ait D. Hiero.) intelligitur quid ſit illud Matthæi, ſancti qui reſurrexerunt venerunt in ſanctam ciuitatem: vt per ſanctã ciuitatem Ieruſalem intelligas. Quomodo ſanctam vocas ciuitatem prophetarum homicidam: bonorum perſecutricem, & malorum receptricem? Voco illam ſanctam quia (vt ait Lyra) nec erat licitũ in lege ſacrificare Deo alibi: vnde ad literam, Iudæi dicẽtes Babylonicis, quomodo cantabimus can- *Pſal. 136.* ticum Domini in terra aliena? Acſi dixiſſent: prohibitum nobis eſt in lege noſtra, ne extra Ieruſalem Deo ſacrificemus, quomodo in terra Babylonica cantare debemus? Hanc expoſitionẽ audiui Salmanticæ, à magiſtro meo digniſsimo F. Dominico de Soto. Dicebatur etiam ciuitas ſancta olim Ieruſalẽ ob templũ Dei, & cultũ illius: & quia illam ſanguine ſuo ſanctus ſanctorũ Chriſtus ſanctificare debebat, & morte ſua cõſecrare, & in illa corpus ſuum ſacratum per triduum deponi debebat.

Heu tamen qualis eram olim (dicat Ieruſalem) & quam mutata modo ſum ab illa ſancta ciuitate. Et merito, quia ducem meum Chriſtum & redemptorem auſa es ſanguinaria ciuitas, ad crucem adducere. O Ieruſalem, & Iſraelitæ omnes, qui per fidei lumẽ ad Dei cognitionem pertigiſtis, & inſuper dominum ac regem veſtrum temerario auſu iniquis operibus crucifixiſtis: fundite lachrymas ſuper Ieruſalem olim ciuitatem ſanctam, & modo ſpeluncam latronum: plorate & ingemiſcite: quandoquidem, quæ prius pacis erat locus, nunc eſt vallis malitiæ, & campus certaminis & diſſenſionis: quæ antea ciuitas erat ſancta, nunc abiecta & execrabilis facta eſt: quia in furore ſuo occidit virum perfectum Chriſtum Domini, qui

ad

advincendum dæmonem venerat, ne malum faceret Ierusalem. Maledictus fuit furor illius quam pertinax & rebellis, en sanguis fratris vestri duriter exquiritur à te ciuitas infelix: cũ videamus filios tuos turpiter & infamia plenos in mundum sparsos, abiectos & execrabiles. Et homicidas coram Deo: & merito quia facta es meretrix ciuitas fidelis: O sancta ciuitas, iã non sancta, nisi quia in te sanguis Dei Sanctus effusus est. *Gene. 42. E.* *Isai. 1. F.*

Si talia de ciuitate Ierusalem lamentanda diximus olim sancta modo autem detestanda: O anima heu qualis olim eras in gratia Dei existens, quam ciuitas sancta, quam vnitos & vniformes tuos habebas ciues, idest, opera virtutum: quam fidelis Deo, in nullo lenoni, dæmoni nempe, consentiens & iudicio plena. Proh dolor, quam mutata es modo ab illa sancta, postquã ausa fuisti filium Dei in te occidere peccatis, voluptatibus flagellare, verbo iniquo felle potare, odio fraterno latus aperire illius spõsi tui charissimi. O animæ Israelitæ, & quæ in Dei cognitionem fide peruenistis, & aliquãdo charitate dilexistis illum, vnde anima vestra sancta vocabatur: & tamen temeraria audacia illũ crucifigere nõ timuistis, vnde iam non sancta sed sanguinaria & homicida anima vestra nũcupatur. Venite & plorate & fundite lachrymas super vosmet, quãdo quidẽ anima vestra quę priuserat pacis locus, modo vallis obscura militiæ cõtra Deũ facta est, & campus certaminis cõtra oẽs Dei creaturas: & quæ Dei habitaculũ erat, modo inspelunca te terrimã latronũ & dęmonũ & vitiorũ cõuersa est. Maledicta talis furor qui in anima tua inuctus est, quo virum fortem filium nempe Dei occidisti, & à te expulisti: cuius societate sancta vocabaris & electa, & modo maligna reproba & ab omni creatura spreta. In te reuertere pœnitentia & dolore debito: alias diuisa eris inter filios perditionis in perpetuum.

Prima & vltima tẽtatio (ait glossa) in deserto factę sunt immediate, vt Lucas narrat vt res gesta est: media ista à Matthęo posita fuit vltima postquã regressus est in Ierusalẽ, quia prosequitur ipse Matthęus iuxta ordinẽ tentationis Adæ, nõ secũdũ ordinẽ historiæ, vt Lucas narrat. Quidũ intrarẽt in Ierusalẽ, dixit illi tẽtator: prima visitatio oportet vt ad tẽplũ fiat, ideo veni eamus in tẽplũ ad orandũ. Et hoc modo est intelligẽda ista assumptio dæmonis erga Christũ, nã quando audis dicentẽ in tẽplũ duxisse, *Luc. 4. A. B.*

verbo vrbano non violentia intelligas: & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, vt quem fame tẽtauerat, & etiã vana gloria tẽtaret. Vnde dolendũ eſt illum ſuper pinnaculũ tẽpli ſtatuiſſe in quo dabat intelligere, futurum eſſe, ſuperbia & vana gloria ſacerdotum & religioſorum, eccleſiam Dei fore multas perſecutiones paſſuram: vt hodie videmus, ſuperbia & luxu vnius maledicti monachi Lutheri & aliorum ſociorum eius in Germania & alia rũ nationum. Fœlix Hiſpania, ſi tua bona noris, & fide & operibus Deũ honoraueris & Dei miniſtros, quos tã fideles poſsides multos. Statuit etiã illũ in pinnaculũ tẽpli, cũ vellet Chriſtũ de aura vana tentare, quia (vt ait D. Anſel.) ibi in cathedra doctorũ lectione & concione multos deceperat ipſe malignus, illos ſcientia inflando: nam ibi erat ſedes doctorũ, vt inde loquerentur populo infra poſito. Cauete doctores & magiſtri & concionatores hunc magiſtrũ erroris, quia in magno cadẽdi eſtis conſtituti periculo, per inanis gloriæ ruinã. O quã innumeros per annum in vniuerſitatibus & ſcholis capit iſte aduerſarius auræ vanæ rete, vt ſecũ deducat in tartara: cauete cõcionatores ne à pinnaculo cathedraq; præcipitet vos: diſcite à vero magiſtro veſtro Chriſto, qui mitis eſt & humilis corde.

Poſtquam Dominus docuit nos, vt ne lapidem præcepti rigidi, in panem voluptatis conuertamus, & in vſum peccandi dirũpentem magis animam, & viſcera eius quam nutrientẽ, ne diaboli conſilium in hoc accipiamus: ſed reprime ô homo, adiutorio Chriſti deſiderium tuum & concupiſcentiam, quaſi grauiſsimam eſuritionem: firmitate magna & occaſionum fuga, dæmoni cogitatione reſponde ad panem durum voluptatis inuitãti. Infelix, non in vſu voluptatis aut odij aut alterius criminis viuit homo ſed potius moritur: cum moriatur quoad præcipuam ſui partem, nempe quoad ſpiritum: pleniſsime autẽ viuit in obſeruantia mandatorum Dei, quę non lapis durus ſed iugum ſuauiſsimum eſt: & ſic viuit verbo Dei & lege ipſius à ſe adimpleta: quia viuit quoad animam: & corpus quacunq; re nutritur faciliter. Sed tamen ſi ieiunaueris & alias virtutes compleueris, & talem peccati lapidem viderit aduerſarius te nolle comedere, caue ſtatim à vana gloria: & vide quoniam Chriſtus ieiunium vltro ſuſcepit, & ſuper templum Diabolus eum duxit: vt ſi poſſet quod lucratus fuerat fame, auræ vanæ deſiderio amitteret.

Vt

Vt & tu, qui filius Dei per gratiam es constitutus ò homo, ad ieiunium quidem morale, hoc est ad abstinentiam omnis rei illicitæ sponte procedas & alacriter, extolli autē ad fastigium dignitatis & ad inanem gloriam, nec inuitus acquiescas: quia nemo extollit se ad dignitatis altitudinem, nisi ducente & consulente Diabolo: vnde perdet mercedem ieiunij & laborum suorum ob parum aeris. Deus autem in pinnam templi se adduci permisit, non vt tu in hoc imitator eius existas: ascendens per iactantiam in cordis tui altitudinem & sanctitatis præsumptionē: sed vt tibi ostendat exaltationis exitum metuendum & terribilem, & ruinæ periculum demonstret tibi: quod omnes gloriātes subsequi solet: sicut testatur sapientia dicens. ante ruinam exaltabitur spiritus. Et Dominus ait, qui se exaltat, humiliabitur: & talis ruina prouenit iactanti se de operibus: quia omnis cōfidēs in operibus suis & in illis se glorians, securus apud se existimat esse ab omni malo: qui autem securus est non timet, qui nō timet, non cauet malum, qui autem non cauet, quando non sperat à Diabolo supplantur & deijcitur: caue pinnam templi fuge iactā tiam bonorum operum.

*Prou.16.C*
*Luc.14.C*

Quia non se iactans nec de se intus præsumens, cum nihil se existimet esse, in inferiori parte templi cum Publicano sedens, quantum ad sui extimationem, causa humilitatis: solicituseſt de se & de auxilio Dei: vt homo cui omnia desunt necessaria ad salutem, cum ipse nil cogitat se habere. Et qui solicitus est, timet & circunspicit semetipsum, & non finit se duci à diabolo super iactantiæ templum: vnde non potest cadere talis. Quando tamen de iactantiæ ictu, Dei auxilio, liber euaseris, aspice mentis oculis, quomodo tui amore ductus est Iesus in pinnam templi, & audiuit ab aduersario pernicioſa verba: vt tu non desideres, magnus & eleuatus fieri in hoc seculo: quoniam processio in altitudinem diuitiarū, & honorum desiderium, de superbia cordis descendit: & in periculo potius dæmoni quam Deo seruiendi constituit hominem, & vitium potius quam Deum adorandi:

*Luc.18.C.*

sed qui saluari desideras, dilige Deum plus quam omnia, cum Deus omnia necessaria tibi & seipsum dare potest, & omnia mundi, Deum tibi non possunt dare.

(?)

¶ Si

Text. ¶ Si filius Dei es, mitte te deorsum.

OMnis aduersarij quęstio huc tẽ debat, vt sciret an filius Dei esset. In omnibus tentationibus (ait D. Hierony.) hoc agit Diabolus, vt sciret an filius Dei esset: sed Dñs sic responsionem temperat, vt eum ambiguum relinquat. Si filius Dei es; hoc repetit bis (ait D. Chrysost.) faciens cũ Christo, quod cũ parẽtibus nostris primis fecit: nã dixit illis Deo detrahens: Deus inuidia motus est contra vos & ab illo estis circunuenti & decepti (audite blasphemiam dæmonis & parentum nostrorum cæcitatẽ, si debebat Deus facere libere, quod inuidisset aut decepisset) in hoc quod iussit vos nõ edere de hoc ligno: quia sciuit oculos vestros fore apertos & esse, sicut ille est, scientes omnia. Sic & modo dicit Christo: Deus vocauit te in baptismate filiũ suũ, sed frustra, nã certe decepit te, si nõ dedit potestatẽ suã: si tamẽ dedit, hic potes videre ostendendo aliquid tantæ virtutis & potẽtiæ. Et quia lapides in panẽ conuertere noluisti, quia eramus in deserto soli & non viderant factũ homines qui te laudarent, & dignitatem tuam intelligerent: modo qui sumus in ciuitate & multi videbũt, potes mittere te deorsum per aerẽ sine aliqua lęsione, & vi debis an pater dedittibi omnia.

Hom. 13. hic

Gene. 3. A.

Mitte te deorsum. Vox Diaboli (ait Diuus Hieronymus) qui semper omnes cadere deorsum desiderat, quia ipse cecidit: sic omnis impius cupit & curat omnes alios in malitiam & peccatum cadere, acsi esset solatium miseris damnatis socios habere pœnarum, & non potius adderetur afflictio ex visione mutua & ardore & fœtore: tamen edoctus peccator ab isto impurissimo dæmone, nil sua refert de pœna, dummodo culpam contra Deum committat. O Diabole, sic dicte quia deorsum fluens es, aut quia ab homine duplicem bolum aut buccellam, animam nempe & corpus, quæris (vt ait Diuus Thomas in Petrum) quam audax es: quia ascendere ad sedem Dei non potuisti, etiam si voluisti: conaris modo Deum tibi similẽ in casu facere, cui assimilare in ascẽsu nõ potuisti: & hoc ipsum primũ hominẽ docuisti, quãdo excusãdo se, Deũ autorẽ culpæ suæ, quodãmodo, fecit & similẽ: cui comedẽdo cibũ assimilare nõ potuit. O audax maligne, nõne vides filiũ Dei à dignitate sua cadere non posse? Et tamen propter nos homines, nõ ob vos dæmones

1. Pet. 5. C.

Gene. 3. B

dæmones neque ob vestram sed nostram salutem descendit de cœlo (manens in illo) per carnis assumptionem, quantũ potuit: cum verbum æternum caro factum sit, & deinde vsque ad mortem humiliauit se: væ tamen tibi dæmõ & omni peccatori per culpam descẽdenti, quotidie de virtute ad vitium, & deorsum fluenti. Ioan. 1. B

Cogitauit miser (ait Diuus Chrysostomus) quod sicut ipse concupiscentiæ vanæ gloriæ & superbiæ, ruit de cœlo: nam cũ esset Angelus volens se ostendere Deũ, perdidit & illud quod erat, dum voluit apparere, quod non erat: sic cogitauit de Christo, concupiscentia vanæ gloriæ, fieri. Cogitans intra se: valent homines etiam sanctissimi fame non vinci, qui tamen multi vanæ gloriæ ictu cadunt. O infernalis audax, quantos homines etiam bonos olim ista sagitta vulneratos deiecisti. Sed modo frustra cum tali duce conaris. Deinde considerate, quam difficile sit malo, aliquem bonum esse credere: & sicut difficile aliquẽ malum esse suspicatur, qui bonus est: sic è contra. Vnde omnes inhonestos iudicas, & nullum iudicas honestum? Quia ipse cœno voluptatis traditus es à iuuentute tua. Vnde iudicas alios superbos, elatos? Quia Luciferinam induisti elationem: ò dæmone peior. *Homil. 5. in imper.*

Quicumque per virile viride aspiceret, omnia etiam niue albiora, viridia iudicabit: sic & ipse, cum aspicias aliorum vitas per speculum conscientiæ tuæ maculatum & viride, carnali viriditate, quid debes in alijs oculo iudicij tui temerarij, nisi sensualitates & carnalitates videre? Sic & dæmon malus cum esset etiam credebat à Christo casum obtinere, vt ipse à cœlo cecidit. Homo, etiam si dæmonis filius ipse sis imitatione elatione & casu: scito multos esse humiles & filios Dei per gratiam, nitidos puritate, & mundos castitate: à quibus malignus nõ cito obtinet peccati casum, vt à te quoties ad ianuas cordis tui pulsat. Homo, de fine malum esse, si alios vis iudicare esse bonos etiam si mali sint: nam tu quis es aut qualis, qui alienos seruos iudicas? Domini sunt & Domino suo & adsumptum illius cadunt si peccãt. Omnes stabimus ante tribunal Christi (vt ait Paulus) vbi vnusquisque non parum faciet si prose respondere valuerit: ne sis vt dæmon alios similes sui iudicans esse. *simile.* *Ro. 14. A. 2*

Mitte te deorsum Iesu. O maligne, scito Christum non mo-

ueri

ueri inanis gloriæ concupiſcentia, qui non habet opus furtum committere vt ad æqualitatem patris aſcendat vt tu rapinã arbitratus es, nam ipſe verus Deus eſt: miſer inuerecunde & ſuperbe, quam iniuriosa eſt tua inuitatio, cur non dicis illi, deſcende per aerem ambulans, aut per ſcalam, ſed mitte te deorſum? Quia cũ mihi nihil reliquũ ſit quod à Deo ſperẽ, non ſum veritus omnem iniuriam à me poſsibilem illi irrogare. Vnde vt Deum in honorem creaturas eius inceſſanter perſequor, magis quam vt ipſas mecum ad tartara traham: cum accidentalem pœnam mihi augeat quilibet damnatus: & ſic etiam ſi filius Dei ſit, quid ad me iniuriam hanc illi irrogare? O execrande draco, vtinam & aliquos homines tui ſimiles in hoc non feciſſes: qui ſic omnem iniuriam à ſe cogitatam contra Deum executioni mandant, ac ſi iam quid à Deo ſperare debeant non habeant. Vide fragili luto homo compoſite, te adhuc in via merẽdi eſſe & in loco pœnitendi, vbi multa tibi Deus poteſt conferre dona: vt quid adeo effrenate & inuerecunde contra Deum peccas ac ſi non homo ſed dæmon eſſes, & iam nil boni ab illo tibi poſſet eueniri? Vt quid nõ vereris ore tuo ſpurciſsimo iniuriam irrogare illi per blaſphemiam (aut ad malum fratrem inuitando) quem ſcis fide firmiſsima Dei filium eſſe, de quo dæmon dubitabat.

Timeo ne mihi reſpondeas, iam adeo in mala conſuetudine, peccandi obſtinatus. Iam nil boni à Deo ſpero, cum ego peccatũ nolo relinquere vt dæmõ: & ſic veni in profundũ malorũ & contemno omnia quæ mihi à cœlo venire poſſunt: abſit ab omni fideli, tam maledicta cogitatio. Quanto magis verba & operatio: cum habeat Deum adeo benignum, & matrem eccleſiam pijſsimam, & Symbola ſacrata. Spera in Domino & fac bonitatem & delectaberis in diuitijs eius: noli in aliquo dæmoni aſsimilare, præcipue in hoc, quod fratrẽ ad malũ inuites, vt ipſe qui audet Chriſtum Dñm ad inanem gloriã inuitare. Sufficiat tibi dæmõ à tantis bonis ad tãta cecidiſſe mala culpæ & pœnæ cõtra Deũ, quin & ipſum Dei filiũ ad malũ inuitare audeas, cũ caſus illi impoſsibilis ſit. Sat tibi ſit homo peccator, diaboli fili & imitator vt ſimia, tãta Dei dona tua culpa amiſiſſe, & ad mala intolerabilia eſſe dãnatũ (ſi pœnitere cito nolueris) ſine hoc, quod Dei filios & filias per gratiã ad caſum ſuadeas & ad voluptates nociuas in Dei iniuriã nõ minimã, & animarũ grauiſsimũ damnum.

Vos

Vos tamen filij Dei & filiæ, quibus placet thorus immaculatus, vt dignum & iuſtum eſt, aut virginitas Deo grata: eſtote fortes & conſtantes in tam graui & periculoſo bello (nam periculoſius eſt contra tales pugnare homines quam cõtra feras crudeles: imo & contra Diabolos eſt facilius bellum) ſequimini pro viribus & poſſe filij Dei naturalis veſtigia (auxilio ab ipſo collato) dæmoni & malo homini contra Deum in nullo obſequendo, ſicut ipſe maligno nõ obediuit; ſi non vultis multa bona amittere, & Dei filiationem. Eſtote fortes, nam angelis ſuis mandauit de vobis vt cuſtodiant vos in omnibus: ne valeãt coram vobis magis dæmones, & malus homo ad malũ cõmittendum: quam Deus ipſe adiuuans, & angeli cuſtodientes ad bonum.

Mitte te deorſum, dicit malignus omni homini inceſſanter: mitte te ad terrena, & ad carnalia deſideria: & frequenter dat tale cõſiliũ omnibus hominibus ſtatũ honoris inhiãtibus: præcipue eccleſiaſticis perſonis & religioſis: vnde in tẽplo Dei dixit dæmõ iſtud verbũ Chriſto. Draco, ac ſi dixiſſet: etiã ſiãte nõ obtinẽã cauſum ad terrena & ad honores mundanos & ad ambitionẽ: tẽpus veniet in eccleſia tua (& iã eſt in manibus noſtris) quando multi miniſtri tui & prælati libenter amplectãtur hoc meum cõſiliũ. Quia prius illis aſcendere per fas & nefas & per ſimoniã ad dignitatem & prælatiam ſuaſum faciam: & quãdo in pinnaculo tẽpli & cathedra habeam illos, facillime ſuadebo vt ad terrena, & carnalia ſe præcipites emittant: ad ludos & luxus & nil de dignitate cœleſti nec de ſupernis curent. O maledicte ſerpens, quã veriſsime, in multis, hoc factum eſt à te ſuaſum: & quantos etiã laicos, in altum diuitiarum & honorum, illicitis medijs, ſublevaſti faſtigium: qui euanuerũt in cõſilijs ſuis & operibus, & deorſum vſq; in infernum corruerunt, diuinas diuitias amittentes.

Caue tibi quicũq; es (ait D. Bernardus in Pfalmũ qui habitat in adiutorio altiſsimi) qui tẽpli pinnaculũ conſcendiſti, quando dignitatem eccleſiæ obtinuiſti: caue tibi ſpeculator domus Domini, caue tibi, qui in eccleſia Chriſti locũ cerneris tenere ſublimẽ: quã ingratus, imo quã iniurioſus es illi magno ſacramẽto pietatis ſi in illo quęſtũ & lucrũ ęſtimes pietatẽ: quã infidelis es, qui miniſteriũ hoc, ſanguine proprio cõſecrauit: ſi eo quæris gloriã tuã quę nihil eſt, & quęris quę tua ſunt nõ quę Ieſu Chri. ſi deorſum ipſe te mittis, ſapiẽs nõ quę ſurſum ſunt, ſed quę ſuper terrã.

*verſus. 12. ſer. 14. folio 318.*

O glo-

O gloria vacua & vana, quantos hucusque decepisti in sanctitate gigantes. Ambitio, malum est pestiferum, ac prope modum inuincibile: quod in summis etiam virtutibus obrepit, insinuans se se mentibus ad ardua scandere conantibus. Adeo, vt quos neque aduersæ res, neque paupertas, nec morbus frangere potuerint, nec luxus aut venus emollire: deijciat ac subruat gloriæ studium & ambitionis telum. Hoc blando veneno capti sunt parentes primi: & nos filij eorum difficulter illud euadimus, quorum dentes obstupescunt. Nam si filium Dei ausus fuit dæmon (etsi frustra) de ambitione tentare, quid erga nos miseros ac debiles faciet malignus? O insidiator peruerse, filio Dei, patri æquali dignitate potestate & diuinitatis altitudine, vt descendat, imo & cadat, à dignitate sua audes dicere? Quid mirum, cum multi ex vobis homines sitis adeo impuri vt verbo vestro & suasione non dubitetis, nec vereamini filios Dei per gratiam, & filias, vt cadant à tanta dignitate & à Dei amicitia suadere & inuitare?

*Lib. 10. cap. 12. Simile.*

O inimici generis humani, quantos filios Adæ, in altum dignitatis honoris aut diuitiarum subleuasti, vt in præcipitium dares: dicendo, mitte te deorsum & ad vana mundi. Cornix (teste Plinio) duritiam nucis rostro repugnantem, nec illo frangere valens, volans in altum, in saxa aut tegulas iacit, iterum ac sæpius, donec quassatam perfringere queat, & comedere. O cornix maledicta dæmon, valde desiderans animas peccato frangere, quas dum humiliter iacent in paupertate frangere non vales: niteris in altum dignitatis aut honoris eleuare, vt ex alto emittas in lapidem obstinationis & tegulas voluptatis, vnde virtutum medullam & meritorum amittant & destruas. Quilibet homo sic à dæmone victus, potest cum Iob plorare dicens, eleuasti me dæmon dignitate, & quasi super ventum ponens, elisisti me valide mittendo me deorsum in peccati duritiam: & sic scio quia mortis æternæ trades me, si pœnitentia non resurgo: quia eleuans allisisti me. Contingit his vt misero Iudæ, quem gaudenter receperunt Iudæi tempore proditionis: tamen dicentem peccaui spreuerunt & ad laqueum miserunt dicentes, quid ad nos? Sic dæmõ gaudio ficto eleuat hominẽ, in dignitatis fastigium: & inde præcipitat in orcum.

*Iob. 30. C*
*Psal. 101*
*Mar. 14. B*
*Mat. 27. A*

Mitte te deorsum. Quare tu non præcipitas illum, hominem ieiunum & famelicum, dæmon? Quia sic ille nõ peccasset, quod ego

ego intendo : Deindequia non possum alicui malum inferre, etiam in corpore, sine Dei facultate: vt patet in Iob: & in anima etiã, voluntas hominis requiritur. Et, quia magis peccat homo sine tentatione & aduersarij suasione malum perpetrans, quam si ex suggestione. Ne semper in dæmonem culpã reijcias ò homo, cum sine tuo consensu nil mali animæ tuæ causare sua malitia potest: imo sæpe à nobis ipsis sine tentatione illius prouenit mors animę. Memini me legisse, monachum (quem inuenit prælatus oua ad lumen candelæ assante in die ieiunij & obiurganti ob ieiunij fractionem) dixisse: diabolus hoc consuluit mihi: tunc diabolus dixit, mentiris certe, nam nunquam in meam cogitationem venit oua ad lumen candelæ assare: quod de alijs etiam malis intelligere possumus: à concupiscentia hominis oriuntur mala. Notandum est tamen, quod non legitur dæmonem descendisse cum Christo, vt dicitur ascendisse: Quia potuit ascendere superbiendo, imo peccatum illius ascendit semper: tamen per humilitatem descendere non valet. Deinde quo descendet, qui infernum in hospitium habet? Item vt scias dæmonem cum homine familiariter & ficte ascendere vsque dum in culpa constituat ipsum: tamen ibi constitutum relinquit illum & abit: vt cũ illo qui descendebat in Ierico se habuit, qui postquam vulnerauit illum & spoliauit, abijt. *Iob.1.C.2.P.* *Luc.10.P.*

Vidisti aliquando hominem tradi patibulo? Ascendit carnifex cum illo familiariter de manu illum tenens, acsi ad festum ascenderent per scalam acsi essent socij: tamen quando in alto sunt circa patibulum, ligat carnifex latronem laqueo & suspendit illum: & tunc ipse solus descendit, latrone suspenso relicto. O carnifex animarum, ò hominum destructor maligne draco, qui cum homine familiariter ambulas per huius vitæ scalã, & ascendis cum illo de gradu in gradum culpæ & in latrocinium famæ & alienæ vxoris, vsque dum in altum magnæ perditionis eleuas, & ibi laqueo obstinationis illum suspendis, & tunc ibi relinquis illum, & ad alios descendis. Bene hoc pictum est in illo infelice & inhonesto Amnon regis Dauid filio, qui postquam Thamar decepit & violauit dicens: cuba mecum, & nil profuit sororis excusatio, sed illam oppressit: ex osam eam habuit odio & magno nimis: ita vt maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat: & ex *simile.* *2.Reg.13.C.*

pulit eam opprobrio ſe vitiatam & acclamantem. O dæmon, quantis blanditijs, animam ad peccandum trahis, & in culpam aſcendere facis: tamen cum primum vt cõſenſit & vitiata eſt & polluta corã domino, valde exoſam illam habes, expellis illam à te vt maledictam, nil ſolatij nec vales nec vis illi præſtare: ſed tantum vt mittat ſe deorſum in baratrum obſtinationis aut deſperationis. Vnde credo, innumeras mulieres tali laqueo te ſuſpendiſſe: poſtquam luxuriatæ fuerint, dicis gaudio & voluptati, eijce iſtam à te, claude oſtium lætitiæ illi. Quis nõ vltra diſcet dæmonem carnificem abhorrere, & illius delitias: pugna Dei adiutorio & gratiæ, ſi beatitudinem obtinere cupis, fiat fiat.

# Homilia Nona.

Text. ¶ Scriptum eſt enim, quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollẽt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Pſal. 90. OVia etiam ſi me eremitã ruſticũ vides, a liquãdo ſcripturam legi, & in ea memini me reperiſſe, & in Pſalmo nonageſimo legiſſe, quomodo Deus angelis ſuis mãdauit de te, & vt cuſtodiant te & in manibus ſuis recipiãt, à quocunq; loco ceciderís: quia nõ vult vt pes tuus aliquã recipiat læſionem. O diabole mendacij pater, non de Chriſto (ait D. Hierony.) ſed de viro ſancto quocunque, eſt prophetia. Male igitur interpretatur ſcripturas diabolus & eius ſequaces. Scriptum eſt maligne, ſed contra te: tuo te gladio confodis, ſicut omnis impius, qui nil poteſt in toto ſacro eloquio allegare, quin contra illum militet. Nam ſi promiſſa in ſcriptura citat peccator, peccato ſuo illa iam amiſit: ſi debita culpæ eſſe grauiſsima, iam illa commiſit: ſi gaudia iam perdidit, ſi pœnas iam incurrit illas: ſcriptum eſt certe contra te omne quod ſcriptum eſt in ſacro eloquio peccator.

O virtus ſacri eloquij, ô efficacia ſcripturæ ſacræ, qua etiam dæmon, & ſi contra ſeipſum vtitur: quare nos toto corde non amplectimur Dei verbum? Quare ſcriptura ſacra contra omnia aduerſa nobis non armamur, & munimur? Tamen

cauęat

cáueat omnis homo, præcipúe Dei cõcionator, ne tam efficaci telo, vt eſt verbũ Dei & ſcriptura ſacra, contra Deum & animas ſuo ſanguine redemptas vſus ſit: quia delictum eſt valde execrãdum, & officium dæmonis exercet, contra Chriſtum volens vti ſcriptura. Hoc facit homo, quoties illam citat ad voluntatẽ ſuam malam executioni mandandam: aut ad malum inuitandum: quod ſanctiſsime concilium Tridentinum ſub his verbis prohibet in fine ſeſsionis quartæ: poſt hæc temeritatem illã reprimere volens, qua ad profana quæque conuertuntur & torquentur verba, & ſententiæ ſacrę ſcripturæ, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos: mandat & præcipit adtollendam huiuſmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cętero quiſquam quomodolibet verba ſcripturæ ſacræ ad hæc & ſimilia audeat vſurpare: & omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei iuris & arbitrij pœnis per epiſcopos coerceantur: & merito, cum diabolo aſsimilentur in hoc. *Con. Triſſ. 4.*

Malo ſuo aliquis verbum Dei cõtra ipſum Dei honorem vſurpabit. Dicant qui ſciunt, quas & quã graues pœnas incurrat homo ex regis cuſtodia, ſi gladio aut lancea (quibus vtitur ad cuſtodiendum regem) aliquem ex regno vulneret. Dæmon, contra ipſum regem cœli, accipis gladium verbi Dei, quem ad cuſtodiã ſui & Eccleſiæ ſanctæ & mandatorum eius, & ad ſeruandas creaturas compoſuit Spiritus ſanctus? Non ibis impunitus. O fidelis, ô ſacerdos, ô eccleſiaſtes & concionator, ô animarũ paſtor: ex cuſtodia regis cœleſtis, nõ vos omnes cõſtituti eſtis? Verbũ Dei & ſcriptura ſacra, & dignitas veſtra, non ſunt arma vobis tradita ad cuſtodiendum Dei honorem & eccleſiæ extenſionem, & animarum vtilitatem? Qua temeritate, qua inſania, aut freneſi auſi fuiſtis dignitate aut verbo Dei vti contra Dei creaturas & ad ſubuerſionem illarum: in ſcandalum proximorum, & in magnam animarum ruinam, ad malum inuitando? O dæmones in carne: nam quia omnia appetunt bonum, melius concupiſcunt magis bonum: & cum dignitas aut officium prædicandi ſit valde bonum, diligunt vos ob hoc creaturæ: & cum dęmon magis tentet vos, quia eſt maior culpa veſtra, ſic facius creaturas decipitis & ad malum inducitis, ſub prætextu *simile.*

verbi Dei & dignitatis, quod graue malum est. Officium dæmonis induisti sacerdos, aut monache, paroche, aut concionator, quoties tua dignitate es vsus ad animas capiendas in rete peccati. *Simile.* Tu ipse iudicasses maledictum & execrandum esse pastorē, qui baculo, quo oues Dñi sui custodire debebat, & ad pascua virentia minare; percussisset illas & occideret. *Simile.* Et militem esse perfidum, qui arma à Domino suo data, ad subditos custodiendos, vulnerasset & interfeciſſet illos. Tuo ore & conscientia te iudico serue nequam, sacerdos, aut quacunque alia dignitate Ecclesiastica prædite: qui baculo pastorali & dignitate aut religione tibi à Deo tradita, ad custodiēdas animas à malis & à lupis, & ad illas dirigendas in viam salutis & ad pascua virtutum; terres eas, & ad nociuam herbam voluptatis inuitas, qua occidis illas: & armis quibus illas seruare debebas, spiritualiter interficis. O quando appareat pastorum princeps.

Scriptum est, & ego legi, vt Angeli custodiant te. Attendite quomodo etiā nolens Psalmum maioris gaudij & solatij, & adiutorium diuinum, contra dæmonem promittentem maius, citat, quam reperitur in toto Psalterio Dauid: & adducit illum in medium. Vt sciant mali, quomodo ipsi contra se sententiam proferent: & gaudeant boni, quia ipsi mali etiam, solatium adducent illis. Quid dicis Lucifer? Angelis suis mandauit de te. Et tu non es de illis? Quomodo dicis suis? Sum Angelus per naturam, tamen non per gratiam: quia etiam si Deus Angelum me creauit sua bonitate: dæmonē ipse me constitui, mea superbia & prauitate: & sic Angelus sum creatione non tamē perfectione. O infœlix creatura, ò miser spiritus, olim Angelus & iam diabolus effectus, & quomodo cecidisti miser à tanta dignitate, vt iam inter Angelos Dei non teipsum annumeres? Angelos Dei vocas in gratia cōfirmatos; tu tamen nomine tātum es angelus, nō tamen Dei per gratiam, sed dæmon ad aliorum ruinam, ò fidelis, sacro baptismate insignite, quanta erit confusio tua, si in mortali à vita migraueris: quando videas iustos stātes in magna *Sapi. 5. A.* constantia inter filios Dei computatos, & sortem sanctorum habētes, & dicas: hi sunt Christiani tui Deus, quos in mūdo habuimus in derisum & conculcauimus nos peccatores. Et ipse nō es meus Christianus? Non: quia etsi erā fide, non operibus: sum baptismate, non sum gratia: sum vocatione, non virtute & verafi-

ra filiatione. O lastimanda confessio, doloreque plena: quando nil solatij tibi conferat, & ipse alios filios Dei nomines & ex illis non sis: vt dæmon hic Angelos Dei vocat bonos, quasi seipsum indignum tali nomine iudicans: ò peccatum, quanta dignitate possidentem te priuas.

O pater hæreticorum omnium (ait Chry. in imperfecto) textum sacrum resecantium, & ad sua dogmata nociua rescindentium, & maligne vt tu adducētium, contra Dei honorē & Ecclesiæ veritatem. Quid mirum vt filij tui hæretici, à tali discant patre mendacij, qui exemplum profers; quasi superbus & tui amator: & veritatem taces, quasi astutus & illusor. Sic & genimina viperarum hæretici elati, ad sua dicta falsa probanda, textum resecatum adducunt: veram sententiam tacentes, vt dolosi & sui & aliorum illusores & subuersores; discunt à diabolo patre suo, magistro erroris & omnis falsitatis, hic sic faciente. Filius Dei Angelorum manibus non portatur, sed ipse magis Angelos portat, conseruat. & fouet: creatura non portat creatorem sed creator creaturam gubernat: alias ante creaturas à quo creator portabatur? Et si portatur à manibus Angelorum & in illis sedet, iuxta illud, qui sedes super Cherubin, manifestare & mundo apparere: nō ideo portatur vt non offendat ad lapidem pedem suum, quasi infirmus, aut quasi nocumentum valens perferre, cum nulla res illi nocere possit, nec dum culpa lædere: sed ob honorem potestatis ac maiestatis. Et tamen huiusmodi dictum dæmon, de hominibus Deo seruire volentibus dictum puta: qui in Angelorum manibus portantur, ne offendant in lapidem & peccent, & curæ illorum sunt demandatæ à Deo: vt in omnibus custodiant illos.

*Homi. 5.*

*Simile.*

*Psalm. 79.*

Fœlices qui se à tantis Dominis seruare curant, infœlices qui illos offendunt Deum iniuriantes, & Angelos sui custodes non reuerentes: de quo in festo Sancti Michaelis (Angelis, post Deum, adiuuantibus) videbimus. Transi ad alia dæmō, dic, super aspidem & basiliscum ambulabis fili Dei, & conculcabis leonem rugientem & quem deuoret quærentem, & draconem abysi supplantabis: cur ista non dicis? De hoc contra meipsum sagittas emittere ignitas? Super me basiliscum ambulare hominem iustum & me conculcare confitebor? Vt

vt ait D: Hiero. de Angelorum auxilio, quasi ad infirmum loquitur: de sua conculcatione, quasi tergiuersator tacet.

Epist. 4. Ille sacratus Episcopus & senex martyr, nunquam satis laudatus Ignatius, in Epistola ad Philippenses, irascitur optimè cõtra istum lupum versipellem, dicens: tu ergo qui tanquam fulgur de sublimi gloria cecidisti: audes dicere Domino, mitte te deorsum? Cui ea quæ sunt extimantur, quasi quæ non sunt. Ad inanem gloriam prouocas eum, qui non extollitur? Et fingis te scripturas de eo legere, dicens: scriptum est, quoniam Angelis suis mandauit de te, & fingis te sequentia ignorare: auferens ea quæ de te, & tuis ministris prophetauit, dicens: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Si ergo conculcatio ipse es pedum Domini, quomodo tentas intentabilem? O draco infernalis, mẽtita est iniquitas tibi, & tuis similibus.

Text. ¶ Ait illi Iesus, rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.

FAlsas de scripturis diaboli sagittas (ait D. Hiero.) veris scripturarum frangit clypeis Christus Dominus. Et errores & hæreses, quas filij diaboli hæretici falsè illas in Scriptura fundantes, adducunt contra Ecclesiam: filij Dei Catholici veri, & Ecclesiæ prælati destruent conciliorum & sanctorum testimonijs, & Scripturæ veritate. Ait igitur magister Scripturæ, patri mendacij, scriptum est è diuerso, vt scias te peruerse torquere Scripturam, & illius verum sensum. Scriptum est in Deute-

Deut. 6. C. ronomio, non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis: siquidem ad hoc hortatur Scriptura, vt in necessitatibus ingruentibus bene speremus, auxilio diuino fieti: non vt temerè nosmetipsos in periculum præcipitemus, vt tu falso Scripturæ imponis. Et apud te debebam ostendere virtutem meam Satana, cum bonus fieri non possis, neque ad animarum vtilitatem petas? Discant etiam omnes mei fideles ex his meis ex Scriptura responsionibus sumptis, modestiam magnam: vt non confirmẽt quicquam, nec affirment, quod non sit in Scriptura sancta, aut in illa fundatum. Et sciant nullum telum efficacius à me declaratum esse, aduersus omnes impiorum

impiorum & dæmonum inſtinctus & incurſus, quam ſacrarum literarum autoritatem. Hinc verus petendus eſt animæ cibus, ſi quis velit Deo viuere: cui qui non viuit, mortuus eſt, etiam ſi videatur viuere. Doceo etiam & aliud, non eſſe proferendum miraculum, niſi cũ id poſtulat gloria Dei & proximi vtilitas: alias non tentes dominum.

Tentare Deum contingit multipliciter: ſed præcipue illum tentas quando experientiam vis ſumere potentiæ aut ſcientiæ aut bonitatis illius. Quid Deum de potentia ſua, an hoc vel illud facere valeat, tẽtare audes, cũ videas, fidei oculis, illũ cũcta ex nihilo creaſſe: & quod in principio cœlum & terrã & omnia quæ in eis ſunt plaſmaſſe. Non audiſti angelum virgini ſanctiſsimæ dixiſſe: non eſſe impoſsibile apud Deum omne verbum, ideſt omnem rem? Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, quanto magis in terra? Etiam omnia quæ poteſt ſcit: & cum bonitas illius ſit idem cum ſcientia & potentia, tam bonus eſt vt velit & ſapiens vt ſciat & omnipotens vt poſsit: vnde malum eſt dominum de aliquo iſtorum tentare dubitando. Tentatur ſæpe Deus damno tentantium, cũ data illis virtus nõ exit in opus: ſed expectant Deum vt agenda perficiat, & interim ipſi homines nil boni ex ſe facere curant, omnia Deo relinquentes: ac ſi libero arbitrio non eſſent donati: vt illo bene vtentes & beneficijs à Deo acceptis bene fruentes, vitam obtinerent perpetuam. Tentas etiam Deum, cum habeas humane quid facias, & diuina conquiris: cum nunquam debeas (quod artis aut naturæ eſt) per ſupernaturalia aut miracula vt fiant quærere. Vnde maxime Deum offendunt mulieres, quæ (relictis naturalibus medijs ac medicinis, à Deo creatis ad infirmitates ſanandas) vetulas veneficas, vt verbis ſuperſtitione plenis fictis & à dæmone edoctis, etiam ſi aliqua bona miſceantur, filios ſuos ab infirmitate liberent, temerario auſu deducere præſumunt: quo facto non parum injuriæ Deo irrogant, & ad iracundiam prouocant. Naturalia media, prius applicanda ſint, deinde aut ſimul, à cœlo remedia quærere: non tamen à vetulis putridis, ſed à miniſtris Eccleſiæ Euangelia, & orationes & ſacra peragentibus, quærenda ſunt.

*Gene. 1. A. Luc. 1. D. Pſalm. 113.*

Timeant tamen mulieres ad veneficas currentes, pro ſua aut filiorum ſalute (medicinis relictis aut Eccleſiæ remedijs) iram

4. Reg. 1. A Dei quam contra regem Ochoziam exercuit: quando cecidit per cancellos cœnaculi & ægrotans misit nuntios ad consulendū Beelzebub Deum Accaron, vtrum viueret de illa infirmitate aut non: cum non esset vsus veneficijs & verbis superstitiosis vt vos mulieres, nec quæreret ab Accaron, nisi tantum vt de sua infirmitate iudicaret. Exijt obuiam Elias nūtijs, Angeli iussu, imo & Domini, per Angelum, dicens: quo pergistis? Ad cōsulendum Deum Accaron. O infœlix rex & vos etiā serui eius: nunquid non est Deus in Israel quem consulatis, sine hoc quod eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam obrē (etiam si mori non deberet rex) hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Quod factum est: post quam ignis de cœlo deuorauit duos principes quinquagenarios, & centum milites eorum. Audisti supplicium bona mulier, quæ non solum de salute filij aut filiæ consulis, an viuet, mulieres suspectas: sed etiam remedia prohibita ab illis quæris? Ideo de lectulo super quem ascendit, non descendit, sed mortuus fuit: etiam si alia de causa non esset moriturus filius tuus. Et merito, nam dic bona mulier, non est medicus in Ecclesia Dei corporalis remedia naturalia applicans? Non est etiam Deus in Ecclesia ad quem confugias remedijs naturalibus non proficientibus? Cum Euangelijs & sacro missæ sacrificio, interroga Deum, an velit filium tuum viuere, & de infirmitate sanare illum. Confitere delictum & caue in futurum: alias, ignis inferni deuorabit te & opera tua, si Deum ita tentaueris.

1. Cor. 10. C. Tentatio vos non apprehendat nisi humana (ex Pauli consilio) ò homines, semper periculo non caret diuina tentatio. Probet & tentet semetipsum homo, quid de seipso & bonitate sua sentiat: aut hominem homo, sed non vt trahat ad vitia, sed ad virtutes ex vitijs, & ex virtutibus in alias. Et ista vtraque tentatio est humana & bona: Deum vero de bonitate aut potentia tentare, nullo modo cogites. Hodie si vocem Dñi dicentis, nō tentabis Dominum Deum tuū audieris, noli obdurare cor tuum, sicut in exacerbatione populi iudaici, secundum diem tentationis in deserto: vbi duri patres illi tētauerunt Deum in cordibus suis vt peterent escas animabus suis, in damnum suum dicētes: nunquid poterit Deus parare mēsam tot hominibus in deserto?

Psalm. 94.

Psalm. 77.

Parauit

Parauit & dedit manna & coturnices. Sed quãtum periculũ ſit Deũ tentare nouimus, ſtatim quod legimus terribile ſuppliciũ illis ſubſecutum ſtatim quod exaudiunt tẽtationem, effudit cõtra illos indignationem: nam adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorũ & ira Dei deſcendit ſuper eos, & præcipitauit ſe cõtra illos.

Hodie ſi vocem Domini audiſtis fideles, Deum non eſſe tentandum, quia deteſtanda infidelitas eſt, quæ velut amicum nouum, tentare præſumit Deum æternum. Audite etiam & Paulum orantem & petentem à vobis dicentem: neque tentemus Chriſtum: ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt ignitis, & vę illis fuiſſet ſi Dominus per Moſem ſerpentem ęneum pro ſigno non poſuiſſet. Neque murmuraueritis (nam murmuratio & tentatio inuicem ſe generant) ſicut quidam illorum murmurauerunt, & perierunt ab Angelo exterminatore. Ecce vindictam à Deo: tentantes Deum ſubiacuerunt ſerpentibus, murmurantes vero Angelo ferienti. Noli ò homo, Deum tentare, ſi non vis ignito ſerpente deuorari: noli murmurare contra Dominum de temporibus, contingentibus contra voluntatem tuam, aut de alia quacunque re à Deo ordinata, ſi non vis occidi ab Angelo exterminatore: alias accurre ad Chriſtum cito, in cruce pendentem olim. *1. Cor. 10. B.* *Num. 21. B.*

Etiam ſi Dominus, magos potuit ſeruare illæſos, inuito Herode: qui Iſrael in medio mari ſaluauit, Danielem in lacu, pueros in igne, Dauid in perſecutione Saulis, & Paulum à mille periculis, potuit & magos, & tamen iuſſi ſunt per aliam viam redire: quia docere nos voluit, Deum non tentare, vt verbo hic docuit & exemplo quando perſecutores ad tempus ipſe fugit, cum potuiſſet ſe ſeruare, etiam ipſis inuitis. Sed voluit ne contemnamus, ſiquid periculorũ commode declinare poterimus per medium creaturarum. Deum enim tentare, extra tempus neceſsitatis, mala libidine, & nulla iuſta cauſa, mera temeritas eſt contra Dominum, & grande peccatum. Tentat Deum, qui panem habens, non vult eo veſci, ſed ſibi ipſi facere neceſſitatem, panem de cœlo expectans: vel qui nõ vult laborare, ſed dicit: confidam in Deo, bene creſcent meſſes ſine meo labore & ſeminatione: ne Deum tentes homo. Audite ſapientiæ conſilium: ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum; quoniam inuenitur ab his qui non tentant illũ, *Matth. 2. B.* *Sap. 1. A.*

quærendo miracula ab ipso, ita vt calcando carbones ignitos, credant se non comburendos. Et meo iudicio, maius miraculum petis à Deo qui iuxta ignem mulieris habitas & in ipsa occasione, & tentatus valde à dæmone, & multoties incensus huiusmodi igne consensu & opere, & nihilominus non fugis; quam
*Prou. 6. D.* si ambulares super prunas, expectans à Deo miraculum non cõburendi. Vnde grauissime Deum tentas, & vis vt miraculum tecum operetur, & sic non inuenis illum. Sicut ille qui aliena in iuste possidendo & non restituendo, expectat in tali saluari statu, tentat Deum: nam vult experientiam sumere, an sit fidelis in verbis eius an mendax, qui promisit bonis præmia, & malis æternos cruciatus. Non tentabis Dominum tuum ô homo, si diabolo similis fieri non vis: quia fidelis est in verbis eius & sanctus in omnibus operibus suis, & qui amat periculum peribit in
*Eccli. 3. D.* illo, quia Deum tentat. Et omnis peccator putans Deum illum non puniturum impœnitentem, Deum non tentat?

*Tex.* ¶ Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.

VIdens se victum malignus à Deo, verbo & opere, quia descẽdit per gradus docens homines pericula fugere & tauros nõ expectare, & quod neque gulæ telo, neque superbiæ vincere potuit: dixit intra se, malum est hoc: Iam retia ventris disrupit, & vanæ gloriæ laqueos facillime lacerauit, & gladio verbi Dei scidit: intactus transiuit per omnia retia, habens oculos pennatorum: antequos frustra iacitur rete. Ponam adhuc
*Prou. 1. B.* semel aliud rete & muscipulam auaritiæ, qua fere omnes mihi subijcio: & si contempserit tale rete, vere filius Dei est: alias arcu isto illum prostrabo. Quia omnes à minore vsque ad
*Hiere. 6. C. & 8. D. Isai. 56. D.* maiorem auaritiæ student & eius scholares sunt, teste Hieremia, non semel sed bis. Et vnusquisque speculator (ait Isaias) ad auaritiam declinat à summo vsque ad nouissimum. Tali sagitta vniuersum mundum meo imperio subiugaui: quia omnes fere sunt auari, raptores, fures & latrones vsurarij simoniaci, & in iustis & illicitis emptionibus & venditionibus vacantes, experien-

rientia teſte. Ecce tertiam & vltimã tentationẽ: nã (vt ait Lyra) per hoc quod Ieſus voluit triplici tentatione tentari, oſtendit omnem noſtram tentationem, à tribus, nempe carne, mundo & diabolo procedere & quod diabolus aliquando vtitur contra nos carne & mundo. Acſi dixiſſet dæmon: tertia tentatione omnes fere vinco, nam ſi in fide & ſpe aliquis firmus exiſtat, in charitate proſtro illum & in operatione: & in ſatisfactione, etiam ſi contritionem videatur habere & confiteatur. Igitur tertio telo hunc hominem ſanctum aggredi volo dicens: vere homo perfectus es, & nil mali ex frequentia populi tibi euenire poteſt, cum valde alienus ab aura vana cõſtitutus ſis: ideo veni egrediamur in agrum, quia magna res eſt homini volenti ad perfectionis cumulum peruenire, occaſiones mundi fugere:

O maledicte magiſter Cain, quem ſimilia verba contra fratrem ſuum docuiſti maligne draco: & ſic innocentem Abel in agrum duxit vbi occidit illum, de quo valde erat dolendum, cum tali ſocio ambulante. Maiori tamen dolore afficiendus erat omnis fidelis, videns fidei oculis, filium Dei Abel innocentiorem in agrum, noſtri peccati cauſa, cum inimico generis humani egredientem & illum telo culpæ occidere volente: etiam ſi fruſtra conatur infœlix ſummam bonitatem à tramite rectitudinis euertere. Noli amplius homo, dæmonis ſequi veſtigia, cum videas filium Dei in agrum, cum maligno ad pugnam exeuntem modo, ad nos docendum viriliter dimicare. Qui alio die non dubitauit in agrum caluarianum pro noſtra ſalute & victoria cruce oneratus, egredi ad moriendum. O quis non diligit te Ieſu bone paſtor. Iterum aſſumpſit eum (modo ſupradicto, nempe verbis inducendo ad agrum egrediendum) & quando audis Euangeliſtam dicentem: aſſumpſit eum aut ductus eſt à diabolo, nil cogites (ait Diuus Chryſoſ. in imperfecto) de potentia diaboli, quia potuit ducere Chriſtum: ſed patientiã filij Dei mirare, quia ſuſtinuit vt à diabolo duceretur. Et forſan dæmon quantum ad ſe, ſic eũ aſſumebat vt ab omnibus videretur: Chriſtus autem neſciente diabolo, inuiſibiliter ſic agebat, vt à nemine videretur. Sicut ſcriptum eſt de eo: ipſe autem tranſiens per mediũ illorũ ibat. Nã ſi Habacuc, homo purus cũ eſſet, à nullo eſt viſus, quãdo ab Angelo per comã capitis portabatur de Iudea in Babyloniã, ad lacũ vbi erat Daniel, vt illi

*Gene. 4. B.*

*Homi. 5.*

*Luc. 4. E.*

*Dani. 14. F.*

pran-

prandiũ ſuum dares; quanto magis eſt credibile de Chriſto, non fuiſſe viſum, quando volens à diabolo aſſumeretur? Deus autẽ dixit forſan intraſe eamus in agrum, nam ibi à me victus eris in cruce.

Exiſtentes ambò in agro, dixit aduerſarius: aſcendamus in hunc montem excelſum: nam homini perfecto, vt ipſe es, præcipue ſi filius Dei es, conuenit ſemper aſcenſio. Ducere feſtinat diabolus eum ad montes (ait Diuus Hiero.) vt per quos ipſe corruerat, etiam cæteri cadant; iuxta illud Pauli: ne inflatus, aut in ſuperbiam elatus in iudicium incidat, diaboli: qui ob peccatum ſuperbiæ corruit. Et cum in monte excelſo exiſterent: quem ipſe diabolus, circumiens omnem terram, excelſiorem cęteris agnoſcebat: oſtendit illi omnia regna mundi. Non ipſa regna (ait Diuus Chryſ.) vel ciuitates eorum, aut populos, aut argentum aut aurum ita vt videret: ſed oſtendit illi partes terræ, in quibus vnuquodque regnum, aut ciuitas ſita erat, & aurum continebatur, dicens: ecce ibi eſt Africa & ſua Carthago & Hippomanes & aliæ multæ ciuitates: ecce ibi eſt Europa vbi eſt Hiſpania Italia & Gallia. In Italia eſt illa Roma caput mundi, & Neapolis: & in Hiſpania Salmantica Toletum Hiſpalis & aliæ multæ ciuitates. Nam etiam ſi Chriſtus omnia videbat, ſatis melius quam ſeruus audax: tamen dæmon æſtimans illum hominem, oſtendere illi non poſſe credebat omnia ſingulariter. Si nautæ, vnam ſtellam aſpicientes, non ſolum ad vnamquanque prouinciam, vel inſulam, ſed ad vnámquamque ciuitatem, & ad ſingula loca quæ petunt ſine aliquo errore aut euagatione dirigunt curſum, proſpero flante vento: quanto magis diabolus, princeps aeris conſtitutus, qui totam terram, non ſolum ſciebat, ſed etiam videbat, cum illam perambulauit; facilius poterat Chriſto ſingula loca certiſsime digito demonſtrare, & vnius cuiuſque regni honores, diuitias & aurum? Et ſic oſtendit ei regna mundi, & gloriam eorum. Gloria mundi (ait Diuus Hiero.) quæ cum mundo peritura eſt, in monte & ſupercilio demonſtratur & à dæmone: Dominus autem ad humilia deſcendit & ad campeſtria, vt diabolum humilitate ſuperet, & diſcas humilia ſapere vt vincas aduerſarium, & gloriam non mundi, ſed cæli poſſideas: Amen.

1. Tim. 3. A

Hom. 5. in imper.

Simile.

Homi-

# Homilia Decima.

¶Hæc omnia tibi dabo, ſi cadés Adoraueris me. *Text.*

Impudentia, hucuſq; non audita, ò audacia maledicta ſerpentis infernalis. Et auſus es impudentiſſime (ait Diuus Ignatius valde contra dæmonem ſtomachatus) opera Dei aſſumere & dicere, quia tibi traditus eſt principatus eorum. Caſum tuum oſtendis contra Dominum Deum tuum: & promittis illi dare quæ ſunt ipſius, dicens: hæc omnia tibi dabo, hac duntaxat conditione, ſi cadés in terram adoraueris me. Quomodo non timuiſti talem vocē contra Dominū emittere, tu qui omniū maligno rum ſpirituū, maligniſsimus es? His verbis videtur D. Ignatius aperte inſinuare Luciferum fuiſſe hunc tentatorem (ſicut à prin cipio nos dicebamus.) O maligne (ait Ignatius) pro malitia, ven tre & pectore in terram repere iuſſus es, & per inanem gloriam, inhonoratus es: qui per auaritiam & arrogantiam ad impietatē deductus es. Tu incenſor, draco, apoſtata, ſerpens perplexus, à Deo diſcedens, à Chriſto ſeparatus, à Sancto ſpiritu alienus: & à choro Angelorum exulans; auſus es tale verbum loqui cōtra in nocētem Ieſum? Quid modo contra blaſphemos dixiſſes pater Ignati? Iniuriator legis Dei, & qui cōtra primos parentes inſur rexiſti, & eos à mandato Dei auertiſti, qui nihil te læſerant; qui aduerſus Abel Cain fratricidam excitaſti, qui in Iob tanta mala exercuiſti; & quod grauius eſt, contra Dominum innocentiſsimum, audes dicere, ſi cadens adoraueris me? O audacia, ò puniē de ſerue fugitiue, ſerue flagellande, exterminator bonorum, abi in orcum vbi à damnatis es adoratus. *Epiſ. 4. ad Phili.*

Arrogans & ſuperbus (ait Diuus Hiero.) etiam hoc de iactan tia loquitur, non quod in toto mundo habeat poteſtatem: cum ſciamus pleroſq; ſanctos viros à Deo reges factos gratia & filia tione illius. Multi homines ſunt maligne draco, quos ſub tuo regno tenebroſo per culpā non poſsides, neque ſub tuo vexillo multæ ſanctæ mulieres militant; vt quid quaſi tua omnia regna mundi promittis? Multæ ſunt diuitiæ bene partæ, & facultates bene acquiſitæ & in pauperes bene diſtributæ: vt quid omnes,

nes, quasi male partas, tuas esse fateri non es veritus? Heu tamen dolor, quam pauca regna hodie in mundo sunt, quæ sub dæmonis ditione non sint. Proh dolor quanti homines & mulieres (etiam in regnis Deum per fidem agnoscentibus) sub dæmonis vexillo per culpam militant, & suæ ditioni subduntur. Isti malo modo ad dignitatem ascendunt & iniuste in illis viuunt, vnde magna scelera committunt, & quæ possident malignus vocat sua: alij dæmonis arte & technis per fas & nefas diuitias acquirunt: quas dæmon suas esse affirmat, dicens
*Luc. 4. B.* per Lucam: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Alij fiunt iudices ad furandum pauperum sanguinem, & alij rectores ciuitatum, aut oppidorum, vt propria & bona communia & pauperum sibi vsurpent: nonne de his omnibus quæ isti possident poterit diabolus dicere, mea sunt, & ipsi possessores? ò quantos homines aduersarius noster hucusque decepit & secum ad tartara misit, dignitates & honores & diuitias illis ostendendo: vt capiat animas eorum tali hamo, & esca pe-
*Simile.* riculosa. Contingit vt homo malignus, videat aliquem puerum orphanum, sed diuitem, & magnas paternas facultates habere: fit illi familiaris acsi esset eius seruus: comitatur illum, dat illi pomum pulchrum: aliquando inuitat ad prandium, donat illi vestem speciosam, & si parui pretij, aut calceos; loquitur illi dulces sermones: certe sicut si filius meus esses, nil minus tecum faciã. Vt quid omnia ista, ab homine crudeli, impio & pauperrimo? Vt puerum diuitem decipiat & tollat substantiam illius, vnde puer & orphanus & pauper maneat per totam vitam.

O antique serpens, inueterate dierum malorum, qui cũ primum vides hominem in valle huius miserię, & in isto exilio dolendo viuentem, quasi orphanum illo patre cœlesti carentem per visionem: tamen diuitem, & magnum gratiæ thesaurum habentem, & margaritas meritorum, & animam immortalem habentem, & sapientiam cœlestem in arca terrena positam, & in vase adeo fictili corporeo diuinum depositum: accedis ad illum frequenter, tanquã ad puerũ nescientẽ quanti valoris anima sua sit & gratia, & meritũ quo visio Dei obtinetur. Multoties ad prã diũ inuitas, vt ieiuna frangat, promittis illi promũ voluptatis vt puero: accipe hos calceos vindictæ & odij, lætare modo cũ diues sis & patrẽ habeas potentẽ: omnia quę possideo tua sunt, tantũ-

modo

modo cade à gratia in peccatũ, & ab amicitia Dei in odiũ illius, & procidens in terrena deſideria, adora me per culpã, Deo relicto. O fœlix qui cũ duce ſuo Chriſto indignatione debita repellit te ab ipſo, in nullo tibi conſentiens: diues manebit & meritorũ abũ dãs, patrẽq; habebit in cœlo quo fruatur in æternum. O maledicte peccator, puer multorum annorũ, & tamen vt infantulus ſenſualiter iudicans: quia maluiſti pomum, diaboli, nẽpe voluptatẽ, magis quã Dei gratiã: pauper, & miſer, & orphanus ſine patre cœleſti manebis & etiã ſine voluptate dãnatus. Homo diſce à filio Dei, ſi victoriã deſideras: nã pauper & mẽdicus eſt dęmõ.

Hæc omnia tibi dabo. O fur, & poteſt aliquis dare quod non habet? Habes aliquid, niſi ſuperbiam, iram, & inuidiam? Quid extra hoc poteris dare, niſi venenum culpæ? Et ſi ſuper peccatorum diuitias poteſtatẽ habes, non tamen iuſtorum; alias vt quid facultatem à Deo expectabas, vt diuitias Iob deſtrueres, ſi tuæ erant? Si regnum Dauid tuum erat, vt quid etiam inſtrumento Saulis tollere ab illo non potuiſti? Mũdus & regna illius ſunt ipſius qui creauit, nam ipſe ait, per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: non tamẽ per te falle dęmõ. Omnes diuitiæ Domini ſunt qui creauit illas: etſi aliquando illarũ prouiſio ad te pertinet ex Dei conceſsione, eſt quia cũ peccato acquiruntur, & cum in poteſtate tua miſerum auarum relinquat Deus, ſuam creaturam rationalem & ſanguine redemptã, quia delictum ſuum hoc expetit, quid mirum vt & diuitias eius? *Iob.1.a* *Prou.8.b*

Quando iniuſto medio diuitias acquiris (ait Diuus Chryſo.) & cum peccato, per diabolum dantur: ſin autẽ ſine peccato per Deum: ſicut ſenſus noſtros Deus dedit, inter duas tamen conditiones ſic creauit illos Deus, vt non ſolum ipſe oculos & ſenſus noſtros aperiat, ſed etiam diabolus aliquando, & vtinam ne frequentius quam Deus: aperuiſti oculos adulterio plenos quibus ad malum aſpexiſti mulierem & illis allicis illam ad voluptatem? Non Deus, ſed diabolus aperuit oculos tuos. Os tuum & linguam aperuiſti ad detractionem proximi, & ad periuriũ aut blaſphemiam aut maledictionem? Diabolus laxauit linguam tuam & illa vſus eſt: & manus ad ludum & furtum accepit tuas: Tamen ſi oculis ploras peccata tua & Dei iniurias, & Chriſti paſsionem, & ore confiteris delicta tua ſacerdoti, & inceſſanter oras, & prædicas & recitas, & manibus eleemoſynam porrigis *Homilia. 3. in imper.*

gis pauperibus: Deus ipſe benedictus in ſecula aperuit os tuum & oculos tuos, & ſoluit manus tuas ad recte operandum: fœlix ſi huiuſmodi es, nam & facultates quæ tibi contingent, etiã à Deo erunt: infœlices qui à ſpiritu maligno aguntur, nam & ea quæ poſsident bona terrena, etiam ſi Dei ſunt, tamen à dæmone videntur data dicente, iſta tibi dabo, quia cadens à virtute & gratia adoraſti me vitio & voluptate.

Hæc omnia tibi dabo, quia ſum princeps huius mũdi: agnoſce meum numen & me vt Deum adora & manebis diues & potens per totam vitam, & omnia quæ oſtendi tibi poſsidebis; hac dum taxat conditione, vide quam paruo labore & ſeruitio, dum modo prouolutus ad genua adoraueris me: & ſic tradã in manus tuas omniũ regnorum imperiũ & poteſtatem. Vides quot imperatorum & regum? Scis quid vnuſquiſque pro regno obtinẽdo, deinde cõſeruando quota hora patiatur, quos ferat labores? Tu ſolus omnia abſque labore poſsidebis: ſolum animum tuum nobilem inclina ad adorationem breui tempore finiendam, & ſtatim in terra pro Deo colẽris: tantum hoc minimum peto, vt me tantæ fœlicitatis autorem agnoſcas, & vt Dominum recognoſcas. Agnoſcis lector & auditor, vocẽ mendaciſsimam illius qui
*Gene. 3. A.* quondã non eſt veritus affirmare, nequaquã moriemini? Nõ venit tibi in mẽtem quoties ſimilia promiſit, ad culpam te inuitãdo. Faciam te cum hæc & illa, & non morieris vſque in ſenectutem: & regnabis, & voluptatibus concupitis frueris. O maledicte ſerpens, & ſcelerate ſpiritus (dic illi frater mi toto corde) promittis aliena & quæ ſunt Dei mei, & petis præmium ſoli Deo congruens, nempe vt honorem quem ſoli Deo debeo illum adorando virtute & ſeruiendo; tibi latro, exhibeã peccando, & Deum meum inhonorando? Non faciam talia:

O pauper & virtutibus nude draco maligne, quid potes dare, niſi quæ poſsides? Dolorem, & laborem culpam & ſuperbiã &
*Simile.* alia huiuſmodi poteris tibi adorantibus donare. Contingit, vt aliquis comes, aut marchio ſit valde regi coniunctus amicitia & priuatione, eſt denique præcipuus ex ore regis: quandiu ſic regiam amicitiam ſeruat, non ſolum ſibi multa acquirit verum & alijs ſeruis aut amicis dona obtinet à rege & fauorem illius: tamen ob graue ſcelus contra regem ab ipſo perpetratum, non ſolum ab illa dignitate cadit, & regis amicitia, ſed

etiam

etiam bonis cõfiscatis in turre fortissima & carcere tetro ligatus catenis relegatus iacet: vbi pauper & sine cibo nisi paruo & tristi pane doloris & aqua angustiæ alitus, infamis & sine honore perpetuo manet. Quis adeo stultus est vt accederet ad illum pro muneribus habendis & donis? Quis fidem illi habuisset, diuitias aut honores promittenti? Etiam insanus homo dixisset: quid potes miser dare, pauper & infamis & regis inimicus & catenis ligatus? Si olim ista mihi promitteres, quando regis amicitia fruebaris, bene, sed modo? O homines, vt quid quota hora iste inimicus dæmon decipit vos magna promittẽdo, honores & diuitias, cum pauper sit & miserabilis & Dei inimicus & in carcerẽ inferni perpetuo relegatus, vbi fame cruciatur & siti: & infamis iacet in igni, quia ob crimen læsæ maiestatis, quod in cœlo commisit & scelus magnum rebellionis in Deum, confiscatis bonis suis & meritis à Deo in sua creatione datis, à curia cælesti perpetuo missus est? Si permansisses miser, in Dei amicitia, & in illa priuata dignitate qua te decorauit Rex cœli? Si noluisses cristas cõtra Deum erigere, sedendo in aquilonis lateribus, elatione magna? sed quomodo mane creationis tuæ oriebaris, maximus inter omnes, qui erant ex ore regis angelorum, & magis priuatus permansisses, bene poteras à rege cœli dona nobis obtinere: vt modo S. Michael, Gabriel & alij impetrãt nobis magna Dei munera: sed Dei inimice infamis, quid poteris modo homini ad cœlũ creato dare, nisi miserias tuas, & culpæ venenum?

Esto latro mendax, tua esse omnia mundi & illa cui volueris dare posse, sit ita, quod mihi illa ob solam vnius horę voluptatẽ cõferas: & quia alio quo cunq; peccato tibi adoraui, facias me regẽ totius orbis & prælatum totius Ecclesiæ: debeo mori etiam cum his omnibus dignitatibus? Etiam, quia sic statutũ est à Deo hominem semel mori. Maledicte, vt quid ergo vis vt moriar bis & corpore & anima? Et post mortem est iudicium dæmon? Rigidissimum coram Christo iudice. Et quid ipse in Euangelio dicit? Dic tu homo, dic concionator: quid prodest homo tibi, vniuersum mundum lucrari, & omnia regna mundi à dæmone accipere, cum animæ tuæ magnum detrimentum passus es, & illã maculatus es, dæmonẽ adorando & contratuum Deum verũ illi seruiendo? Caue frater à dæmone mendico & latrone, & multa promittente & pauca & mala reddente. Iacob ille fortis, septem

*Ad Hebr. 9 6.*

*Matt. 16. D. Mar. 8. D.*

*Gene. 29. C. 31. E.*

annis seruiuit Laban, & (vt ipsemet fatetur) die noctuq; æstu vrgebatur & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis suis, quæ omnia libenter patiebatur ob Rachelem pulchram sibi promissam à Laban: tamen vt verspellis posuit illi Liam lippis oculis. Et cum conquereretur Iacob de fallacia, dicens Laban socero suo: quid est quod facere voluisti? nõne pro Rachel seruiui tibi pulchra & venusto aspectu, & ipse illã mihi promisisti? Quare imposuisti mihi? Respõdit Labã: non est in loco nostro cõsuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias: imple hebdomadã, & Rachelẽ accipies. Vere pingitur dæmonis falsitas hic, qua hominẽ decipit, promittendo & nõ adimplẽdo illi. Iacob fortis, fidelis à Deo & fide adiutus es, vt quid dæmoni per tot annos seruiuisti? Promisit mihi voluptatẽ & diuitias, honorẽ & lętitiã. Quid post tot annos quib' illi seruitiũ fecisti, & illũ adorasti dedit tibi? Dolorẽ fletũ & remorsus cõsciẽtiæ, & infamias. O homo, si in tali deceptione vsq; ad mortis noctẽ peruenieris, quã miserãdus eris, quando videas Liã lippã, fletũ nępe infernalẽ, & faciẽ deformẽ dæmonũ, amissa animæ pulchritudine, & dicas diabolo gemens & plorãs.

Quid est quod facere voluisti Labã, qui cãdidatio interpretatur, qui per delectamẽta, dulcẽ & cãdidũ te mihi ostẽdisti? O fallax dæmõ, die prosperitatis seruiui tibi, & nocte peccati & aduersitatis, æstu cõcupiscẽtię adustus, & gelu frigiditatis in anima & charitatis defectu. Sõnus fugiebat ab oculis meis, cõscientiæ remorsu percussus, vidẽs me Deo meo traditorẽ: dixisti mihi hæc omnia bona mũdi tibi dabo, & Rachelẽ pulchrã: nępe gaudiũ & honorẽ, & voluptatẽ cõtinuã: quare imposuisti mihi? Quomodo in nocte mortis mihi tãtũ luctũ reddidisti pro lętitia, & mœrorẽ pro gaudio? Eia pessime & stulte homo (dicet Labã infernalis) modo scis hãc esse cõsuetudinẽ detestãdã nostro tartareo loco & tenebroso, vbi mortis vmbra semper adest, & gemitus & væ!

*Ioan. 12. D.* Hic gaudiũ quæris? Non audisti magistrũ veritatis Christũ: qui
*Matt. 13. G.* amat vitã suã & voluptati tradit illã, perdet eã? Nõ audisti illũ dicẽtẽ, hic esse fletũ & stridorẽ dẽtiũ? Nõ est in loco nostro cõsuetudinis, gaudiũ & pulchritudinẽ dare, neq; filias minores & vltimas dare prius: debebas antea ieiunare & plorare, & tũc in cœlo gaudiũ & cœnã accepisses. O homo, imple hebdomadã vitę Christo seruiẽdo, & à dæmonis deceptione cauẽdo: si cupis Rachelem pulchrã, gratiã, scilicet, gaudiũ & ęternã pulchritudinẽ obtinere.

Non

Nō solū laicū aut secularē dæmō sic decipit vana promittēdo illi, pro adoratione peccati, sed (quod magis dolendū est) multoties & Dei ministros, sacerdotes & religiosos: & vtinā ne prælatos & cōcionatores, quod patet in illo facto quod viro Dei & prophetæ Iudæ cōtingit: venit in nomine Dñi ad cōcionandū cōtra Ieroboā, & iussus à Deo (vt ipsemet fatetur ibi) ne comederet panem, neq; biberet aquā, nec reuersus esset per viam qua venit: nihilominus prophetes senex venit post illū, & inuenit eū sedentē subtus Terebinthū. Et ait illi, Tu ne es vir Dei qui venisti de Iuda? Ego sum. Veni mecū domū, vt comedas panē. Nō possum reuerti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: quia sic iussit me Deus. Tamen fefellit eum, & reduxit secum: & comedit panem & bibit aquā. Et cum sederet ad mensam: ipsemet Propheta qui reduxerat eum dixit in sermone Domini exclamando: hæc dicit Dominus, quia non obediens fuisti ori Domini, & mandatum eius non custodisti: sed reuersus es & comedisti panem, & bibisti aquam in loco prohibito: nō inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Qui cum abijsset inuenit eū leo in via & occidit. Supra hanc figurā tetigimus, sed alio fine: vnde nil mirū vt istā & alias multoties citemus pro diuersis conceptibus, D. Chry. vide. 3. Reg. 13.

O Dei minister quicunque es, ô concionator, o confessor vir Dei, qui venisti in nomine Domini ad sacerdotium aut religionem, ad loquendum contra vitia & contra peccatores: tamen caue ne comedas panem mēdacij peccati, aut aquā voluptatis ex hoc mundo: nec reuertaris per viam, qua venisti ad statum: nempe per mundanas delitias, aut per viam qua ingressus es in mūdum, scilicet, per peccatum. Tamen heu, quia iste maledictus dæmon, Propheta senex & mendax, videns te sedentem in ocio & desidia, sub arbore: volentem in aliquo te delectari, dicit tibi. Es ne tu vir Dei? Es ne sacerdos, aut monachus, qui venisti de Iuda, & de vera Dei confessione? Sum. Veni mecum domū mūdi, & in viciniarū consortia vt comedas panē voluptatis, & aquā dignitatis bibas. Dixisti semel & bis per annū & duos: nō possū reuerti, neq; tecū venire dæmō. Væ tibi, tandē fefellit te & reduxit secum, gaudia mundi promittens: comedisti vetita, & bibisti â Domino prohibita. Ipsemet dæmō qui te decepit, in morte tua proferet contra te sententiam ex parte Dei, dicens: hæc dicit *Hom. de fide Anna. 2*

Dominus, quia inobediens ei fuisti in mãdatis eius, & mihi rõbediens, & reuersus es à via virtutis per quam ambulabas, ad comedendum panem vitiorum, & bibisti aquam voluptatis in loco mundi, prohibito à Deo, non ibis ad locum patrum sanctorum tuorum: prælatorum nempe bonorum & concionatorum fidelium, & fundatorum religionis tuę: sed leo fortissimus, diabolus nempe occidet te morte pœnę, cuius consilio per peccatum mortuus es: & illum adorasti, cadendo in terrena, promittentem gaudium & dantem luctum: suadentem delitias & diuitias, & tormenta conferentem & tristitias.

*Simile.* O inimice generis humani, qui semper dulcedinem peccati homini ostendis, & amaritudinem & pœnam abscõdis: ô fallax mercator, pannum per caput vbi bonus est ostendens, & malum

*Simile.* abscõdens. O Rhamno similis, á principio molles aculeos, in fine tribulos duros generanti: sic & tu maledicte, à principio mollia promittis, in fine das aspera & dura. Prius quam intelligerent spi-

*Psal. 57* nę vestræ Rhamnum: sicut viuentes sic in ira absorbet eos, ideſt, priusquam voluptates vestræ (quæ spinæ sunt valde animã pũgentes, sic à Dño vocatæ) intelligerent Rhamnum, ideſt, scirent

*Luc. 8. C.* proprietatẽ Rhamni à principio mollitiẽ generãtis, & in fine duritiẽ & punctionẽ dãtis: sic & ipsæ voluptates, dulcia principio, deinde finem amarissimum causantes: illas perpetrantes, & in tẽpore non pœnitentes, fallax dæmon, qui decepit illos, in ira sua absorbet eos: viuis similes, cum essent mortui, sicut viuentes, & tamen moriẽtes. Velim maxime, ab hac diaboli deceptione, me primũ, deinde omnes, Dei auxilio defendere, & aperte ostẽdere, quomodo multa promittat, & nil nisi laborem & dolorem præbeat: vt homo Deo seruiat, multa bona promittenti: & maiora danti illi seruienti. Hæc omnia tibi dabo. Quid dabis mendice,

*Exo. 1. C.* crudelisq; Pharao? Quod ipse dedit filijs Israel. Quid dedit Pharao filijs Israel, illi seruiẽtibus in luto & lateribus, & in Ægypto exulibus & odiosis Ægyptijs, illos affligentibus & illudentibus & inuidentibus? Atq; ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris, luti & lateris, omniq; famulatu, quo in terrę operibus premebãtur. Et quid crudelis Pharao, pro mercede tãti laboris illis dabat? Paleas, vt etiam cum ipsis illi seruirent. Quid vult à te dæmõ frater mi? Scis quid à te desiderat? Vt seruus illius per peccatum fis, & in luto terrenarum & amaritiæ seruias & in

voluptatibus laterib⁹, exul à gratia, in Ægyptiaca obſcuritate: omnes dęmones affligentte & illudent, & inuident, atq; ad amaritudinē ducent vitā tuā. Et quid dabit mihi dæmon pro tam laborioſo obſequio? Quid poteſt dare dignū tanto labore, etiā ſi, quod hic falſo promittit, vere tibi dediſſet, nempe omnia regna mundi? Tamen certe Pharaone crudelior eſt & non niſi paleas dabit tibi ficti gaudij & caduci, quo illi ſeruias. O mne gaudium voluptatis non eſt palea foris lucens & intus omni ſolatio deſtituta & vacua, imo omne vitiū, quid niſi palea, igne fumigās eſt?

Audi & amplius, quia ſicut Pharao iuſſit exactores populi, ne filijs Iſrael paleæ darentur dicens: nequaquā vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres ſicut prius, ſed ipſi vadant & colligāt. Et populo dicēti: Pharao cur agis ita cōtra ſeruos tuos? Paleę nō dātur nobis & lateres ſimiliter imperātur? Reſpōdit, ocio vacatis & ideo dicitis, eamus ad ſacrificādū dño. Sic & malignus, poſtquā iā ſeruum ſibi confirmatum in malo tehabet ò homo, nec paleas gaudij ficti vult tibi dare: vt etiā ſine vllo ſolatio te ad tartara mittat. Et ſi de hoc illi cōquereris, dicet, es otioſus ſi ne iſto labore, vnde cogitationes tibi veniūt Deo ſeruiēdi, ideo palea gaudij nō dabitur tibi. Nā quā diu Dina erat ſine volūtate redeūdi ad patrē cū raptore Sichem, non legitur illi aliquod ſolatij verbū dixiſſe, nec gaudiū dediſſe: triſtē tamen (ait Scriptura) deliniuit blāditijs. Si dęmō ſine gutta gaudij poteſt ad infernum mittere te, & à patre tuo cœleſti ſeparare, non expectes ab illo, nec verbū ſolatij nec paleā gaudij, quādiu de reditu ad Deum nō cogitas, & triſtis ob ſcelus tuū nō efficeris: triſtē tamē ſtatim vult delinire fictis blāditijs: caue Dina à tali raptore ò anima, ſi non vis fieri corā Deo ouicula miſera, & in æternū indigna cœlo & Dei viſione. Hæc omnia tibi dabo: ſi omnia tua ſunt mundi regna, igitur oēs in mūdo viuētes tibi ſeruiūt & te adorāt? Vt quid ergo tanti æſtimas vnius hominis famelici & pauperis (& ob ieiunia pallentis & in agro cum beſtijs exiſtentis) adorationē, & genuflexionem? Quia alij mei ſunt, ſine hoc quod ad malum inuitent, fere omnes qui in mundo ſunt: ideo iſtum volo & deſidero magis quam omnes, quē à mea opinione alienum video: Malo vnum hominem bonum me adorantem, quā mille peſsimos videre: malo vnum caput, quam centum membra: magis deſidero adorationem vnius ſacerdotis boni aut monachi aut prælati,

*Exod.5.B.*

*Gene.34.A*

quam centum laicorum: quia est magis Dei offensa, & per consequens maius mihi seruitium fit ab illis.

Esthe. 3. B. Omnes in regno Assueri post regem seruiebant Aman, & honor ab omnibus illi impẽdebatur: tamen nil sibi esse videbatur, cum Mardocheum vidisset non adorantem illum. Quid igitur desideras miser Aman, dæmon maligne? Vt Christus adoret te, ideſt bonus sacerdos vnctus oleo spiritus sancti: cũ habeas tot laicos, imo & sacerdotes & monachos, senes & iuuenes virgines & coniugatas te adorantes, tibi & in omnibus seruientes? O istum Mardocheum desidero adorantem me. O iste Christus, & iste bonus Dei sacerdos, & iste deuotus religiosus cupio valde vt sint mei serui, & me adorent. Et quid dabis te adoranti per vitium? regna: sed terrena, non cœlestia. Dabo: non de præsenti sed de futuro. Quia nunquam donisi labores & dolores de præsenti gaudia futura promitto, quæ nunquam peruenient. Hæc omnia tibi dabo si cadens me adoras ò homo, mortale delictum perpetrãdo. Et quid à me petis ob hoc dæmon? Quare non dicis, quæ tibi debeo dare peccando, in solutionem ficti gaudij quod mihi promittis? Semper dicis dabo, & non quid tibi debeo dare si pecco? Si aliquis tibi dixisset: frater mi, accipe argentum & lætare. Quo modo mihi das? Gratis. Libenter acciperes illud. Tamen si dixisset, accipe argentum istud, da mihi tamen vestem, & margaritam quam habes, & omnes facultates tuas, honorem & vitam: Acciperes argentũ? Imo dixissem, abi in malã rem cũ argento tuo.

*Simile.*

Frater mi, hanc ipsam deceptionem & grauiorem, quotidie à dæmone pateris: accedit dæmon tibi voluptatem cogitanti, aut furtum, aut vindictam, & ait: accipe consensu & opere hoc gaudium cogitatum: hæc omnia quæ desideras tibi dabo. Et quid à me petis maligne, in solutionem. Vt quid nec verbum vllum de hoc? Quia si tibi innotuissem omnia quæ à te peto in commutatione gaudij ficti, ex peccato prouenientis: non est tam inuerecundus homo, qui auderet peccatum perpetrare. Si dixissem tibi, accipe hoc voluptatis gaudium: tamen ęterna lætitia carebis: accipe hanc vindictam, tamen debes tuam mihi dare vitam vt illam dæmones sine fine crucientur: accipe hos duos aureos furto, tamen margaritã gratiæ debes dare, & animã, & meritorũ facultates, & cœlũ. Quis hucusq; fuit adeo insanus, qui talia & tã magna pro re tã vili dedisset? Tamen dico quid dabo, quid mihi reddere

dere debeas non innoteſco. Etiam ſi gratiam dæmon non petiſſet in culpæ commutatione, ſed ſolum quod hic petit, adorationem nempe & caſum, ſatis fuerat omni homini ad peccatum cauendum tanquam ignem: quanto magis, quia ideo dicit ſi cadens: quia impoſsibile eſt Diabolum adorare, ſine peccati caſu, & ſine hoc quod à virtute in vitium: à gratia in culpam: ab honore in infamiam, à gaudio in triſtitiam, imo à cœlo in potentia habito & ſecundum præſentem iuſtitiam, in tartara tenebroſa. Igitur ipſe dæmon ſuis verbis docet te cauere culpam, cum dicat eſſe caſum, & ruinam: ſi cadens adoraueris me. O maligne, ſtatum impij oſtendẽs, qui ſemper in peius proficit, & in malitia durat. Miſſus es vt fulgur à cœlo, quia aliquomodo ęqualitatẽ Dei voluiſti: & modo Diabolus factus, vis Deũ te minorẽ cõſtituere, ad te adorãdũ inuitãs? O vtinã multi homines diabolo in hoc ſimiles non eſſent: qui tanquam canis advomitũ, non verentur itarare peccata, quibus à dignitate cœleſti corruerunt, & peiora.

¶ Vade Sathana, ſcriptum eſt enim, Dñm Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. *Text.*

DOminus autem longanimis (ait D. Ignatius) qui nõ in præſenti & illico interficit eũ, qui per ignorantiã & audaciam talia dicit: ſed manſuete reſpondet dicens: vade Sathana: non dico reuertere poſt me, aut vade poſt me vt Petro dixi: quia non es reuerſurus aliquando ad Deum per pœnitentiam: ideo vade in illa horrenda & tartarea loca quæ tibi elegiſti. Et vade in ea loca ad quæ relegatus es, à tua malitia. Et in illa corda peccato infecta, magis te quam me Deum eligentia. Ego ſcio quis ſum, & tibi innoteſcere nolo: & ſcio quẽ debeo adorare, & ex qua natura mea, nẽpe humana: & illi nõ denego ſeruire, à quo tu apoſtata factus es, nolens illũ adorare vt par erat. Abi Sathana, cũ tuis fallacibus promiſsis, qui tria iacula cõtra me eieciſti, & huc atq; illuc me ire feciſti: ex parte mea vt victus euaderes, ex parte tua ſæpe huc atque illuc fremens vertiſti te. Vt ſolet pugil qui accipit lethalia vulnera, multo vtique ſanguine perfluens (teſte Chryſoſtomo) circum agitur captus oculis ſanguine & vulnere: & fere delirat, & à dextris & ſiniſtris percutit, in tẽpore & ſine tẽpore: ſic & modo tibi cõtingit Sathana audax à me vulnerato, & prima & ſecũda ſauciato plaga: modo es locut⁹ quaſi delirãs quic-

*Epiſtol. 4. Ad Philip.*

*Matt. 16. D.*

*ſimile. Homil. 5. in imper.*

quicquid in nos tibi venit dicens, vt adorem te. Vade Sathana in malam rem: nam damnosum lucrum & impium est, quod pietatis Deiq; cultus & gratiæ iactura emitur. Quod petis, impium est, quod promittis inane est, & nullius momenti. Vade hinc, ne te vltra oculis meis aspiciam. O vtinã tali Christi respõsione animus Christianus quotidie contra dæmonem vteretur, & linguis & cordibus fidelium inceſſanter adhæreat ipsa: forsan non essent tã multiti homines suis retib⁹ capti. Vade Sathana in tartarea loca tua, quia petis à me impiũ cõtra Deũ meũ, & promittis vanũ.

Vade Satana: quod præceptũ magis quã increpatio fuit, aut vtrunq; simul: & tamen cum esset dæmon Deo inobediẽs, statim quod Christus dijcit illi, vade Satana, abijt: ne progrediaris vltra tẽtans, cessauit à tẽtatione. Vnde valde gaudere debebam⁹ de hoc, quod diabolus nõ tentat hominẽ quãdiu vult & quantũ, sed tandiu & tantũ vt Deus illi permittit, & spiritus sanctus qui est in homine. Nã diabolus, quantũ in se est, nunquã cessaret à tentatione: nec enim habet aliũ actum. Non mãducat non bibit nõ dormit, nec opus aliquod operatur, nisi torquere animas infernales, tortus & ipse: & tentare existentes super terrã vt fallat, & subuertat eas: hic est cibus illius, hic honor & labor, & sic infatigabilis est in malo. Vnde si potẽtia Dei illũ non repelleret ad tẽpus, & à tentatione seperasset, quis est qui se à calore ei⁹ abscõdere potuisset, & à telis eius defendere? Sinit illum nos tẽtare ad meritũ, & ad virtutẽ probandam: impedit tamen illũ ob nostrã infirmitatẽ. ¶ Notandum est valde quod etiã si in prima & secunda tẽtatione, filius Dei iniuriã á dæmone passus sit, turbatus non est, neq; exasperatus: nunc autẽ (quãdo diabolus Dei patris sui præsũpsit honorẽ in adoratione subripere, & dominiũ in reb⁹) exasperatus est, & iratus increpauit illũ & repulit dicens: vade Satana aduersarius honori Dei & dominio illius effectus: fur & latro audax, vade à meo aspectu Opprobria exprobrãtium tibi
*Psal. 68.* patermi, ceciderunt super me (ait Christus) quia magis iniuriam tuam sentio & verbum dæmonis aut mali hominis blasphemiã contra te prolatam, quã flagella corpori meo irrogata. Discamus & nos illius exemplo, nostras iniurias ab impijs & sceleratis illatas, in dicto & facto & animo magnanimiter & patienter sustinere & sine vindicta & ira: Dei autem iniurias, & contemptum & blasphemias, & periuria, & festorum fractiones, & Dei inho-

nora-

norationem, nec vsq; ad auditum sufferre. Quoniam in proprijs iniurijs esse quempiam patientem, laudabile est & meritorium: injurias autem Dei silenter transire & dissimulare, & non arguere & increpare inferentem (vt fecit contra latronem pendẽtem, qui patienter crucem propriam ferebat & iniuriam Christi non potuit ferre) etiam si oportuerit pro Dei honore mori, nimis impium & crudele est atq; scelus. Fœlix qui ita de opprobrijs Dei sentit ac si contra se dicta fuissent. Sed heu quam è contra ab hominibus fit: iniurias proprias contra Dei præceptum dicẽtis, diligite inimicos vestros, vindicãt in animarum suarum iacturam: & Dei honorem conculcare sinunt, quasi ad illos nõ pertineret de hoc: ò mali serui ò degeneres filij tanti patris. *Matt. 5. F.* *Num. 12. A*

Non sic Moses ille patientissimus: super omnes habitantes in terra non sic qui pro persequentibus se orabat: & tamen contra inhonorantes Deum in vituli conflatione, ita iratus est, & Dei zelo succensus, vt tabulas, etiam si Deus dederat illas, frangeret, & viginti tria millia occidere iussit: & secundum aliam literam triginta tria hominum millia. Et iussit interficere prophetam seducentem à Deo amicum & filium & separantem ab honore illius: dicens, interficiatur, quia locutus est vt vos auerteret à dño Deo vestro, qui redemit vos à domo seruitutis. Et etiam si dominus suæ famæ homo sit & possit, aliqua bona & honesta causa ei qui illum infamauit, citra aliquam restitutionẽ parcere: si persona priuata sit (vt teneo cũ magistro meo Soto in de Iustitia & Iure) dico tamen cum illo: quod quando infamia est hæresis aut apostasiæ, quæ contra fidem & religionem è regione militant: talis infamia non est ferenda, sed omnino repellenda, & quã fieri maxime potest abstergenda, exemplo Christi in nostro textu: qui cum alias sibi illatas à dæmone iniurias æquanimiter tulisset, & postea in passione multas: vbi de idololatria eũ tentauit, acerbitate in eum vsus est: vade Satana. *Exo. 32. E. F* *Deut. 1.* *Lib. 4. q. 6. ar. 3. fo. 345 A.*

Scriptum est: ter in hac concertatione & pugna dixit dux noster Christus, scriptum est: vt scias omne quod in diuina scriptura est, á sanctissima Trinitate dictum esse, & scribi iussum. Vnde maxime nota hoc, quod dicere filium Dei scriptum est, non est ita referendum ad chartas & scripturam exteriorem: sicut ad id quod sic fuit ab æterno à Deo præuisum & decretũ & firmatũ in tempore fieri, quod vt hominibus constaret iussit in chartis exa-

rari. Tamẽ præcipua firmitas verbi Dei & ſcripturæ efficacia nõ
puenit ex hoc quod eſt ſcriptũ in papyro, ſed quia in mẽte Dei
exaratũ eſt: & hoc dicit Chriſtus, ſcriptũ eſt in Dei decreto, & ab
ipſo ab ęterno pręuiſum atq; firmatũ, & in tẽpore ſcriptũ: vt nõ
in ſolo pane homo viuat, neq; Deũ tẽtare præſumat, ſed illũ ado
ret, & nõ vitiũ, & Deo ſoli ſeruiat, & nõ dęmoni. Et ſic de omni-
bus quę ſcripta ſunt intelligere debes: vt timeas valde & contẽ-
nere ſcripta in ſacris literis reformides. Sed omni veneratione di
gna iudices & corde ore & opere amplectaris illa, tãquã Dei de-
creta, & rata & firma in mẽte ſua ab æterno exarata: vnde deleri
impoſsibile eſt: & iuxta illa decreta iudicari a ipſo Deo te opor
tet. Vide quomodo hucuſq; de verbo Dei & ſcriptura ei⁹ iudica
ſti: qui ſic illã cõculcare & peccatis frãgere & trãsgredi nõ dubita
ſti. ¶ Si iſte ſermo Dei per Angelos hominib⁹ oſtẽſus & declara
tus, & ab ipſis contẽptus & conculcatus peccatoribus, factus fuit
firmus (vt ait Paulus) quia omnia in tali ſermone contẽpta adim
*Hebr. 2.* pleri debent: quia iota vnum aut apex non præteribit à lege do
*Matth. 5. C.* nec omnia fiant (vt ait Chriſtus Dñs) & omnis præuaricatio &
inobedientia, contra Dei ſermonem perpetrata, accepit iuſtam
mercedis retributionem: vt qui magis peccauit magis punitus
ſit: quomodo fugies irã Dei homo, verbi diuini conculcator, qui
ſermonẽ diuinũ in Dei mẽte ſcriptũ, & nõ per Angelũ, ſed per
filiũ omnipotẽtis tibi declaratũ & cõcionatũ, cõculcaſti & tranſ-
gredi illũ nõ dubitaſti? O neglector tãtæ ſalutis, & cõtẽpſiſti tan
ti Dei verbũ? Scriptũ eſt cõtra te in mẽte diuina, ſuppliciũ, quo
dignus, quia verbũ Dei es trãsgreſſus, cũ videas Dei filiũ tanti fa
cere Dei ſcripturã & ſermonẽ. Qui cũ poſſet dęmonẽ in nihilum
vertere facillime, & ſola volũtate, ſolo Dei verbo ad illũ conuin
cendũ vſus eſt: nõ potẽtia, nõ angelis, nõ igne, non alia creatura
pro armis & ſcuto: ſed tantũ accepit gladiũ ſpiritualẽ, quod eſt
verbũ Dei: vt ſcias nõ eſſe creaturã adeo fortẽ cõtra dæmonẽ vt
ſermonẽ diuinũ, ſi illo vt decet vſus fueris: atq; eſſe nimis graue
delictũ verbũ Dei pro nihilo ducere. Vnde dæmone peior con-
uinceris eſſe verbi Dei illuſor & cõtẽptor, cũ videas diabolũ tre
mẽtẽ ſermonẽ Dei & fugiẽtẽ illius virtutẽ, & ſe abipſo victũ cõ-
fitẽtẽ: cũ amplius nõ eſt auſus aliquid falſi illi obijcere, nec cõtra
illũ amplius pugnare: nec cauſare falſum eſſe aut inefficacẽ. Nec
niſus eſt illũ diuertere, aut quomodolibet, impugnare, nec tergi

uerſatus

uerſatus eſt ſcripturę ſacrę, quã bene nouerat eſſe diuinã, & æternam: quamuis Moſi & prophetis in tẽpore à Deo reuelatã & ab ipſis Dei iuſſu ſcriptã: ſed tremens gemenſq; cũ ſua victus inuidia, verbo Dei obediens & illud timẽs cõuictus diſceſsit. O magna ſcripturæ ſacrę vis ſimul & autoritas, cui dæmones reuerẽtiã exhibẽt, impugnare nõ audẽt. O magna homunculi noſtri tẽporis temeritas & audacia vermiculi vilis, dæmone in hoc peioris, qui nõ ſolũ à verbo Dei nõ vincitur, vt Dei iuſſa adimpleat: nec timet illud, ſed potius cõtẽnit & verbis & factis impugnare audet, & cõciones parui pẽdere, & parũ frugis eſſe affirmare non veretur. ¶ O homo, maligno malignior, Diabolo inuerecũdior cum ille reuerentiam exhibet Dei verbo, & illi contradicere nõ audet, & ipſe pro nihilo ducis ſubridere illud: acſi in mẽte Dei ab æterno decretũ non eſſet, & in tempore à ſanctis hominibus conſcriptũ, à verboque patris in mundo prædicatum. Quid dices, ſi in hoc loco quidam dixit non ſemel & bis & coram multis. Bene poteramus ſine ſuis tranſire concionibus? Infelix illuſor Dei verbi, ſine pane animi viuere poteras? Filius Dei vtitur illo contra draconem, & draco illi reuerentiam exhibet cui cõtradicere non audet: & audes illuſor tui (nam Deus & verbum illius non irridetur) tale cõtra illum proferre ſcelus? Vade Sathana: neſcis dictum de me (ait D. Chryſoſt. in varijs Matthæi locis) per Dauid, tu confregiſti capita draconis? Non audiſti Iob dicẽtem me debere extrahere Leuiathan hamo diuinitatis ſub eſca humanitatis latente? Sicut in hamo eſcæ præda poſita, piſces illudimus & decipimus, qui videntes eſcam hamum non conſiderant & ſi capiuntur: eodem modo tibi continget mecũ in cruce. Dominum Deum tuum adorabis, nam Deus non patitur gloriã ſuã in alium transferri: non patitur ſibi cum quoquam eſſe cõmunem adorationem ſibi debitam & laudem, necdum dare: qui dicit gloriam meam alteri non dabo. O mãſuetiſsime Ieſu, cur nõ dicis illi: cur polliceris mihi quæ mea ſunt? Qua fronte poſtulas vt tibi genua flectam, cum ad nomen meum Ieſu, genua etiã infernorum flecti & curuari debeant? Verum hic tempus fallendi illum erat non docendi: nec admoneri meruit qui corrigi nõ poterat. Tibi agitur iſta fabula homo obſtinate, qui iã videris à Deo relictus ad placita facienda, cum monitis eius corrigi hucuſq; cõtẽpſiſti: ò ſi, iam nõ es admonẽdus, quã miſer & illuſus manebis.

*Homi. 5.*
*Pſal. 73.*
*Iob. 40. C.*
*Simile.*
*Iſai. 42. 8.*
*Ad Phi. 2. B*

¶ Tunc

Text. Luc. 4. C. ¶ Tunc reliquit eum Diabolus.

RECESSITQ; ab illo vsq; ad tempus (vt ait Lucas) scilicet passionis ei⁹ quãdo venit, a nullo quicquã mali inueniret, frustra tamẽ. Audisti homo Deum dicẽtem, vade Sathana? Vidisti quomodo statim sine mora Diabolus obediens existens discessit? Quare igitur non es veritus multoties in hoc dæmone peior esse, & magis inobediens. Confusio non minima tibi manet coram Deo magno: vnico verbo Christi motus dæmon discedit obediens (nesciens an Dei filius esset) dicentis vade: cum tamen multoties a ipso Deo (quem talem esse per fidem veram credis & omnipotentem fateris) audisti aut interna inspiratione, aut externa concione: vade & laua animam tuam sanguine meo: vade & ostende te sacerdoti per confessionem: vade ad restitutionem, vade à tam detestando officio, quod contra animas mea morte redemptas exerces, tentando illas & ad malum inuitando: vide opus dæmonis hoc esse: & tamen malignus statim obedientiam præstauit, & tu semper in malis permanes, pollutus & tentator? Ipse Diabolus surget cõtra te in iudicio, & de inobedientia damnabit te.

Quam confusus dæmon victus recedit, quando illi non consentis ô homo, sed telo suo illum vulneras: quam gaudens pergit si quod suadebat malum operasti: quam magnum honorẽ Deo tribuisti vincendo, & quantam iniuriam victus. Audi similitudinem memoriæ mãdandam: est valde propinquus quidam homo vt captus Argel ducatur à Turcis, imo iam ligatus erat abipsis: transiens inde nobilis eques, liberat illum, & ponit ducem Turcarum sub pedibus captiui, vt conculcet & occidat: si non solum nil mali fecisset, sed potius vellet in captiuitatẽ duci, & alapa liberantem percutere, non dixisses sensibus esse destitutum? Audi ô homo, de te narratur fabula: tu ipse es qui à dæmonibus Argel infernalem tuis ligatus peccatis ducebaris captus: venit nobilis filius Dei & in cruce moriens & vulneratus dæmonem vicit, & hic in deserto, & te liberauit: posuit illum sub pedibus tuis, vt conculcares: quæ insania, qualis frenesis, arripuit te, vt iterum atq; iterum dæmoni per culpam subijciaris, alapa Iesum benignum Redemptorem tuum percutiendo, & peccato tuo valde illum inhonorando?

Simile.

Ecce

¶ Ecce angeli accesserunt & ministrabant ei. *Text.*

PRæcedit tentatio (ait Diuus Hieronymus) & sequitur victoria: accedunt angeli recedente maligno, vt victoris dignitas comprobetur. Vince homo, dæmonem & angeli venient adiuuare te, imo in ministerium, cũ omnes sint ministratores in ministerium missi (vt ait Paulus) si caderẽt à latere tuo sinistro mille dæmones tentando & ad culpam inuitando, ne illis cõsentias sed auxilio Christi vulnera illos, nam decem millia angelorum venient in tui auxilium, & erũt à dextris tuis, ait Dauid. Etiam si puer, corpus nempe tuum, tremens cum ministro Eliseividẽs dæmonũ exercitũ, dicat: heu heu heu domine mi Spiritus meus, & quid faciemus? Esto fortis in bello & die illi: noli timere plures nobiscum sunt Angeli, quã ipsi sunt. Est mons plenus equorum, & curruum igneorum in tuum auxilium de cœlo missorũ, imo ipsemet Deus adiuuat te incessanter vt vincas, quia inde magnum honorem reportat, ne sanguis eius amittatur. Quis rex non mittet succursum & auxilium cui cunq; castro suo, si id obsideri cognouerit? Quis princeps bellatoribus suis aut militibus in magno conflictu constitutis sui amore & pro ipso certantibus deesse audeat. Quis præclaram hæreditatem suam ab hostibus capi velit aut patiatur, valens liberare illam? Quis parens adeo crudelis, qui filios charissimos & filias ab hostibus diripi, & captiuari sustineat? Has non solum crudeliter sed infideliter feciſſet. Quis id quod incomparabili pretio emit & multo labore parauit, ita vile habeat & contemnat, vt inimicis suis in prædã vt fiat libẽter patiatur, & quod id inimici illi insultẽt? Ista omnia Guil. Parisi. in demoribus. Quanto magis Deus noster in omni tẽtatione nostra auxilium suum nobis præstabit? Est rex noster & nos castra sua: sumus milites pro sanguine filij certantes: sumus hæreditas filij sui: non liberabit nos? Sumus filij eius charissimi hostibus, nos tradi non dignabitur, si auxilio eius vti voluerimus emit & redemit nos non auro sed sanguine & magno labore acquisiuit: & cõtinebit se à misericordia sua vt tradat nos leonibus rugientibus & ad nos deuorandum præparatis.

*Heb. 1. D*

*Psal. 90.*

*4. Reg. 6. C.*

*Simile.*

*Similia.*

*Fol. 101. c. 3*

Accesserunt Angeli, post victoriam & prædam: quiq; diu in conflictu fuit, illos apparere põ permisit ne abigerent eorum: vt optimus auceps pueros, et si nocentes, abigens: ne impediãt

*Simile.*

captio-

captionem corui desideratam à se & seruis necessariam: vt exemplum nobis esset victoriæ & nigerrimum dæmonem vinceret. Deinde accesserunt Angeli gaudentes de victoria: & vt scias si victoriam contra dæmonem habueris Angelos statim fore venturos magno gaudio ad te suscipiendum in humeris, plaudentes & (vt hic Salmaticæ scholastici cũ cathedram reportante) dicentes: victor, victor, teque stipatorum more vbique comitantes, & palmarum circundantes, & cœlesti musica coram Christo te præ
Luc.16.B sentantes. Sic se habuerunt cum Lazaro post victoriam, quam contra dæmonem & paupertatem & vulnera habuit, patientia omnia vincente & charitate. Angelus etiam custodiæ ad tempus recedit secundum Dei dispensationem, vt cum maligno viriliter pugnemus & maiorem victoriam obtineamus. Et tamẽ cum videas te in periculo consentiendi in malum, inuoca Deũ lachrymis & operibus & Angelum custodiæ, & statim accedet & te adiuuabit vt vincas, si in desertum occasionum pergis fugiens omnia nociua. Ieiuna à vitijs, lapides pœnitentiæ ne in luxum conuertas & si victor fueris, Angeli te in sinum Christi per gloriam portabunt: Amen.

# Feriæ Quartæ Dominicæ Primæ Quadra. Homilia Prima.

Thema. ¶ *Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Matth.12. C.

Text. ¶ Accesserũt ad Iesum quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus à te signũ videre. Qui respondens, ait illis: generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, Matth.12.C.

Sa-

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

QVis magis accesſit ad Ieſum, virtute, humilitate & gratia, quam ſanctiſsima mater Ieſu? Diuiſa fuit ab omni muliere caſtitate & charitate, imo ab omni creatura (de humanitate filij non loquor) ſi virgo dixiſſet Gabrieli incarnationem nuntianti: magiſter, volo aliquod ſignum videre tanti myſterij, denotans illud, & ſi omnia à te prolata vera eſſe credo. Generatio bona & caſtiſsima imo & virgo ſanctiſsima, iam audiſti, imo & legiſti, ſignum velleris Gedeoni datum: prius ros in ſolo vellere fuit & in omni terra ſiccitas: deinde è contra, ſolum vellus ſiccum fuit, & omnis terra rore madens. Ecce ſignum tibi datum virgo immaculata: priusquãdo totus orbis in nocte tenebroſa degebat culpę & ſine gratię rore ſiccus: tu vellus ſanctum fere ſola madida eras & gratia plena. In paſsione tamen filij tui & in maris fluctibus & procella tormentorum in crucis nauicula exiſtentis: totus mũdus ſanguine filij tui irrigabitur, & area caluariana: vnde rore gratię perfuſi erunt homines, morte ſua fide & operibus vtentes: ſola ipſa mater diuini Ionæ Chriſti Domini, ſicca omniq; ſolatio deſtituta manebis iuxta crucis nauiculam, atq; doloroſa: quãuis nunquã à gratiæ rore ſpoliata fuiſti. Nos virgo, ſumus iſta generatio mala & adultera contra filiũ tuũ: ſigna noſtra virtutũ nõ videmus in nobis: quid faciemus domina mũdi, adeo ſicci exiſtentes & in charitate frigidiſsimi? Vt humiliter petamus vt obtineas nobis à Patre, amore filij tui, ſpiritus ſancti rorẽ, dicẽtibus, Aue.

*Iudic. 6. C.*

¶ Acceſſerũt ad Ieſum quidam de Scribis & Phariſæis dicentes: Magiſter.

*Text. M. 31. M. 11. B. 6.*

POſtquam Dominus Ieſus linguam noſtram frenorationis corrigere voluit & oſtendere malum cor, mala verba ex ſe dimittere debere: acceſſerunt iſti Phariſæi ficti ad petendum ſignum, quia valde corda illorum tetigerat, & nolebant audire veritates tam aperte prolatas. Dixerat enim: progenies viperarũ rumpere volentes, viſcera matris veſtræ, ideſt mea, Quia ſicut nutrix infantulum, ſic ego portaui vos in ſinu meo: & ſicut aquila ad volandum ad cœleſtia prouocaui: & modo in ſolutionem,

*Primadicte cenobris.*

*Num. 11. C. Deut. 32. B*

meo

me in Beelzebub eijcere dæmonium affirmatis? Bene, trahseat modo istud: nam ex arboribus malis & toxico plenis, non oportet alios expectare fructus: cũ sitis valde pessimi, quomodo potestis bona verba loqui? Ex abundantia malitię, quam habet cor vestrum necessario debẽt tanquam ex fonte per oris meatum defluere noxia, & talia dicitis qualia thesaurus cordis in se claudit. Ego dico, & verum illud faciam, quod debetis mihi rationẽ reddere, de omni verbo otioso, quod locuti fueritis, quanto magis malitioso.

Ex his Christi sanctissimis verbis soluitur quæstio, quam modo mihi proponere poteratis, vt quid hodie tam effrenes homines sint ad nomen Domini blasphemandum. Et quam inuerecundi homines & mulieres ad creaturas maledicendum? Progenies viperarum viscera matris vestræ ecclesiæ (& si non hæresi saltim peccatis) rumpentes, mandata eius contemnentes: quomodo potestis bona loqui de Deo & creaturis eius, cum sitis ipsi mali, & subuersores? Arbor infructuosa & mala, quos nisi putridos fructus reddere debes? In corde tuo debet esse vna dæmonũ legio mulier maledicta, quid mirum vt nil nisi dæmonum fluctus & flumina, ex tam infernali manent fonte & profluant? Malignicor tuum per multa peccata possident auare, adulter, & iracũde: quid miramur vt officium eorum infernale, nempe Deum blasphemijs ferire, non recedat ab ore tuo? Thesaurus cordis tui serpentibus & rubetis, imo sceleribus & facinoribus refertus est, quid mirum vt mala verba & maledica, & detractoria procedãt de tali Thesauro? Absque dubio mente teneo ex retibus quibus Diabolus ad tartara comprehensos homines & mulieres deducit (si non sunt maiora) esse inter præcipua, blasphemiam & maledictionem: nam cum absq; labore loquatur lingua: assueti his vitijs difficulter ad se reuertuntur.

*Matt. 12. C.*

*Text.*

## ¶ Magister.

MAgistrum vocant ore, cuius nolunt esse discipuli opere. Si est magister & oporteat addiscẽtem credere, vt quid doctrinam eius sine signis admittere non vultis? Ore suo dicunt bene, magistrum vocando patris sapientiam, & corde suo maledicunt, quia odio illum prosequuntur: & signa volunt ab ipso,

*Psal. 61.*

doctrinæ

doctrinæ ſuæ contradicentes. Quam multi hodie ex vobis ad Chriſti doctrinam audiendam acceditis foris, & tamen opere illam adimplere, experientia docet, quod non vultis: vt quid magiſtrum vocatis Chriſtum, ſi non vultis opere quæ per me docet exercere? Magiſter, quid faciendum in iſta emptione, in qua vendidi triticum aut vinum, pannum aut mulam carius quam iuſtum expetebat pretium: quia ſolutionem per annum prolongaui? Prolongaſti iniquitatem tuam, & reſtim, qua ligatus ſis ad inferna, vbi debitor ſis & vnde ſoluas non habeas: quia non licet, etiam ſi decem annos expectes, argentum accipere, vltra iuſtum valorem rei. Audiſti talia, & in domum tuam reuerſus es ſine reſtitutionis cogitatione, ac ſi Chriſtus per os meum talia tibi non dixiſſet: quia omnes ſacri doctores, nemine dempto, affirmant hoc, & omnis ſchola theologorum: vt quid ergo magiſtrum vocas Ieſum, cuius non vis adimplere conſilium? Ergo phariſæus: ſed hos audiamus dicentes.

## ¶ Volumus à te ſignum videre. *Tex.*

MAgiſter nos qui plebeij nõ ſumus ſed nobiles, neq; ignari vt vulgus ſed in lege eruditi & verſati: nõ ſumus tua doctrina cõmuni & humili ſatiati, altiora petimus, cõciones ſublimiores deſideramus. Turbæ ſufficit hæc tua reptans doctrina, tanquam ingenio rudi: noſter tamen animus in ſcientijs & philoſophijs & logicis verſatus, & in legis quæſtionibus: non ſatiatur cõcionibus tuis infimis, & de moribus tam aperte & clare tractãtibus: tolle vocem, altiora intona, ſi ſcis. Nam ſicut debitor es, vt concionator, indoctis humilia & iuxta illorum ingenium prædicare: ſic & doctis & multo melius, vt ſubtilia & naturæ arcana, & cœleſtium ſublimia nobis proponas intelligentibus. Et ſic cupimus ex te videre aliquod ſignum eximium è cœlo proficiſcens, vt corda noſtra ſcientijs illuſtrata deſiderata audiant: & cum affirmes te Deo eſſe charum, oſtendat hoc ipſe Deus aliquo ſigno, vt credamus, teque, quod facis illius virtute facere.

O generatio mala, ſic ſigna poſtulas (ait Diuus Hieron.) qua ſi quæ videras ſigna non fuerant: & quaſi non poſſes & illa

calumniari & dicere, ex occultis & varijs aeris paſsionibus accidiſſe. Nã ſi calumniaris ea, quæ oculis vides, & manu tenes, vtilitate ſentis, attribuendo Beelzebub, quæ Dei virtute facit: quid
*Exo.7.D.* factura es generatio adultera, de his quæ de longe venerint & nõ
*8. p.* videbis, nempe è cœlo? Vtique reſpõdebis, magnum eſſe: dicẽs & magos in Ægypto multa ſigna feciſſe. Volumus à te autoritate propria & virtute ſignum vt facias: nam ſi Deus es, ſignum à te, non ſolum per te ab alio factum, quærimus: cum alterius ope nõ indigeas aut auxilio: alias ſi à te fieri non poteſt, nõ es Deus:
*Luc.11. C.* de quo valde iactanter multoties locutus es: fac ſignum de cœlo, nam vt dicit Lucas, alij tentantes ſignum de cœlo quærebãt. At Ieſus ſciens ſubdolam illorum cogitationem & obſtinatam malitiam, qui non in aliud poſcerent ſignum, niſi vt hinc quoque nouam calumniandi ſumerent occaſionem: cum facilius ſit calumniari quæ de cœlo oſtenduntur, quam quæ coram cernũtur oculis, audiuntur auribus tanguntur manibus: non ferens tã tam peruerſitatem, reſpondit velut auerſus ab illis, & apud ſemet indignans.

*Tex.* ¶ Generatio mala & adultera ſignum quærit & ſignum non dabitur ei.

ONationem malam & adulterinam plantationẽ, quæ ſe gloriatur habere patrem Deum, quæ ſe iactat de progenitore Abraham, cum eos potius imitetur, qui derelicto Deo coluerũt vitulum aureum: qui ſeditionem mouerunt aduerſus Moſem: qui obmurmurauerunt in deſerto: qui prophetas occiderunt: cum ſe declaret patrem habere Beelzebub, cuius ſpiritu plena, reuelat & nunc aduerſus ſpiritum Dei. A dimple menſuram patrũ tuorũ, mala & adultera generatio, nunc ſeditionẽ mouendo contra Dei filium, & detrahendo illum, & illũ occidere cupiens: generatio mala quæ malos fructus facis (vt ait gloſſa inter.) adultera quę dimiſſo viro, Deo nempe diuino, multis te amatoribus copulaueras. Vere generatio illa (ait Caieta.) erat tunc in ſe mala ſecundum voluntatem: & adultera, hoc eſt falſa, ſecundum intellectum: verum Meſſiam non agnoſcens, vero ſponſo non adhærens. Es mala ſecundum voluntatem, quia Deum ſuper omnia non diligis: peſsima, & adultera circa intellectum, cum decepta alium ſequendum & adorandum præter Deum vnum credas,

credas, & de facto facias. Et ſecundum Origenem, adultera, quia imitabatur malos & adulteros patres qui occiderunt prophetas, & fornicati ſunt cum idolis: & ſic mala & adultera generatio ſemper in malo perſtas contra Deum tuum?

Egregie dixit adultera, quia proprium dimiſerat virum (ait D. Hiero.) Deum ſcilicet vnum, & iuxta Ezechielis dictũ, multis ſe amatoribus copulauerat, idola colendo: & ſic mala contra proximos, & adultera fuit contra Deũ. Nam fornicati ſunt cum amatoribus multis in idololatria: vt de illis conqueritur Moſes generatio praua atq; peruerſa, hęccine reddis dñotuo qui creauit & defendit te. O populeſtulte & inſipiens. O anima fidelis, quã vere hoc nomẽ adulterę tibi conuenit, quæ relicto tuo fideli amatore Deo, tot amatoribus, imo lenonibs uimo dæmonibus te copulaſti quoties mortaliter peccaſti, & mala quia voluptatis amatrix magis quã Dei fuiſti, hęc cine reddis dño tuo & creatori? Generatio mala & adultera hunc fructũ extantis meis cõcionibus collegiſti? O malitia quo modo ſapere neſcit: dũ vultis malitiam veſtrã abſcondere, magis eam manifeſtam facitis. Quia cũ multa vidiſtis ſigna, ita ſignum petitis ac ſi nullum vnquã à me ſignũ vidiſſetis: ſed vere nullum vidiſtis cum ſpirituali affectu nõ vidiſtis. O incredulitas quæ ſimile reddis cor (ait D. Chry.) terræ arenoſæ, quæ quanuis pluuiam ſuſceperit & ſemen, quia nullos in ſe tenet humores, ſemper areſcit, & fructum nullũ reddit. O anima incredula & dura obſtinatione, quid tibi prodeſt tantã verbi Dei pluuiam quotidie recipere in te, & ſemen diuini ſermonis? Vbi ſunt fructus? O arena ſicca, ſine gratiæ humore. O febricitans, qui, calore totũ conſumente quod biberat, ſemper adhuc ſitit: quicquid boni bibis aut audis calore mali humoris corrupti, & igne concupiſcentiæ, aut odij (vt iſti phariſæi) corrumpis totum & ſine fructu manes.

Generatio mala & adultera, quo modo facta es meretrix ciuitas olim fidelis? Sicut meretrix virum ſuum ſe fingit amare, vere autẽ amat adulterum: in facie virum in corde lenonẽ habet: ſic & vos iudęi in facie & ceremonijs externis, Deum videmini diligere, & illius cultores veros eſſe: intus autẽ in corde eſtis diaboli amatores. Cũ adulatorie blandiebantur ei, acerrime reſpõdebat & increpabat illos hypocritas vocãdo, & malos & adulteros: cũ iniurioſe eum aggrediebantur, Samaritanum eum vocantes,

D. Hieron. Ezec. 16. D. Iere. 3. A. Deu. 32. Ae Simile. Simile. Iſai. 1. F. Simile. Ioan. 8. F.

humaniſsime reſpondebat (vt ait Euthymius) vt doceret nos maxime fugere adulatores & bilingues, qui ſunt veſtiti ve-
*Deu. 22. B.* ſte lana & lino contexta contra Domini præceptum dicentis: non indueris veſtimento, quod ex lana linoque contextum eſt: lana mollis eſt, linum vero aſperum: non induaris homine, neque habites cum illo, cuius verba mollita ſunt, vt oleũ
*Pſalm. 54.* & mollia vt lana, & ipſa ſunt iacula in corde & lino aſperiora vere: cum multoties veneno ſint iuncta, contra gloriantes ſe de genere ſuo, & virtutem interim abnegãtes, optima eſt iſta Chriſti reſponſio. Generatio Iudaica tunc non erat nobiliſsima inter omnes alias mundi, cum ſola ipſa vnum Deum & verum coleret, ſacerdotio & prophetia & regno illuſtrata? Ecce igitur ab ore Dei audit malam & adulteram eſſe. Ne ſuperbias terra & cinis, ſed virtutibus vaca: nobilitas ſola eſt atque vnica ipſa virtus.
*Ad. Roma. 11. C.* Lege Paulum de oliua & oleaſtro optima, ad Romanos ſcribentem, & alibi nos dicemus Deo adiuuante.

Generatio mala ſignum petis modo à me, poſt tam ſtupenda facta, & miracula hucuſque non viſa? Signum erit, quod non dabitur vobis, vt indignis ſigno cœleſti. Non dabitur generationi peſsimæ, ſignum de cœlo quod calumnietur: nam quę tota terræ fixa eſt, indigna eſt ſigno cœli: ſed dabitur tibi generatio adultera ſignum de terra quo ſis conuicta: quando ſepultus ero & mortuus Deus & homo cum ſim, & ſi conuerti nolueris pereas. Sat erit vobis ſignum, ſi quem veſtra malitia occideritis: videatis ſua virtute reuiuiſcere: & hoc erit vobis ſignum terribile in morte mea. Generatio mala, doctrinam ſublimiorem vultis audire, vt non tangat cordium veſtrorum vitia? Non dabitur tale ſignum vobis à me, ſed dicam vos auaros eſſe ambitione plenos, & væ vobis qui eſtis ſepulchris ſimiles: quia cum quæratis ea quæ non ſunt ſcibilia, nec ad fidem & mores vtilia, non dabitur vobis huiuſmodi ſignum, ſed Ionæ: vt ſicut illum deglutiuit cetus, ſic & vos generatio mala, diabolus deglutiat atque deludat. Et (vt ait Caieta.) nolo ſatisfacere tentationi veſtræ, ſed dare ſignum futuræ veſtræ ruinæ ob perfidiam veſtram & cordis duritiam: vt ex morte & reſurrectione mea, veſter ſubſecutus ſit interitus, & animi obſtinatio, & deuaſtatio, & diſperſio in corporibus per Romanos, vt factum fuit: hoc accipietis ſignum.

Gene

Generatio mala ſigna ſuperbiæ videre cupitis & alta à cœlo prouenientia, tanquam ſi dedignemini me adeo humilem eſſe? Non dabo ſigna ſuperbiæ ſed magnæ humilitatis: & non de cœlis ſed de terra: & quia conciones ſublimes vultis audire intellectum decorantes, & renuitis illas quæ voluntatem ad Dei amorem & virtutum inducunt, & ad fugam vitiorum & pœnitentiam, ideo tale non dabitur ſignum. Hoc idem contingit tibi ò fidelis, vtilia in concionibus audire nolenti, quia contra conſuetudines tuas prauas dicta ſunt & contra vitia quæ amas ardenter: aut contra iniuſtos contractus quibus vteris: aut docent reſtitutionem aut occaſiones peccandi fugere: ſtatim de concionatore affirmas, bene prædicat, non tamen eſt literatus: communia ſunt illa quę populo proponit & infimatur bæ apta: nõ tangit ſubtilia metaphyſicæ, nec quæſtiones theologicas graues. O generatio mala & adultera, verba profunda & arcana myſteria & recondita cœli, audire in concione vultis: cum ſitis ſuper pectora veſtra reptantes ſuper terram & terrena deſideria, vt ſerpens maledictus? Generatio praua atque peruerſa, tale ſignum petis quod tibi non dabitur à me, vſque dum terrena calce conculces, & caput ad cœlum attollas, & vitia ex animo relinquas & ad ſuperna toto corde anheles, omnia mundana contemnens: tunc de ſublimibus cœli pro viribus & poſſe dicam tibi. Modo tamen, inter lutoſa mundi ſtercora degens, ſignum de cœlo & doctrinam abſconditam vis vt tibi proponam? Maiora cupis audire cum minora, nec digito operationis, tangere voluiſti? Sumus nos in ſcientia ſingulares, & inſcripturæ lectione, quid mirum vt ſingulares nobis compo nas conciones? *Gene.*3.C.

O generatio mala & adultera, atque ſingularis in malo, & non vultis in communi harmonia eſſe Eccleſiæ? Excluſi eritis à cœleſti muſica. Vt quid creditis quod Lucifer & ſequaces fuerunt ab harmonia cœli excluſi, atque indignatione Dei expulſi? Quia ſingulares eſſe voluerunt, neque cum alijs ſanctis Angelis ſomnum communem reddere voluerunt: & vos generatio mala, & homunculi terreni, creditis ſingulares eſſe, ideò liam Doctrinam petitis, quam omnibus vt neceſſariam proponimus, & non timetis, ſcindi à cithara Dei & repelli? Eſt muſicus ita patiens, qui ferre valeat fidem altiorem aut profundio-

rem ſonum quam oportet emittentem, neque in ſono debito exiſtentem? Minime: ſed ſi harmoniam non adiuuat, ſcindit illam & à cithara proijcit. Sic & citharœdus cœleſtis fecit cum Lucifero & ſocijs, nolentibus in muſica cœli ſonum debitum reddere, ſed nimis eleuatum & acutum per ſuperbiam: vt fulgura miſit in tartara & ab harmonia cœleſti reiecit in ſempiternũ. Sic Iudæos ſingularem doctrinam petentes & ſignum particulare damnauit: ſicut & miſeros homines nouam concionem eligentes: & approbatam & Sanctorum contemnentes. Vnde in noſtris deplorandis temporibus ſingularis cauſa omnium hæreſum in illis pullulantium: ſingularem doctrinam & nouam eligere homines fuit, abſque dubio, reiecta firmiſsima & veriſsima Eccleſiæ, & Sanctorum patrum concione.

O infœlix natio, quæ peccatis ſuis grauiſsimis onerata, coram Deo tantum demeruit, vt contempta & conculcata Chriſti doctrina & ſignis ab ipſo factis, & Eccleſiæ Sanctæ concionibus ſpretis, & Sanctorum Theologia neglecta: audire meruit placentia & auribus prurientia, à falſis dæmonis Prophetis. Et merito iſta contigerunt illis, noua ſigna volentibus & nouam doctrinam, luxus conſulẽtem: pœnitentiam contemnentem, ieiunia conculcantem, gulam docentem, voluptates ſuadentem. O generatio mala contra mores, & peruerſa contra ſanctam Eccleſiam & fidem, O natio Germanica in fœlix tu quoque Gallia, præcipue ſi fideliſsimum Deo & eccleſiæ Regem non eſſes ſortita: de vobis enim erat, dolore & mœrore plenus, iſte ſermo. Quia vt generatio mala & adultera, alia ſigna quam eccleſia docebat & aliam doctrinam (voluptates nõ prohibentem) quam Chriſtus prædicauit, voluiſtis audire à ſpiritibus mendacibus & falſis concionatoribus. Et quia magis voluptatum amatores eratis quam Dei & virtutis: veram Chriſti, & eccleſiæ ſuæ ſanctæ Romanæ doctrinam noluiſtis: ſed iuxta deſideria veſtra, falſa ſigna & noua elegiſtis, in animarum veſtrarum damnationem & Dei iniuriam & eccleſiæ ſuę detrimentũ: veſtro malo datum eſt ſignum.

Quia vidit Deus animos veſtros peccatis & vitijs deditos, & intellectus veſtros iam deſiderantes nouum ſignum, & ſi falſum & nouam doctrinam (qua conſcientiam veſtram aliquomodo

tace-

facere faceretis in vitijs inuolutam & sordibus contra Dei sanguinem) in tantum, Dei omnipotentis bonitatem, ad iracundiã peccatis vestris (& tam nociuo desiderio inueniendi viam, & si prauam & signum nouum falsæ doctrinæ quo libere ad omnia mala præcipites curreretis, & cum hoc esset de cœlo, ideſt, cœlum promittens falliſsime) prouocastis, vt diceret Dominus in cœlo quis decipiet illas nationes, vt Achab? Egressus fuit spiritus ma lignus Martini Lutheri infernalis Apostatæ & præuaricatoris & hæretici maioris (meo iudicio) contra Dei ecclesiam hucusque insurgentis: etiam si Arrium perfidum, & Manicheum annumeres. Et stetit coram Domino vt alter Sathan: quando triginta quatuor annorum anno decimoseptimo post millesimũ & quingentesimum (vt est videre in historia Ioannis Cochlæi) contra sedem Apostolicam cœpit debacchari, & dixit Domino: ego decipiam has nationes, nolentes, vt Achab, sanam doctrinam Michææ & Ecclesiæ Sanctæ, sed falsorum Prophetarum, & nouum signum vt liberius peccent: & ero dux omnium hæreticorum & prædicatorum infernalium, ad nouas hæreses. 3. Reg. 22. C D. *Vide præfa. Cochlæi. Cap. 1. fol. 2.*

Dixit Dominus. in quo decipies has nationes Martine damnate? In quo? Egrediar à te & à virtute ab Ecclesia à fide & à religione, & ab omni bono & à sana Ecclesiæ doctrina: & ero spiritus mendax in ore multorum Prophetarum & concionatorum Germaniæ (non omnium: multi fidelissimi Deo & ecclesiæ remanserunt tam in Germania quam in Gallia.) Quis dubitat (cõsiderando quæ in illis nationibus facta sunt, & cogitando mala innumera in illis cõmissa contra Deum & fidem tanquam aurum in fornace persecutionis à Deo probati.) Quin dixit illi Dominus: decipies & prævalebis ad horam, maledicte homo, & Spiritus mendax, egredere & fac ita. Permitto tibi non impero vt alteri Sathanæ: vt intres corda mendacium concionatorum, vt tales nationes, vitijs tam turpiter traditas, decipias: cum ipsæ decipi volunt, vt securius peccent sine conscientiæ remorsu. Et quia aliud signum & aliam doctrinam petisti generatio mala & Deo tuo adultera, signum mendacium habeas, & vero, & bono careas: doctrinam decipientem audias, quia veram cõtempsisti, & opere adimplere renuisti.

Quando talia, siccis oculis, de alijs nationibus scribo, cor

meum de duritia magna reprehendo, & velim inter duas illud ponere lapides, vt sanguinem emanaret ob Dei honorem & Ecclesiæ sanctæ dolorem: & de nostra castissima Hispania in fide, & doctrinam veram sectante cogitans adeò permanente (ob fidelitatem regis, post Dei auxilium & Diui Iacobi patroni nostri dignissimi) in obsequium Christi & summi pontificis, perseuerante in Apostolorum concionibus & nullum aliud signũ nouum quærente, nisi quod Romana Ecclesia docet: non possum non intimo corde gaudere, & me tanquam Hispaniæ filium debitorem magnum erga Deum recognoscere, ob tam eximium beneficium nationi meæ exhibitum: cui talem regem donauit Philippum Christianissimũ, & officium de cœlo missum sanctæ & venerandæ inquisitionis. Gaude & lætare generatio casta & in fide fidelis Hispania, & laudes Deo verbo & opere possibiles redde, & caue à causis perditionis in alijs nationibus inuentis. Caue à vitijs, caue à doctrinis & signis nouis & non auditis, ne in laqueos incidas Satanæ: sed sequere fide & operibus sanctam Romanam Ecclesiam. O vtinam & modo ille Dei concionator, egregiusque doctor Paulus ò Germania, vas electionis, tuas intraret Ecclesias, iam non Ecclesias: ille ter virgis cæsus, semel lapidatus, vitam in ieiunijs degens, in frigore & nuditate: ille quem à charitate Christi neque mors neque vita separare poterant: ille qui sic fidem laudabat, tamen illam quæ per charitatem operabatur: intret iam in templa vestra, venite omnes ad audiendũ illum miseri Germani, dicat vobis magno cum imperio & dolore. O generatio mala & insensata, plusquam Galatia, quis te fascinauit non obedire veritati Christi & Euangelij, & doctrinæ Apostolorum? Quis te fascinauit, vt doctrinam sanam reliquisses, ob quamtot maiores tui sanguinem effuderunt, & vitam ob virtutes & pœnitentiam & ieiunia & sacramenta, & amore sanctæ Romanæ Ecclesiæ non dubitauerunt manibus tradi nocentium & Christi amore, subire tormenta, & crucis illius dolenda quodammodo pati?

*Ad Roma. 8.G.*

*Ad Galat. 5.A.*

Quare audiens tales prophetas mendaces à Deo non missos, & concionatores fallaces, non dixisti exclamans cum Dauid: Domine, adiuua me, narrauerunt mihi iniqui fabulationes & friuolas fabulas, sed non vt lex tua sancta, quam patres mei docuerunt me olim. Quis te fascinauit nõ obedire veritati, cum an

*Psal.118.L.*

te

te oculos tuos Iesus Christus proscriptus est: idest proscriptio Christi qui damnatus est in mortem, adeo vobis manifesta fuit, ac si ante oculos vestros fuisset & in vobis crucifixus est, idest in intellectibus vestris, erat Christi crucifixio, ita vt sciretis fide, qualiter facta esset. Vnde si eam non videtis modo, sanis operibus seruiendo, sed malis Deum offendendo, nec obeditis veritati Ecclesiæ: hoc contingit, quia estis ludificati & fascinati. Currebatis bene generatio misera & dolenda in vestris progenitoribus, quis vos impediuit, ne viam mandatorum Dei curretis? Portabit iudicium, & iam durissimum portat infernalis hæresi archa vester Martinus, ab anno quadragesimo sexto, à die decima septima Februarij obitus sui execrandi, pœnas inenarrabiles sustinet: & quicunque suam execrabilem secutus fuerit doctrinam, ad locum damnatorum veniet. *Ad. Gala. 3. A. 1. Tho. ibi. Coelile. in actis Luth. 1546. foli. 294.*

O generatio misera, aliud signum quam pœnitentiæ & virtutum & sacramentorum voluisti? Miror quod sic tam cito, trãslati estis ab eo qui vos in gratiam vocauit Christi, in aliud Euãgelium, quod non est aliud: quia Euangelium quod Christus prædicauit, amorem & terrorem simul docuit, fidem & charitatem, credere & operari. Sed licet nos (ait Paulus) aut alius concionator, imo & Angelus Dei de cœlo descendens, Euangelizet vobis aliud Euangelium aut aliud signum præter quam quod Euangelizauimus vobis, Anathema sit, excommunicatus maranatha, à gratia & à cœlo separatus: cum scriptum sit de lege veteri, quanto magis de noua: maledictus erit à Deo & sanctis eius, qui non permanserit in sermonibus legis per fidem. Et sufficit credere? Minime: sed maledictus etiam, qui eos opere non perfecerit. Et dicet omnis populus tam cœlestis quam terrestris & infernalis: Amen, ita fiat, ita sit, & erit certe. Et qui fecerit legem Dei, & docuerit, magnus erit in regno cælorum. Amen. *Ad Gal. 1. B Deu. 27. D.*

# Homilia Secunda.

¶Signum non habitur ei.

CAuete fideles ne aliam doctrinam, quam Eccleſia de ieiunijs docet, petatis: nec de contractibus & emptionibus: timete & vos concionatores, aliã nouam docere quam Eccleſia & concilia ſacra & doctores ſancti docuerunt: neque aliud Euangelium quam Chriſtus Dominus docuit: Alias contra vos veniet maledictio illa tremenda, in fine Apocalypſi à Chriſto poſita, & contra omnem hæreticum, aliud ſignum & aliam doctrinam,
Apo.22. D quam Eccleſia docet, quærentem. Conteſtor omni concionatori & omni audienti verba prophetiæ libri huius, & Euangelij ſacri: ſiquis appoſuerit ad hæc, contra ſenſum verum illius, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſiquis diminuerit, tollendo ieiunia, aut opera, aut alia quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de Eccleſia ſua. Caue concionator, talem maledictionem: & tu natio Hiſpanica ne petas ſignum nouum & doctrinam peregrinam, ſi non vis fieri mala & adultera, diſce ab alijs nationibus. Nam quia appoſuerunt ſacræ ſcripturæ ſibi nociua, & diminuerunt neceſſaria, nempe opera & pœnitentiam & ſacramenta: & voluerunt alia ſigna, miſeræ nationes prauæ, quam virtutum & bonorum operum: ideo abſtulit illarũ partem Deus de libro vitæ, & appoſuit ſuper eas plagas & minas in Euangelio contentas, cõtra tales: & merito quia aliud ſignum quam Deus in Euangelio dedit petierunt, ne virtutibus ſed voluptatibus vacarent.

Sed omittamus alias nationes prauas, de quibuas quo ad hæreticos, nec Deus nec rex volunt mentionẽ fieri: ego nec memor ero nominum illorum per os meum: ſed, ſi aliquis ſum, orabo Dominum meum vt deſtructis erroribus eorũ vniuerſis, ad ſanctam Eccleſiam Romanam reducere eas dignetur vt ſalui fiant homines illarum ne in eis ſanguis Chriſti, fruſtra ſit effuſus. Ad te Hiſpana natio, verbum meum dirigitur, & ex parte Dei conteſtor

teſtor te, ne alia ſigna petas neque doctrinam præter illam quã Chriſtus docuit, & collegium ſacratum Apoſtolorum prædicauit & ſanguine confirmauit & Eccleſia credit, cõcilia tenẽt. Ob quam tot martyrũ candidatus exercitus mortem oppetiui t:anti confeſſores & virgines ieiunijs & vigilijs & pœnitentijs approbauerunt, Sequere Eccleſiæ fidem & monita, credendo firmiter & operando fideliter: vt ad te Chriſtus verba ſua non dirigat, generationem malam vocando in moribus, & peruerſam & adulteram. Ego autem (Dei adiutorio) aliud Euangelium quam Chriſti, non prædicabo: nolo vt Paulus Anathema tizet me, nec Moſes maledicat, nec Ioannes apponat plagas libri ſui ſuper me: ſi alia ſigna luxus & remiſsionis vultis à me audire, ſigna erunt quæ non erunt collata vob:is & infœlix concionator qui talia dederit: & ſuper petentem aliam doctrinam venient omnes inferni plagæ, & ſignum erit, quod non dabitur vobis à Chriſto neque à Paulo, neque à me: ſed ſignum filij Dei patientis pro omnibus nobis in crucis nauicula.

Nolumus (dicetis mihi forſan) aliud ſignum nec aliam doctrinam quam veram & quam Eccleſia Romana docet: tamen volumus vt altiora & ſubtiliora proponas nobis verba, velut literatis & Philoſophis & ſubtilioris ingenij: ſunt valde humillima & infima & ſolis mulierculis quæ doces: & intellectus noſter, recedit à tua concione ieiunus. Generatio mala, maiora vultis audire & altiora & legis grauiora, cum minima implere adhuc noluiſtis? In terrenis deſiderijs ſepulti eſtis, & vultis vt iacula verbi Dei per aera volitent & à cœlo ſint ſigna vt non tangant corda veſtra reptantia ſuper terram? Non erit tale, ſed iuxta prauas conſuetudines veſtras, ſic & mea doctrina erit: & ſecundum infirmitates ſic & medicinas apponam. Minora legis noluiſtis opere adimplere, & vultis vt maiora & cœleſtia vobis proponam? Eſt ne magiſter adeo inſi- *Simile.* piens, qui puerum prima elementa ignorantem, ad legendum linguam latinam transferat? Prima elementa fidei non vultis operari, & altiora & recondita legis vultis à me audire? Eccleſia Dei eſt valde ſapiens & quæ nos docet neceſſaria: ego, hominum minimus, ſum modo, loco illius, verba diuina docendo: dicetis cum phariſæis, Magiſter, volumus ſigna altio-

altiora. Ego ex parte Eccleſiæ volo lectionem accipere à vobis ſcholares, malitia pleni & virtute vacui, ab his quæ docuit vos huecuſque in hoc ſacro ieiunio quadragenario : & ſi iam ſcitis quæ docuit opere adimplendo, tranſibimus ad altiora, & magis recondita: ſin minime, generatio mala vt quid ſignum de cœlo petis ? Signum erit quod non dabitur vobis.

Eccleſia ſancta in feria quarta cinerum, docuit vos elementa & literas agnoſcere primas, nempe abecedarium fidei, & quam libet literam perſe agnoſcere : hoc eſt quomodo corpus veſtrum cito ſeparandum eſt ab anima per mortem: & hoc in impoſitione cinerum docuit, & vos iam audiſtis, quid ſuper hoc diximus : ſcholares & pueri centum annorum, ætate grandæui, virtute pueri : didiciſtis hanc lectionem Eccleſiæ ? Cogitatis de morte continuo ? Eſtis memores nouiſsimorum veſtrorum, & ideo non peccatis. Terra & cinis, eſtis iam humiliati ? Nihil minus: ſed ita ſuperbi & vitijs dediti : vt ante lectionem, ſumus. Generatio mala, minima nondum didiciſtis nec prima rudimenta fidei, & quod pueri ſciunt, nempe vos cito in cinerem per mortem conuertendos: & ſigna maiora petitis, & conciones de Deo ſupremas, & de cælis & ſtellis & Angelis? Diſce primum de morte cogitare fructuoſe & deinde ad altiora properabo. Iam lectionem cineris ſcio, iam cogito vere me cito moriturum, vnde vt fræno à vitijs retardor, legi Di-
*In epiſt. ad Pauli. infine inuenies in prin. 16.* uum Hieron. dicentem: facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum lege mihi aliam altiorem lectionem.

Iam Eccleſia ſancta, à ſancto ſpiritu edocta, in ſexta cinerum feria de literis iungendis, aliam ſublimiorem & obſcuriorem lectionem tibi tradidit: & nos in nomine ſuo: nempe vt corda diſſonantia & ſeparata odio & iracũdia, per amorẽ verũ & dilectionẽ non fictam: iungatis in vnũ Deum, & vnũ velle & nolle, diligendo vos ad inuicem & benefaciendo. Dicite mihi pueri tẽpore nõ, ſed virtute & charitate. Reſpõdete Eccleſiæ ſcholares: executioni mãdaſtis hanc ſanctã Dei lectionẽ, & ſcitis iã illã, corda veſtra odio ſeparata in vnã dilectionẽ iungendo? Si didiciſtis iã illam & inimicos diligitis & literas cordiũ iungere voluiſtis : ad aliam lectionem in nomine Dñi & Eccleſię tranſibo, altiorẽ & obſcuriorẽ. Alias, ſi adhuc corda veſtra odio feruent: ſi vindictã

iræ

iræ igne, totis vitibus obtinere nituntur: vt quid inferni ſcholares, aliud ſignum petitis, & conciones de rebus ſublimioribus, generatio mala & odio plena, adultera & ſine fratrum dilectione quæritis? Signum erit & concio, quam vobis non dabo, vſque corda veſtra dilectione & amore iuncta & vnita, vt Deus & eccleſia iubet, viderim experientia.

Iam inimicos diligimus: ſaltim ob vtilitates à te nobis propoſitas, ex inimicorum dilectione prouenientes: & præcipue quia Deus iuſsit, & veniam peccatorum ob id nobis promiſit: doce altiora, da ſignum de cœlo: & concionem de perſonarum diuinarum diſtinctione & eſſentiæ diuinæ vnitate, & filij Dei inenarrabili conceptione. Prædica nobis ſapientibus & literatis ſecretiora, quã vulgo quotidie proponis. Eccleſia ſancta, mater mea chariſsima, dominica præterita ad linguæ Latinæ lectionem trãſiuit, docens vos cum maligno dimicare (rem valde laborioſam & obſcuriſsimã) & Dei exemplo & adiutorio; de illo & vitijs victoriã reportare: vnde angeli ſeruiãt vobis vincentibus. Quomodo legiſtis talem lectionem, occaſiones fugiẽdo, ad deſerta loca, orationi, & lectioni dedita pergẽdo, ieiunijs & obſecrationibus à Deo obtinẽdo: vt diabolũ vincatis, & coronã vitę victoribus repromiſſam nõ amittatis, ſed viriliter pugnãdo vſq; in finẽ illa ſitis decorati? Quid à tam ſuprema lectione, Deo optimo exiſtente magiſtro, didiciſtis ò homines? Quomodo praua cõſortia fugiſtis, & in deſertũ perrexiſtis? Victoriã cõtra dęmonẽ habuiſtis ieiunijs & pœnitẽtia? Cogitaſtis corde intimo, lectionẽ, quã nudius tertius, eccleſia propoſuit, de iudicio tremendo operando recte, legiſtis? Et ſententiam illam terribilẽ timuiſtis, ite maledicti vt in omnibus charitatẽ inſinuare nõ dubitetis, & in ſanctis operibus exercitiũ incunctanter habeatis? Si nil de tã diuinis lectionib⁹ didiciſti, nec opere adimplere voluiſti: quid petis homo audax, generatio mala? Signũ de cœlo, & cõciones de beatitudine, & gloria ſuprema tractãtes? Quãdo perfectus virtuteq; decorat⁹ fueris, talia à me audies: interim ſignũ aliud nõ dabitur tibi, neq; aliã à me cõcionẽ percipies: niſi de ventre ceti, & inferni ſtomacho, & dæmonis fouea, omnes pecatores deuorante, vt Ionam deglutiuit ballæna.

Conciones ſine terroribus & ſine iudicio, & pœnarũ inferni memoria, vis ò homo, & adultera anima? Sine iudicio es, & ſignum

num tale nõ dabitur à me tibi. Durã & nimis rigidã prædicatio nẽ ieiuniorũ iudicas, & illã quæ de parcendis inimicis & Dęmonibus vincẽdis, tractat, miſer peccator certe cũ Eccleſia ſancta in ceſſanter tibi proponã illa, ne anathemate Pauli percuſſus ſim: quo aliud Euãgeliũ prędicantẽ merito percutit, quã illud quod ipſe docuit & Eccleſia Romana tenet, & ſãcti doctores docuerũt: Generatio mala adulteraq; Iudęorũ (poterat Chriſtus dicere) ſignũ petis de cœlo, quod ego faciliter, ſi libuiſſet, dare poterã cõtra te, meritis tuis dignũ: vt fuit illud quod patri tuo Dauid, Iona-
1. Reg. 20. G thas dedit de ſagittis miſsis iuxta eũ ad oſtẽdẽdã irã Saulis patris ſui cõtra Dauid. Satis euidẽs cælicũ ſignũ cõtra te populę Iudaice, miſſum à me vero Ionatha, ad oſtendendã irã patris mei cœleſtis contra te eſt: triũ ſagittarũ quas ad te percutiendum, imo & fere deſtruendum, ieci. Quarum prima, prophetiam tuã proſtraui, vnde conquereris dicẽs: iã non eſt propheta in me, & me
Pſalm. 73. nõ cognoſcet amplius (verbis ipſius Dauid vtens) Deus: ſagitta dura percuſsit me, & ſigna noſtra de pietate & clementia Dei erga me nõ video. Cõfirmat & hoc ſignũ irę patris mei, alia ſagitta quã cõtra vos generatio mala proieci, & illa regnũ veſtrũ deſtruxi & in poteſtatẽ Romanorũ tradidi: & tertia ſagitta ſacerdotiũ (quod magis dolendũ eſt) veſtrum confixit, & pontificatum perpetuum in tẽporalẽ & venalem reddidit. Ecce ſigna de cœlo allata, quibus digna es generatio Iudaica peruerſa: aliud recõciliationis cũ Deo nõ accipies nec tibi dabit, à me filio Dei modo,

Et vos fideles, qui Iudicij minas audire non vultis, nec terrores, vobis inceſsãter peccãtibus, reſeruatos: cũ quieſcere à peruerſa actione nõ vultis, neq; diſcere benefacere: cũ hoc ſigna de cœlo & de beatitudine audire à me petitis? Dicat vobis Chriſtus, accipite ſigna, quibus oſtendam vobis, patrem meum, contra vos valde iratum eſſe: ob facinora veſtra & ob parum fructus quod ex lectionibus & concionibus prioribus, animabus veſtris collegiſtis. Ego ſum Ionathas filius regis cœleſtis, cuius anima conglutinata eſt amore cum tua: cum primum vidi te ò homo fidelis in baptiſmate ablutum: qui & interpello pro te ad patrem
Roma. 8. G (vt Paulus dicit) & iram illius mea manſuetudine compeſco, ne iuxta delicta tua ſis punitus: ſed vt parcat tibi & viuas. Tamen ſigna cupis vt ſcias, an pater meus iratus ſit contra te? Accipe tremenda, & illis intelliges patrem meum decreuiſſe vitam æternam

nam tollere à te: si in tali mortalis culpæ statu, vt modo es, inuentus in morte fueris. Primo sede iuxta me lapidem angularem, consideratione debita & cordis attentione: mittam ego aduersum cor tuum tres sagittas. Prima erit de mortis consideratione: quam, feria quarta cinerum, per totam Ecclesiam ad fideles meos misi. Et si illius timore nõ surrexisti à vitijs & ad pœnitentiam confugisti: emittam secundam terribilem sagittam Iudicij aliquando, contra teà me missam omnium iudice: & ab Ecclesia feria secunda præterita admonitam. Væ tibi erit si tali telo perterritus, delicta non abhorruisti, & ad virtutes confugisti vt liber à tali ictu euadas. Tamen si nil horum, iram patris tibi innotuit, & indignationem tuis culpis debitam: iacio hodie tertiam terribilissimamque sagittam, infernum & pœnas æternas minantem, per ventrem ceti signatam, in qua Ionas deuoratus per triduũ fuit. Et dicam tibi: ecce signa à me data, aspice mentis oculis sagittas terribiles mortis & iudicij & inferni, à me coram te missas: vt intelligas iram patris mei contra te peccator, esse vehementem: quid cogitas faciendum? Quid faciam Domine mi?

Quid fecit Dauid quãdo ab amico suo Ionatha audiuit, (post fletum amborum & osculum ad inuicem datum,) vade in pace? Surrexit Dauid & abijt in Nobe ad Achimelech sacerdotem: qui dedit illi panes sanctos, & gladium Goliath (vt in libris regũ legimus) & sic ab ira Saulis regis euasit. Audisti ô homo, patrem meum iratum esse contra te. Osculati sumus ad inuicem aliquando ego & tu osculo pacis & gratiæ: modo tamen inimicus meus & patris, peccato tuo factus es. Fleui ego sciens animũ patris mei indignatum esse, & merito, contra te frater mi, quando in cruce passus sum: & modo libenter lacrymis essem perfusus, si ad honorem Dei patris & vtilitatem animæ tuæ opus esset. Plora ipse, qui sic malis tuis benignitatem Dei prouocasti: surge à vitijs, vade in pace animæ, contritione vera habita & obtenta, ad sacerdotem vere omnia peccata tua confitendo: & absque dubio ipse dabit tibi absolutionem à culpis, virtute passionis meæ: & deinde panem sanctum corporis mei, & arma gratiæ & virtutũ & donorum, quibus mortẽ euadas & patri meo re cõcilieris. Ista signa tibi dabo, vtere illis in bonũ amore sanguinis mei: nã valde gaudeo, quãdo amicũ patris mei cerno re esse. 1. Reg. 21

Gene-

1.*Cor.*1. C. Generatio mala & adultera iudaica, ſemper ſigna petens (vt
*Gen.*4.B. Paulus ait) ſignum Cain bene poſſem tibi dare, & optime cõpe
tit malitiæ tuæ & inuidiæ, quã contra me exercere non vereris:
nempe vt caput tuum ſemper in motu eſſet, aut (vt ait Lyra) tre-
morem horribilem omnium dedit illi membrorum (vt commu-
niter dicitur) & quod in faciem Cain ſignum impreſsit, quo ag-
noſcebatur ab omnibus, fratrẽ ſuũ innocentẽ occidiſſe: & ſic abo
minabilis ab omnibus reddebatur. Ita & tibi dari poſſet tale ſig
nũ generatio inuidia infecta & malitia plena, cõtra me fratrẽ tuũ
Abel innocentiorẽ, quẽ in agro baculo crucis occides certe, cõtra
quẽ ibi pendentẽ capita mouebis. Digna es, vt caput dignitatis
moueas & tremorẽ terribilẽ in mẽbris tuis & filijs ſentias, & ab
omnibus nationibus illuſa ſis, & agnita, tanquã fratricida, imo
Deicida: vnde ab omnibus abominabilis facta es. Hoc idẽ ſignũ
erit contra omnes fideles, odientes fratres & deſiderio, aut ver-
*Gene.*9.B. bo illos occidentes. Signum fœderis inter me & Noe poſui, ve-
rum eſt: ſed hoc, poſtquam mundi cõcupiſcentiæ, aquis diluuij
abſorptæ erant: tamen generatio mala, modo magis ferues cõ-
cupiſcentia occidendi me Deum verum, & auaritia & ambitio-
ne, quam vnquam: ſignum fœderis tale nõ dabitur à me vobis,
ſed ſignum belli & deſtructionis à Tito adimplẽdum. Sicut nõ
accipient ſignum pacis à me, fideles, in concupiſcentijs ſuis ſem
per viuentes: etiam poſtquam non aqua, ſed ſanguine meo illo-
rũ concupiſcentias, multoties, in ſacramẽto pœnitentię extinxi
atq; deſtruxi, ſi non reſipiſcũt in tempore: nam in diluuio aqua
*Pſalm.*31. rum multarum & tormentorum inferni poſt vitam, ad me non
approximabunt per gratiam omnes in mortali diſcedentes.

Generatio mala, ſignũ de cœlo petitis à Domino cœli? Mul-
*Exo.*45.*G.* ta ſigna in Ægypto per manum ſerui mei Moſi, in obſequium ve
ſtrum, & pro liberatione veſtra, contra obduratum Pharaonem
feci: ſi vultis vt veniant modo contra vos locuſtę & bruchus, ſcy
niphes & grando, ranæ & tenebræ, ſanguis & mors primo-
genitorum: certe digni eſtis ſimilibus ſignis: quia magis du-
ri & obſtinati modo à me reperti eſtis, quã Pharao & Ægyptij
à Moſe duce veſtro. Et magis Dæmonis ſerui, in luto auaritiæ
& voluptatis lateribus, quam tunc Pharaonis, eſtis. Fecit Mo-
ſes magna ſigna in liberatione noſtra: in diuiſione maris rubri
virgæ percuſsione: eduxit aquam de petra & manna de cœlo de

dit

dit patribus nostris: volumus à te tale signum videre. Generatio mala, maiora signa dedi vobis & dabo etiam, & multis ex vobis nil proderunt. Maius signum est crucis virga corpus meum aperiri, ex quo flumina sanguinis rubri fluãt, vt aquam viuam gratiæ conferant, quam mare diuidi. Maius signum est, lancea latus meum percuti & inde sanguinem & aquam exire, ad sacramentorum institutionem & ad potum omni credenti, & corpus meum in cibum præbere; quam de petra aquam & manna de cœlo dare vobis. Ecce signa quæ vobis dabo, & nihilominus generatio mala, semper rebellis es contra me?

Quid de perfidis Iudæis conquerimur fideles, similia contra Deum quotidie facientes & Christo ingratissimi existentes? Diuina signa in liberatione nostra à diaboli captiuitate fecit Iesus, & quota hora facit: ipsemet dux noster est, per sanguinem suum animas nostras pertransit, non per mare rubrum: cibo corporis sui & sanguinis potu refrigerat illas. Nos tamen, in auaritiæ luto & voluptatis lateribus, sub dæmonis ditione, magis volumus esse serui miseri, quam Dei filij, tanquam insani & iudeis duriores. Quid amplius debuit facere filius Dei & nõ fecit? Quę alia signa dabit vobis, nisi vt veniant contra vos illa quæ contra Ægyptios olim venere & plagæ illæ? Venient absque dubio, contra omnes animas in tenebris peccatorum à vita migrantes; crudeliores ranæ, molestiores muscæ, & horribiliores inferni tenebræ: & merito, cũ tantis Christi signis vti vt decet noluerũt.

Iosue dixit, sol sta, & luna ne moueatis: & factum est, donec de inimicis suis vltionem acciperet, steterunt. Magister, volumus à te tale signum de cœlo videre. O generatio mala & adultera, signum Iosue de Sole & Luna quæritis à me, quando stetit sol in medio cœli, & nõ festinauit occumbere spatio vnius diei, donec vlciscereturse gens de inimicis suis, & Dei inimici confusi & victi manerent. Accipite aliud signum diuinius & vtilius vobis: ecce me solem iustitiæ stantem in medio vestrũ, non per diem tantum, sed per triginta tres annos, radios verbi mei, & charitatis erga vos diffundentem, quousq; feria sexta maioris hebdomadæ, in die belli fortissimi, contra dæmones & peccata vestra; ego sol iustitiæ in cruce clauis affixus stem, & luna mater mea iuxta crucem meam consistat: donec gens humana de inimicis suis peccatis & dęmonibus vlciscatur prolibito. Si non est *Iosu. 10. C.*

*Ioan. 19. E.*

vt vos, generatio mala, quæ vindictam quam de inimicis vestris, meo auxilio accipere debebatis: de me in illo die assumere temerario ausu ne veremini. Et multi fideles infelices, qui solis luce & mea passione abutentes: contra me peccatis suis insurgent, inimicis suis seruitia multa exhibentes: o generatio adultera.

Sol reuersus est decem lineis, per gradus quos descenderat ali
4. Reg. 20. A. quando, in signum salutis Ezechiæ datum: si nos infirmi sumus,
Isai. 38. A. vt fateris, volumus, à te tale videre signum. Generatio mala & valde infirma, inter manus tale signum habetis, & non intelligitis, nec vultis vt ne bene agatis. Ego sol cœlestis descendi per gradus vsque ad sumptionem carnis vestræ, & nubem humanitatis, qua sum rectus, vt pater promisit: solem nube tegam,
Ezec. 32. B. dicens per Ezechielem. Descendi inquam, exinanitus formam serui accipiendo, vt vos sanitatem spiritualem reciperetis.
Ad. Philip. 2. A. Qui tamen, nec infirmitatis vestræ & vilitatis recordati estis cum Ezechia rege: nec peccata ploraſtis, sed insuper calum niandi gratia signum petitis. Generatio freneſi percussa, si tale signum vobis non sufficit nec vllum aliud satis erit. Sicut & fidelibus meis: si me solem iustitiæ, descendisse vsque ad illos per humanitatē, & infirmum lepra in cruce manere, vt salutem animarum recipiant: illis non prodest, vt salui fiant & duritiam cordis à se reijciant: non expectent aliud signum à me, nisi sacramentorum, quo animæ infirmitates tolluntur: alias terribilem in iudicio me videbunt, boni hilarem, ad illis beatitudinem dandam: Amen.

# Homilia Tertia.

¶ Signum non dabitur ei.

VOLVMVS à te signum de cœlo videre, vt experimento capiamus te ab alto veniſſe: Elias non
4. Reg. 1. B dixit, si homo Dei sum, ignis de cœlo descēdat, & deuoret te & quinquaginta milites tuos? Fac & tu similiter. O generatio mala, quæ pro dentibus gla-
Prou. 30. B. dios habet acutos, cor vulnerantes: signum tale de cœlo contra

vos

vos dare facillime poſſem, vt ignis deſcenderet, & deuoraret vos contra me rebellantes, & Deum, non Eliam contemnentes: certè digni tali ſupplicio eſtis. Tamen mea bonitas, veſtram malitiam non conſiderans, vertit hoc ſignum terribile in bonũ: & ſic ego ignis omnia deuorans nociua, & conſumens, ſine mei detrimento, vt ignis facit, veni de cœlo charitate ardens, vt corda veſtra amore ſuccendam igne gratiæ, quia frigidiſsima ſunt: quia ignem veni mittere in terram cordis humani, quid aliud magis volo, quam vt ardeat charitate. Generatio fidelis, eſtote charitate incenſi, alias ignis deuorabit vos & gladius. Magiſter, volumus à te ſignũ videre de cœlo: vt in diebus Samuelis, quando æſtiuo tempore, contra naturam loci cœperunt mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere (vt ait Hierony.) O generatio, me in regem nolens, quã digni eſtis, vt hoc tempore quod vobis æſtiuum videtur & quietum: & in hac die, quæ ad pacẽ eſſe tibi videtur, vt plorabo ſuper te, in bello magno exiſtente: mugitus leorum, & rugitus animalium, contra vos venirent, & tonitrua de cœlo: tamen aliquando venient contra vos, & fideles nolentes me in anima, tanquam regem per gratiam poſſidere, ſigna terribiliſsima in ſole obſcurato, & in luna ſanguinolenta, & in ſtellis de cœlo cadentibus, & minantibus: interim ſatis vobis ſit in ſignum clementiæ meæ, ad pœnitentiam expectare vos, nec terram iubere vt deglutiat tam Dei inimicos.

*Deut. 4. Ab Hebr. 12. C. Luc. 12. F. 1. Reg. 12. C. Luc. 19. F. Luc. 21. E.*

Si Rex Aſſuerus, virgã non extenderat, in ſignũ reconciliationis, nemo accedere ad illũ audebat: quãdo omnes Iudæos morti adiudicauerat. Generatio mala melius modo quam tunc digni eſtis morte, quia me vitam veſtram ad crucem damnabitis: tamen pater meus dabit vobis nobilius ſignum, quando in virga crucis extendi me ſinat in ſignum reconciliationis: & miſer Iudas diſcipulus meus qui tradet me, dabit vobis ſignum oſculi, vt percutiatis & ligetis me: non petatis à me ſignum de cœlo, quandiu valdè terreni eſtis. Et quod ſignum magis ſublime de cœlo vobis dari poteſt, quam me Deum cæli hominem fieri in terra, vt à terrenis in cœleſtia deducam vos, & hoc ſanguinis mei & vitæ diſpendio? Quod ſignum maius, quam Deum flagella pati, vt caſti viuatis in hoc ſeculo? Deum mori, vt viuatis, ſecundum humanitatem? tunc videbitis ſigna magna in ſole & luna. Moſes dedit nobis ſignum ſerpentis ænei,

*Esther. 4. C. Matt. 27. B. Num. 21. C.*

vt illo viſo, percuſsi ſanitatem reciperent: ſi nos peccati veneno vulnerati ſumus, da nobis tale ſignum de cœlo, vt ſalutem conſequamur. Generatio mala, tale ſignum in morte mea ipſe præſtabo: nam ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis in cruce, vt omnes male habentes, qui me fide & charitate reſpexerint, ſani ſint à quacũque tenea tur infirmitate: & in cruce multa ſigna faciam. Si inueni gratiã in conſpectu tuo Domine (dicebat Moſes) obſecro vt gradiaris nobiſcum (populus enim duræ ceruicis eſt) & auferas iniquitates noſtras atque peccata, noſque poſsideas. Reſpondit Dominus: ego inibo pactũ videntibus cunctis, ſigna faciam quæ nunquam viſa ſunt ſuper terrã, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iſte in cuius es medio, opꝰ Dñi terribile quod facturus ſum.

*Num.3.B.*

*Exod.34. A.B.*

O Chriſte Ieſu (etiam ſi indigniſsimus ſum omnium hominum) obſecro te vt gradiaris nobiſcũ in via huius vitæ, laqueis & dolis plena: da nobis auxilium de ſancto, quia vana ſalus hominis. Populus enim duræ ceruicis eſt modo fidelis, ſicut olim Iudaicus, & contra te rebellis: auferiniquitates noſtras atq; peccata, & poſside nos in gratia. Iam Domine mi, reſpondiſti facto atque dixiſti: ego inibo pactum vobiſcum, videntibus cunctis in morte mea: ſigna faciam in cruce ad vtilitatem veſtram: quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus Chriſtianus opus Domini terribile. Diuus Auguſt. affirmat crucem Chriſti non ſolum fuiſſe lectum in quo medela noſtris infirmitatibus cauſata eſt (ſi nos impedimento non ſumus) ſed etiam cathedram, vbi magna atque valde neceſſaria, nobis documenta reliquit, miſericors & miſerator Chriſtus in illa pendens. Omitto miranda ſeptem verba à Domino ibi prolata, ſuo tempore à nobis interpretanda, & ſolum ſigna quæ ſine verbis Chriſtus in cruce fecit (in quibus totius vitæ noſtræ perfectio conſiſtit ſi illis digne vtimur) proponam vobis, & cuilibet veſtrum tacens Dominus, ſigno dicat. O homo, vis in vitam ingredi æternam? Tria tibi neceſſaria ſunt: primum vt cum Deo tuo te vt decet habeas, deinde cum proximo, & poſtea tecum. Quid me oportet facere, vt Deo in omnibus placeam & adimpleam ſibi debita? Vt in omnibus patri meo obedias. Magiſter, volumus à te ſignum tale videre, de cruce hanc obedientiam oſtendens & nobis proponens.

Ecce

Ecce mē vſque ad crucis mortem obedientem patri, & capite inclinato ſignum obedientiæ vobis præbentem. Et ſufficit Domine, in proſperis obedientiam Deo præſtare: in ſalute, in honore & in diuitijs? Minime ſed benedic Deo in omni tempore, cū Dauid, ſemper laus eius ſit in ore tuo & obedientia in corde. Da ſignum in cruce huius obedientiæ. Ecce caput meum inclinatū non ſolum ſub titulo honoris & regis, ſed etiam ſub ſpinearū corona: vt ſcias Deo in omnibus aduerſis & proſperis, vſq; ad mortem perſeueranter obedire. Domine, cum proximo, quomodo habere me debeo? Vt omnes diligas corde tuo, mei amore; & neminem à tali amore excludas. Volo à te ſignum de hoc in cruce videre. Aſpice me extenſis brachis moriētem: vt omnes amore amplexus ſis: & amē dico tibi, ſi minimum digitum dilectionis claudis, vt fidelem aliquem à dilectione tua odio reijcias, in regnum meum non eris ingreſſus: quid facies multorum perſecutor, detractor vt canis? Domine mi, magiſter veritatis, in cathedra crucis neceſſaria ad ſalutem docens omnes filios tuos: ſatis erit diligere omnes, ſine hoc quod illis indigentibus benefaciam valens & ſciens? Minime, ſed teneris pro tempore & perſona, & neceſsitate benefacere & eleemoſynam indigenti præſtare. Da ſignum de hoc in cruce. Vt quid cogitas ſanguinem meum abundanter clauis rigidis effundi; niſi vt diſcas ex ſubſtantia tua eleemoſynam facere neceſsitatem patiēti, etiam ſanguinis tui diſpendio? Nā ſanguinē putridū (ſcilicet male parta) neceſſario vero Dño reddere debes: cū peccatū non dimittatur ſine ablati reſtitutione. Et dolorē lateris mortem adducentē mentis, talis ſanguis cauſabit in te, & dānationem perpetuam: & tamē poſtquā aliena reddideris, de proprijs adiuua pauperes: & hoc ex corde & mei amore & in meriti augmentū, non ficte neque amore mundano. Ideo in huius rei ſignū, cōſenſi, vnū mili tem lancea latus meum vſque ad cor aperire. Hic homo Deus, multa ſigna facit certe in crucis cathedra, & nobis valde vtilia.

*Pſalmo. R.*

*Ioan. 19. F.*

*Ioan. 11. F.*

Dediſti Domine, ſigna oſtendentia mihi, quid cum Deo & proximo me facere oporteat; quid cum anima mea faciā vt ſaluus ſim? Vt cæleſtia priuſquā terreſtria, & bona animæ quā corporis quæras. Et Deum ſuper omnia mūdana, imo & cœleſtia toto corde diligas, atque vt ſacrum audias quotidie, prius quam ad laborem tuum pergas. Vt cœleſtes diuitias terrenis antepo-

nas,& honorem Dei proprio, & animam ante quam corpus or-
*Matt.6.D.* nes. Hoceſt dicere: prius quærere regnum Dei & cœlum,& iuſtitiam eius, & virtutem & gratiam, & æterna,quam temporalia,vt cibum & potum,& corpori neceſſaria, quæ omnia adijciẽtur tibi,vt vmbra corpus inſequitur. Da mihi ſignum de hoc,vt mente teneam Domine, & in cruce. Ecce pedem meum dexterum ſuper ſiniſtrum clauis affixum : vt ſemper ſpiritualia corporalibus anteponas. Hic homo multa ſigna facit in cruce tacendo: & re vera,ô homo,ſi verbum Dei memoria retinere non vales,quia obliuioſus es:ecce verbum abbreuiatum, à Domino edoctum in cruce ſignis ſtupendis,quod habens in corde & opere ſaluus eris. In domo tua,quoties crucifixi imaginem videris, in mentem veniat concio illa diuina Chriſti? Quando vides caput inclinatum, poteris obedientiæ illius obliuiſci, vt ipſe Deo in omnibus obedias,tam aduerſis quam proſperis. Quando brachijs extenſis illum cernis, non memineris te omnes diligere toto corde docere, & illis benefacere:cum videas ſanguinis guttas è manibus prolabi? Quando pedem dexterum ſupra ſiniſtrũ confixum vides, poteſt obliuio in te cadere,te cœleſtia terrenis anteponere oportere,& diuina humanis, & bona animæ corporalibus? O diuina cõcio,fœlix qui in abſcõdito cordis,& in mẽte iugiter poſuerit te,& frequenter memoria & opere legerit.

*Tit.2.C.* Paulus ille concionator cœleſtis,tribus verbis mirificis docet bene,quomodo in his tribus ſupradictis,nos habere oporteat,dicens:apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus: erudiens nos,vt pater filium ſuũ: vt abnegans impietatem & ſęcularia deſideria,ſobriè,quantũ ad ſe,viuat homo : iuſtè,ad pro-
*Lecti.3.* ximũ : piè ad Deũ: ſobriè ad ſe,quaſi mẽſuratè (ait ibi D. Tho.) bria enim mẽſura eſt,& ſic quod Chriſt⁹ ſignis in cruce docuit, hoc Paulus his paucis verbis. Do etiam ſigno ſuperbo, vt diſcat humilia de ſe ſentire,in capite meo ſpinis pleno : do blaſphemo maledico, & detractori in lingua mea, felle & aceto potata, vt ſciat iã bene loqui:iciuniorum fractori do ſignũ in gutture meo fune decoriato: voluptatũ amatoribus plus quã Dei,in ſcapulis meis flagellis vulneratis ſignũ prębeo,vt caſtitatẽ diligãt, & occaſiones peccãdi fugiãt,& ſciant multa flagella manere adultero. Luſoribus & furibus, & iniuſtis cõtractibus aſſuetis, manus meas clauis affixas in ſignũ præbeo,vt aliena reddãt,& ex pro-

prijs

prijs pauperes alant. Cor meum lancea perfoſſum in ſignũ odio maculatis dono, vt diligãt inimicos, ſi volũt à me diligi: & inclinando caput, ſaluto vos omnes in ſignum reconciliationis cũ patre. Petras iubeo ſcindi, in ſignũ duritiæ veſtræ: monumẽta aperiri in ſignũ vt peccata veſtra perverã cõfeſsionẽ ſacerdoti reuelentis: cõſummatũ eſt ſignũ, ex parte mea: vos credite & operamini tãtis vt decet vtendo ſignis. O homo & Deus, multa ſigna facis.

Dixit aliquando Sanſon conuiuis ſuis, proponã vobis problema: quod ſi ſolueritis mihi intra ſeptem dies conuiuij dabo vobis triginta ſindones, (vnicuiq; ſingulã) & totidẽ tunicas: ſin autem nõ potueritis ſoluere, dabitis & vos mihi. Et problema eſt: de comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Quis Sãſon fortis niſi Dei filius, qui Sãſoni fortitudinẽ dedit? Qui ſunt cõuiuæ eius niſi nos fideles, ad corpus & ſanguinẽ eius inuitati? Quotidie nobis problema proponit & ſignũ crucifixi coram nobis acſi diceret: ante oculos veſtros pono problema & ſignũ imaginis crucifixi, in quo omnia vobis neceſſaria ad ſalutẽ claudũtur ſigna (vt vidiſtis) ſi ſolueritis illud tollẽdo crucẽ veſtrã pœnitentiæ, ſequẽdo me operibus, obedientia vera erga Deũ, & dilectione erga proximũ: & vos primũ regnũ Dei quærendo & iuſtitiã eius, & hoc intra ſeptem dies cõuiuij: ideſt in præſenti tempore (quod per ſeptenariũ deſignatur) quãdo eſtis mei conuiuę: dabo vobis duas ſtolas gratię & glorię, animę & corpori. Tamẽ ſi problema nõ ſoluitis, imitãdo ſignũ & crucẽ accipiẽdo: ſoluetis pœnã animę & corporis & ſine veſte gratię nudi manebitis. Nã de comedẽte leone de tribu Iuda, & ſibi animas bonas incorporãte per gratiã, exiuit cibꝰ verbi Dei, & poſtea corporis & ſanguinis eius: & de forti Sãſone, ſcilicet de me filio Dei, egreſſa eſt dulce do mellis & venię & recõciliationis in cruce vbi felle ſũ potatus. Si hoc ſoluitis ſignũ & problema, maxime vtẽdo vt decet tali cibo & crucẽ poſt me tollẽdo, ieiunãdo & pœnitentiã agẽdo: merces veſtra erit magna nimis: ſin autẽ non ſolueritis, gratia & gloria ſpoliati, in æternũ peribitis. Caue frater mi, nã fortiſsimus Sanſon filius nẽpe Dei hoc affirmat, & certe ipſe adimplebit, quãdo dicit: qui non tollit crucẽ ſuam, & ſequitur me non eſt me dignus: fœlix qui tale ſoluit problema opere vero: infelix qui non.

*Iudi. 14. Cl.*

*Luc. 14. F.*

Generatio mala, ſignũ quærit à me ob curioſitatẽ & illuſionẽ vt ille lupus Herodes & vulpes fœdifraga in paſsione mea petet,

*Luc. 23. B.*

nec illi dabo ſignũ alicuius miraculi, volens iam ego mortí tradi; etiã ſi ſperni ab illo & illudi ab exercitu ſuo ſcio me futurum in dutum veſte alba: nequ e tibi generatio praua atque peruerſa tale ſignum à me datum erit: cum illud gratia calumniandi à me expectas, etiam ſi ob tale factum, concilium colligas & me morti adiudices dicens: hic homo multa ſigna facit. Generatio quæ
Ioan. 11. F. nõ dirigit in me Deum verũ, cor ſuũ, vt de vobis iratus affirmat
Pſal. 77. A Dauid, & ſpiritus veſter non eſt creditus mecum, nec mihi cre-
Simile. dere vultis; nõ accipietis à me ſignũ ſed ſuppliciũ. Vos ipſi iudicate, qua pœna dignus eſſet regis ſeruꝰ aut iudex, qui ſemel ſigillum regium videns non illi obedientiã præſtaſſet, ſed dixiſſet; date aliud ſignum? Omni tormento & ſupplicio dignus erat: & nemo eſt qui talia facere audeat: ſed ſtatim oſculatur regis ſigillũ & ſuper caput ſuũ ponit, & executioni mandat, quicquid ſub tali ſigno rex præcipit & iubet, neq; aliud petit ſigillũ. Generatio praua, tuo orete iudico: ego rex regũ in perſona mea veni in mũ
Ioan. 15. D. dũ ad te redimẽdũ: coram te (vt fidẽ mihi dares, & iuſſa à me adimpleres) feci ſigna, quæ nemo alius fecit, in quibus expreſſe ſigillum diuinitatis & ſignum infinitæ potentiæ continebatur: cum ſignis me affirmare filium Dei eſſe, eſt euidens argumentum diuinitatis meæ; cum nemo verum miraculum ſine Dei adiuto
Ioan. 10. E. rio facere poſsit: & Deus non approbat mendacium: igitur cum
Ioan. 11. F. dicam ego, vnum ſumus ego & pater, nam vnicus Deus: & cum hoc Lazare veni foras & reſurge à mortuis, & pater adiuuat & fit tale ſignum: quid temeritatis in vobis eſt & inſaniæ vt tali regis ſigno ſemel & bis & centies obedientiam non præſtetis, nec illi fidem detis, quanto magis opere adimplere iuſſa: vnde aliud ſignum petitis? Signum erit quod non dabitur vobis, ſed ſupplicium dignum, quod contra regis contemptores datur. Arrige aures fidelis, quia etſi Chriſti Ieſu & fidei ſignis & verbis fidem habes veram; tamen time ſupplicium, dignum præuaricatoribus & regis contemptoribus, cũ executioni, à Deo ſub tali ſigillo mãdata, cõtemnis dare: nec opere adimples quod per ſignum regis tibi eſt iuſſum. Accipe regis mandatũ æterni ſigillo ſuo ſignatum manibus operando, oſcula illud verbis & ore laudando & defendendo: pone ſuper caput tuum, ſu per omnia reliqua mundi in pretio habendo: & ſic honoratus à rege eris hic & in futuro, alias vt proditor, expecta ignem. Modo genera

tio

tio mala ſignum à me petit, & altero tempore ad mortem dãna bit me dicens: quia hic homo multa ſigna facit, expedit vt moriatur, ne omnes credant in eum & nos etiam & cogamur relinquere vitia noſtra, & parta per auaritiam. O mũde infelix quo modo ſe habere debet Deus tecũ? Vide in illo concilio reliqua, ſi Deus dat ſigna, ad mortem damnatur, ſi nõ dat ſignum Beelzebub vocatur: quid medij Deus accipiet vt viuat vobiſcum? Generatio mala ſignum de cælo & de diuinitate à me queris, & ſuperbiam oſtendens: & tale ſignum non dabitur tibi, ſed de humanitate mea & humilitate quibus ornor: vnde non dabitur tibi ſignum tale. *Ioan. 11. F.*

¶ Sed ſignum Ionæ Prophetæ. *Tex.*

DE profundo non de ſublimi (ait glo. interli.) paſſionis non gloriæ: Et merito, cum in imis malorum ſitis, & in peccatorum cœno: de cœleſtibus non cogitatis, & in paſſionem meã ſpiratis, nolentes operibus meis gloriam dare ſed auferre: ideo: ſignum cœli & gloriæ non accipietis à me, ſed de inferis (vt ait Diuus Anſel.) diſcipulis meis tanquam dignis, ſignum de cœlo, in transfiguratione mea dedi: gloriam prius figuraliter oſtendens illis, & poſtea veraciter in cœlo conferens. Ita cum fideliter mihi ſeruientibus me habebo: hic beatitudinem in ſpe & coniecturaliter in conſcientia vera, poſtea in re illis dabo. Væ malis, hic fictam habentibus ſpem, & in futuro nullum ſignum de cœlo, neque veſtigium beatitudinis videntibus, niſi ſignum cæti infernalis. *Matt. 17. A*

Signum Ionæ vobis dabo Iudæi calumniatores, vt ſicut Niniuitis per Ionam denuntiatum fuit ſupplicium, ſuis culpis dignum, & etiam fuit demoſtratum remedium, ſi pœnitentiam egiſſent veram: ita & ego, nolo de cœlo arcana vobis concionari neque recondita myſteria, & ſic nolo aliud ſignum cœleſte vobis proponere, quam aperire facinora veſtra & ſcelera, quibus Deum ad iracundiam prouocaſtis, & quã grauiſsimo fitis ſupplicio digni, ſi pœnitentiam neceſſariam vobis, in tempore non facitis. Quam concedo, ſi vultis ianuas cordis veſtri mihi reuelare per confeſsionem. Si tamen vere & ex animo pœnitemini, vt Niniuitæ, ecce pluſquam Ionas hic, ego Dominus Io-

næ:qui poſſum & volo,auxilium meum vobis conferre ad pœnitendum,& veniam pœnitentibus dare. Nam Ionas, ſolum potuit minas proferre,ſed non veniam conferre. Et væ concionatori ab hac regula mea egredienti, & continuo fere, has duas vias non docenti:ſcilicet malis, peccatorum malitiam & illorum dignum ſupplicium non oſtendenti. Et pœnitentiam agentibus veram,& ad me reuerti volentibus, ſanguinem meũ mortem & abſolutionem & veniam, abſque vllo dubio, non promittenti: væ illi ita non docenti, nam maxime hoc volo ab omni verbi Dei declamatore. Vt Diuꝰ ille Franciſcus humiliſimus,qui digito in concione cœlum & infernum oſtendebat: docens malos debere terrere pœnis,& bonos inuitare præmijs, & peccatores ad pœnitentiam totis viribus inducere:hoc Dei officium eſt & miniſtrorum eius,& ad talia ſigna debent reduci omnia quæ à concionatore dicuntur.

Non videbitis à me,niſi ſignum Ionæ,quo oſtendo vos criminoſos eſſe ad inſtar Niniuitarum; & niſi pœnitentiam egeritis & cito,ſubuerſioni proximos affirmo. Sic & ego vobis fideles ex parte Dei dico: & vos ſceleratos multos eſſe ex vobis, deſtructioni vicinos:& niſi pœnitentiam egeritis,omnes ſimul,ab ſque dubio,peribitis. Nam(vt ait Diuus Chry.)quod eſt ſignum Ionæ? Scandalum crucis,vt non diſcuſſores rationis ſaluẽtur,ſed creditores doctrinæ & ſimul operatores. Indigni eſtis de cœlo ſignum accipere,ſed cum beatitudine ſitis indigni & in peccatis immerſi, de profundo inferni(ait Diuꝰ Anſel.) ad quem locũ vos deputati eſtis dabo ſignũ:quale eſt, Ionas ceto voratus, & ego de abyſſo & mortis fauce liberatus. Generatio mala & praua quę doloſe ſemper tentas:& adultera,quia deſciſcis à Deo & dæmoni adhæres: quod ſignũ niſi inferni tibi dabo? Anima, malitia plena & magis lenonem,dæmonem ſcilicet, ſequens in cõſilijs ſuis quam me in præceptis meis;adultera cum ſis & Deo tuo præuaricatrix,quod ſignum petis niſi ignis infernalis, cum ſis adeo ingrata mihi? Nam cũ ſim tantæ grauitatis,facis me ſtare ad oſtium cordis tui pulſantẽ inſpirationibus & cõcionibus, & voce interna dicẽtem:aperi mihi ſoror mea, aperi mihi Chriſto ſponſo tuo:conſidera me te feciſſe ad imaginem meam,& cũ eſſes immũda & cruentata,& ſanguine tuo & peccato polluta dixi:viue,gratia morte mea collata,& ablue ſordes ſanguine meo,

*Luc. 13. A. Homi. 44. in. Matth.*

*Apoc. 3. D. Cant. 5. A. Ezec. 16. A*

vt

vt sis munda & decora, tanto sponso digna: & tamẽ fuisti vt mu *Simile.*
lier pessima quæ vnico ictu à lenone pulsato per parietes, tanquam latroni aperit; & viro suo optimo & diuiti ad ianuam per horas pulsanti aperire non vult, sed se audire negat.

O anima, mihi per fidem desponsata, & toties sanguine meo abluta, dæmoni & vitio statim ianuam cordis per consensum & operationem pulsantibus tentatione, aperis cum sint fures, & te bonis & donis tibi à me collatis spoliantes: & mihi sponso tuo optimo & ditissimo, non per horas tantũ sed mẽses & annos, clamãti & ad ianuam cordis tui totis vijs pulsanti, aperire noluisti? O ingratissima sponsa, frons meretricis facta est tibi, vnde de *Iere. 3. B.*
tam graui culpa noluisti erubescere. Nam si nil tibi nisi oculos *Simile.*
dedissem, & rex Philippus Hispaniarũ princeps fidelissimus, dedisset tibi regnum: quid ex his duobus donis elegisses, regnũ, an oculos? O adultera sponsa mea, & quid est oculos accipere corporeos, cum hoc, quod oculis confractis in cruce morte redemi te, & beneficijs vallaui te innumeris? Aperi mihi ianuam cordis per amorem, & ianuam duritiæ tuæ per contritionem, & ingratitudinis per bonam operationem, & cogita me paratũ esse tibi dare amorem meum & gratiam: quanuis fidelitatem, vt
adultera mulier, fregisti mihi. Nam si vulgo dicitur, nullum ma- *Simile.*
ritum esse adeo patientem & mitem, vt recipiat vxorem sibi fidem matrimonialem rumpentem (teste Ieremia) tamen reuer- *Iere. 3. A.*
tere tu ad me (vt tibi promitto) etiam si fornicata es cum amatoribus multis, scilicet voluptatibus ludis & blasphemijs: ego dico & ego parcam, & ego reuertar ad te & in amicitiam meam recipiam te. Vis anima peruersa & adultera? Alias signum inferni tibi dabo, & quod certe damnata eris.

Credo vnam expræcipuis causis, quare adeo ingrata & mala es contra me anima adultera, imo & cõtra te ipsam, esse cõsiderationis defectũ beneficiorũ & donorũ quibus te dotaui in spõsam mihi. Dicat hoc meus Ieremias plorãs: desolatione desolata est *Iere. 12. C.*
omnis terra: quia nullꝰ est qui recogitet corde cœlestia: nescis qd
fecerim tibi, vt spõsarẽ te mihi in fide & charitate? Scis post bo- *Ioan. 13. B.*
na naturalia & fortunę, qd tibi in dotẽ dederim? Scis quomodo meipsum tibi tradidi ad laborẽ tribulationẽ & passionẽ & tandẽ ad mortẽ? Scis quid fecerim tibi? Aliud signũ amoris petis à me anima peruersa? Nescis te captiuã fuisse, & peccato tuo hęreditatem

tem te amisisse æternã; & ego sponsus & creator, triginta tribus annis, cum diabolo captiuante te, pro libertate & redemptione tua & hæreditate restituenda, pugnaui? Iam fame, iam itineribus, iam ieiunijs iam iniurijs, quibus multoties fui lacessitus: iam flagellis percussus iam alapa iam arundine, & tandem in cã po caluariano tam duris vulneribus lenonem tuum deuici, vt mortuus mortem superarem, & victus victor tui amore manerem, dummodo mei sanguinis dispendio, à dura illius seruitute liberarem te, & ad libertatem sponsæ meæ pristinam reuocarẽ, & hæreditatem tuam tibi restituerem: aliud amoris signum à me petis? Scis solutionem tuam & duritiam cordis tui cõtra me? Super omnia dicta quę abundantius quam dixi feci erga te, per totum, non diem aut mensem sed annum hunc: ad portam animæ tuæ pulsantem me, inspiratione interna, concione externa, minis & blanditijs; velis aut non (conscientia teste) audisti. Quæ tamen mihi per contritionem & peccatorum dolorem aperire noluisti, insuper & peccatis peccata addendo, contempsisti me. Dic mihi generatio mala & anima peruersa, quis nisi ego Dominus patiens & benignus & multæ misericordiæ, malitiam & duritiam ferret tuam? Quid signum maioris amoris mei ergate petis, quam ad pœnitentiam per tot tempus te expectare, animam lenoni, dæmoni nempe, conglutinatam, & me exprobrantem & tanta beneficia contemnentem?

Vis aliud signum amoris quo ostendam duritiam tuam? Tanto amore simul & dolore pulsaui cordis tui ianuam de cruce, vt sanguis de pedibus & manibus erũperet habens pesulum claui
*Thre. 1. D.* in manu: & clamaui dicens: o vos omnes qui transitis per viam huius caluarij: attendite & videte, clamoremque meum audite, quo animam sponsam meam voco vt aperiat mihi: & attendite quantus sit dolor meus, quo petrę scissæ sunt, & nõ cor animæ in malo obstinatæ. Terra tremuit, & ipsa absq; vllo timore perpetrat mala, dæmoni tanquã lenoni adhærẽs & à me fugiẽs: cœli luminaria sua retraxerunt, & illa gaudio vano carere non vult: corpora mortua sepulchra reddiderunt: & illa confiteri mortalia crimina renuit. Portæ inferi apertæ sunt, & ipsa hucusq; in hac quadragesima noluit cor per contritionẽ aperire, vt liberarem illam; non à limbo patrum sed à fauce draconis & à sto-

à ſtomacho cæci infernalis. Sed tanquam meretrix & adultera ingratiſsima, in lecto conſcientiæ deprauatæ, dormit cum dæmone in culpa, ita quieſcens ac ſecura, & abſque vllo timore ſpõ ſi neque iudicij tremore; ac ſi mecũ eſſet in lecto bonæ conſcientiæ & in gratia mea ieiunans & gratiſsima exiſtens: quid ſignum petis?

Non hic terminatur ingratitudo tua & malitia contra me anima praua generatio mala: ſed inſuper (quod grauius eſt) ex pellis me, à cordis tui foribus, iam ſuperbiæ baculo, iam inuidiæ gladio, iam cane detractionis: iam voluptatis fætore, iam blaſphemiæ lapide & ſcandali ſilice: iam periurij & maledictionis ſagitta: iam odij lancea: vnde quot mala protuliſti verba, tot ſagittis cor meum vulneraſti: & lancea odij iterum cum milite illo Longino percuſsiſti. Vnde conqueror de te (per Hieremiæ la menta) dicens tetendit arcũ malitiæ ſuæ contra me, anima praua & ſponſa præuaricatrix: tetendit arcum quia prolongauit culpam ſuam & obſtinate vixit in illa: & poſuit me ſponſum ſuum quaſi ſignum ad ſagittam, & quaſi album ad quod ſagittarij iaciunt ſagittas. Et ſuper hoc, audet à me petere ſignum amoris & patientiæ. Quod maius illi dari poteſt, quam poſt tot iniurias mihi ab illa irrogatas dicere: ad me conuertere vt oportet, & ego recipiã te: ſine malorum tuorum exprobratione, & amplectar beneficijs meis acſi ſemper mihi fidelis fueris? *Thre. 3. B.*

Attendite ſignum bonitatis meæ erga illam & crudelitatis illius erga me & inuerecundiæ ſignum: nam pulſo ad ianuã cordis illius & non vult mihi aperire, & ego amore illius, ſæpe reſpicio à tergo, an aperiat mihi. Vidiſtis pauperem nudum & famelicum, diu ad ianuam diuitis auari pulſantem, pro modico panis fruſto: vocibuſque miſerandis eleemoſynam petentem, & nihil recipientem, ſed recedere dolentem? Viſcera veſtra ad compaſsionem, de tali ſpectaculo non mouentur? Præcipue ſi multoties retrorſum reſpiciat, attendens, an diues durus, aliquẽ ſeruum vocantem illum mittat, aut portantem parum panis. Videte dolorem meum Angeli, & animæ peccatricis duriciam: ego diues Deus in omnes qui inuocant me, pauper effectus animæ amore; accedo ad illam & pulſo ad cordis illius ianuam, eleemoſynam parui doloris de peccato ſuo petens: voceque dolenda, da mihi eleemoſynã dico: aperi ianuã cordis tui mihi ſpõſo tuo, *ſimile.* *Apoc. 3. D.*

tuo,& cœnabo tecũ omnia nociua tibi cõſumendo, & cœnabis mecũ omnia tibi cõducibilia. Quæ tamẽ in malitia ſua perſeuerant; nec iamũ volũtatis ſuę mihi aperire voluit, neq; eleemoſynã cõtritionis, meo adiutorio, dare. Quis nõ dolet vicẽ meam videre me tantũ Dñm inhonoratũ & gementẽ recedere? Et cũ hoc retrorſum aſpicere non ceſſo: an mihi aliquã cogitationẽ bonã emittat, aut ſuſpirium vel gemitum, ad me reuocãdũ, vt conuer
Zacha. 11.C tẽdo ſe illã ad me & ego conuertar ad illã. Et vt dixi per Zachariam, ſi bonum eſt in oculis veſtris, quod amore veſtri feci ò homines, & bonum eſt vobis mihi reſpondere pulſanti & præbere eleemoſynam contritionis mihi Deo petenti illam: afferte mercedem meam, & boni operis panem, mihi porrigite dolenti, & iam recedenti, & ad vos crebro reſpicienti: & ſi hoc non vultis: ſaltim quieſcite agere peruerſe, & vlterius periurio aut voluptate ne vẽdatis me, cum triginta, amore veſtri, fuerim venditus argenteis: decorum pretium & irriſione dignum, quo à Iuda & vobis traditus ſum.

Ecce ſignum quod animæ obſtinatæ dabitur, nil aliud quam Ionæ & quod Niniuitis datum eſt: quod ſubuerſa erit cito, niſi pœnitentiam egerit, & quod à ceto infernali deuorata erit, ob inobedientiam. Et generationi iudaicæ ſignum de cælo petenti & de diuinitate mea & de rebus elatis: non dabo, niſi humilitatis ſignum & humanitatis. Ita vt cum ſim æqualis patri ſecundum diuinitatem & in ſinu eius ab æterno; deſcendi vſque in vterum matris: vbi per nouem menſes, quaſi ſepultus iacui, in benedicta terra matris meę: ecce ſignũ à me vobis datũ.
Ad Philip. 2. A. O ſignũ magnæ humilitatis, quod nobis in hoc dediſti Domine, quando cum in forma Dei eſſes vſque ad terram deſcendiſti, habitum ſerui & humanitatis aſſumendo. Et plus deſcendam, cum vſque ad mortem crucis, poſt famem poſt ſitim poſt contumelias poſt triſtitias, captionem; poſt alapas, ſputa & flagella, ſpinas, deſcendam. O ſignum magnæ humilitatis à te datum Domine. Imo vſque in ſepulchrum deſcendam diuinitate corpori ſancto coniuncta & animæ in limbum deſcendenti: ita vt ſicut contigit Ionæ cum ceto, contingat & mihi cum terra. Videte humilitatis ſignum, quod à me vobis dari oportet, non elationis, vt dedit Lucifer.

¶Sicut

¶Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus die- *Tex.*
bus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terrę, tribus diebus, & tribus noctibus.

QVomodo fuerit Christus Dei filius in corde terrę tribus diebus & tribus noctibus, restat ostendendum: cum Dominus, hora nona scilicet, tertia post meridiem, emiserit spiritum, *Matt. 27. F.*
vt Euangelistæ testantur, in die sancti veneris: & tamen iuxta *Mar. 15. C.*
omnium sententiam surrexit Dominica die post mediam sab- *Psalm. 56.*
bati noctem: iuxta illud Dauid: surgam diluculo: & illud Mat- *107. Matth.*
thæi: vespere autem sabbati, quę lucescit in prima sabbati, ve- *28. A.*
nerunt mulieres & iam Christus resurrexerat à mortuis: & hoc contigit Dominica die mane: etiam si esset hora septima, sunt quadraginta horæ, quomodo igitur tribus diebus & totidem noctibus in sepulchro fuit redemptor noster? Ipsum triduum, non totum fuisse plenum (ait Diuus Ansel. hic) scriptura testis est: sed primus dies à parte extrema totus annumeratus est: & similiter tertius à parte prima: medius autem, idest sabbatus dies, absolute totus ex viginti quatuor horis compositus fuit. Sextæ quidem feriæ diei partem qua sepultus est cum parte noctis pro nocte & die accipiens, hoc est pro toto die: & ita de Dominica die dicendum est: nam pars illius, à nocte media, pro toto die capitur, & sic sunt tres dies.

Diuus Hiero. synecdochice, totum intelligitur ex parte: nō quod omnes tres dies & tres noctes in inferno Dominus steterit, sed quod in parte paraseues & Dominicæ, & tota die sabbati, tres dies & totidem noctes intelligantur. Et vt dicit in Io- *D. Hiero. in*
nam ipsemet: vnā diem supputemus & noctem ex die qua mor- *Ionam. 2.*
tuus est, & sabbati alteram: tertiam vero noctem quæ diei Do- *A. fo. 127.*
minicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius: nā in Genesi, nox non precedētis diei est, sed sequentis, idest principium futuri, non finis præteriti. Hoc vt intelligi possit di- *Simile*
cam simplicius: finge aliquem hora nona egressum esse de mansione, & alterius diei hora tertia ad mansionem alteram peruenisse: si dixero bidui eum fecisse iter: non statim reprehendar mendacij, quia ille qui ambulauit, non omnes horas vtriusque diei, sed quādam partem in itinere cōsumpserit: certe mihi hęc vide-

videtur interpretatio, ait Diuus Hieronymus, ſiquis autem iſtã non receperit, & meliori ſenſu poteſt loci huius exponere ſacramentũ: illius magis ſequẽda eſt ſentẽtia. Audi Hieronymi modeſtiam, ſic loquuntur & modo ſcioli noſtri temporis, Diuũ Thomam vide.

3.par.q.51. ar.4.q.13.

Diuus Auguſt. in dialogo ad Oroſium ſexaginta quinq; queſtionum dicit: approba ergo, quomodo in inferno fuerit tribus diebus & tribus noctibus, cum feria ſexta, quæ in paraſceue eſt, hora nona emiſerit ſpiritum, & prima ſabbati ante lucem, quæ eſt Dominica reſurrexerit: ecce non ſunt tres dies pleni, nec tres noctes. Reſpondet Auguſtinus: antiqui patres noſtri hoc ſenſerũt, vt prima dies quæ eſt paraſceue, à parte vltima, & vltima quæ eſt Dominica, à parte prima debeat computari: & ita denominando à parte totum, tres dies fuerũt: vltima pars feriæ ſextæ, totum ſabbatum, & prima pars Dominicæ cum ſuis noctibus. Duplicem ſolutionem ponit Caietanus hic: alteram, quod per tres dies, etiam & tres noctes artificiales, Euangeliſta circumloquitur tres dies naturales: & aliud eſt dicere feci hoc tribus diebus, aliud, feci hoc tribus diebus integris. Alteram ſolutionem dat: quod licet Ieſus fuerit in corde terræ actu ab hora mortis tantum, fuit tamen in eodem ſecundum actionem inferentem ipſi mortem ab hora illa qua captus eſt: dicente ipſo tunc, hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarũ: ex tũc enim pro mortuo haberi poteſt. Sit hoc vel illud genera tio mala (ait Chriſtus) cum tota ſis terræ affixa ſignum de cœlo petis? Vt quid, niſi vt calumnieris? Non dabitur tibi: ſed de terra ſignum dabitur quo conuincaris, etſi conuerti nolueris pereas. Valde admiramini, Ionam abſorptum à bellua maris, poſt triduum redditum viuum? Hoc & vobis ſat erit ſigni, quem veſtra occideritis malitia, videatis virtute ſua poſt triduum reuiuiſcere: vos occidetis me & ego reſurgam. Multa ſigna fecit nobis Ieſus in cruce fratres, obediamus Deo in omnibus, diligamus proximum, quęramus primũ regnum Dei vt illud gratia hic, & poſtea fruitione obtineamus: Amen.

Luc.22.K.

Viri

# Homilia Quarta.

¶ Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce pluſquam Ionas hic. *Tex. Matt. 13. D.*

¶ SALVTATIO AD VIRGINEM.

SIvidua Sareptana erat Ionæ mater (vt Diuus Hieronymus ex opinione Hebræorum affirmat in prologo Ionæ) & erat viuens & audiuit tempeſtatem grauem quam filius paſſus erat, & quomodo cetus deuorauit illum, quis dubitat: quin valde doluiſſet, quouſque ſciret viuum & incolumem ſuper terram proiectũ eſſe? O virgo ſanctiſsima, ſemper & in omnibus Deo fuiſti obediens, & nihilominus venit ſuper te tempeſtas magna: quando filium, patri vſque ad mortem obedientem, non ſolum audiſti, ſed etiam oculis proprijs in tormentorum fluctibus vidiſti: & præſens eras quando terra in ventre ſuo acceperat, ſcilicet in ſepulchro de petra exciſſo. O quantus ibi fletus quantuſque planctus, quouſque illum viuum & reſurgentem in tertio vidiſti die. Mala quæ filius tuus obedientiſsimus paſſus eſt, atque naufraugium graue, peccata noſtra meruere, vt ſcis Dei mater pijſsima. Nos inobedientes ſumus ſemper, quid faciemus in iudicio coram filio tuo, ſi pœnitentiam facere negligimus? Viri Niniuitæ ſurgent contra vos, qui ad vocem Ionæ minantis, pœnitentiam egerunt: & vos verbum filij mei contemnitis. Ecce pluſquam Ionas filius meus, qui vocauit vos ad pœnitentiã dicens: conuertimini ad me & ego parcam: quid facietis, Deo inobedientes & rebelles, cum venerit in iudicium Dominus, ſi pœnitentiam prius non feceritis? Surge Regina, non ſolum auſtri ſed cœli, & à patre æterno, meritis filij, obtine, vt Spiritus ſanctus det mihi virtutem Ionæ ad dicendum, & omnibus audientibus & mihi gratiam ad pœnitendum, dicentibus Aue.

Quia patris ſapientia dignatus eſt hiſtoriam iſtam Ionæ citare & in medium adducere, non erit ab re, ad intelligentiam ver

borum Christi illam introducere: præcipue cum valde animabus cõducibilis materia sit. Et quod magis in toto hoc opere (ex parte mea satis exiguo) hominibus intimare cupio, malitia peccati est, vt eam abhorreamus, & Dei benignitatem ad pœnitentiam expectantem consideremus: & quibus medijs homo in baratrum obstinationis descendat: & quibus remedijs concessis à Dei bonitate, in gratiam & amicitiam eius oporteat vti, vt reuertatur: & tamen omnia ista mirificè in hac historia, quam Deus citat contineri (ipso auxiliante) ostendemus. Nam in illa, peccator suis infœlicibus plumis depingitur, per Ionam intellectus, & ad quem, sua culpa, statum periculosum perueniat: deinde ponuntur media, quibus Deus peccatorem vocat, vt resurgat, si in æternum perire non vult. Et quomodo peccator illis medijs à Deo concessis vti debet, vt Ionas & verã agere pœnitentiam, alias viri Niniuitæ surgent contra illũ in Dei iudicio.

*Iona.1.A.* Historiam igitur Ionæ aggrediamur, in qua dicitur, factum fuisse verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens: surge, & vade in Niniuem ciuitatẽ grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me. In ista notãda historia, Deo duce, deinde seruo suo fidelissimo, & Ecclesiæ Doctore grauissimo Diuo Hieronymo procedam: quem absque dubio credo, post Apostolos & Euangelistas, nullum alium hominem, Ecclesiæ sanctæ & Scripturæ diuinę, illo vtiliorem & gratiosiorem, & in interpretatione veriorem hucusque fuisse, inter sanctos Doctores: non omittendo Diuum Augustinum & Angelicũ Doctorem, & alios Doctores toto corde veneror. Primo dicitur ibi: & factum est verbum Domini: ponitur illa coniunctio, Et, in principio, vt ostendatur iã Iudæis prædicasse, & nil profuisse: vnde Ionas ad gentes mittitur, in condemnationẽ Israelis, quod Niniue agente pœnitentiã, illi in malitia perseuerẽt: sicut modo cõtingit. Quare creditis, ad Indos Deũ misisse tot concionatores, vbi tot gentes ad fidem cõuersæ sunt, & ad veram pœnitẽtiam: Deo adiuuante, & Iesu familia mediante & laborante in Iapon tot fideles facti sunt: nisi in condemnationem illarum nationũ, fidem abnegantium, & Ecclesiam deserentium: vt oculis cernimus, & in confusionem fidelium, fidem amplectentium: tamen operibus Deum offendentiũ, & veram pœnitẽtiam de peccatis non agentium. Nam etiam si nos aliqui fideles in culpis perseue-

*Matt.28.D.*

remus

remus, Ecclesia Dei vsq; in finẽ mũdi permanebit. Mittit Deus concionatores ad nationes remotas, quia malitia fideliũ ascendit coram illo, vt clamor Sodomæ: & sicut sanguis Abel clamabat ad Dominum: sic & melius sanguis Dei filij, à nobis cõculcatus, clamat coram patre suo, vt concionatores ad gentes mittat: ne tanti sanguinis fructus amittatur, inter canes. *Gene. 18.* *Gene. 4. B.*

Nota valde verbi Dei virtutem & vigorem & grauitatem, & concionatorum supremam dignitatem: cum Deus ad conuersionem Niniuitarum (imo ad Ecclesiæ fundationem & totius vniuersi conuersionem) verbum Dei in instrumentum accepit, & concionatores sacros: incipiẽs post prophetas, per Apostolos sanctos, quos assumpsit. Vide frater mi, quomodo verbũ Dei contemnas & concionatores conculces: grauissimum tibi expectat suppliciũ. Propter hoc (ait Isaias) audite verbũ Dei, vt decet, & in magno pretio habete illud, & illius declamatores, non adulterãtes illud, sed caste & sinceriter, & vt Ecclesia docet & vult cõcionantes: honorate illos & audite operando verbum Dei, viri illusores: non Dei (cũ ipse nõ irrideatur) nec verbi Dei, sed illusores animarum vestrarũ & Dei ministrorũ. Ne dicatis, percussi *Mar. 16. C.* *Isai. 28. D.* *Ad Gala. 6. B.*

mus fœdus cũ morte, & cum inferno fecimus pactũ: ita vt neq; mors inueniat nos neq; infernus tangat: audite verbum Dei illusores, & vos metipsos irridentes: si pœnitentiam nõ egeritis, & verbũ Dei opere & veneratione, & illius ministros, nõ habueritis: delebitur fœdus vestrum cum morte, & certe morsæterna de pascet vos: & pactum vestrum cum inferno non stabit: nam gladius illius & ignis deuorabit vos, & flagellum Dei conculcabit. Vidistis quantæ æstimationis sit verbum Dei?

Quanto verbum Dei pretiosius & diuinius est, tãto puriores & honestiores, & charitate & sciẽtia fulgentiores & magno exẽplo & virtute decorati, tenentur esse verbi Dei sacrati (nempe) concionatores Euangelij. Alias bonum erat eis non nasci, quãto magis tam diuino fuisse ornatos officio. Et aliquo modo, in his verbis Dei, ad Ionã dictis ostenditur, qualis debeat esse qui Euãgelizat verbum Dei & regnum illius. Nam sicut Ionæ, omni cõcionatori dicit Dñs: surge & vade, & esto Ionas & prædica in Niniue. Attẽde tibi concionator, & audi Dñm tuũ dicentẽ tibi: si tam magnificũ munus & officium angelorũ concionãdi delectat cor tuum ô homo. vide quid facias & auribus animi tui con-

sidera quæ tibi dico: surge dico tibi, ab omni mortali, surge ab omni mala consuetudine, surge ab omni malo exemplo, surge ab omni occasione delinquendi. O quam notanda sunt ista quatuor ab omnibus hominibus præcipue concionatoribus: alias quomodo audent Niniuitis & peccatoribus, verbum Dei proponere? Deinde vade cõcionator, ad virtutes omnes, & de virtute in virtutem: vade ad lectionem & orationem: vade ad silen-
Eccli.48.A tium cordis & ad loca solitaria; vnde vt alter Elias igne charitatis incensus egrediaris ad corda frigida accendendum. Tamen esto Ionas, columbam aut dolentem (iuxta Hieronymi sententiam) significans: esto simplex vt columba nil mali operans, sed
Matt. 10.B. animo columbino omnes diligens. Esto prudens vt serpens, ad
Psalm. 118. euitanda peccata, & simplex vt columba ad facienda bona. Tamen valde dolens, cogitans tam innumera mala contra Dei honorẽ in dies ab hominibus perpetrari: & defectio teneat te pro peccatoribus derelinquẽtibus legẽ meã, & tabescat in te animus tuus, videns tot præuaricãtes: & surgẽs à vitijs & vadens ad virtutes vt colũba sine felle, & dolẽs de peccatis aliorũ, non pergas ad concionem, sine hoc quod ego Deus dicam, vade, & prædica.

Nam ego, cum sim filius altissimi & patris sapientiæ in silentio vsque ad annum ætatis meæ trigesimum steti, omni ornatus virtute, & animo columbino: cum pater meus mundum iusserat, in meo splendore, vt me audiret doctorem cælicum; ad de-
Matt.17.A sertum perrexi prius: interim admonens concionatores, ne ad Euãgelicũ munus temere & importune vos ingeratis, priusquã ætatis accessu, moribus inculpatis, doctrina sacra cœlestique vocatione & magna virtute prædíti sitis; ne vobis colligatis autoritatem loquendi, concionandi, disputandi: interim vita polluti, moribus indisciplinati. Dum ista scribo, me ipsum ferio: sensum nec ætatem habentes, nec bonum exemplum præbentes aliqui ex vobis, neque occasiones delinquendi fugientes, officium Ecclesiæ præcipuum, nempe, concionandi Euangelium, & verbum Dei tractandi corde polluto & ore immundo vsurpatis: parum animarum profectus ex cõcionibus multis, hoc apertissime insinuat hodie in Dei Ecclesia. Ioannes ille Baptista, trigesimum attigit annum, priusquam officium concionandi ausus esset inchoare, & post tot ieiunia & lamenta, semper à vitio surgens & consortia nociua fugiens, & post multam pœnitentiam,

tiam, aggressus est animo columbino, & dolens de hominũ cul pis officium sublime concionandi, dicens magna voce & calore & exemplo: Pœnitentiam agite. *Matt. 3. A.*

Ionas vero, Dei & officij sui oblitus, surrexit, tamen non ad implendum Dei mandatum, sed vt fugeret in Tharsis à facie Domini, inobediens Deo & mandato eius existens. Quare fugis Ionas, à facie Domini, nolens illius adimplere iussum? Quia (vt ait Diuus Hieron.) scio tanquam propheta Spiritu sancto mihi suggerente, quod pœnitentia gentiũ, ruina Iudæorũ debeat esse: idcirco amator patriæ meæ, non tam saluti gentium inuideo aut Niniuitarum, quam nolle populum meum perire. Quia legi Mosem dicentem Domino: dimitte populo aut dele me de libro vitæ; & Dominus pepercit Israeli: & forsan sic Deus populo meo dimittet. Tamen quia gentes quæ Deum ignorabant sic in auditu auris obedierunt Deo & charitate coluerunt: & Iudæi qui illum fide agnoscebant, operibus obedire neglexerunt: illi salui facti sunt, & isti iuste perierunt. Fugio etiam à facie Domini, quia scio misericordem & pientissimum esse; & si me dicente Niniuitis; subuersi eritis, peccata sua plorauerint, statim quod Deus vnam lacrymam in oculis suis videat, peccata illis dimittet, vt est misericordia plenus: & ego falsus & mendax propheta reputatus ero, & vt falsa prædicans: & ita fugio & nolo illuc ire. O Dei pietas & amor, quam vere diligis quod creasti, cum statim quod peccatorem lacrymantem vere vides, peccatorum suorum nec minarum tuarum recordaris, sed statim dicis: ego parco, non sit amplius: ô beati qui lugent peccata sua & aliena, quoniam ipsi à Deo consolabuntur: ipsemet Deus dicit, ipse adimplebit, vt iustus & verax. *In cap. 1. Ionæ.* *Exo. 32. C.* *Matt. 5. A.*

Fugit Ionas in Tharsis, quam Iosephus interpretatur (ait Diuus Hiero.) Tarsum Ciliciæ: timens ne per occasionem prædicationis suæ illis conuersis ad pœnitentiam, Israel penitus relinqueretur. Item nouerat eodem spiritu, quo illi præconium gentium credebatur, quod quando nationes credidissent, tunc perire oportebat domum Israel, & quod aliquando futurum erat. Ipse vero timens, ne hoc in suo fieret tempore, imitatus Cain fugit à facie Domini & à misericordia sua, inobediens existens. Quis tamen scit, si Ionas fugiebat, ne Niniue pœ

nitentiam agente vnica concione, & gente ſua Iſraelitica in malitia permanente cum tot audiſſet conciones & à tantis prophetis edocta eſſet: vnde culpa, & proinde pœna, maior illi eſſet. O Domine mi, mitte me quovis, indignum concionatorem tuum, etiã ad Indos, ſi populus meus & gens mea nõ plus in virtutibus eſt profectura concionibus meis quam vſq; adhuc profecit: ne tam aperte ſciens voluntatem tuam & non faciens, magis delinquat contra te & vapulet multis. Væ mihi mater mea (dicam cũ Ieremia) quare me genuiſti virũ rixæ & diſcordiæ in vniuerſa terra mea, atque patria prædicantem arguentem increpantem & fere nil proficientem? Cauete ô fideles, nam neſcio de quo Iudex omnium Chriſtus grauiorem & rigidiorem rationẽ ab hominibus recipiet: de ſanguine ſuo à vobis conculcato, an de verbo ſuo ſpreto atq; executioni non mandato. Vnde forſan Ionas fugit ne ipſis met Niniuitis maior infernus maneret, audientibus Dei verbum & minas: & tamen nõ pœnitentibus, nec reſipiſcere volentibus. Quid erit de vobis illuſores verbi Dei, quotidie conciones audientibus, & vitia non relinquentibus? Quid igitur faciam. Prædicabo, an non? Si prædico & pœnitentiam non agitis, væ vobis erit: ſi non prædico, væ mihi ſi non euangelizauero: ſit potius væ contra vos operari nolẽtes, quam contra nos verbum Dei tacentes: vtinam & vos operemini, & nos Dei imperium faciamus.

*Iere.15.C.*

*1.Cor.9.C.*

Sit igitur ob hoc vel illud fuga Ionę à facie dñi: quę quacunq; ex cauſa ab ipſo fuerit facta, illam à culpa non excuſat: cũ Deo obedire neglexerit. Ecce homines primum peccati gradum & primam malitiam, Deo immenſo non obedire, & mandatum eius contemnere. Vnde ſi omnia mala quæ hucuſque, tam à malignis ſpiritibus quã ab hominibus, facta ſunt contra Deum annumerare cupis & cogitare: ab inobedientia orta ſunt, & ſuam radicem mortiferam habent. Ob illam, à ſuperbia ortam corruit Lucifer cum ſequacibus: ob illam Adam à paradiſo expulſus eſt & tam ſacrum bonum ſibi & nobis perdidit vt eſt originalis iuſtitia: vt ait venerandum Tridentinum Concilium in de peccato originali: ſi quis Adę prævaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli & non nobis etiam cum perdidiſſe: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum

*Seſſ.5.c.Vnico.*

tum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ: anathema ſit. Cum contradicat Apoſtolo dicenti: per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. *Rom. 5. B.*

Vidiſtis quomodo omnia mala quæ nobis hucuſque acciderunt, & omnia peccata, quæ contra Deum homines commiſerunt, à radice mortifera inobedientiæ fuiſſe? Et ſic inobedientia occidit parentes tuos, & te etiam citò interficiet: & induxit ad malum. Vnde (vt ait D. Bernard.) maluit Chriſtus vitam, quam obedientiam amittere: ſed vſque ad mortem patri obediẽs fuit, vt nos obedire doceret etiam vitæ diſpendio: qui tamen, etiam vitæ iactura, inobedientes Deo quotidie reperimur. Poſt illa, quæ ſupra diximus de virtute obedientiæ, quando filium Dei ſubditum Virgini matri & Ioſeph fuiſſe expoſuimus: & quãdo imperio Chriſti facta fuit tranquillitas magna in mari, & ventis illi obedientibus, & poſt tot exempla ibi poſita oſtendẽtia merita obedientiæ, & dignum ſupplicium inobedientibus: præcipue infideles, ſed multo magis digni punitione ſunt illi, qui ſe Deo vouerunt per religionis votum & inobedientes exiſtunt: cum ipſe filius Altiſsimi non ob aliud (dicit Diuus Paulus) corporis glorificationem obtinuiſſet, niſi quia factus fuit obediens patri. Vnicum tamen exemplum modo in medium introducamus vnius mulieris (Angelis illi dicẽtibus in nomine Domini: noli poſt tergum reſpicere, ſi non vis cum Sodomitis perire) obedire negligentis: vnde ſpeculator noſter diuinus Chriſtus Deus noſter, monet nos tam terribili exemplo, dicens: ô homines inobedientes, memores eſtote vxoris Loth: nolite reſpicere poſt tergum, peccata præterita cogitatione, aut conſenſu, aut operatione iterando: ſed pœnitendo, & iterum non committendo. Obedite mihi Deo conſulenti: alias in ſtatuam ſalis conuerſi eritis, & in infernum merſi: ſemper moriẽtes, & nunquam ad annihilationem peruenientes. Igitur memores eſtote vxoris Loth, ſacerdotes incorrigibiles, monachi proterui, & moniales nil minus quam obedientiam diligentes: alias terribilis punitio contra vos omnes manet, & contra omnes fideles obediẽtiam Deo dare contemnentes. *Ad Philipẽ. 2. A.* *Luc. 2. C.* *Ad Philipẽ. 2. B.* *Gene. 19. E.* *Luc. 17. G.*

Primum igitur malum peccatoris, contra Dominum Deũ, in obedientiæ eſt, & fugere à Domino ſuo & elongari ſe ab illo in infinitum. Quantum diſtat perfectio Dei, quẽ fugit, à perfectione creaturæ, quam plus diligit quam ipſum Deum; tantum elõgatur peccator à Deo. Vnde (vt alibi diximus) indiget potentia infinita ad conuerſionem ad Deum; quam nemo dare poteſt, cũ illam non habeat, niſi ipſemet Deus. Vide quid facies, cum à facie Domini fugiſti peccando, & nemo niſi ille ad ſe, te reducere poteſt. In qua fuga à facie Domini per peccatum, ſtultum te eſſe oſtendis, cogitans te poſſe à Deo abſcondere: & iudicans per conſequens, Deum vbique non eſſe, contra fidem & veritatem
*Iſai.66.A.* dicentem Deum vbique eſſe, & cœlum mihi ſedes eſt & terra
*Iere.23.E.* ſcabellum: & cœlum & terram ego impleo. Hãc eandem ſtultitiam
*Gene.3.B.* incurrit Adam cum eſſet adeo ſapiens à Deo creatus (vide quam ſtultum faciat hominem peccatum) quando cogitauit abſcondere ſe à facie Domini, & folijs ficulneis cooperire ſe, ne ab illo videretur: quod & tu facis quotidie dum peccas: & vt alter Cain qui Deo dicebat, neſcio vbi eſt Abel: ſum ego cuſtos il
*Ibi.4.B.* lius? O miſer, ego Dominus ſcio vbi eſt, qui vbique ſum: & ſcio quid feciſti fidelis, in abſcondito cordis tui, & quem fratre odio occidiſti: & cibos voluptatis quos conſenſu comediſti: nil me fugit, etiam ſi cum Iona cogitas à me fugere.

Vide aliud malum, quod fugiens à facie Domini per peccatum incurrat, cum fugit à facie illius peccãdo, fugit à miſericordia Dei, & per conſequens impoſsibile eſt quin Dei iram obuiã habeat. Sicut econtra, peccator qui in tẽpore accepto (Dei auxilio) ad Deum pœnitendo confugit, ab ira illius tendit ad miſericordiam: elige quod vis homo. Audi vnum, olim peccatorẽ, regem & prophetam, vt ne de pietate Dei diffidas, ſi pœnitentiã
*Pſalm.138.* agis de peccatis veram: audi quid Dauid dicat videns ſe à Deo elongatum & fugitiuum, per culpam: Domine, quo ibo à ſpiritu tuo, vbique aſtante, & quo à facie tua fugiam omnia aſpicien te? Si aſcendero in cœlum, ideſt ad te Deum cœli & ad diuinitatem tuam confugiam veniam petendo: tu illic es, miſericordiam tuam ſuper beatos infundens & ad peccatores ad te confugientes extendens, & ita facies mecum: quia fugio ab ira tua ad miſericordiam. Si autem deſcendero in infernum, vbi ira tua in damnatos exercetur, aut in infernum culpæ fugiens à miſeri-

ſericordia tua ſi deſcendero; tu illic eſt & ira tua adeſt, male factores puniendo. Ideo ad te confugio Domine, & ab ira tua ad miſericordiam appello, & à culpa ad pœnitentiam: doce me facere voluntatem tuam, & miſerere mei ſecundum miſericordiam tuam: non ob merita mea, nec demerita aſpicias, ſed quia Deus meus es tu. Et conſtituiſti, vt qui ab ira tua pœnitendo fugerent, miſericordiam tuam & veniam inuenirent: ſicut e contra, qui fugiunt à facie tua & pietate iram & cruciatus æternos inueniant.

Fugit peccator à facie Dei, & fugit impius (ait Salomon) nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit: quia reuera peccator à facie Domini & à miſericordia ſua fugiens per culpam, omnes creaturas, quanto magis creatorem, timet: etiam ſi illum non percutiant. Et merito, nam cum ſint armatę contra peccatores inſenſatos, etiam ſi illum non perſequantur, fugit timore conſcientiæ illas, & timet ne iram ſuam contra illum effundant. O iuſte, & in gratia Dei exiſtens, nolens per culpam, à facie Dei effugere nec à miſericordia ſua, quã fortis es animo & quam ſine terrore, confidens in Dei bonitate: quaſi leo es contra inimicos tuos & vitia. Quo fugis Propheta (ait D. Chryſ.) non audiſti Dauid dicentem, quo fugiam à facie tua Domine? In terram? Domini eſt terra. Ad inferos? Et virtus tua ibi non deerit. Ad cœlum? Ibi quoq; te eſſe agnoſco. Igitur nolo niſi ad miſericordiam tuam fugere: ad quã mihi, tuo auxilio, venire licebit (teſte Sara) cum in corruptionem culpæ meo malo venerim. Terribilis eſt locus Amos, contra Dei miſericordiam fugientes: non erit fuga eis, fugient, & nõ ſaluabitur ex eis qui fugerit, vide alia. Fugit Ionas à Dei miſericordia & à cõſciẽtia propria cõprehenditur, & maiora pericula inuenit quã timebat ſi non fugiſſet, cum à Deo derelictus, tormentis traditus ſit: ita & peccatori contingit: nam ſicut hi quos nimia ebrietate confuſos ad præcipitium caſus aliquis attulerit: cæca quadam caligine deferuntur, nec pedis tentatione ſuo greſſui proſpiciunt, potus nimietate turbati: ſic & hi peccatorum mole opprimuntur; improuiſa cupiditate propria præcipitantur inſania (ait ibi Chryſ.) & cogitant à Domino poſſe fugere. Nunquid à Domino fugis Iona? Et eius iuſſa, quadam putas tergiuerſatione poſſe contemni? Ipſis fluctibus poteris edoceri. O vtinam & pecca

*Prou. 28. A*

*Sapi. 5. D.*

*Homi. de Iona. 1. fol. 863. A.*

*Tobi. 3. D.*

*Amos. 9. A*

*Simile*

tor, ſaltim tentationum fluctibus (quos patitur poſt culpam cõ miſſam, vt ad illam reuertatur & conſenſu ſubmergatur) edoce retur, peccatum vt infernum fugere.

Inuenit Ionas nauem euntem in Tharſis: & dedit naulũ eius & aſcendit in eam. Non ſolum inobediens Deo fuit & à facie eius fugiebat: ſed etiam mari ſe exponit & periculis eius, & cum hoc ſoluit naulum: qui poterat per terram firmã, ſine maris fluctibus, mandatum Domini adimplere, & ſine nauli ſumptu. Cum primum peccator Deo es inobediens, & faciem miſericordiæ eius fugis, in iram eius incidere te oportet; & mari con-
*Iſai. 57. D.* ſcientiæ feruentis exponere te debes. Nam cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt: & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum: nam Deũ vult conculcare, & lutum voluptatis operari. Et quia noluiſti ſine ſumptu, diues & Dei amicus eſſe gaudens & ſecurus, non peccando, & Deo in omnibus obediendo; eſto triſtis & mœrens & à conſcientia percuſſus: & velis aut non, dabis facultates famam & quietudinem ſalutem & gratiam, in naulum & peccati ſolutionem. O quanti peccator emis peccatum, & Deo inobedire: non emas tanti pœnitere, & de peccato dolere: noli peccare & ſecura conſcientia gaudebis. O Adam, quanti ſtetit tibi inobedientem fuiſſe, etiam ſi pœnitentiam veram Dei adiutorio feciſti & beatus es
*Sap. 10. A.* iam. Cain quid in naulum dediſti, quia Deo obedire neglexiſti? Gaudium & honorem quietudinem & pacem & finaliter vi
*Luc. 15. D.* tam: & modo in bello ſum perpetuo. O peccatum quãti ſtas miſero filio prodigo, quia patri inobediens fuit, & à facie illius fugit: ſubſtantiam amiſit luxurioſe viuendo; honorem perdidit, ciui infernali adhęrendo naulum dedit famem caninam patiendo, & inter porcos viuẽdo: ò ſi in ſe non eſſet, Dei auxilio, reuerſus. O peccator inobediens Deo, & fugiens à facie eius, & mari
*Sapi. 5. A.* audes te committere, & naulum ſoluis? Vias difficiles cum damnatis ambulas, & minori labore & pretio, in cœlum pergeres Deo præſtando obedientiam, quam inobediens exiſtens tendis ad tartara.

Ionas deſcendit ad interiora nauis: ò Iona inobediens, & à facie Dei fugiens & in mari fluctuanti naulum ſoluens exiſtens, & deſcendis in interiora nauis? Ecce alium miſerandum gradum peccatoris: non ſat tibi erat ò homo, Dei mandatis non pare-

parere, ſed inſuper à miſericordia ſua fugere, & in conſcientiam feruentem intrare, tanto facultatis & honoris diſpendio; ſed inſuper deſcendere de gradu culpæ in alium, & vna abyſſo aliam inuocare? Vno abſurdo dato cætera contingunt: & peccatum quod non deletur per pœnitentiam, ſuo pōdere ad aliud & aliud trahit.

Notandum quippe eſt, Ionam ter dici deſcēdiſſe: in Ioppen, & in nauim & etiam in interiora nauis: quia quicquid peccator facit Deo inobediens exiſtens, in deſcenſum tendit, & ad infera properare adiuuant, ſi mala ſunt. Et quia contra tres perſonas Trinitatis deſcendit: & quia cogitatione locutione & operatione, intellectu memoria & voluntate. Et neſcio qua inuerecundia & qua fronte, vnum delictum aliud vocat: & vnum peccatum ſuo pondere ad aliud trahat, vt Diuus Grego. in Ezechi. dicit: quem locum citans Diuus Thomas, adducit talē rationē: ſi cut rationi ſubdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio ſubdi debet Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis: per finem autem oportet, quod regulentur omnes actus humani, ſicut per rationis iudicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo ſi inferior appetitus non totaliter rationi ſubditus eſt, non poteſt eſſe, quin contingant inordinati motus in tali appetitu ſenſitiuo: ita etiam ſi ratio hominis non totaliter eſt Deo ſubiecta, oportet vt contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis. Cum enim homo, non habet cor ſuum firmatum in Deo, vt pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando, ab eo ſeparari vellet: occurrunt in multa, propter quę cōſequenda, vel vitanda, recedat à Deo, contemnendo præcepta illius, & ita peccat mortaliter: & peccatum ad aliud trahit. 1.2.q.109. ar.8. in Cor.

Deſcendit Ionas (ait Diuus Hiero.) conſcius fugę & peccati, quo Domini præcepta neglexerat, & tēpeſtatem ignorantibus cæteris, contra ſe ſęuire cernebat: ideo deſcendit ad interiora nauis & triſtis abſconditur; ne quaſi Dei vindices fluctus aduerſum ſe videret intumeſcere, & magis ad deſperationem quam ad ſolatium forent. Non tamen mala Ionæ hic ferminantur ſed deſcendens in interiora nauis, dormiebat ſopore graui. Ecce vltimum malorum, quod in hac vita peccatori contingit: dormire ita ſecure in malorum baratro atque profundo, quaſi facta iuſtorum habeat. Iona quid facis? Deo inobediens, Eccle.8. C.

& à

& à misericordia illius fugiens, mare intrans tempestate feruens: naulum soluis vt te in nauim recipiant, & in interiora eius descendis, vbi dormias sopore graui? Quis talia hucusque audiuit? Ita dormis, acsi Dei mandatum impleueris? O homo teipsum aspice, quoties mortaliter deliquisti, Deo inobediens fuisti, & à facie misericordiæ suæ, versus iram suam fugisti; in mare conscientiæ feruentis ingressus es, in interiora nauis & in profundum malorum, vitæ & honoris dispendio, de peccato in peccatum descendisti: & insuper (quod grauissimum malorum est) ita secure & sine conscientiæ remorsu, ipse in lecto tuo stertis homo, & sine aliquo dolore aut contritione, acsi facta iustorum haberes & merita sanctorum: aut in sinu schedam siue schedulam salutis æternæ à Christo Domino datam tibi? Ionas forsan ex tristitia dormiebat, videns sua culpa talem ortam fuisse tempestatem contra alios: sicut Apostolorum oculi grauati erant præ tristitia, quando videbant filium Dei sine culpa naufragiũ tristitiæ & tędij & pauoris & sanguinei sudoris pati: in nocte qua traditus est. Vnde (ait Diuus Hiero.) quod autem dormit non securitatis est, sed mæroris: nam & Apostolos legimus in Domini passione præ tristitiæ magnitudine somno fuisse depressos. *Luc.22.E.*

Si hac de causa ò peccator, somnũ accepisses corporalẽ, nẽpe ex tristitia, quia ob delicta tua contra veros fideles & recte operantes fluctus persecutionum insurgunt, & contra Dei Ecclesiam procellosa tempestas hæresum & errorũ, & isti pagani Granatenses; & præ dolore maneres somno corporali depressus, cogitans tua delicta Christũ Dominum in sudorem sanguineũ deduxisse, & in somnum mortis in lecto crucis duro, etiam si in mortali esses: forsan Deus doleret de te: & per gratiam ad resurgendum adiuuaret. Tamen video te erroris & culpæ sopore torpentem: cur non sufficerat fugisse à facie Dei per inobedientiam, nisi quadam væcordia, mens tua obruta, ignores Dei iracundiam, & quasi securus dormias & profundissimũ somnũ habeas? O magna temeritas & status periculo plenus. O Iona, mũdus ruit & mare fluctibus fremit cõtra te, vt cito submergaris & à bestijs comestus sis, quia Deo inobediens, & potes dormire? Et somno graui atq; sopore deprimeris? O peccator, cœlũ & omnia quæ in eo sunt contra te ruunt, terra & mare & quæ cõtinen

tur

tur in illis, frement aduersus te, vindictam expectantia à Deo: infernus clamat ad cœlum dicens, da mihi Deus hunc peccatorem inobedientem tibi vt deuorem illum: Dæmones rugientes ad escam iustitiam contra te à Christo iudice petunt, & ludis vacas? Voluptates ita diligis? Tali sopore deprimeris obstinationis? Et in lecto quiescis, grauatus peccato restitutionis? In fre nesim incidisti. Vidisti aliquem, ardente sua domo, in lectum dormiturũ ascendere? Ardet tuæ conscientiæ domus igne odij, est incensa voluptatum flammis & non vereris in illa tam obstinate dormire? Cerebrum amisisti, nec Deum times. *Simile.*

Quis modo in agro circa saltum niueum Granatensem, Mauris perfidis plenum, vigilantibus & frementibus; multo argento & auro oneratus, auderet stertere, & graui somno dormire? Nemo nisi peccator, qui tam magnum thesaurum habens (vt est anima sua) & quando erat in gratia tanta merita; coram tot dæmonibus, perfidis latronibus, cõtinuo vigilantibus vt ipsam spolient, ausus fuit dormire per culpam, & vsq; ad soporem obstinationis descendere. Venit inundatio, domos & quercus fortes, & diuites & oues, bonos & malos secum rapiens, nẽpe mors: & dormis in transitu homo. Deo inobediens? Passer laqueo captus & in caueam positus, neque comedere aut bibere vult nec dum canere: quia non est liber ad prata & arbores ascendendũ, & ad fontes pergendum, cum ratione careat: & tu homo rationalis, fidelis, si non es sacerdos aut monachus aut prælatus, cum sis peccati laqueo, à Dæmone captus, & in obstinationis caueã positus: oblitus fontis diuini & gratiæ ex quo bibere solebas: oblitus & fructuum bonorum operum, quæ aliquando faciebas, nec recordatus libertatis tuæ quam in charitate existens habebas: comedis gaudenter & bibis, imo & canis & dormis acsi in pristina esses libertate. Fascinatus es. *Simile.* *Simile.*

Auderes frater mi, si tibi centum darentur aurei, per horam ambulare super lanceam oppositam super puteum profundissimum igne & serpentibus plenum? Minime. Si tamen super illam lanceam dormire voluisses, omnes iudicassent te sensibus destitutum esse, & cerebrum amisisse. Bene possunt homines tale iudicium de te peccator, proferre, qui non ob centũ aureos, sed ob horam voluptatis, aut ob periurium aut odium cordis, ausus es non per horam sed mẽsem super lanceam corporis tui, *Simile.*

ma-

magis quam illa ſtrictioris, non ambulare, ſed dormire & quieſcere, cum certum ſit de fide, infra manere puteum interitus, & infernalem laqueum, igne & ſulphure & Dæmonibus plenum. Quid tu graui ſomno deprimeris ò homo, dicant Angeli, & concionatores, & inſpirationes, minæ & terrores: ira Dei ſupra eſt contra te, infra infernus apertus, intus conſcientia accuſans, ad dexteram peccata, ad ſiniſtram Dæmones: & tu in corpore tuo, digitis à morte remoto duobus, aut tribus ſi ſit latiſſima teda, dormis? Stertis? ſurge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus gratia & gloria Amen.

*Iuue ſaty.*

# Homilia Quinta.

*Text.* ¶ Ecce pluſquam Ionas hic.

VCuſq; fratres chariſsimi, gradus quibus peccator ad profundũ malorum & obſtinationis venit audiſtis: in quo graui ſomno exiſtens cõtẽnit vigiliam gratiæ diẽ beatitudinis æternę. contẽnit omnia bona, pro nihilo ducit omnia mala ſibi minantia, etſi intolerabilia ſunt tormenta, contẽnit honorem ſuũ & conſcientiæ remorſus: imo, quod peius eſt, cõtemnit & ipſum Deũ, cui inobediens fuit, & à cuius facie & miſericordia fugit. Contemnens & omnes ſumptus vitę & rerum, quod in mortali exiſtens neceſſe eſt vt faciat: deniq; debet impleri quod ſcriptum eſt: impius cum in profundũ venerit peccatorũ, contẽnit: omnia ſupra poſita, quia graui & lethali ſopore deprimitur: ſed ſequitur eũ ignominia, in vita, & opprobriũ in morte: ecce ſuppliciũ obſtinato reſeruatũ. Iã Ionæ exẽplo vidimus terminos quibus peccator in malorũ baratrũ peruenit. Debemus illum ſic in tã miſerando relinquere ſtatu? Inobedientẽ & iræ Dei obuiantẽ, & in naui, & tẽpeſtate, & in nauis interioribus & ſopore graui obſtinationis correptum, relinquere te ò homo debemus? Reuera digna erat inobedientia tua hoc ſupplicio; tamen eſt miſericors & miſerator Dñs, & neminem vult perire, ſed vt conuertatur & viuat.

*Pro. 18. A.*

*Eccli. 2. B.* Reſpicite filij, nationes (ait Salomõ) hominũ: & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & cõfuſus eſt: ſi vere in illo ſperauit & ſta-

& ſtatum malum ſuum deteſtatus eſt, & ab illo exire toto corde deſiderauit. Videamus modo, ex parte Dei pientiſsimi, quæ fiunt, vt peccatorem inobedientẽ & à miſericordiæ Dei facie fugientem, & obſtinate dormientẽ reducat in amicitiam eius & in meliorem mẽtem. Vnde apertè videbis ò homo, veriſsimum eſſe dictũ per Oſeã à Domino tibi: perditio tua Iſrael & anima ad viſionẽ Dei creata: perditio tua, & inobedientia & oſtinatio & ſo por grauis cõſuetudinis malę ex te: & à te procedit ſine me, nã ego tantã permitto: tamen auxiliũ & remedium, vt inde ſurgas, tãtum modo in me inuenies: quando non eras dignus pane quo veſceris, cũ meus inimicus capitalis, ob tuam malitiã & inobedientiam, cõſtitutus ſis. Nam ſicut Ionas potuit perſe ad talẽ ſtatũ ſibi ſatis periculoſum peruenire, non tamẽ potuit ex ſe ab illo liberari: ſed media poſuit bonitatis diuinę fons. Sic ſcito, vt timeas, te eſſe ſpiritum euntem à Deo & gratiã illius per te: & tamen non reuertentem ad illum, ſine auxilio & gratia ipſius & ſine cõtritione, tibi ab illo data gratis ſua bonitate. Quia (vt dicit Cõcili. Tridentinum in de iuſtificatione) exordium iuſtificationis in adultis à Dei gratia præueniente per Chriſtum Ieſum ſumendum eſſe: hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur: homo tamen aliquid agit inſpiratione illã recipiendo, quippe qui illã & abijcere poteſt, ſuo libero arbitrio male vtens. Quibus ſuppoſitis videamus gradus quibus peccator miſericordia & auxilio Dei adiutus, excitetur à ſomno peccati, & à ſopore obſtinationis reſurgat, & ſic mare cõſcientiæ ſuæ quieſcat, & naulum quod expendit recuperet. Et ad miſericordiam Dei confugiens, tandem in priſtinum obediẽtiæ ſtatum perueniat, & merces meritorum acquirat: & Deo ſatisfaciat pro iniuria, Chriſti meritis & ſacramentis. Primus igitur gradus, quo Deus vſus eſt erga Ionam vt ad ſe reuerſus eſſet, & ſtatum ſuum intelligeret, fuit, quod.

*ofe.13.C.*

*Pſal.77.F.*

*Seſsi.6.ca.5.*

¶ Dominus miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna. *Text. Ionæ.1.B.*

ECce primum medium à Deo ſumptũ, vt Ionas in ſe reuerteretur: ventum excitare & tempeſtatem in mari commouere: acſi

re: acſi Deus Ionam vento minaſſet & tempeſtate terruiſſet: & ventum, eſſe vitam ſuam oſtendiſſet, vt reſipiſceret; alias quod vento & tempeſtate illum perdidiſſet. Aut ventum & mare cõcitat, acſi dixiſſet Ionæ: venti & mare, cum ſint res valde inobedientes foris, voluntati meæ parent, & excitantur, & fluctus maris huc atque illuc ad meum imperium mouentur: & tu homo, & propheta, non ſolum voluntati meæ ſed voci dicenti tibi, vade in Niniuem & prædica, inobediens & rebellis exiſtis, & vadis quouis contra iuſſum meum? Ipſi inſurgent contra te, & de inobedientia damnabunt te in iudicio Dei. O homo quiſquis Deo obedire in mandatis ſuis renuis: mare & venti damnabunt te, ſemper Deo obedientiam præſtantes: & aliquando terrebũt te fortiter in iudicio & dices territus, qualis eſt hic, cui mare & venti obediunt, & ego miſer nolui. *Matt. 8. c.*

Miſit ventum & tempeſtatem ſtatim illi obedientem: vt in ſe reuerſus Ionas dixiſſet: qualis eſt iſte Deus, cui ego parere noluí, & mare & venti obediunt ei incunctanter? Fluctus furentes inſurgunt ad imperium eius & tendunt verſum me, quia ſic iuſſum habent à Domino: & tanto Deo creaturis inſenſatis & rebellibus imperanti, ego rationalis & fidelis non obedire audeo? O vtinam antequam peccato & inobedientiæ contra Dei mandatum aſſenſum præberes ò homo, vero corde dixiſſes: qualis eſt iſte Dominus qui iuſsit me caſtũ eſſe, & omnes diligere fratres? qualis eſt iſte omnipotens qui iuſsit me nullum peccatum committere & illi in omnibus obedire? Quis eſt iſte qui potuit in conſcientiam meam tam grauem remorſus tempeſtatẽ immittere, & ventos timoris furentes contra me leuare? Qualis eſt ò anima mea, iſte Dominus cui inobediẽs eſſe voluiſti? Eſt ille Deus verus cui omnia cœleſtia parent, & ad nutum eius elementa & omnia corpora cœleſtia inceſſanter iuſſa adimplent. Vt quid ergo tam audax extitiſti ò anima mea, vt cui omnia cœleſtia & omnia inſenſata terreſtria, incunctanter obediunt; in illius iniuriam & grauiſsimum damnum tuum, auſa fuiſti mandatis Dei non parere, ſed peccando conculcare illa? Abſque dubio contra te immittet Dominus ventum magnum & tempeſtatem remorſus, ſua bonitate immiſſam, vt ad te reuerſus dicas: mare & venti obediunt Deo meo & ego inobediẽs exiſto, rationalis cũ ſim?

Heu tamen, quia Ionas etiam ſi ventum validum vidit contra

tra se & alios, sua causa insurgentem, & maris fluctus furentes: non statim ad implendum Dei mandatum confugit, sed ad interiora nauis & ad maiora mala. Nam (vt dicit Diuus Chry. in illa de Iona Homilia) cum enim nauim fuit ingressus, turbantur maria, fluctus eleuantur, & profundi pelagi arena monstratur: & sicut fidele mancipium, cum seruum fuga lapsum & fugitiuum à Domino suo videt, nonnullis etiam communi Domino preciosis rebus ablatis, omni animositate, contra seruum latronem & eius retentores insistit, nec eum ante dereliquerit, quã Domino præsentauerit: sic & mare Domini mancipium, conseruũ fugitiuũ Ionã agnitũ, & Deo furantem obedientiam, rẽ preciosam & Deo debitam: non vult illũ relinquere, donec Domino communi præsentetur & Deo reddat quod furatus est & ad illum reuertatur: & eius receptores torquet. *Simile.*

O, artificium diuinum, quo nos quotidie peccatores fugitiuos, vt ad illum conuertamur, inuitat: nam cum primum peccasti serue fugitiue, & à Deo te elongasti peccato & à misericordia eius fugisti, versus terribilem iram eius: turbationem in conscientiam tuam immittit & in animam tempestatem validã: & monstratur tibi arena pelagi, sepultura nempe tua, aut terra tenebrosa pelagi infernalis, vt ad te reuersus, ad Deum sis conuersus. Et si hoc non sat fuit, vt de peccato, Dei adiutorio fretus, doluisses: aliquod mancipium ad te mittit, inspirationem nempe internam, aut conscientiam propriam, aut concionem externam ignitam, & ad cor loquentem (quæ certe fidelissime Dei negotia tractat) vt dicat tibi: quo fugis serue nequam? A Domino omnium, fugitiuus & inobediens audes recedere, cum non argento & auro, sed sanguine proprio & morte emerit te atque redemerit? Obedientiam (rem erga Deum tam pretiosam & valde charam) ausus es furari à Domino tuo? Et fugis? Solue male serue, hic & citò: & ad Dominum tuum, contritione vera & confessione legitima reuertere & statim, vt iniuriam tibi dimittat & inobedientiam. Alias vento valido remorsus & doloris retineam te, & omnes tui retentores & receptores: nempe quatuor humores, & corporis tui potentias, non finam transire hinc, sed vitam tollam ab eis: & te velis aut non coram Domino meo & tuo quem fugisti cui inobediens fuisti, à quo tam insignem obedientiæ margaritam subripuisti, & coram tribunali eius terribili, præsentabo, & apparere faciam.

Terribile iudicium Dei hoc eſt certe, & ſi non ab omnibus conſideratum: quia interne fit, & quia obſtinati ſunt homines in malo: vnde conſcientiæ ora clauſa ſunt, vt non talia peccatori ex parte Dei dicat, vt fidelis ſeruus. Aut nos concionatores ambulamus ad aerẽ, non loquentes ad cor hominis, ſed ad aures, nec officium Dei calore debito & deſiderio contra peccatores, vt illi ſatis faciant, exercemus. Quia de iniuria multiplici contra Deum, inceſſanter ab homine irrogata, non dolemus toto corde, nec tabeſcimus cum Dauid videntes tot præuaricantes, & obedientiam furantes, & à facie Domini fugientes. Et, quid eſt hoc? niſi, quia non ſumus perfectè & verè Deum meum diligentes, & honorem eius valdè ſitientes (& ego omnium primus tepidiſsimus exiſto.) Vnde iam quæritur à cœlicolis: vt ſi inueniatur quis, fidelis verbi Dei diſpenſator, inter Dei diſpenſatores & myſteriorum Dei miniſtros, & concionatores: qui, vt mare cum Iona, ſic ſe habeat cum peccatore, & quouſque ad Dominum illum (quantum eſt ex ſe) reducat: & faciat vt furtum peccator reddat, & obediens coram Deo præſentetur, nõ quieſcit. Nunc, quam pauci inueniuntur Deo fideliſsimi erga animas fugitiuas: & etiam quam pauci ex concionibus intelligunt, ſe iniuriam Deo magnam irrogaſſe, ex inobedientia, & furtum fuiſſe grauiſsimum, quod peccando contra Dominum eſt perpetratum. Non erunt impuniti concionatores, qui ſeruos Dei fugitiuos & inobedientes non terrent, & furta ab ipſis commiſſa, coram oculis grauiter non oſtendunt, & ad Dominum ſuum pro viribus non reducunt illos, minis & terroribus, ſi non ſufficiunt obſecrationes, & molles ſermones.

*Pſal.118.*

*1.Cor.4.A.*

Diſpenſator Ioſeph ſurget in iudicio contra infideles diſpẽſatores myſteriorum Dei, & negligentes verbi Dei concionatores: qui ob deſidiam ſuam, & tepidum erga Dei amorem & animarum: pro nihilo ducunt, proximos peccantes ad Deum conuertere, Dei & verbi ſui auxilio. Audiant qui huiuſmodi ſunt, quid Ioſeph diſpenſator fecerit: vocatus à Domino ſuo Ioſeph, dixit illi: ſurge, & perſequere viros iſtos, & apprehenſis dicito: quare reddidiſtis malũ pro bono? Scyphus quẽ furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet: peſsimã rẽ feciſtis. Fecit ille vt iuſſerat dñs eius: & apprehẽſis per ordinẽ locutus eſt. Qui reſponderũt, quare ſic loquitur Dñs noſter, vt

*Gene.44. A.B.*

*Figura notãda.*

ſe rui

ſerui tui tantum flagitij commiſerint ? Apud quẽcunq; fuerit inuentũ ſeruorum tuorum, quod quæris, moriatur: & nos erimus ſerui Domini noſtri. Qui dixit eis, fiat iuxta veſtram ſentẽtiam. Et ſcrutatus eſt ſingulos ſaccos à maiore vſq; ad minimum: & inuenit ſcyphum in ſacco Beniamin. Et omnes fratres ſciſsis veſtibus, oneratis rurſum aſinis reuerſi ſunt in oppidũ ad Ioſeph dicentem illis: cur ſic agere voluiſtis. An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei, in augurandi ſciẽtia ? Cui Iudas, quid reſpõdebimus dño meo? Vel quid loquemur aut iuſte poterimus obtendere. Deus inuenit iniquitatẽ ſeruorũ tuorum: en omnes ſerui ſumus domini mei, & nos & apud quem inuentus eſt ſcyphus. His auditis, nõ ſe potuit vltra cohibere Ioſeph, quin eleuaſſet vocẽ cũ fletu dicens, ego ſum frater veſter Ioſeph: ego parco & in annis famis paſcam vos. Diuinum factum, doce me Deus meus.

O vtinam ego Dei diſpenſator & concionator (& omnis tali officio prædituſ) amoris Dei zelo feruens ſic iuſſa Dei vtiſte Ioſeph diſpenſator adimplerem. Omnes qui hanc Dei eccleſiam, in mortali delicto exiſtentes, intraſtis, fures eſtis & Dei honorẽ ſubripuiſtis. Dixit mihi dominus hodie, ſurge ab omni torpore & tepiditate, & minis & terroribus perſequere viros iſtos fideles: me verum Ioſeph, filium Dei accreſcentem, vendentes voluptate & periurio & honorem meum furantes. Apprehẽde illos ratione & verbi Dei catena, & dic illis: quare redditis domino meo excelſo malum pro bono, ingratitudinem pro beneficio, furtum pro conuiuio corporis ſui in altari exhibito? Quare inobedientiam illi pro mercede multiplici vobis collata, non eſtis veriti dare? Scyphus, ideſt, obedientia, quam furati eſtis, in ea delectatur bibere & ſolet Dominus meus & Deus meus: & in illa iudicat futura obedienti, & augurari ſolet. Videte ſi graue ſcelus eſt quod perpetratis contra illum, qui ſeipſum vobis in cibum præbuit in euchariſtiæ ſacramento. Quis veſtrũ non dicit: apud quemcunque fuerit inuentus Dei honor à nobis furatus, & obedientia ablata, moriatur: & nos erimus ſerui Domini noſtri? Quare ſic loqueris, diſpenſator verbi Dei concionator, in nomine Domini prædicans? Seruitui & Dei, tantum flagitium cõmittere debebãt? Moriatur fur honoris Dei & inobediens. Fiat iuxta veſtram ſententiam.

Ego ex parte Dei, ſaccos conſcientiarũ veſtrarũ euoluere hic

in templo Dei volo, coram Deo & Angelis eius, & ſcrutari illas verbo Dei, à maiore vſque ad minorem: tu adulter quare furatus es Dei honorem & ei inobediens exiſtens, ſexturn mandatum contra proximum fregiſti? Fur alienarum facultatum & honorum, da ſcyphum quem à Deo furaſti honoris tui & obedientiæ: ecce in ore ſacci & conſcientiæ tuæ exiſtentem illum, ita vt negare non poſsis: ſcindite veſtes veteres cõtritione vera, onerate aſinos, ideſt corpora veſtra, pœnitentiæ onere & ieiunij: reuertimini in oppidum, vbi adeſt Ioſeph & verus frater veſter Chriſtus; vt quid fugitis à facie illius? Audite illum dicentem vobis: inobedientes & meum honorem ſubripientes, à miſericordia mea fugiebatis, acſi ego omnia non videam & vbique non ſim? Cur ſic agere voluiſtis peccando cõtra me? An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in ſcientia futurorum, quanto magis præſentium?

O peccator, eſto Iudas, ideſt vere confitens peccata tua, & dic Chriſto Deo tuo: quid reſpondebo Domino meo, aut quid iuſte potero obtendere, cum ipſe ſcyphum honoris tui & obediẽtiæ furatus ſim? Deus inueniſti iniquitatem meam, en omnes potẽtiæ meæ corporis & animæ ſeruient Domino meo ab hinc vſque ad mortem. Abſque dubio credo, quod non poterit vltra ſe cohibere Chriſtus, ſi ita cum gemitu & dolore vero audierit te confitentem; ſcyphum honoris ſui reddentem, & vere cum potentijs tuis obedientem: & velle in futurum non vltra exiſtere inobedientem & rebellem. Et ſi eſſet opus, modo flere, eleuaſſet vocem cum fletu dicens: ego tibi parco honorẽ meũ, nam ego ſum frater tuus, quem hucuſque aſperum & rigidum expertus es, tuo videri, arguentem in concione & increpantem te tua conſcientia. Quaſi inuitus hoc feci contra te, & durum me ſimulaui vt ad veram confeſsionem te perducerem & honoris mei ſatisfactionem: ego parco tibi & fami tuæ paſcam corpore meo & ſanguine. O fidelis diſpenſator, tam confeſſor quam concionator, qui fidelem peccatorem, Dei auxilio, ſic ad Chriſtum & veram confeſsionem reduxerit: væ qui negligentia ſua abire præcipitem & honoris Dei furem, peccatorem finere voluerit: diſpenſator Ioſeph ſurget in iudicio contra illum.

Imo & arena maris ſurget contra infidum diſpenſatorem: nã (vt diximus ex ſententia Diui Chryſ.) arenam pelagi in tempe-

peſtate contra Ionam monſtratam fuiſſe, acſi Ionæ arena dixiſſet, quid contra Deum ſuperbis & inobediens exiſtere audes terra & cinis, & me debilior homo? Memento, te arenam eſſe & terram, & recordare fortitudinis meæ, dummodo Deo obedientiam continuam exhibeam: nam quia ipſe dixit mihi: eſto arena exigua & debilis, mari terminus (iuxta illud Ieremiæ à Domino dictum: me non timebitis homines, qui poſui arenam terminum mari?) ſum adeo fortis & obediens, vt contra fluctus furentis maris opponam me & dicam: hucuſque venietis & vltra non procedetis. Quare ego concionator, non dicam tibi arena, contra Deum audax & inobediens: non debes vltra tranſire ò homo fluctuans, ſed reuertere ad Dominum tuum & ad gratiam illius: terra & cinis, neſcis cito in terram conuertendus? Arena impedit fluctus, & ego Dei auxilio & locum ſuum habens, ſinam te vltra contra Deum viuere inobedientem? Vētus Ionæ reſiſtere conatur, arena maris impedit; & ego ex parte Dei exiſtens non reducam te in meliorem mentem? Reuertere ad Dominum tuum. *Ierem. 5. E.*

Ionas autem, etiam ſi vidit ventum contra ſe inſurgere, non ideo reuerſus eſt ad Dominum, aut mandatum eius impleuit: ſed deſcendit ad interiora nauis, etiam ſi cognouit ob inobedientiam ſuam eſſe tempeſtatem ortam, & ventum flantem. Ita & hodie multis contingit: qui abſque dubio cogitant, tempeſtatem quam hodie Eccleſia ſancta patitur ab hæreticorum & paganorum fluctibus inſurgentibus: ſuis peccatis ortam eſſe, & quia Deo inobedientiam præſtant in mandatis eius. Et audiunt à diſpenſatore Dei, nempe à concionatore, quotidie: & conſcientia propria dictat, & arena maris admonet illos: qui cum deberent ad Deum per veram pœnitentiam conuerti, & mandata ſua adimplere: potius de malo in aliud malum & de peccato in peccatum vſque ad interiora nauis & obſtinationem quotidie deſcendunt: ſed væ illis manet, ſi cito non reſipiſcunt. Peccator, fatere verum, quoties Deo per peccatum inobediens fuiſti, non venit motus magnus, & conſcientiæ remorſus contra te (vt olla feruens) tibi multa mala futura minando: & velut abſorbere te volens, vnde velis aut non præ triſtitia dicis, heu? Scito eſſe ventum Ionæ miſſum à Deo, vt in meliorem mentem redeas, & turbatus dicas: ô me miſerū, & in quā peruenī

insaniam? Ignis grando nix glacies, & spiritus procellarum, qui est aer, & ventus, cum sint res rebelles, ad visum hominis,
*Psal. 148.* in cessanter Deo obediunt. Et (vt ait Dauid) faciunt verbum eius: & ego semper, cũ sim rationalis & Dei sanguine insignitus, inobediens mandatis illius existo? Illis nec præmium obedientibus manet, nec supplicium minatur rebellantibus, & semper Deo parent: & ego cui cœlum & Dei visio obedienti promissa est, & æternus cruciatus mandatum Dei frangenti, quotidie diuinum præceptum conculco? Conuerte me Domine ad te vere, & conuertar.

Fluctuat mare, venti frement, ob hominis inobedientiam, & ipse nil minus sentit, imo & dormit? Cõmota est & contremuit
*Psal. 17. A* terra, id est conscientia terrena (ait Dauid) imo fundamenta montium conturbata sunt, scilicet iusti, fundamenta virtutum habentia: quando Dominus iram suam ostendit vento & mari furente, quoniam iratus est eis. Et dicit homo peccator in se reuersus & ad Deum (motu vẽti persecutionis & Dei auxilio aut
*Psal. 75.* concionis) conuersus: tu terribilis es domine, contra hominem inobedientem: & quis resistet tibi, quando iram tuam ostendere vis, etiam in vento aut in aquis? Videant homines, quid in
*Genes. 7. D.* diluuio resistere potuerant: ventis quos Deus misit contra oppidum de Oliuares, anno sexagesimo secundo in die suę gloriosissimæ trãsfigurationis, quis obuiare potuit? De cœlo & de tua diuinitate auditum fecisti mihi iudicium futurum concione aut interna inspiratione, minando, & blandiendo: terra (conscientia nempe mea terrena, aut anima terrenis desiderijs dedita) fremuit talia videns, & iudicium considerans, & sic à malis, tuo auxilio, quieuit: cum exurgeres in iudicium Deus contra me, minando vento & maris fluctu, & dicendo: O homo, in te reuertere, quia cito à me eris iudicatus: & si in mea amicitia inuentus eris, ad gloriam peruenies, Amen.

# Homilia Sexta.

*Tex.* ¶Ecce plusquam Ionas hic.

O magna

Magna Dei pietas & amor, quando Ionas nil minus quam de inobedientia ſua & peccato cogitat, ventum magnum & tempeſtatem immittis: & tamen mundus ruebat, & nautæ timebant, & clamauerũt ad Dominum ſuum, & Ionas, ob quem tempeſtas orta eſt, dormit ſopore graui. Nautæ (ait Chryſt. ibi) exonerabant nauem, & mare non quieſcebat: quia magis Ionæ corpore grauabantur, non corporis magnitudine, ſed peccati: nihil enim graue æque & oneroſum inuenies vt peccatum: & ideò per Zachariam plumbo comparatur: & Dauid naturam eius deſcribens, ait: ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, iniquitates meæ. Et Chriſtus dixit, ad eos qui in peccatis vixerunt: venite ad me omnes qui laboratis, & intelligitis vos laborare in peccatis: & graue onus eſſe Deo rebellare, & onerati eſtis põdere peccatorũ preſsi. Super quæ verba (Deo primũ auxiliãte, deinde humiliſsimo Diuo Franciſco impetrante in feſto illius) de peccati pondere & grauitate aliquando videbis. *Homi. de Iona.* *Zacha. 5. C.* *Pſal. 37.* *Matt. 11. D.*

Quotidie tecũ ô peccator, ſimilia contingunt: nam cũ nil minus quã de peccato contra Deum à te commiſſo, & de gratia & Deo amiſſo & cœlo cogitas, ſed ſomno grauiſsimo & lethali indulges, ac ſi vnus ex ſanctis eſſes, Dei bonitas, terrores, & tẽpeſtatẽ re morſus in te immittit, aut interna inſpiratione, aut externa concione, ac ſi infernus iã iã ore ſuo aperto vellet te viuũ corpore, & mortuum in anima deglutire, vt ſaltim timore obediẽtiã illi prẽſtes, quã noluiſti dare amore: etſi peccatũ, virtutis amore, odire noluiſti, ſaltim formidine pœnæ deteſteris illud. Tamẽ heu dolor, quoties tibi velut alteri Ionæ contigit: mũdus ruit cõtra te: mare feruet, ſcilicet, conſciẽtia tua, & terra tremit nolens te ferre, ſed vult deuorare te, vt Dathan & Abirõ, armata ſuis feris & crudelibus beſtijs & ſerpentibus ad vltionẽ tui: & cœlũ fulgurib⁹ minat vt reſipiſcas, & oẽs boni dolẽt de tuo ſtatu, & Angeli pacis amare flerẽt, ſi eſſent in ſtatu plorãdi: vicini clamãt ad Dñm vt miſereatur tui, lachrymis & gemitibus, vt nautæ illi (ſi amici Dei ſunt) ſancti orãt pro te videntes mala tibi minãtia, ſacerdotes ſacrũ Dei corp⁹ & ſanguinẽ, patri offerũt, vt pœnitẽtiã cõcedat tibi: tu ſolus rides, tu ſolus canis, & ludis vacas, & ita ſecurus cum aliena vxore thorum alienum maculando dormis, ac ſi in gratia Dei, in proprio dormires lecto, & in pace? *Num. 16. E.*

*Simile.* Absq; dubio, quisquis huiusmodi es, freneſi laboranti ſimilis es: qui, à medico & fratribus & vicinis tanquã morti proximus ploratur, & tamẽ ipſe ridet & nil mali timet. Medicus Chriſtus
*Ad Hebr. 5.E.* Dominus, plorauit ſuper te peccator, naſcens & moriens in cruce: & fratres tui boni fideles, flẽt animam tuã tanquã morti æternæ vicinam (cum primũ à corpore mortali delicto vulnerata vt eſt egrediatur) & rides ipſe, & ludis vacas, & dormis & nil mali times? Freneticus es: & ideo magis deflendus, quia nil times & rides. Nautæ timent (ait Hiero.) & nauem exonerant, & Ionas dormit quietus? Chriſtus ò Iſrael, plorauit ſuper te, & tu nec bonis nec malis intellexiſti Deum tuum, vnde ſiccos habẽs oculos riſiſti & modo ploras. O peccator, qui nec bonis beneficijs Dei, nec malis perſecutionum ad pœnitentiam duceris, nec Dei flebus ad plangendum peccata tua moueris? Caue ne cito mittaris vbi eſt fletus & ſtridor dentium. Omnes ſtatum tuum deplorant, & ſolus ipſe rides? Et dormis, cum tanta mala ſint tibi minantia, tanquam Dei inobedienti?

*Simile.* Eſt homo dormiens, & accedit alter euaginato enſe vt caput illius præcidat: videntes timent plorant, orant ne illum occidat; clamant, vt dormientem excitent & defendat ſe, & tantum periculum euitet: ille tamen nil timet, nec orat volentem percutere illum, nec à gladio cauet, nec ſe defendit, nec dolet de ſomno. O infœlix peccatoris ſtatus, ſimilia quota hora tibi contingunt, homo, in Dei offenſa exiſtens. Dormis in mortali delicto, arripit Dei iudicium gladium pœnæ
*Deu. 32. F.* æternæ & euaginat illum: nam ipſe dicit & faciet: viuo ego in æternum, ſi acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium, contra te peccator, in culpa dormientem, manus mea: reddam vltionem tibi & omnibus hoſtibus meis. Et gladius deuorabit te, quia obedire mihi noluiſti, ſed ad iracundiam prouocare
*Iſai. 1. E.* me (vt dico per Iſaiam) tuis culpis. Videntes boni, conſideratione debita Deum, ſic te gladio iudicij ſui percutere volentem, timent: Sancti Angeli & beati deprecantur Deum vt non in tali te occidat ſtatu: plorant iuſti in terra viuentes: clamore magno tam cœleſtes quã boni terreſtres te excitare à ſomno adeo periculoſo culpæ conantur: tu ſolus es, qui nec Deum nec iudiciũ eius times, nec homines vereris, nec Deum oras ne percutiat. Neque caues à ſupplicio æterno tibi minante, cum à culpa ſurgere

gere non cures: & ſic nec fugis mala tibi minantia, nec te pœnitentia defendis: vnde omnes te plorant, tu ſolus vt inſanus rides, imo derides & illudis tibi.

Contingit vt filius diſtractus à patre bono & honorato diſcedat atq; fugiat (vt alter prodigus) ad loca periculoſa & latronibus plena, quieta & pacifica deſerens. Dei tamen prouidentia, canis exit illi obuiã, cuius latratu territus ad patrẽ reuertitur, aut latronum timore, aut maris furentis terrore. Iona faciem Dei fugiens, audi latratus beſtiarum marinarum, vide fluctus maris, vita volentes, vt latrones ſpoliare te. O quanti filij perditionis eſſent hodie & perpetuo damnati, ſi recedentes à Deo, per inobedientiam mortalem, Deus miſericordiarum canem, inimicum nempe, odio latrantem contra hos non prouidiſſet, & alios illorum famam furãtes: vt inde cõpuncti per veram pœnitentiam, ad Deum eſſent reuerſi. O bone Deus, qui velut nutrix fidelis, mammilla voluptatis felle amaritudinis & infamiæ aut paupertatis à te perungitur, vt puer cẽtum annorum: peccator maledictus abhorreat illam, & ad te conuertatur dolore peccatorum debito. Pater diuine, qui filium flagellas & lacrymare facis, dũmodo gladium peccati de manu operationis dimittat: ideo ventum validum & tempeſtatem commouiſti contra Ionam, vt in ſe reuerſus ad te eſſet conuerſus: & ita cum peccatore te habes.

*Simile.*

*Simile.*

*Simile.*

Poteſt fuga prophetæ (ait Diuus Hiero, ibi) & ad hominis referri, in communi perſonam, qui Dei præcepta contemnens, receſsit á facie eius, & ſe mundo tradidit: vbi poſtea malorum tempeſtate, & totius mundi contra ſe ſæuiente naufragio, compulſus eſt ſentiri Deum & reuerti per pœnitentiam ad eum, quem peccato fugerat. Vnde intelligimus, etiam ea quæ ſibi homines æſtimant ſalutaria (Deo non placentia) verti in perniciem, vt hic nauis. Et non ſolum non prodeſſe auxilium his quibus præbetur, ſed ipſos qui præbent adiuuantes ad malum, pariter conteri & perire: ſicut legimus victam ab Aſsyrijs Ægyptum, quia opitulabatur Iſraeli, contra Domini voluntatem. Periclitatur nauis quæ periclitantem ſuſceperat, vento maria concitantur, in trãquillitate tempeſtas oritur: vt ſcias nihil Deo aduerſante) eſſe ſecurum & tutum, quamdiu inimicus eius es, & inobediens. Imo forſan, quod aduerſum iudicas tibi ſalutare fiet: vt Ionæ ventus & tempeſtas fuit: quæ iudicas ſalutaria

(nempe inuenire ad ſcelus tuum perpetrandum adiutores) valde tibi nociua ſunt & quæ contraria voluntati tuæ, ipſa ad Deũ te conuertuntur, multoties.

Tex. Ionæ.I.B. ¶ Acceſsit ad eum gubernator, & dixit ei, quid tu ſopore deprimeris? Surge inuoca Deum tuum, ſi forte recogitet Deus de nobis, & nó pereamus.

ECce ſecundum gradum (quo communiter Deus peccatorẽ à ſomno peccati excitare ſolet) nempe concionem ad cor loquentem & dicentem: ſurge qui dormis, nam mundus ſuper te ruit & graui ſopore depreſſus, in obſtinatione inſenſatus exiſtis? Gubernator iſte, recte concionator intelligitur, qui vt decet officium ſuum exercet exemplo & doctrina, verbo & opere: zelo Dei accenſus & animarum, lectione & oratione decoratus. Reuera qui huiuſmodi eſt, & donum concionandi à Deo accepit, multos, dormientes profunde in peccati ſomno, Dei auxilio, ad vigiliam gratiæ excitat, & de ſtatu ſuo admonet: & corda illorum ſopore graui torpentia verbo ignito terret dicens: quid inobediens exiſtens Deo ò homo, & â facie illius fugiens, & de peccato in aliud vſque ad malorum profundum & obſtinationis deſcendens, dormis ſine malorum tibi minantium conſideratione, & ſine iniuriæ Dei cogitatione? O quãtos hucuſque in mari huius mundi fluctuantes, & naufragium patientes, & periculoſe dormientes in culpis: vox viua gubernatoris & concionatoris (Dei adiutorio) excitauit ad vitam perpetuam.

O miſeria temporum noſtrorum; gubernator iſte gentilis cum eſſet, excitat Ionam à ſomno, illum verbis confundendo, dicens: vt quid in mari fluctuanti & tempeſtate furente, omnibus nobis plorantibus & clamantibus, ad Deum noſtrum, audes ipſe dormire in tanto vitæ tuæ periculo? Surge, inuoca Dominum tuum, ſi forte liberet nos à tam eminente ſubmerſione, & te etiam non ſuffocet. Et tu fidelis cum ſis, & Chriſti ſigno & charactere inſignitus, vides fratrem tuũ & vicinum,

num, non per menſem ſed annum naufragium patientem, & ſopore graui adulterij depreſſum atque dormientem, & inferni tormenta non timentem: & non accedis ad illũ charitate & ſuæ ſalutis & honoris Dei deſiderio dicens: frater mi, ſanguine Chriſti redempte, quid agis in tam graui culpæ ſomno Deo inobediens exiſtens per tot tempus? Vide iram Dei contra te minantem: vide bonitatem eius qua te hucuſque expectauit: ſurge iam amore Dei cadentis ſub crucis onere in via caluarij: & inuoca Deum lacrymis & pœnitẽtia, & certe recogitabit de te & nõ peribis. Quis hoc facit? Quis ſic fratrẽ à ſomno excitat? Vtinã ne ad culpę ſoporẽ inuites. Vtinã ne ipſe in cauſam fueris, vt miſera muliercula dormiat, voluptatis ſomno, & volẽti reſipiſcere & à tã periculoſo ſtatu ſurgere, ne impedias, & puluinaria donorũ & precũ, ſub capite illius vt quietius dormiat apponas. O iſto gubernatore infideli deterior, quid reſpondebis Chriſto, amore ipſius mulieris aut hominis, quem ad peccatũ inuitaſti, in cruce olim dormiẽti? Dicamus iam ad inuicẽ, hora eſt iã à ſomno ſurgere. Si quilibet teneturiſta verba gubernatoris gentilis proximo ſuo dicere, ſomno peccati indulgenti, amore & proficiendi deſiderio; quãto magis Dei miniſtri, ſacerdotes, religioſi prelati & concionatores? Quãto maiori ſupplicio iſti corã Chriſto iudice omnium, digni erunt, ſi non ſolum non excitant à ſomno, ſed ſubditos ad illum inuitant & ad culpam? Deus ipſe ſcit, & multi illorum experientia pœnarum iam intelligunt; quã malũ & amarum ſit, fratres à ſomno culpæ non excitare, quantum fuit in illis, & quam amariſsimum ad ſoporem peccati inuitare.

Forſan iſte gubernator percuſsit latus Ionæ calce, vt Angelus ſe habuit cũ D. Petro dormiẽte: & tamen Ionas excitatus nõ fuit vſq; ad vocẽ illius. O verbi Dei efficacia, niſi in illis qui ſunt ſimiles ſerpenti, aures obturantes terrenis, ne à ſomno delitiarũ ſurgant: nec ventus, nec tempeſtas maris, nec percuſsio calcis excitauit Ionam, niſi verbum gubernatoris. Magna eſt verbi Dei fortitudo, quæ Adam dormientem excitauit dicens: Adã Adam dormis? Excitauit & Matthæum à ſomno auaritię, & Paulum à ſopore ſuperbiæ, & benedictam Magdalenam à ſomno delitiarum; & deficiet me tempus enarrandi, de multis, quos nec ventus, ideſt conſcientiæ remorſus, nec tempeſtas pœnarum minans, neque calce illos ferire in late-

*Act. 12. A*

*Gene. 3. B.*

re,

re, dolorem incutiendo & filios occidendo, potuit à somno obstinationis excitare: qui tamẽ audito Dei verbo, in meliorẽ mẽtem, Dei auxilio, reuersi sunt, & ad se & ad Deum conuersi. O verbum Dei tuba cœlestis, quæ sic in auribus peccantum resonas: excita dormientes in vmbra mortis.

*Tex. Iona.* ¶Et dixit vir ad collegam suum, venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et cecidit sors super Ionam.

*Hom. 23. to. 1. fol, 370.* QVæ ergo sit ratio sortium (ait Orige. in Iosue) apud me metipsum requirebam, vt ex multis scripturæ testimonijs quod latebat agnoscerem: inueniebam sane etiam gentiles vsos esse sortibus: quando dixerunt tempestate cum Iona vrgente: mittamus sortem: quasi sors tantum valeret, vt prodere posset, cuius causa periculum nauigantibus immineret. Et quanuis gentiles essent & alieni à cognitione Dei; non tamen in hac opinione falluntur, sed quod verum erat prodidit eis sors: & sic venit super inobedientem. Hoc medio etiam Deus vtitur ad peccatorem excitandum à somno culpæ, forte infelici illum esse dignum indicans, quando omnes illi culpam suam objciunt & dicunt: certe inferno dignus es, vide quid facias:

O infelix sors & infeliciſsim⁹ homo, cui ceciderit post vitã vt in mare tormentorũ æternorum eijciatur sine exeundi spe & fine fine. Dicite fratres mei, si me cõcionante, ingrederetur Angelus de cælo missus à Deo hoc templum & dixisset, expecta paulisper & tace: ex parte Dei missus sum vt sortes mittantur inter vos, & vnus vestrum cui sors ceciderit, statim sine mora, neq; venia, est ab inferno deuorãdus. Eia mittamus sortes in vas istud, & tu puer extrahe, & primus extractus, est damnandus. Magne Deus, quãtus esset timor qui nos omnes apprehẽderet, quos gemitus & plãctus atq; suspiria de cordibus nostris emitteremus: nullus sciens an liber esset à tam periculosa sorte. Fratres, ex parte Dei omnipotentis dico vobis, quod quicunque in mortali delicto est, in sorte ista terribili & infelice est: & iuxta præsentem iustitiam damnatus est, & sors cecidit super te, vt in tormento-

*Simile.*

torum mare demerſus ſis, in tali diſcedens ſtatu. Executio ſententiæ in arbitrio Dei eſt, nam tu dignus es vt ſtatim executioni mandetur. O ſors valde triſtis, quæ ſuper te veniet & cito, ſi in vnico mortali anima tua à corpore ſeparata fuerit. Quis non timet? Quis non pœnitentiam agit veram & aliena reſtituit, & voluptates odit, ne tam execranda ſors illi contingat? Quis? Multi ex vobis, qui modo velitis aut non timere debetis: & quia non ſtatim ſors mandatur executioni, abſque vllo timore mala perpetratis.

Eſt homo corde adeo duro & obſtinato, qui de Iona non doleret, videns illi ſortem cecidiſſe ob quam in mare furens proijciendus erat: in quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus? O peccator, vtinam Deus ſortem contra te iam emiſſam innoteſcat tibi, vt à tam periculoſo ſtatu, Dei auxilio, cito exeas ante quam ſors executioni mandetur. Et non doles de teipſo? Non ploras animam tuam? Quid mare iſtud cum inferno? Quid belluæ marinæ cum Dæmonibus? Quid reptilia pelagi cum damnatis hominibus? Quid fluctus maris furentes, cum flumine igneo & ſulphureo in tartareis locis exiſtente? Quid tempeſtas maris per diem, cum verme conſcientiæ tuæ qui non morietur ſed in perpetuum viſcera tua corrodebit? Ad omnia iſta & maiora damnatus es in mortali exiſtens: & ſors miſera contra te cecidit, vide quid facias: vide quo modo rides, ludis & voluptatibus vacans: nã damnati ad remum triſtantur & plorant. O inſania noſtra.

Vt quid nos homines tam grauiſsimam & valde dolendam tempeſtatem videntes inſurgentem noſtris calamitoſis temporibus, contra nauem ſanctiſsimam Eccleſiam, hæreſum & errorum & bellorum fluctibus furentem (vt poteſtis videre in illa Dominica quando ecce motus magnus factus eſt in mari ita vt nauicula operiretur fluctibus: & filius Dei ſuper ceruical ligneum dormiebat) quare igitur nos fideles, matrem noſtram Eccleſiam Chriſti impollutam ſponſam talia patientem videntes, non dicit vir ad collegam ſuum, & pater ad filium & Dominus ad ſeruum, & vicinus ad alterum, & prælatus ad ſubditum, & ſacerdos ad ſacerdotẽ, & monachus ad religioſum: frater miſqualis eſt iſta tempeſtas quam Dei Eccleſia grauiſsimam patitur? Ab hæreticis perſequitur, à paganis debellatur, à Chriſtianis offendi-

fenditur. Propter quem noſtrum frater mi, orta eſt tam periculoſo procella cõtra genitricem noſtram, Eccleſiam, ſanguine ſpõſi ſui nos abluentem atque lactantem? Venite omnes fideles in hoc tẽplo aſtantes & mittamus ſortes, & ſciamus quare tã graue malum contra Eccleſiam ortum ſit: & quis ex nobis fuit maleſactor & cauſa tãtæ procellæ exiſtens. Nõ opus eſt vt ſortes emittamus, vnuſquiſque legit in libro conſcientiæ ſuæ, tales peccatorum lituras, quod non opus habet de alio iudicare. Nam huic cecidit ſors, quia contra Eccleſiam fuit auarus: illi, quia voluptatũ amatori magis quã Dei: illi quia vindictę cupidus & blaſphemus: vnde multis cecidit ſors, quorum peccatis Dei Eccleſia tã grauem patiatur tempeſtatem: imo ob me ſolum orta eſſet.

Igitur ſi ob vnius Ionæ inobediẽtiam, tempeſtas in mari orta eſt: quid miramur ſi hodie tam dolenda procella, contra Dei Eccleſiam, à nobis videtur: innumeris fidelibus inobediẽtibus Deo & Eccleſiæ exiſtentibus, ieiuniorum fractoribus, adulteris, & homicidis ſceleratis & contaminatis? Timete ò homines, ſortem contra vos minantem pœnarum inenarrabiliũ. Ad nos reuertamur, à ſopore graui malæ cõſuetudinis reſurgamus, Dei auxilio: & Eccleſiam matrem noſtram amaritudine oppreſſam adiuuemus, lacrymis & verbis & operibus; & ploremus ante iudicem & clamemus ſinguli corde vero coram illo dicẽtes: meis malis Deus meus offendi tuam clementiam, & tua Eccleſia tanta patitur ob inobedientiam meam & culpam: effunde nobis indulgentiam, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, hæreſim & errorem, vt nos ſecuri tibi ſeruiamus.

Tex. Ionæ.1.C. ¶ Et dixerunt ad eum, indica nobis cuius cauſa malum iſtud ſit nobis: quod eſt opus tuum? Quæ terra tua? Et quo vadis? Vel ex quo populo es tu?

INterrogatur (ait Hiero.) perſona, regio, iter, ciuitas, vt ex his cognoſcatur & cauſa diſcriminis. Dic Iona cuius cauſa tam graue tormentæ malum patimur? Quod eſt opus malũ quod feciſti contra Deũ tuum? Confitere. Quæ eſt terra tua aut ciuitas?

Ex

Ex quo populo aut natione tu es? Et modo quo vadis miser? Sũ Hebræus & Dominũ Deũ cæli ego timeo, & vnũ Deũ adoro, qui fecit mare & aridam. Quid ergo feciſti vt ſic Deum tuũ iratũ redderes ſi illum times? Fugi à facie illius inobediens. Quid igitur faciemus tibi & ceſſabit mare à nobis; quia vadit tẽpeſtas vltra & intumeſcit mare contra nos? Quid? Tollite me, & mittite me in mare & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim quoniam propter me tempeſtas hæc grandis eſt ſuper vos, & orta eſt. Tulerunt Ionam & miſerunt in mare, & ſtetit mare à feruore ſuo. Ecce gradum vltimum & ſupremum à Deo ordinatum, quo peccator, relicto peccato in amicitiam Dei reuertitur; nempe ſacramentalem confeſsionem in Dei Eccleſia à Chriſto Domino inſtitutam, legitime coram ſacerdote claues habente à pœnitente factam. Nam ſi tu fidelis, ob peccatum tuum, es damnatus, & tibi ſors miſera cecidit pereundi & graui ſomno deprimeris: ſi aliquantulum oculos mentis aperuiſti, & aures: non erit ab re, à te iſta quærere, vt ſi poſſem tali interrogatione, ad meliorem mẽtem (Dei auxilio) reducere te ò homo, Deo inobediens neque cogitans, vnde ſis & quo vadas.

Quod eſt opus tuum? Ex parte Dei omnipotentis interrogo te ò homo, qui in mortali delicto es & Deo inobediens, contra quem ſors damnationis cecidit, ſecundum præſentem ſtatum: vt dicas mihi, quod eſt opus tuum? Indica mihi cuius cauſa malum iſtud quod contra Eccleſiam venit & contra animam tuam ſit. Quod malum feciſti? Multa mala feci contra Deum & conſcientiam meam: inobediens mandatis Dei fui, creaturas illius ad malum inuitaui, & in periculo ſubmergendi æternaliter in profundum inferni conſtitui illas. Deſcendi de culpa in aliam & aliam vſque in nauis ſentinam & obſtinationem animæ. Quod eſt modo opus tuum? Laboras, an es in otio? Laboro in peccatis & circa virtutes ocio vaco. Quod eſt opus tuum? Neſcis fidem ſine operibus eſſe mortuam? Ignoras te indigere, poſt fidem, recta operatione? Quid agis in mundo tota vita otioſus, & male operans?

Quę terra tua? Scis te de terra plaſmatum eſſe? Vt quid ſuper bis terra & cinis, & Deo inobediens fuiſti? Scis in terrã fore conuertendus? Vt quid de cœlo non cogitas? Vt quid terrenis deditus

ditus es, acſi animam ſpiritualem nō haberes? Quæ terra tua eſt? Credis te à Deo creatū vt in iſta terra ſemper viuas, & in valle lacrymarum inter beſtias, appetitibus brutalibus vtens in exilio: aut viuere in cœlo inter Angelos, vbi Chriſtus redēptor tuus eſt ad dexteram patris reſidens? Quæ terra tua eſt? Cœlum, & illa terra viuentium vbi nemo neque in anima neq; in corpore mori poteſt terra mea eſt & patria. Quare igitur in iſta terra voluptates & diuitias theſaurizas & raras virtutes, acſi tantum corpus terreum habuiſſes & non animam ſpiritualem: & ſicut ſi Deus, vt hic in æternum viueres, creaſſet te? Deus cœli debebat in terram (carnem aſſumendo) deſcendere, & in crucem aſcēdere & mori ibi: vt tu in terrenis ſemper viueres, ſine cœleſtibus obtinendis? Deceptus es certe: & vide quæ ſit terra tua, ad quā es creatus, & vſque ad illam peruenias, nempe in cœlum, ne hic delitias quæras. Si digni ſunt obiurgatione Iudæi, quia indeſerto, ante terram promiſſam ad quam erant vocati, conquerebantur non habere ficus nec vineas nec malogranata: quanto magis vos fideles increpatione eſtis digni, qui in deſerto huius mūdi & in iſta terra & lacrymarū valle, vultis delitias & voluptates? Quæ terra tua ad quam Deus creauit te homo, & de tenebris Ægyptiacis eduxit? Deſertum huius mundi, an cœlum? Si deſertum, vę tibi ad infernum ibis: ſi cœlum vt quid tota mente, & totis viribus & virtutibus non tendis ad illud? O terrene, de terra & terrenis ſemper loquens: ſi ad Dei obedientiam non reuerteris, ſciens malum tuum & delictum: & quomodo terra tua non eſt de hoc mundo ſed ad cœlum creata: in terra miſeriæ & tenebrarum, cum epulone ſepultus, in perpetuum manebis.

*Nu.20.A.*

Quo vadis? Sufficiat hoc verbum vt ad Deum & eius amicitiam reuertaris. Quo vadis inobediens Deo? quo vadis obſtinate, & à facie Dei & à miſericordia ſua fugiens? Quo vadis? Ad mortem inceſſanter vado. Et fugiens vitam, Deum nempe & gratiam: in mortali delicto mortuus audes ad mortem ire? Inuite pergo, nam ego nolem ire. Quo vadis? Ad iudicium iuſti iudicis Chriſti, vt ſagitta, nauis, nuntius, auis, aduolo. Et ad iudicium, ſine iudicio & Dei amicitia, inobediens & obſtinatus nō times ire? Timeo, & volo non ire, ſed non valeo quia nequeo quod deſidero: quia ſtatutum eſt ſemel mori hominem, & ego millies in anima mortuus ſum: & poſt mortem neceſſario manet

*Sapi.5.B.*

*Ad Hebr. 9.G.*

net iudicium. Et ſciste moriturum, & tam effrænate peccare nō vereris? Et te fore iudicandum agnoſcis, & abſq; vllo timore per petras ſcelera atque delicta? Quo vadis homo? Ad Deum ipſum eo. Et ſine Deo & eius gratia, credis te audere coram illo appare re? Non audiſti Apoſtolum dicentem, horrendum eſſe incidere *Heb. 10. F.* in manus Dei viuentis? Ad iram Dei vadis, miſericordia relicta, quia pœnitentiam agere nonvis? Ad mortem vadis, poſt quam, non remittitur peccatum? Igitur ad infernum vadis. O ſi ſcires quo vadis: à Deo eiectus, ergo ad Dæmonem vadis: ad ignem æternum, & ad pœnas, quas nec ipſi, qui experientia didicerūt, narrare valent.

Erat Agar ancilla Saræ Dominæ ſuæ inobediens, & à Do- *Gene. 16. B.* mina afflicta fugam inijt: & cum inueniſſet eam Angelus Domini iuxta fontē aquæ in ſolitudine, quæ eſt in via Sur in deſerto, dixit ad illam: Agar ancilla Sarai vnde venis? Et quo vadis? A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio. Reuertere (dixit Angelus) ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius, & multiplicabo ſemen tuum: & paries filium Iſmahel: hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Et ſic reuerſa eſt ad Dominam ſuam Agar. Anima in peccato exiſtens, ipſa es Agar, ancilla & ſerua dæmonis: quam Eccleſia Domina tua arguit & obſecrat & ad humilitatem & gratiā te reducere ſatagit, ſed fruſtra. Nam correptionis impatiens cum ſis, fugis conciones & Eccleſię admonitiones; nec corripi vis, etiam ſi omnibus Dei promiſsis carere debeas: ò peruerſa volūtas. Tametſi Eccleſiæ ſanctæ conſilia ſpernis, & conciones illius fugis & ſacramenta non exerces: velis aut non in deſerto mundi ab omni virtute & ſolatio deſerta eris infeliciſsima, & vaga & omnium rerum inops & indiga eris, anima peccatrix Deo & Eccleſiæ inobediens. Nec ſcies quo diuertas, imo deſperabundæ ſimilis eris: inter beſtias vitiorum, & ſerpentes peccatorum, quid boni potes habere? Prę cipue, cum careas Abraham, ideſt Deo tuo, per gratiam patre omnium, & Eccleſiam non habeas niſi tantū fide, gratia & charitate abſens ab illa. Quod malum, ſi attente conſideraſſes, & finem reſpiceres, & nouiſsima cogitaſſes, forſan non tam leuiter Deum offendiſſes, & Eccleſiam (& ſi non fide) opere non fugiſſes: & vltima prouideres.

Domus Abrahæ, in qua promiſsiones, & benedictiones, de-

niq; & Deus ipſe inuenitur, eccleſiã ſanctam ſignificat, in qua omnia bona hæc inueniuntur: & ſic Abrahã Deum ſignificat, & Sara eccleſiam, & Agar quẽlibet hominẽ. Agar extra domũ Abrahæ nata, nec ad illũ pertinebat: tamẽ ex gratia, in domum Abrahæ ſeruitura aſſumpta eſt: imo ex ancilla in vxorẽ: quæ ſuperbiendo honorẽ perdidit, & quia mãdata dñæ ſuæ contẽpſit. Sic & quilibet noſtrũ, extra eccleſiã & in peccatis & ira Dei natus eſt: nec Deus nihil nobis debuit, nihil merebamus: tamẽ ex gratia Dei, in eccleſiã ſumus aſſumpti, vt ſeruiremus Deo & eccleſiæ, & ex ancilla, anima tua ſponſa Chriſti effecta eſt: quẽ honorẽ peccando amiſiſti, quia peccatũ ſeparat te à Deo & diuidit: *Iſai. 59. A.* iuxta illud Iſaiæ: iniquitates veſtrę diuiſerũt inter vos & Deũ veſtrũ: etiam ſi fidelẽ, nulla iniquitas diuidat à fide niſi hæreſis aut alia infidelitas: tamen diuidit illũ omne mortale à gratia & charitate. Agar Sarã offendit, peccator eccleſiã ſcandalizat, & Deũ offendit male: nec tamen anima tua peccatrix admonita atque correpta emẽdatur, imo quotidie peior efficitur, & inter dæmones vagatur, ſemperq; inſtabilis eſt. Interim quod alia venit homilia, vt hanc materiã tanquã vtilẽ animabus terminemus, mitte domine angelum tuum de cœlis, qui reducat errantes ad eccleſiam ſanctam: & dicat inobedientibus, videte vnde venitis, & quo vaditis, quia terra veſtra cœlum eſt, quod Deus mihi & vobis prẽſtare dignetur Amen.

# Feriæ Quartæ Dominicæ Primæ Quadra. Homilia Septima.

*The.* ¶ *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe meus Frater, ſoror, & mater eſt*, Matth. 12

*Tex.* ¶ Viri Niniuitæ ſurgent in Iudicio cum generatione iſta, & condẽnabunt eum: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.

¶ Saluta-

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

REGINA Saba ſurget in iudicio contra nolentes verbum Dei executioni mandare, virgo ſancta, & merito, cum filij tui Salomonis veri & pacifici ſit tale verbum. Ecce pluſquam Regina Auſtri es tu regina cœlorum: quia nō fuit opus vt à finibus terræ venires ad audiendā Salomonis veri ſapientiā: ipſemet à finibus cœli venit in terram ad thalamū vteris tui ſacratiſsimi. Et ille, in quo ſunt omnes theſauri ſapientię diuinæ, fuit in vtero tuo & ex te natus fuit, tanquā ſponſus de thalamo Virginali procedens. Audiuit virgo ſancta, populus hic pœnitentiam Niniuitarum, & ſemper impœnitens manet, quo ad multos illius. Nam multi fideles, neq; minis neq; terroribus, neq; fluctibus minantibus illis, ad ſe reuertere voluerunt. Ne ſurgas contra illos regina cœli, ſed cum ſis mater pacifici Salomonis, & ſis à dextris illius: pete à filio tuo vt ſpiritus immundus exeat à nobis & ne vltra hoſpitiū inueniat. Quid dares homo vt hanc dignitatem, nempe patrem Dei, aut fratrem, aut tu mulier matrē filij mei aut ſororē eſſe obtinere poſſes? Multum darem. Obtineam ego Dei mater à te, vt voluntatem patris æterni in omnibus facias: & filius ad implebit verbum ſuum in fine huius euangelij poſitum. Quod eris frater illius homo, implens Dei mandata, & tu mulier mater aut ſoror. Sine gratia, non poteſt talis dignitas nobis contingere: Regina cœli impetra à patre amore filij, vt ſpiritus ſanctus eloquium meum ignitum faciat, vt voluntatem Dei ſemper faciamus omnes vt dignitatem cœleſtem inueniamus. Vt facias dicamus, Aue.

In calce præcedentis homiliæ, tractabamus de miſero peccatore, fugiente dominum ſuum, & eccleſiam ſanctam, verſus tenebras ęternas, vt Agar feſtinabat in Ægyptum: & ſicut iſta, niſi ſuperne admonita eſſet, nunquam eſſet reuerſa: ſic peccator, niſi pater traxerit illum. Vnde dominus mittit angelum ſuum, & concionatorem, cuſtodientem labijs ſuis ſcientiam domini: vt peccatorem admoneat, de fuga ſua, nociua valde animæ ſuæ. Et primo interrogat illū: vnde venis homo, inobediens Deo & eccleſiæ? Et quo vadis perdite? Vide vnde venis, & quāta bona peccādo amiſeris: & quo vadis, nēpe, ad mala quorū non *Ioan. 6. D.*

est numerus. Venis à Dei gratia, & à patre auersus es: vnde dignus es pœna damni, vt in æternum Deo careas: vadis ad creaturam & voluptatem tuam conuersus: quo titulo dignus es pœna sensus & æternis cruciatibus. Vnde venis vide, & quo vadas attende: nam res magni momenti est, absq; dubio. Reuertere in te & dic mihi vnde venis? O Dei pietas, qua semper afflictis, familiariter vis vt loquamur, ne desperent: sanis autem dure ne superbiant. E contra Diabolus, afflictis addit terrores, vt ad desperationem adigat, insolentibus & obstinatis, consolationes, vt diutius in peccatis detineat. Inueniat te Dominus ò homo: qui iam vt Agar tripliciter perijsti: primo quia de domo Dei fugis; deinde, quia inter Dæmones es; & vltimo, quia versus tenebras infernales properas: à faucibus inferni liberet te Dominus. Vnde venis anima Ecclesiæ ancilla, & iam fugitiua ab illa per peccatum? Bene scio vnde venis & quanta bona reliquisti, & quo vadis, nempe ad quam grauissima supplicia, sed vt legitime confitearis interrogo.

A facie Dominæ meæ Sarai fugio. Argutione dignus es peccator, tua delicta celando ipsi Deo confessionem tuam auscultanti, & sacerdoti vicem Dei habenti: quasi Deum fallere velis aut possis, cum tantum teipsum decipias: ecce Agar peccatum suum confitentem, vnde Angelus non amplius eam arguit: nam confessio erroris veniam meretur. Et si legitime peccata tua cõfessus fueris, & ad vomitum non fueris reuersus, in æternũ Angelus testamenti, Christus filius Dei, non arguet te de illis, neq; exprobrabit: sed te consolabitur & instruet, quo pacto miseriam effugere poteris, Vt Angelus se habuit cum Agar dicens: reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius, & multiplicabo semen tuum. Reuertere igitur fidelis, ad Dominã tuam & matrem Ecclesiam, charitate & obedientia, vt es fide & credulitate: humiliare te sub manu illius & in omnibus illi obedientiam præsta: & multiplicabo semen meritorum tuorum, & paries filium, rectæ operationis, qui sit contra omnes Dæmones, & ipsi contra illum. Nam vult Deus, vt reconcilieris Ecclesiæ, & illi te subijcias, quam peccatis offendisti: nec quicquam à te acceptabit Deus, nisi prius Ecclesiæ suæ reconciliatus fueris. Quicquid Sara agit cum ancilla, hoc ratum habet Abraham: & quicquid Ecclesia agit cum peccatore, pro rato & firmissimo ha-

mo habet Deus. Ne igitur dedigneris, Ecclesiæ per veram confessionem humiliare te: cum scias illam habere potestatem ligãdi & soluendi, & Dei autoritatem: ipse dixit & ita erit; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ioan. 20. F.

Vnde igitur venis ò peccator, à facie Domini fugiens? Considera ingressum huius vitæ, & videbis te pauperem esse & vilem, dolore & necessitate plenum. Nudus ab vtero matris egressus es, & nudus reuerteris, nisi virtutibus aut vitijs vestitus: vide ingressum tuum in hunc mundum esse lamentabilem: vnde venis? Vide egressum à mundo esse terribilem, quo vadis? Directe tendis ad mortem, & ad iudicium Dei rigidum: tẽpus huius vitæ quid est (ait Diuus Augustinus) nisi cursus ad mortem? Et in tali cursu, nemini paululũ stare vel remorari permittitur: sed velis nolis, incessanter vt auis volans & sagitta transiens, tendis ad illum terribilem mortis terminũ. O mors quã amara est memoria tua homini iniusto, & pacem habenti in substantijs suis & rebus caducis. Et meritò, cum ab his separatus, hæreditabit serpentes Dæmones & vermes Eccli. 41. A. Ibi. 10. B.

## ¶ Ex quo populo es tu?

Tex.

INterrogaui te in nomine Dñi peccator Deo inobediẽs, per ordinẽ, quod malũ erat tuũ & peccatum tam graue quo Deum offenderas, vnde talem tempestatẽ contra te & nos & Ecclesiã, ortam esse videmus: interrogaui quę terra erat tua, si cœlum aut hæc lacrymarum vallis, vbi cor tuũ tam fixũ habes: deinde vnde venis & quo vadis: modo interrogo te vt mihi dicas, ex quo populo es tu? Es, ex populo gẽtili, aut Iudaico siue Mahumetico? Nõ. Ex quo igitur populo es? Ex populo Christiano, & Regali sacerdotio, ex gente sancta ex qua innumeri sancti orti sunt: tot martyres & confessores. Ex populo sanguine Dei acquisito sum (vt Petrus testatur) ex Ecclesia sancta Dei sponsa & sanguine suo & sacramentis decorata, & verbi Dei pabulũ præbente. Et ipse vixisti vt ex tali populo, quomodo igitur fugis modo inobediẽs? Vt paganus hucusq; blasphemus vixi & adulter, Deo ferè in omnibus inobediens & Ecclesiæ suę sanctę fidelis sum: etiãsi Deum cœli timeo & credo, fide tantum: offendi tamen illum Ionæ. 1. Pet. 2. E.

magna inuerecundia, vnde à misericordia sua fugiebam, & sic iram illius magnam inueni.

Si de quocũque fideli, ex populo Christiano existẽte, ista dolenda sunt: ex quo populo es tu sacerdos, inobediens in matris cõ scientiæ tuæ turbulentæ sentina iacens: & in consuetudine de prauata peierandi, aut odiendi, aut voluptatibus vacandi? Ex populo angelorum sum, cum puritatem illorum debebam habere, ad ministerium adeô diuinum exercendum, vt est corpus Christi consecrare: & dominus me angelum esse per Malachiam affirmauit: & lucem mundi, quia alios illuminare debebam: & sal terræ, quia saporem virtutis & boni exempli alijs teneor conferre. Et viuis vt angelus puritate & castitate? Non, nisi vt pollutus & immundus, ac si non ex populo angelorum, sed brutorum essem. Et alijs lucem virtutis das & saporem boni exempli? Tenebris plenum est cor meum, & ad illas, alios inuito, meo exemplo prauo: vnde sal infatuatum sum ad nihil nisi ad conculcationem dæmonum & hominum aptum. Et tu monache, ad omnia quæ sacerdos deuincte & in super ad ea quæ religio tua sancta tenet & docet: ex quo populo es? Ex populo sanctæ religionis, à Deo per sanctos suos institutæ: vt sim ex populo cœlesti in puritate & sanctitate in mundo adhuc existens. Viuis vt talis? Deus scit, & etiam illi, qui in me scandalum patiuntur. Ad te reuertere, & vide ex quo populo es: nempe ex sancta religione. Prælati videant ipsi, ex quo populo sunt: & quo modo in officio, ex populo apostolorum sint. Et si iuxta leges apostolorum & vitam viuant an non. Non est meum vermis cum sim apostolos interrogare (ideſt prælatos) de vita: habent iudicem in cœlis: ipsi met conscientias consulant & videant vnde veniunt & quo vadant, & ex quo populo sacrato, dignitate sint.

*Malac.2.B.*
*Matt.5.B.*

Respondeo fidelis Deo inobediens ad quatuor quæsita: Ionas dixit, Hebræus ego sum, & dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam: mare in quo fugio (ait Diuus Hieron.) & aridam à qua fugio, fecit Deus quem timeo. Quo modo igitur, Deum te timere affirmas, cuius præceptum non seruas? Peccatorum etiam est timere Deum, & seruorum sed non diligere: si timor hic pro cultu vnius Dei non accipiatur, iuxta sensum audientiũ illum. Aut non timui Deum quando inobediens fugi,

modo

modo autem poteſtatem eius videns vehementer illum timeo: ſicut omnis peccator timeret illum, ſi poteſtatem eius & irã agnoſceret. Si ipſe Deus, quẽ fugis, aridam fecit & mare (ait Hier.) cur aridam relinquens, arbitraris te conditorem maris poſſe vitare? Et tu fidelis, firmiter credens Deum vbique eſſe, & illius potentiam fugere non poſſe: & nihilominus illum offendere non vereris? Quo Deum fugies? Quid faciemus tibi? Dicunt nautæ Ionę: hoc eſt interficiemus te? Sed cultor es Dei: ſeruabimus? Sed Deũ fugis: noſtrũ eſt præbere manus, quid fieri iubeas. Sed mare ibat & intumeſcebat: ibat, vt iuſſum illi fuerat, ibat in vindictã dñi ſui: ibat perſequẽs fugitiuũ prophetã: oſtendens ſe vltionem creatoris differre nõ poſſe. Ait tamẽ Iona culpã ſuam agnoſcẽs: tollite me ſolũ & proijcite in mare: nam fluctus ipſi imperant vobis hoc: neq; culpã negaui, nec pœnam refugere volo. O vere cõfitens culpam, & pœnitentiam amplectens, cauendo à futuris, quã felix ſors tua erit. Et cũ eſſent illi gẽtiles, laboribꝰ & remigãdo, nitebantur periculũ fugere, ne ſanguinẽ inobedientis effunderent, volentes magis perire quam perdere.

Age modo iſta quę diximus quibus interrogauimus Ionã, & tibi peccator, dicta puta: accede vere ad pœnitentiam, veni cito ad confeſſarium: cum experientia vidiſti, fluctus conſcientiæ, & Deum minantem contra te. Audiſti me in nomine domini dicentem: vide vnde venias, & quo vadas: veni cito ad confeſsionem legitimam tuorum peccatorum, & fatere veritatem ſine violentia. Domine, ego Deum cœli timeo & credo eccleſiã tamen inobediens Deo fui in hoc & illo delicto à me commiſſo. Quid igitur faciam tibi tot tantaque habenti crimina? Pater dignus eram vt in mare inferni mitteres me: tamen quia (auxilio Dei adiutus) vere de peccatis doleo, & legitimam feci cõfeſſionem & ſatisfactionem, cum propoſito firmiſsimo cauendi in futurum: tolle me confeſſarie, & omnia peccata mea & mitte me & illa in pelagum infinitũ miſericordiæ Dei, & in mare rubrum ſanguinis ipſius: & beneficium abſolutionis, virtute ſacramenti pœnitentiæ & paſsionis redemptoris mei mihi impende. Nam mare miſericordiæ eius & meritorũ in infinitum magis excedunt & ſuperant peccata mea, quam mare oceanum vnã aquę guttã: & ſic fiet tranquillitas in anima mea. O quã fœlix eſt ille homo, qui vitam ſuam ita, Deo auxiliante, ſtuduerit gubernare,

& ad pœnitentiam cito fugerit: & dum adhuc noua sunt, & calent peccatorum suorum vulnera, sic adhibet sibi medicamenta salubria confessionis, vt absolutionem mereatur accipere. Quia medicus noster omnipotens est, & sic consueuit plagas nostras curare, vt nec cicatricum vestigium post ipsius medicamina remaneat: & sic absorbetur peccator à pelago misericordiæ Dei & manet amicus eius. Tamen heu è contrario, quam infœlix est ille homo, toto lacrymarum fonte lugendus, qui se ita malis operibus cruentauit, & inobediens Deo, ita ad obstinationem descendit: vt in illo non Christus requiescat, sed diabolus dominetur: nec tamen velit cum Iona & supra posito pœnitente, sua confiteri peccata vere, sacerdoti Dei vicem habenti cito & in tempore accepto. Time quicunque talis es homo impœnitens, quia in tempestate mortis tuæ, quando omnes fluctus tentationum & peccatorum tuorum procella surgat contra te, in ipso animæ tuæ à corpore egressu, omnes Dæmones, saltim multi, obuiam tibi fient, & interrogabunt te.

Quod est malum tuum & opus prauum anima misera & damnata, quo ad carcerem istum tetrum missa es ab illo qui te sanguine redemit? Ne interrogetis me talia: nolui in tempore vtiliter confiteri vnico sacerdoti mea delicta vt salua fierem: & debebam tot Dæmonibus, inutiliter & sero, illa propalare, vt Iudæ pharisæis? mittite me in ignis furorē, & ne interrogetis me. Certe debes illa nobis dicere, velis aut non: quia noluisti, sacerdoti reuelare. Interrogate me. Quæ terra tua? Tenebrosa, ista vestra & mortis caligine operta; quia nolui terram viuentium, mihi à Deo oblatam, & sanguine suo partam. Et quo vadis detestanda anima? Ad hospitium vestrum, ad ignem perpetuum, ad consortium damnatorum, ad pœnas quas patimini Dæmones. Ex quo populo es tu? Es forsan ex populo pagano? Es ex Lutherano? Non, nisi ex populo Christiano: & fidelis ego sum, & Dominum cœli credidi, & aliquando timui. Sed quia inobediens fui, ad obstinationem paulisper descendi: & pœnitentiam veram in tempore non feci, missus sum ad tam obstupendos fluctus. Credo, Dæmones timere timore magno (vt nautas) quando talia à Christiano audiunt damnato, præcipue si sacerdos est. O si prælatus si religiosus. Quid ergo faciemus tibi homo miser, à Deo maledictus proiectus? Ob meam causam or-

ta fuit

ta fuit tempestas grauis contra Christum in passione sua & ego nolui illa vti vt decebat: tollite me & proijcite me in mare tormentorum infernale. Et fecerunt sic nautæ infernales.

Vt quid non corde paues ô homo, de prauatæ conscientiæ, talia audiens? Quare non palles vultu inobediens Deo? Cur nõ tremes labijs & toto corpore & mente inhorrescis? Quare ob ortis lacrymis statim coram Deo & sacerdote magno dolore delicta tua confitendo, indesinenter non luges? Peccata tua, obstinatio & consuetudines prauæ impediunt: alias quis talia audiens non perhorresceret, & peccatum vt à facie colubri fugit? Tamen, loquar ad te alia via, vt te ad veram confessionem & peccatorum tuorum detestationem (Dei auxilio) deducam. Nolo terrore, sed amore, nolo minis sed blanditijs, allicere te & ad confessionem legitimam inuitare. Ne dicas mihi cũ Achab, quod odis me, quia non prophetо tibi bonum nuntium sed malum: verum est quod dixi: etiam si væ mihi mater mea quare me genuisti virum rixæ & discordiæ in vniuersa terra (vt dicebat Ieremias) sic ego semper rixas & minas terrores & stupores, debeo concionare? Absque dubio contingit, vt à me est affirmatum, cum peccatore in mortali à corpore & à vita discedente: tamen alia via volo te in nomine Domini, ô homo, ad veram pœnitentiam inuitare: si metu & terrore non vis. 3. Reg. 22. Iere. 15. c.

Confitere delictum tuum, saltim amore Christi, maiora tormenta & grauiorem tempestatem patientis, quam Ionas: cum tamen esset agnus sine macula: & quia ipsemet Dei filius, in nostro Euangelio dixit: ecce plusquã Ionas hic. Vide quomodo est plusquam Ionas, quia maiores labores passus fuit quam Ionas: cum esset, qui peccatum non fecit nec inuentus fuit dolus in ore eius. Vt saltim amore Christi, talia gratia tui patientis, in tempore resipiscas & relinquas vias prauas & legitime confiteatis. Filius Dei, columba sine peccati felle condolens, interitu mortis perire seculum videns, voluit sanare mundum languidum donando reis remedium: & sic missus fuit à patre æterno, non solum ad mundum redimendum captiuum existentem, sed etiam ad illum docendum, & prædicandum: vt Ionas ad Niniuen. Et, vt ait Diuus Hiero. (aut quicunque sit) in illo sermone de resurrectione: videte Dominum, etiam in veteri testamento, in serui forma mirabiliter apparere: Ionas iram Do- *Tom. 4. Hiero. fol. 153.*

mini prædicaturus, ad magnam Niniuitarum deſtinatur vrbẽ, dicturus adhuc quadraginta dies, ſubuerſa erit vrbs iſta: ego tamen filius Dei miſſus ſum in mundum, pro illo moriturus, vt ira Dei ceſſet ſuper homines, & vt diem ſalutis & præfinitum tempus iudicij annuntiem.

Ionas nauim expetit, ego filius Dei corpus meum & Eccleſiam intraui: Ionas fluctibus agitatur: ego mundi turbinibus exerceor: ille naulum ſoluit, & ego pro peccatis mundi, tanto corporis & vitæ meæ diſpendio & iactura. Niſi Ionas perditũ detur, nauis periculum non ſedatur: ſic mundus non liberatur niſi mea morte. Et ſic, relictis omnibus laboribus, quos in vita paſſus ſum, veniam ad tempeſtatem mortis & paſsionis meæ:
*Pſalm. 68.* Nam vt ad patrem meum dixi, ſaluum me fac Deus: pater mi, da mihi ſalutem poſt flagella, nam ſufficiunt certe ad me occidendum. Et cum diffinitum ſit à te me morte crucis eſſe moritu rum, da mihi ſalutem: quoniam intrauerunt aquæ paſsionum vſque ad animam meam tollendam à corpore: vel vſque ad vitam meam auferendam, infixus ſum in limo profundi & in cul pis alienis, & non eſt ſubſtantia in me ad viuendum: tamen veni in altitudinem maris, & in conſiderationem diuinitatis tuæ ab hominibus offenſæ, & tempeſtas demerſit me.

Attendite homines, malitiã delictorũ veſtrorũ, & interna cõ ſideratione cogitate qualis ſit & quã grauis, cũ ad talẽ tẽpeſtatẽ adduxerit me Dei filiũ. Nã in die qua crucifixus fui, coram Pilato ſum adductus: & ſicut Nautæ, dimiſſuri Ionã verentur & dicũt, Dñe, ne des ſuper nos ſanguinem innocentẽ: iſta Pilati fuit confeſsio, qui lauit manus ſuas (etſi non conſcientiam) dicens, innocẽs ego ſum à ſanguine iuſti huius. Et dixit mihi ille Iudex iniquus: quod eſt opus tuum? Quid feciſti vt ſic tam grauis tempeſtas orta ſit cõtra te Ieſu Nazarene? Non audis quanta aduer
*Matt. 27. B* ſum te dicunt teſtimonia? Non vides mare Iudæorum contra te feruens? Quod eſt opus tuum, tantum malũ tibi adducens? Chriſte Domine, reſponde Pilato & dic: quid feci? Cœlum & terrã & omnia quæ in eis ſunt. Quod eſt opus meũ? Omnibus bene-
*Iſai. 66. A.* facere, infirmos ſanare, & mortuos ad vitam reuocare. Quę terra
*Ioan. 19. B.* tua? Cœlũ mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellũ pedum meorum. Vnde es tu? Vt dixi per Ioannẽ: Hebræus ego ſum ex parte matris ſine patre genitus: diuin' & filius Dei ex parte patris ſine matre,

tre, ante secula ab ipso genitus. Quo vadis? Exiui à patre per eter nam generationem, & veni in mundum per carnis assumptionem: & iam iterum per mortem relinquo mundum, & per resurrectionem: & ascẽsionem, vado ad patrem: vado ad eum qui misit me, vado ad flagella & crucem. Ex quo populo es tu, qui tantam procellam venire contra te meruisti? Ex illo populo cœlesti, sum princeps, & rex illius, dux & creator Angelorum, Deũque cœli timeo, filiali timore, in quãtum homo sum: nam equalis patri iuxta diuinitatem sum. *Ibi. 16. D.*

Quid feci sti? Cœlum & terram. Quomodo igitur fors moriẽ di tibi & non Barabbæ contigit? Quia omnis ista Iudæorum furia & tempestas, quam cõtra me Pilate, vides ortam: scito quia prouenit ex hoc, quia fideiussor factus sum hominum Deus cũ sim: & primi hominis inobedientiam & omnium aliorum delicta, ego in corpore meo soluere debeo. Quia ipsi vnde honori patris mei satisfaciant nõ habent, nec tempestatem quiescere facere possunt. Quid ergo faciemus tibi, vt tam rigida tempestas peccatorum & pœnarum crudelium, quiescat & cesset ab hominibus, & honor patri tuo reddatur? Tollite me de terra, & proijcite me in mare passionum & flagellorum & tormentorum, & crucis & in mortis pelagũ: & cessabit mare peccatorũ & procella tormẽtorum ab omni homine, mea passione fide & charitate vtente. Etiã si viuens, vnam gentem Iudæorum (ob suã malitiã) non saluaui, moriar vt alter Sãson, vt mea morte vniuersus quo ad sufficientiam, liberetur mundus. O bone & pie Iesu, & non est qui dicat: ne eris, in tã grauẽ tẽpestatẽ innocens cũ sis, missus? Imo dixerũt, tolle tolle mitte Pilate in tormẽtorũ mare hũc hominẽ seditiosum commouentẽ populum omnem: ob quẽ tẽpestas magna & cordium motio in tota terra mota est, & crucifige. *Iudi. 16. G.*

O dolor & ò, rerum quanta mutatio (ait Diuus Hierony. in Ionam) nautæ gentiles volunt seruare Ionam, dispendio vitæ illorum, cum ipse Ionas dicat mittite me: nam mare furit, tempestas petit, & ira Dei iubet. Qui tamen proprium periculum negligentes, de aliena salute soliciti sunt: & populus qui seruiebat Deo, salutis suæ æternæ dispendio, dicit contra Iesum Saluatorem: tolle tolle hunc hominẽ & crucifigendo mitte illum in tormẽtorum tempestatem: vt obediens patri vsque ad mortem soluat pro inobediẽtibus. O malitia hominũ, vtinã & modo

modo inter fideles talis peruersitas non esset in vsu: qui filium Dei per peccatum ab animabus suis emittunt, quantum est ex se in tempestatem mortis eijcientes, in solutione, quia pro illis mori dignatus fuit: o præposstera solutio, ò ingratitudo mortaliũ. Ante quam nautę gentiles Ionã inobedientẽ in mare proiecissent, legimus dixisse magno tremore & clamore ad Deum: quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinẽ innocentẽ: quia tu Domine, sicut voluisti fecisti: & sic miserunt Ionam in mare. Iam verus Ionas, filius nẽpe Dei, in tempestatem mortis & crucis pro nostris debitis proiectus fuit fratres mei: corde & opere oremus nos etiam tremore magno & oris clamore ad patrẽ cœlestẽ dicẽtes: quęsumꝰ Dñe à te, lacrymis & gemitibus, ne pereamus & nos in anima & vita viri fortissimi filij tui pro nobis data in cruce, cũ male viuẽdo illa nõ bene vtimur: sed fac vt mors sua nobis vitã & tranquillitatẽ perpetuã tribuat, & sanguis eius innocens abluat nostra delicta: & tali misericordia filij tui omnes peccatores ad verã cõfessionẽ cito moueãtur, ne veniant ad illã terribilẽ & infructuosam Dæmonũ interrogationẽ supra positam: fiat fiat, quia tu Dñe sicut voluisti dare nobis filium tuum ad tempestatem nostram culparum sedandã, ita fecisti: ad nobis gloriã cõferendam. Amen.

*Ionæ.1. D.*

# Homilia Octaua.

*Tex. Ionæ.2. A.* ¶Et præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam.

*Li.9. cap.3. & li.32.ca.1. in fine.*

PIscis iste fuit cetus, teste veritate dicente, Ionã fuisse in ventre ceti: qui valde grandis est. Nã si Plinio fidẽ habere volumus, in rerũ naturaliũ descriptione, fide digno: affirmat ipse in Indico mari balęnas longitudinis quatuor iugerũ reperiri. Et Iuba, in his voluminibus quæ scripsit ad C. Cęsarẽ Augusti filiũ de Arabia; tradidit cetos sex centorũ pedum lõgitudinis, & trecentorũ & sexaginta latitudinis, in flumẽ Arabię intrasse. Id si verũ est, non solũ Ionam, sed quingentos homines deuorare posset: sit tamẽ vel non ita, cetus est piscis qui Ionã excepit immersum, sed nõ tetigit deuoratũ. Et quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit:

plenis

plenis viſceribus famẽ patitur, & in prędam & depoſitum quod abſorbuit nil ſibi licere miratur. Quis eſt iſte qui inter auidos rictus abſumi poteſt, conſumi non poteſt? Cibus eſt corruptio non eſt; traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio? Quis eſt iſte? Puto (ait Diuus Hiero. in illo de reſurrectionis ſermone) quod hic eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Ecce pluſquam Ionas ille eſt, quem ſęua mors, inexplebilis belua, in eſcam ſuã rapuit; & quem malitia & culpa hominum occidit, ipſa mors eſuriens & beſtia ferox, per triduum cuſtodiuit intactum. Nam etſi terra ſorbuerat crucifixum, tamen quẽ non inuenerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna.

Præparauit Deus ab initio piſcem iſtum (ait Diuus Hieron. in Ionam) cum conderet, iuxta illud, draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Vel iuxta nauem fecit venire, vt pręcipitẽ Ionam in ſuos reciperet ſinus, & pro morte præberet habitaculũ: & qui in mari iratum ſenſerat Deum, propitium in morte inueniret, & in ventre ceti. Sicut Dei filius, qui patrem ſuum indignatum contra homines & malignitatem ſuam, in tormentorum tempeſtate ſenſerat: in ventre terræ placatum & benignum ex pertus eſt. Seruite Domino homines in vita, ſi cupitis illum in morte inuenire propitium & pium. Sed valde conſiderandum eſt & timendum, cetum deuorare Ionam. Columbam deuorat? Prophetam, vnum Deum timentem abſorbet Cetus? Si nautas gentiles, tranſeat. ſi gubernatorem nauis? Sed Ionam Dei prophetam? Timete homines, quacunque ſitis dignitate pręditi, & timore cordis dictum Iob audite: abſorbebit Behemoth aut Leuiathan fluuium, & non mirabitur; habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. Quid his verbis terret nos Iob? Quid ad nos vt Dæmon abſorbeat fluuiũ, & Iordanis influat in os eius? Quid fratres mei? Audite fideliſsimum patientis Iob expoſitorem & pontificem ſummum Gregorium.

*Pſalm.* 103.

*Iob.* 40. *C.*

*Lib. Mora.* 33. *cap.* 7.

Quid in hoc loco fluui nomine, niſi humani generis decurſio & fluxus deſignatur? Qui velut à fontis ſui origine naſcendo ſurgit: ſed quaſi ad ima ad mortis mare defluens pertranſit. Qui autem ſignantur appellatione Iordanis, niſi qui iam imbuti ſunt ſacramẽto baptiſmatis, & dignitate Eccleſiaſtica decorati? Quia in Iordane redemptor noſter baptizari à Ioanne dignatus

tus est, vt aquas sanctificaret & vim regenerativam illis conferret: eius nomine exprimuntur omnes baptizati. Quia igitur malignus Dæmō vix paucis electis euadentibus omne fere genus humanum in ima defluens, quasi quendam fluuium ad se traxit vsq; ad redēptoris tēpora: benedicit Iob, quod absorbuit fluuiū. Nec de hoc mirabitur, cū post mediatoris aduentū, & post sacra medicamina sacramētorum, in Ecclesia ab ipso instituta, & post Dei verbum & tanta remedia, & post passionem & mortē filij Dei: quosdā (imo & multos) fideles qui recte viuere negligunt, rapit & deuorat & ad se trahit. Et sic recte subiungitur: fiduciam habet Dæmon, quod influat Iordanis (id est baptismate insigni tus, imo & sacerdos charactere spirituali & potestate diuinitus data, & religione donatus imo & prælatus) in os eius per culpā & instomachum, & deinde in inferni os tetrum per pœnam. Et vtinam tantum fiduciam haberet malignus quod influat fidelis in os eius per culpam, & cum tali fiducia illusus maneret, & non adimpleretur: tamen heu dolor quantos sub Christianitatis nomine deuorat, auaritia, & voluptate supplantando illos. Et quod magis dolendū est, quod non pro magno Diabolus habet vt baptizatos laicos deglutiat; sed etiam sacerdotes baptizātes, & sacrum peragentes, maximam fiduciam habet illos absorbēdi: & vtinam frustraretur sua fiducia & spes.

Cetus est piscis secundum Iorath, in cuius dorso coadunatur puluis, & cōdensatur arena, in tantū, quod herbę & frutices ibi crescāt, ita vt mons potius aut insula videatur quam cetus: quē nautæ in tempestate se reperisse gaudentes, missis anchoris desuper, falsa quiete quiescunt, & ibidem, gratia victus, ignes accendunt: quos dum bestia sensserit, subito ad profundum descendit, & sic nautas quos prius portabat submergit. Cetus infernalis, tali etiam vtitur, contra homines in hoc mundi pelago nauigantes, astutia & dolo: quia ad submergendos illos in profundum peccati, coadunat supra se parum arenę diuitiarum, aut parum herbæ voluptatis: vbi nauigantes infelices, post tentationis tempestatem, falsa quiete vtentes, credunt se in securitate quiescere. Tamen ò animarum illusor, cum primum homines ignem accendunt concupiscentiæ consentiendo, relinquis illos in profundum inferni descendere: sic mundus falsarius, sic caro putrida innumeros homines ad orcum miserunt.

Cetus

Cetus iſte Ionam inobedientē in ſtomachū recepit: & omnis peccator, cū primum mortali delicto maculatur, in Diaboli ſtomachū deſcēdit. Vide quā horrendū inueneris hoſpitiū homo, quando mortali delicto cōſentis, & quā vtilis animę tuę eſſet cōſideratio, ſi crebro cogitaſſes, per mortalem culpam te in Diaboli ventriculum deſcēdere: forſan aliter peccare abhorruiſſes. In Diaboli ſtomacho ſum, quandiu in mortali ſum? Es cerre. Et inde poſſum euomi? Potes, ſicut cibus frequenter à ſtomacho per os euomitur; tamen rariſsime ab inteſtinis. Caue à dæmonis inteſtinis, ideſt ab inferno, vbi nulla eſt redēptio: ab ſtomacho tamen, confitendo & vere pœnitendo, Dei auxilio euomi potes. Time tamen, quia ſicut cibum ipſe dentibus teris vt facilius digeratur: ſic aduerſarius dū in mortali es, maſticare te non ceſſat, vno & alio delicto: vt facillime cadas, & deſcendas ad inteſtina inferni. O quantos in hoc anno imo, die, Dæmon ad illa tremēda inteſtina miſit, & quotidie de culpa in culpam trahit & decoquit & digerit vt perdat. Inobediens Deo, in ſtomacho diaboli es, time ne in tali moriaris ſtatu, alias ſtomachus ad infernum te proijciet, vbi nulla eſt egrediendi redemptio.

¶ Orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de vētre piſcis. *Tex. Ionæ. 2. A.*

ET dixit, clamaui de tribulatione ad Dominum, & exaudiuit me. Proieciſti me in profundum in corde maris, flumen circundedit me: omnes gurgites tui & fluctus ſuper me tranſierūt: & dixi abiectus ſum à cōſpectu oculorū tuorum: veruntamē videbo templum ſanctū tuū. Circundederunt me aquæ vſq; ad animā, abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Et dixit Dominus piſci: & euomuit Ionam in aridam. Ionas clamauit ad Dominum de ventre piſcis. Etiam ſi in peccato ſis & in diaboli ſtomacho, eleua vocem tuam ad Dominum, & veniam de peccato tuo pete & dic toto corde: ad te Dñe clamo de profundo maris ad quod peccatum meū proiecit me: omnes gurgites iræ tuæ venerunt cōtra me, abyſſus peccati mei vallauit me: aquæ voluptatum mearum circundederunt me vſque ad animam Deus. De profundis malorum meorum, clamaui ad te Domi-

Domine, Domine exaudi vocem meam: dic totum pſalmum. Et tamen coram ſacerdote volo peccata mea vere confiteri. Clamauit Ionas & euomuit eum piſcis. Per peccatum in ſtomachũ diaboli intraſti, in periculo ad inteſtina eius, ideſt ad infernum, deſcendendi: cupis euomi, & à tam horrendo egredi hoſpitio? Nil magis deſidero. Accipe igitur fili mi conſilium meum, imo & Eccleſiæ, imo & Dei: confitere peccata tua, & euome illa vere, coram ſacerdote, ſaltim quia Chriſtus in figura Ionę magnifica tecum fecit, & euomitus eris à tam ſtupendo ſtomacho.

Euomuit beſtia Ionã in aridã ex Dñi pręcepto, quę tamẽ ſtatim obedit cũ eſſet brutalis: vt omnia, nẽpe maria, fluctus & beſtia recipiens & non occidens, & ſtatim reddens illũ iuſſa, cõfunderent Ionæ inobedientiã, ne vltra rebellis eſſet Dei mandatis. Ipſemet Dęmon pertinax cũ ſit, obediens eſt Deo, in hoc quod euomet te ò homo (quando euomis & ipſe peccata tua confitendo) & non confunderis, vt vltra Deo ſis inobediẽs? Ita præcepit Dñs morti ſemper eſuriẽti, præcepit & abyſsis & inferno: vt mũdo reſtituerent filium eius crucifixũ & ſepultũ, mundi ſaluatorem: & ſtatim mors famelica, & terra quę inceſſanter corpora & animas defunctorũ deglutit & nũquã dicit, ſufficit: Chriſtũ euomuit, hoc eſt, ex imis viſcerib⁹ mortis: victrix vita reſurgẽdo reuocauit: ideo quod impletũ cernis in Iona ſeruo, credere ne cũcteris in Chriſto Dño. Qua propter, conteſtor atq; omnẽ fidelẽ huc inuoco: veni cito & mentis oculis perſpice quantum valeas, & quãtum Chriſto debeas perpende: vt iam tandem vilis eſſe tibi deſinas: & paruo pretio animam tuam ne vendas, quam tanto labore & tempeſtate emit filius Dei, & quam magna potentia ad reſurrectionem à vitijs à morte culpæ liberauit: vt ſaltim ob hoc, erubeſcendis ſubiacere illam vitijs dedigneris, dum generoſitatem tuã de creatoris ac reparatoris tui dignitate metiris. Nam multas cauſas habet Chriſtus, quibus te confundat, ſi nolens illi in omnibus ſeruire, ſeruus Dæmonis & peccati fieri voluerit. Et pręcipua erit, quia te tanto pretio redemit, & quia te ad tantã ſua reſurrectione vocauit gloriam. Nõ ergo te degenerem ac deſpectum & vilem tua te faciat vita infamis & peruerſa, ſed curſum tuũ ad ſuperna Chriſti reſurrectio extollat; & vt ab infimis & morticinijs culpis abſtraharis, mors illius ſufficiẽs tibi remedium ſit, vt peccata cõfeſsione legitima euomas, ſatis ſit tibi

Ieſum

Iesum à terra per veram resurrectionem euomitum videre. Qui se cælesti pretio vident redemptos, ad cælestia non dubitent esse præparatos, si mors culpæ impedimentum non præstat: euome peccata, vt in gratiam resurgas.

Domine mi, si iuxta dicta dæmõ peccatores in stomacho posſidet, & inter dentes terit vt digerat, & ad stomachũ & deinde ad inferni intestina (quod maximè ipse desiderat) emittat: quid ergo faciêt miser homo in mortali existẽs delicto? Est aliquod medium quo à tam damnãdo stomacho exeat? Quo auxilio ab ore detestãdo draconis & à fauce illius liberari poterit? Meo auxilio & sacramentorum: quia dummodo legitimè peccata per confessionem euomat: iubebo draconem, vt animã illius sanã & liberam euomat, & ab ore proijciat nefando. Domine, foramen aliquod fac in buccis dæmonis quo peccator exeat. Iam feci, non legisti Iob dicentem mihi: Domine, nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam Leuiathan? Sicut per nares insidiæ dæmonis, ità per circulum, diuinæ virtutis omnipotentia designatur: igitur Domine, pone circulum diuinæ protectionis tuę. Quo maligni sagacitas retineatur: ne nobis tantùm, quantùm vult noceat, neq; contra humanam infirmitatem prævaleat. Si tamen malo nostro, & peruersitate interueniente, astutia draconis deuorauerit animam fidelem, & eam in os immiserit eius per culpam: peto Domine, per viscera misericordiæ tuæ, vt armilla, aut subula, siue alio quouis instrumento, maxillam eius perfores, vt anima valeat ab ore ipsius liberari per gratiam: quæ per culpam in ore dæmonis terebatur. Quo in loco, diuina, vt assolet & notanda D. Greg. adducit. Perfora Dñe maligni maxillam, aut obuiãdo malitiæ illius ne deuoret nos, aut, si in ore nos habet per mortale, vt euomat & euadamus, à tàm dolendo ore, & detestando. Quis semel in ore Diaboli per mortale existens, iram eius & inferni pœnas euaderet: si summa Dei pietas, misericordiæ suæ armilla, maxillam non perforasset illius. Quæ nam armilla ista est, qua Deus buccam dæmonis perforauit, nisi pœnitentia sancta, & confessio peccatorum vera. Fuge iam saltim post culpæ morsum, qui incautus prius morderi à dæmone, nequaquam metuisti.

*Iob. 40. C.*

*Li. 33. Mora. c. 14. 15. 16.*

O diuina medicina & superna, quæ nobis vbique succurrere non cessas, dedisti homini diuina præcepta, vt non peccet, & ta-

men peccanti dediſti media, vt non pereat, nec deſperet. Caue ò homo, vigilantia magna ne delectatione peccati dæmõ & cetus infernalis in ſtomachum ſuum, & os proijciat: tamẽ ſi in ore ſuo iam animam tuã poſsidet, ſpera in Domino, & fac bonitatem, & peccata tua euome, per confeſsionem veram. Nam ſi peccatum perfectè luges, adhuc foramen in maxilla draconis inuenies, maxilla tua ad confeſsionem veram vtendo: nam forſan ad hoc alludit maxilla perforata Leuiathã. Quo exire poteris & liberari, etiam ſi iam dentibus tereris, & ad inferni inteſtina maſticaris ab ipſo. Quis quis nondùm captus eſt, fuge dæmonis maxillam, ſi tamen in illa es, quære foramen vera pœnitentia inuẽtum. Ante culpam time Dei iuſtitiam, & draconis os: poſt delictum, accede ad Dei miſericordiam, & pœnitentiã. Neq; ità iuſtitiam timeas, vt nulla ſpei conſolatione cõualeſcas poſt culpam, neque ità de miſericordia confidas, vt adhibere vulneribus tuis pœnitentiæ dignę medicinam negligas, ſed quem præſumis tibi piè parcere, ſemper etiam cogites diſtrictè iudicaturũ. Ad hoc in Scriptura ſacra virorum talium, vt Dauid Petri & Pauli peccata recenſentur, vt cautela minorum ſit ruina maiorum. Et ad hoc pœnitentia illorum inſinuatur, & venia: vt ſpes pœnitentium ſit recuperatio perditorum. Nam cum videas hos Gigantes, in ore fuiſſe dæmonis, per culpas grauiſsimas, & inde per Dei miſericordiam maxillam eius perforantis, & per veram illorum pœnitentiam euomitos & liberos, & gratia reſurgentes: illorum exẽplo pertimeſce peccatum, ne in tantum incidas periculum: ſi tamen peccaſti, diſce ab ipſis miſericordia Dei vti, & veram pœnitentiam habere. In vanum miſericordiam ſperas, ſi non etiam Dei iuſtitiam times: & in caſſum iuſtitiam metuis, ſi non etiam de miſericordia cõfidis: vtrũq; tibi neceſſarium eſt. Vt in Dominica prima aduentus, fuſius tibi inuenire licebit, tractatum.

Sed cùm memoriam fecimus de ſancto Dauid Propheta in ore fuiſſe dæmonis, & in ceti ſtomacho per adulterium: erit ab re (cũ D. Grego. ibi) Quærere à te Domine: vt quid eos quos in perpetuũ elegiſti Sanctos, & in cœlo tecũ regnaturos, & in hac vita ad donorum ſpiritualium culmẽ, & ad magna Eccleſiæ tuæ officia peracturos: illęſos à vitijs (præcipuè à voluptatibus fœtidis) nõ ſeruaſti, ſed eos maculari ad tẽpus, & eſſe in ore dæmonis permiſiſti? Quia in magno periculo ruendi in ſuperbiæ baratrũ, homi

*Li. 33. c. 16.*

homines magna dona à me in vita accipientes, cõsidero: à quo re gere tanto minus curant, quanto se cecidisse ob cæcati tali fumo ignorãt, quia spirituale est venenum. Vnde hostem antiquum (Iam illos interius per superbiam dominantẽ, & ab ipsis non cognitam, vnde non pœnitent) etiã exterius sæuire contra eos permitto: vt qui interius elati sunt, per carnis luxuriam exterius ab ipso prosternãtur. Vt qui in grauiori superbiæ delicto, quiescentes erant, & sine rubore: in minus luxuriæ cadentes, de vtroq; doleant, & seuere in corde humiles Dei adiutorio cõstituant, vt deinceps non peccent.

Luxuriam omnes erubescunt, & eò magis, quo simul omnes turpem nouerunt: vnde fit plerunq;, vt multi mei ministri, magnis meis decorati donis, qui solo superbiæ vitio, & ferè ab ipsis contempto, & per consequẽs pœnitentia non deleto, ab ore dæmonis in tartarea intestina dimissi essent, nisi quod corruentes in luxuriã post superbiã (quia re vera mater luxuriæ & voluptatis superbia est, & amor proprius quo vinctus homo, nil sibi ipsi negare potest etiam malum, quia se inordinatè diligit) ex aperto & fœtido voluptatis casu, malum etiam superbiæ latentis erubescũt, & plorant vtrunq; delictũ simul, vnde adiutorio Dei salui fiũt. Et qui de virtute se extollebãt: per vitium ad humilitatem, & ad viam salutis redeunt: & ob tale bonũ Deus aliquando suos à dæmone in ore de culpa in culpam trahere permisit. Plora igitur, & exitus aquarum deducãt oculi tui cum Dauid & peccata tua vera confessione euome dicẽs, bonum mihi quia humiliasti me: prius quàm humiliarer ego deliqui, nã ista est optima Ionæ oratio, & sic absque dubiò per Dei misericordiã Christus dicet pisci infernali dæmoni: euome hunc hominem in aridã firmem gratiæ, & statim obediet. *Psam.* 118.

Confitere saltim, Quia filius Dei fuit, vt cetus grandis: de quo naturales affirmant (teste Berchorio) quod delectatur in concentu & fistulis, & sic capitur à piscatoribus in somno delectatus. Et instrumento ferreo vulneratũ, fugiunt illi. Cetus verò cui gilans & se vulneratũ sentiens, fundum maris petit, & fricans se dorso ad terram, vt ferrum exutiat ipsum magis ac magis infigit: & sic perforata pinguedine, aqua salsa intus ingreditur, sic bestia moritur, & super aquam inuenitur. Iste cetus grandis, Quis nisi Dei filius, sanctorum patrum cunctis & Dei misericordia captus ad *Lib. 9. c. 22. §. 1.*

incarnandum, deinde à Iudæis clauis confixus & occisus, descendit ad fundũ maris inferni ad liberãdos patres: tamen iterum per resurrectionẽ supernatauit: vt tu homo peccata confitendo, euomitus sis à ceto infernali, & ad gratiam resurgas.

*Ad Colo. 1. Homi. 4.* Vnde D. Chrysost. in Paulum ait: Quomodo bellua Ionam in ventre habuit, & tamen illũ non perdidit. Nõ rationis expers est, non temere mouetur, quomodo pepercit iusto? Quomodo illum nõ calore suo suffocauit? Quomodo nõ corrupit? Si enim in profundo duntaxat esset, inexplicabile est: in visceribus etiã esse, & calore illo multo est inexplicabilius. Quomodo non occidebatur: si aerẽ illinc respiramus? Quomodo suffecit duobus animãtibus respiratio? Quomodo euomuit illum illęsum? Quomodo etiam loquebatur? Ista incredibilia sunt, & suspecta, si ratione illa discusserimus: si verò fide, vehementer certa sunt & firma. *4. Reg. 2. b.* Sicut de Elia in curru igneo ab equitibus igneis eleuato per turbinem in cœlum & non combusto. Et melius in Christo adimpleta videmus in morte sua & resurrectione. Et spiritualiter, quotidie peccatori contingit, illæso à dæmone euomito, per pœnitentiã veram: cui tamen non exprobrat Deus peccata sua sicut nec Ionæ. Non enim legimus Deum Ionę dixisse post vomitum à Ceto, vt quid inobediens mihi fuisti? Quare à facie mea fugisti, & naulum contra me soluisti, & ad interiora nauis descendisti? Nihil tale, nam (vt ait D. Hier.) nõ dicitur prophetæ: Quare non fecisti, quod tibi fuerat imperatum, sed sufficit ei naufragij, & deuorationis sola correctio: vt qui imperantem non senserat, Do minum intelligeret liberantem. *Simile.* Superfluũ est, seruo post plagas velle imputare quod fecit malũ, alias non tam emendatio quam exprobratio est. O Dei bonitas, o clemens pater, qui vero pœnitenti nõ dicis: Quare imperium meum contẽpsisti? Quare tanta bona in mei iniuriam expendisti fili prodige? Iona inobediens? nihil tale: sed sufficiunt illi in pœnam, se in dæmonis stomacho fuisse intelligere, & valde dolere de hoc, & de iniuria Deo irroga ta, & (Quod magis Deus desiderat) ne ad vomitũ, vt canis reuertatur, necq; vltra Deo inobediens existat.

Semel piscis ille Ionam deuorauit, semel in stomacho illũ rerecepit, semel inobediens fuit Ionas: tamen cum primum euomuit illum cetus, & Dominus illũ iussit secundo dicẽs: Surge & vade in Niniuẽ & prædica in ea: statim surrexit & abijt, & prædicauit

dicauit, non amplius ausus fuit cum Deo se illudere, o peccator, cui multa facinora Deus dimisit, & non exprobrauit tibi, neq; in faciem dedit, vt patet in filio prodigo, omnia delicta tua: quia ideò iussit ipse in lege dicens: Nõ tradas seruum domino suo, qui ad te confugerit: quia (vt dicitur in libro allegoriarum Bibliæ ex Bruno ibi) omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati: huius autem dominus diabolus est. Si igitur talis seruus pœnitentia ductus talẽ dominũ, imò crudelem tyrãnum, Deo auxiliante reliquerit, & ad nos fideles cõfugerit charitate, sicut erat nobiscum per fidem: non abijciamus eum, neq; à nostra communione repellamus: sed habitet nobiscum, & in Sanctorum cœtu conuersetur. Nemo eum contristet, nemo eum de peccatis præteritis reprehendat turpiter. Hoc enim agere, quid aliud est, nisi iterum eum diabolo tradere, & in desperationem inducere? Dominus eius non exprobrat illi delicta commissa, & per pœnitentiam dele ta: & tu homo audebis talia facere? Et tu homo, cui Deus tanta liberalitate crimina priora dimisit, eòquod per veram confessionem illum rogasti, & ad eum cum Iona clamasti, vnde malignus euomuit te: quare iterũ atque iterum Dei mandato inobediens fuisti, vnde, non timens deglutiri à Dæmone multoties, in periculo satis probabili mittendi in illius detestanda intestina, (nempè in infernum) constitutus es, in Dei iniuriam toties sanguine suo peccata tua abluẽtis. Saluauit te Christus, de ore anguisto latissime (vt ait Iob) dæmonis: angusto, ad dimittẽdum quos capit, latissimo ad recipiendũ, quia clamasti in confessione, aliàs, bruto animali irrationabilior, clamante quando ab alio deuoratus es, & non vt Ionas, qui tantum imperio Domini euomitus est, sed sanguinis dispendio Christi liberatus fuisti: vt quid es canis ad vomitum?

*Luc. 15. E.*
*Deu. 23. c.*
*Ioann. 8. D.*
*Iob. 36. b.*

¶ Adhuc Quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Tex.

SVrrexit igitur Ionas, & abijt (non de futuro, vt vos, corui crastinantes in Niniuen ciuitatem magnam itinere trium dierum, & cæpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit voce magna dicens, in vno viæ exitu: adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, transiens ad alium viæ exitum dixit similiter,

*Iona. 3. b.*

ſimiliter, ſine aliqua rhetorica, neque alijs figuris, & ſimilitudinibus vtens: ſed in alio angulo, ſimilia verba repetebat. Vide verbi Dei efficaciam etiã apud Ethnicos cum illis nec remedia tribuebat, neq; ſacramenta promittebat, nec Deus carnẽ aſſumpſiſſet, neque myſteria Trinitatis illos docuiſſet, neque dicebat Dei eſſe ſententiam: ſed tantum: adhuc quadraginta dies, ſubuerſi eritis omnes huius ciuitatis habitatores.

Viri Niniuitæ ſurgent contra vos Iudæi (ait Chriſtus) Qui non exibilauerunt Ionam, adeò clarè & apertè concionantem: non impetunt luto & lapidibus, non cruci affigunt, tanquam genium malum, & omen adeò triſte contra illos afferentem: non compedibus vinctum neruo includunt in carcerem, donec appareat veritas, aut falſitas ſuæ prædicationis: nec dicunt, quis tu es? Homo inobediens, & à beſtia marina euomitus? inſanis: mittatur in carcerem, vt malum nuntium portans, ſi eſſet Iſaias? aut Ieremias? ſed homo inobediẽs Deo? quis te miſit? vnde ſcis tam graue malum ſuper nos venturum? Nihil tale dixerunt, ſed ad primam concionem crediderunt, & credentes pœnitentiam veram egerunt. Et tamen vos Iudæi, verum Deum colẽtes, ex ſcripturis veriſimè Meſsiam me eſſe intelligẽtes (ſaltim maiores & ſapientiores: & per conſequens, ſi malitia corda veſtra non obcæcaſſet filium Dei me eſſe agnoſcere debebatis) inhonoraſtis me duobus annis hucuſque prædicantem alta myſteria, figuras & ſimilitudines notandas, miraculis ſtupendis doctrinam meam confirmantem. Et exibilaſtis me, & tanquam omen triſte portantem, cùm regnum cælorum vobis prædicaſſem, lapidibus obruere me vultis, flagellabitis, & cruci affigetis me, necdum de peccatis veſtris pœnitentiam
Matt. 25. 4. agere vultis: cùm dicam vigilate, quia neſcitis diem neque horam, quando ſubuerſi eritis in infernum,

Viri Niniuitæ ſurgent etiam contra vos fideles, qui cùm extranei Indi Iapon, verbum Dei recipiant, vos contemnitis, & pœnitentiam agere non vultis: & ſæpè laici tremore concuſsi minas Dei verbi audientes, à via mala recedunt & pœnitentiam agunt, ſine inquiſitione ſcientiæ, aut vitæ concionatoris: & miniſtri Dei multi, religioſi aut prælati aut ipſimet concionatores non plus verbo Dei terrentur, vt malum fugiant, & bonum ſequantur, ac ſi non Dei verbum,

ſed

ſed pueri vbera ſugentis eſſet, nam Rex Iſrael erat, qui Mi- 3.Reg.22.d
chæam veritatem concionantem in carcere poſuit: quia qui
videntur regere populum, vtraque poteſtate, non ſolùm
multoties aliqui illorum verbo Dei ad pœnitentiam non mo-
uentur, & Dei iudicia timent, ſed inſuper verbo, aut opere
Dei præcones contemnunt, & affligunt. Viri Niniuitæ ſur-
gent contra vos in iudicio, non ſententiæ poteſtate (ait Diuus
Hieronymus) ſed comparationis exemplo.

O fideles, viri Niniuitæ ſurgẽt, & dãnabunt vos, maiori dãna
tione dignos vos eſſe oſtendẽtes, quia in Chriſtum credidiſtis fi
de, & illũ operibus cõtempſiſtis, quàm illi, qui nec fidem recepe
runt, nec operari rectè voluerũt (peccatum infidelitatis omitto,
quia grauius eſt) verũ dicet aliquis (ait D. Chryſoſtomus in ſer- To.3.fo.925.
mone de præmijs ſanctorũ) imò & modo multi affirmant (quos
valdè redarguo) dicentes: nullos baptiſmate inſignitos fore dam Matt.22.b
nandos: cùm dicat Deus, multos vocatos eſſe, & paucos electos.
Quid prodeſt Dominum per fidem agnoſcere, ſi illum operibus
pagani, quotidie inhonoras? Multorum fidelium, cùm ſit
vita impurior, ideò maiores ſunt, quàm gentiles pœnas da-
turi. Quot quot enim ſine lege peccant, ſine lege & peribunt: Ad.Ro.2.B
tamen qui in lege deliquerint, iuxta illam grauius erunt damn-
nati. Interroga ipſum iudicem, ſi mihi fidem habere non Luc.12.F.
vis: ſeruus, qui herilis ſit animi conſcius, nec domino ad vo-
luntatem paruerit, multis vt vapulet neceſſe eſt, alias, nec
diabolus ipſe cruciabitur, qui habet & ipſe Dei notitiam,
longe magis, quàm homines fideles certiorem, vnde credit
& contremiſcit: & Apoſtoli quo modo iudicaturi forent duode Iacob 2. D.
cim tribus Iſrael, & damnaturi, ſi fidelis non damnatur? Igitur Matt.19.D.
fides ſine operibus mortua eſt. Opportunè D. Chryſoſtomus, ve
ritatis gladio, noſtri temporis damnatos hæreticos confodit: vt
ſcias fidelis, ſi cœlum cupis, operari quæ credis.

Quid igitur Niniuitæ fecerunt ad Ionæ concionem, imò po-
tiùs præconium, quod ſic Chriſtus minatur Iudæis, & omni-
bus credentibus, peccantibus, & non pœnitentibus: etiam
verbum Dei audientibus, & à malis non quieſcentibus, quod
debent damnari à Niniuitis in iudicio? Peruenit verbum
Ionæ ad Regem Niniue, quia ipſe non audiuit ab illo, in
quo nota, magnates, & primates vtraque dignitate inſignitos,

& literatos, & Ecclesiæ ministros (Quod magis dolendum est) & religione præditos, esse hodie aliquos, qui minus de concionibus curant, & de prouidendo verbo Dei: cùm ipsi magis teneantur, ad illum quærendum, & audiendum: vt, qui magis Dei auxilio indigent contra dæmonem: &, vt rectè peragant officium: quod vtrunque verbum Dei diuinè prouidet, calore, & auxilio Dei, & sanè prolatum: non desunt multi boni. Tamen etiam si Rex Niniue à Iona verbum Dei non audiuit, nihilominus ipsum verbum inuenit Regem, alijs nuntiantibus illud. Quia re vera, etiam si verbum Dei audire recuses, & maneas domi, ne conscientiam tuam ad bonum inuitet: sermo diuinus, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertinget vsque ad domum tuam per seruos, aut vicinos, imò vsque ad cor dicens: O miser adhuc quadraginta dies, & forsan horas, corpus tuum destruetur & anima tua subuertetur: & non eris Rex, nec Episcopus, nec sacerdos, aut monachus, nisi pœnitentiam egeris veram. Fuge peccator, aspidi similis, verbum Dei, nolens illud audire, ne viscera tua ad bonum commoueat, quia obstinatus es: absconde re in rupibus, & in speluncis, & cauernis terræ: tamen velis, aut nõ, inde extraheris: & verbum Dei saltim internum ad te perueniet dicens: væ tibi si in tempore non resipiscis: terribile est verbum Dei, non pœnitentibus.

*Ad Heb. 4. 6.*

Surrexit Rex de solio suo, tremefactus verbo Dei minantis, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Ecce quatuor notanda, quæ fecit Rex gentilis vnico Dei verbo commotus, etiam si non à Iona audiuit illud, necessaria omni vero pœnitenti, primo surrexit à culpa, & à solio consuetudinis, per veram contritionem. Vt quid peccator, aures sacerdotum obtundis per confessionem annualem, si verè de peccatis non doles, nec surgis à solio consuetudinis prauæ à causis & occasionibus peccandi? Frustrà medicina spiritualia tibi adhibetur, quandiù verè causas peccandi non rescindis: & iste Rex surget in iudicio contra te. Deinde, abiecit vestimentum suum regale à se, quasi dicens: Dignitate & regno iram Dei placare nõ possum, quandiù vestem peccati veterem indutam habuerim. Et tu homo veste nobilitatis diuitiarũ, aut dignitatis, cogitas te iræ Dei, cõtra te venienti, animo quieto posse obuiare, & semper vestẽ peccati indutam habere? Falleris certè, sicut ego sacerdos,

aut

aut monachus, si cogitamus exterioribus indumentis Deo fore placituros, habitibus vitiorum animas indutas habentes: tolle homo vestem peccati.

Non solùm surrexit Rex, & vestem abiecit, sed & sacco indutus est, pœnitentiam agens de peccatis suis, crucians carnes suas duritia, quæ luxu, animum cruciauerunt, & Deũ offenderunt, vt per quæ quis peccat, per hæc, & puniatur, surrexisti à solio consuetudis malæ per veram contritionem? Abiecisti vestimentum peccati à te, per veram confessionem? Indutus es sacco, per veram satisfactionem Deo factam, & proximo, cui iniuriam irrogasti? Si non ista feciisti Rex Niniue damnabit te: si verè perfeciisti, audi vltimum, quod in se fecit Rex: & non legimus subditis demandasse, vt facerent: nempè, sedit in cinere: mortalem sedem propriam suam esse fatendo, non solium regale. Vt sciat omnis paterfamilias, omnis sacerdos, omnis prælatus, & rector, tam Ecclesiasticus, quàm secularis, vt quanto maior in Republica est, tantò maius exemplum alijs præbere debet. Neque debet contentus esse, faciendo, quæ omnes subditi, sed maiora & perfectiora: præcipuè humiliando se in omnibus, & se cinerem incessanter esse cogitando, & in illa, consideratione debita sedendo. Nam post pœnitẽtiam veram, & vitæ bonitatem, Deus exquiret à te homo publice, & caput aliorum, exemplum & lucem, qua alijs lucere debes: & quo modo alios in ieiunio oratione, & eleemosynis, temperantia, & castitate superas. O infelicia tempora nostra, vtinam ministri Dei malum exemplum non dedissent, nec multi, in dignitate constituti, non fuissent ex illis, quos Deus notat dicens: Alligant subditis onera grauia pœnitentiæ, & ipsi non solùm maiora non faciunt amore mei, sed digito nolunt ea mouere. Ecce Dominus (ait Isaias) dissipauit terram. Quando? & erit sicut populus, sic sacerdos. Quanto magis, si populo & laico, minister Dei peior & distractior est: ecce mundi desolationem.

*sap. 11.*

*Matth. 23.4*

*Isai. 24.4.*

Ad maiora virtutum, & magis rigidiora pœnitentiæ, tenetur omnis, qui domum, aut Ecclesiam aut ciuitatem, aut regnum in temporalibus, seù spiritualibus regit: Quam subditus cuiuscunque status. Nam debet esse lux, qua illuminet, sal exempli, quo saporem operibus aliorum præbeat. Et væ filio, si pater incessanter ludis vacat, & væ filiæ cuius mater inhonesta est:

& væ ſubditis quorum prælatus ſeditioſus aut adulter, aut auarus eſt: & væ illi quia potenter tormenta paſſus erit: quia peccauit, & quia malum dedit exemplum. Iam ſupra diximus quantum dæmon deſiderat caput domus aut Eccleſiæ, nempè prælatum in rete colligere ſuo. Poſtquam rex primus omnium ad pœnitentiam accinctus eſt & ad maiorem (quia tunc bene ſeruantur leges à minoribus, & opere executioni mandantur conciones ab audientibus, quando maiores prius leges adimplent, & concionatores prius operantur) iuſsit dari præconium tale, quaſi Ionæ voci correſpondens. Homines, & iumenta, boues, & pecora non guſtent quicquam: nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines & iumenta & clament ad Dominum in fortitudine: & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus: & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? & crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. Ecce quid Niniuitæ fecerunt ad vnicam Ionæ vocem, & quomodo merito vidit Deus opera eorum (non ſolum verba, vt in nobis, nec ſolam fidem) quia conuerſi fuerunt de via ſua mala, & nil mali pro tunc illis fecit. Sed merito modo dicit, viri iſti ſurgent contra vos Iudæi, & contra multos fideles in iudicio: quia talem pœnitentiam fecerunt vnica concione moti, & vos nec multis. Pœnitentiam agite, vt ad vitam perueniatis æternam. Amen.

*Iap.6. A. Do.1. Quad. homil.6.*

# Homilia Nona.

Text. ¶ Ecce plus quam Ionas hic.

Pſalm.35.

Dicamus aliquid ſuper hoc Niniuitarũ præconium re vera mirabile eſt. Primo iubet vt non ſolum homines, ſed neque iumenta guſtent quicquam: quia (vt ait Diuus Hieronymus) rationales & irrationales, prudentes ac ſimplices, iuxta illud, homines

nes & iumenta ſaluabis Domine, id eſt, homines ſapientes & ſtultos: iuſtos & etiam peccatores, ſi pœnitentiam fecerint veram. Quin etiam ſi iumentis ſimiles facti ſunt in vitijs ſuis, ieiunent a peccato & conuertantur & viuent. Niſi apud Niniuitas (ait Diuus Baſilius de laudibus ieiunij) ſimul cum hominibus ieiunaſſent & bruta animantia, haud quaquam effugiſſent ſubuerſionem, quam Deus per Ionam fuerat comminatus. Quid nobis, brutis animantibus ſimilibus, & vt ſine ratione viuentibus, prodeſt aliorum ſanctorum ieiunium, ſi nos ieiunare renuimus? Aut quid ieiunium animæ proderit ſolum, niſi corpus etiam, quando Eccleſia iubet, non ieiunat? Imo tunc, nec anima ieiunat à vitio, cum ſit Eccleſiæ inobediens. Aut homines, id eſt ſpiritus, & iumenta, id eſt corpora, nec illi ſpiritualia delicta, nec iſta brutales delicias guſtent, neq; illarum occaſiones: quãtò magis nec comedant. Deũ anima & corpore ad iram prouocabimus, ieiunate ſpiritus ieiunate corpora iumentis ſimilia: alias viri Niniuitæ ſurgent contra vos vitia comedẽtes & cibos prohibitos edentes, fractores ieiuniorum. Cum octauus ſit hodie dies, poſtquam Eccleſia ieiunij præconium dedit: & non tamen ad aures veſtras peruenit, per implectionem, quo ad aliquos. *Homil. 1.*

Admirabilis introductio Diui Baſilij in oratione de pœnitentia, de iſto Niniuitarum facto, quamlibet illam hic ponere: diligens fuit illa Niniuitarum pœnitentia, & ſapiens & coaceruata tribulatio: quæ nec bruta quidem animantia, ſupplicij expertia eſſe voluit: ſed vt etiam ipſa neceſsitate adacta & coacta, clamorem & rugitus fortes ederent fame inuitata, excogitauit: vt ſaltim brutorum clamor ad aures domini peruenireſſet, ſi ipſi indigni erant exaudiri. Separatus eſt enim vitulus à vacca abductus eſt à materno vbere agnus: puer lactans non fouebatur in maternis vlnis: voces tollebantur de omnibus vſque in cælum miſerabiles, mutuo reclamantes ac reſonantes. Partus fame preſsi, fontes lactis quærebant: matres naturali quadam affectione perculſæ, lugubri voce & rugitu dolendo fœtus reuocabant ad cibum. Infantes etiam fame dominante, ex ingenti eiulatu diſrumpebantur, matrum viſcera naturali dolore tabeſcebant: ſenex inter illos, lachrymis ſe dabat totum, & canos vellebat ſuos ac dilaniabat: adoleſcens in flore ætatis *Ora 4. fol. 808.*

conſti-

constitutus, vehementer lamentabatur. Attendite quid in iudicio erit, & videte homines qualis debeat esse vera pœnitentia vestra.

Primò, abstrahite pueros, & ablactate ab vberibus, nempè ab omni occasione peccandi, separate vos: plangite præterita, & plãgendo iterum non committatis: omnes sensus vestros rationales, & brutales fame torquete, vitiorum abstractione, vt sic conuicti de malè actis pœniteant, & gemitus vsque in cœlum emittant: vt vnusquisque dicat, rugiebam à gemitu cordis mei: vocem brutalem, nempè rugitum, emisi: quia, vt animal rationis expers vixi. Et hoc faciat omnis homo, in quocunque fuerit statu: quia in illo Deum offendit: Aliàs senes Niniue surgent contra vos homines, maiores natu, nullam pœnitentiam agentes de culpis præteritis: & quod peius est, neque quiescitis agere peruersè. Surgent & iuuenes contra vos adolescentes, qui tempus faciendi bona dissipatis legem Domini. Imò, & pueri surgent contra vos viri, dulcia gaudia, & vana semper contra Deum quærentes, cùm ipsi vbera non suggebant. Mulieres illæ, hubera non dantes filijs, surgent contra vos fœminæ inhonestæ, lac voluptatis quotidie, vt illa Iael misero Sisaræ, & homini propinantes, contra Dei mandatum, & in generis vestri iniuriam. Imò, & bruta animantia, fremitus emittentes, & nil gustantia sine culpa, surgent contra vos homines, vt bruta viuentes, & nunquam de peccatis gementes, & in iudicio eritis damnati, nisi pœnitentiam egeritis.

*Psalm. 37.*

*Iudi. 4. d.*

Ecce plus quam Ionas hic, ego filius Dei, nam cùm ille seruus fuerit, ego dominus: ille àceto exilijt, ego à morte resurgam: ille subuersionem vrbi futuram prædicauit (ait Diuus Chrysostomus) ego regni cœlorum lætum nuntium. Et Niniuitæ, absque aliquo Ionæ signo timuerunt, & pœnitentiam egerunt: & vos post tot signa à me facta, nec timuistis iram venturam, nec pœnitentiam egistis, insuper & modo gratia tentandi quæritis signum. Ionas quasi minister ad Niniuitas accessit, ego autem ad vos vt Dominus, atq; creator deueni: Ionã fugisse Dei præceptum, ne derideretur, si verbum illius non esset adimpletum scitis: cum ego & crucis patibulum subiturus, & omnes illusiones vestras laturus vltrò aduenerim. Ionas nullum pro illa gente opprobrium tulit, ego vel

*Homil. 44. in Matth.*

vel mortis acerbitatem pro vobis libenter sufferam: ille aduena & peregrinus illis erat, & omnino ignotus: ego vero vobis coniunctus secundum carnem: illi moti sunt ad pœnitentiam, vos ad iram contra me: illi reiunauerunt, vos me felle & aceto potabitis in Cruce. Surgent illi certe in iudicio contra vos Iudæi: & contra omnes fideles peccatores similia facientes, tanquam homines sine iudicio & cerebro. Viri Niniuitæ surgent in iudicio. Etenim dominus noster (ait Diuus Chrysost.) in die illo terribili iudicij, seruos & seruas in mediũ producẽs, condemnationẽ faciet: quando demonstrantur hi, qui eadem bona sortiti erant, & eorũdem participes non eandem exercuerũt virtutem. Ostendet Noe, vt damnet diluuio suffocatos: ostendet Loth, vt damnet Sodomitas: imo & etiam ex inæqualibus comparationem facit, vt magis desides & peccatores condemnet, qui cum plura à Deo recepissent peiores extiterunt: vt hic, & quando affirmat, publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei: timor vtilis est peccatori. concil. Trid.

*Homi. 25. in Gene. 7. Tomo. 1. fo. 190*

*Mat. 21. c. Sess. 14. c. 4. in fine.*

Viri Niniuitæ surgent etiam contra vos fideles, credentes filium Dei esse Christum & vniuersi Dominum, & vobiscum in altaris Sacramento versantem simul: tantaque ac talia spiritualia miracula in animalibus vestris quotidie operantem, fide cernentes: lepram mundantem, mortuos ad vitam gratiæ reuocantem, & morbos animæ grauissimos suo sanguine pœnitentiæ applicato curantem: & non vultis, vt barbari Niniuitæ pœnitere de præteritis, & cauere de futuris? Cilicium induere? ieiunium exercere? super cinerem vilitatis vestræ, consideratione debita sedere? sed (vt ait Diuus Chrysost.) neminem video, qui inuisibilia visibilibus præferat, idcirco mihi mœror est & continuæ lachrymæ & indesinens dolor cordi meo. Quia neque experientia rerum nos docet, neque Dei promissiones, neque munerum magnitudo, neque tormentorum immanitas, neque regni desiderium cælestis, neq; odium regni tenebrosi. Verum adhuc humi reptantes, vt serpens ille à Deo maledictus, anteponimus terrena cælestibus, præsentia futuris, & ea quæ prius auolant, q̃ spectentur, his quæ omnibus durant seculis: & momentaneam voluptatem perpetuæ: & breuem hanc præsentis vitæ prosperitatem, æternis illis & sine carentibus bonis. Mundum cælo, vitium Deo præponimus, sine vllo timore Dei aut pœnarum. O

*Homi. 24. in Gene. 7. Tomo. 1. folio. 187.*

*Gene. 3. c.*

scelus,

ſcelus, ô temeritas inaudita, ô peccatum ſine pœnitentia Niniuitarum. Scio (ait ibi Chryſoſt.) quod aures veſtras mouent hæc verba, ſed ignoſcite, auidus veſtræ ſalutis, talia loquor aſpera, ſed vera (quod magis doleo), malens vos hic aliquantiſper afflictos, æternam pœnam effugere, quam poſt paruam oblectationem perpetuam ferre pœnam. Nam ſi ſermo meus in vobis proficit, & pœnitentiam egeritis veram, non enim multis diebus opus habet dominus, ſed neque tempore multo vt vobis peccata donet.

Sed, ô miſeranda hominum fidelium, (ſed peccatorum) conditio, ſimul & malitia atque obſtinatio, corda impœnitentia habentium & nimis dura: qui cum maiora beneficia quotidie accipiant, peiores in dies fiunt. Viri Niniuitæ Gentiles & à Deo alieni, quadraginta dierum ſpatium pœnitendi acceperunt, & ſtatim primo die ſacco induti ad Dominum ſunt con-
*Gene.6.A.* uerſi, & à peccatis auerſi: & genus humanum, ſub Noe temporibus, centum & viginti annos à Deo conceſſos, pœnitentiæ habuit & peius effectum & in maiora mala prolapſum, diluuio ſuffocatum eſt: ſic & hodie, multi miſeri peccatores, patientia Dei abutentes & diuitias bonitatis eius (qua ad pœnitentiam eos expectat) contemnentes, quotidie peiores effecti, nec cito ad pœnitentiam confugientes, quid niſi Dei iudicium rigidum & ignem ardentem inuenient? Quare igitur cum dixerit Dominus, centum viginti anni erunt dies eorum (ait Di-
*Homi.25.in Gene.7.* uus Chryſoſt.) promiſeritque ſe tanto tempore longanimitate vſurum: antequam implerentur anni promiſsi, vniuerſale introduxit excidium? Etiam hoc ſuæ miſericordiæ maximum eſt argumentum & indicium: Quoniam vidit quotidie intolerabiliter illos peccare, & non ſolum nihil ex ineffabili longanimitate ſua proficere, ſed increſcere vlcera, & corda obſtinatiora fieri, ne maiora illis eſſent tormenta maioribus culpis præparata: abrupit tempus, ne maiori pœnæ ſe obnoxios facerent. O quanti hodie, in ætate iuuenili à Deo vocantur per mortem, vt ſi boni ſunt mali nõ fiant: aut ſi peccatores, & corrigi nõ debent, ne peiores & per conſequens damnatiores euadant. O Dei pietas, etiam erga damnandos peccatores.

*1.Cor.10.C.* Niniuitæ etiam ſurgent contra nos fideles in quos fines ſeculorum deuenerunt, & tam calamitoſi fines, & tempora tam dolẽ-

da contra

da contra Dei Ecclesiam quæ oculis cernimus: & nihilominus, vt duro corde, in tam graui cõtritione & ruina filiæ populi mei, scilicet Ecclesiæ, non facimus quæ Niniuitæ fecerunt, vt Deus Ecclesiæ misertus destructis erroribus infidelium & peccatis fidelium, secura seruiret libertate ipsi Deo summo? O vtinam ego minimus Ecclesiæ filius calorem & zelum illius Mathathiæ haberem, & lacrymis perfusus & mœrore cordis dixissem cum illo in montibus. Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, ideſt, Ecclesiæ matris meæ sanctissimæ, & Christi redemptoris mei sponsæ? Et vt quid sedeo hic cum datur in manibus inimicorum hæreticorum & paganorum? Sancta sanctorum, & in eis contenta in manu extraneorum facta sunt: templum eius sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ eius (calices sacri Cruces & patenæ) captiua à Turcis Granatensibus hoc anno abducta sunt: trucidati sunt senes Ecclesiæ presbyteri & religiosi (vt in Guecija est videre) iuuenes ceciderunt in gladio Canum istorum. Quæ gens Mahumetica, non hæreditauit ex Ecclesiæ spolijs? Ecce sancta nostra templa desolata sunt, & gentes coinquinauerunt. Quo ergo mihi adhuc viuere? Vtinam hodie omnes fideles cum Mathathia & filijs eius vestimenta scinderemus & cũ Niniuitis modo cilicijs nos indueremus & plangeremus valde iuuenes senes & pueri, quia omnes in causam fuimus vt Ecclesia impolluta, sit tanta passa in his diebus nostris. Respice domine, templa tua manibus infidelium profanata, & tui dilecti gregis afflictionem: reminiscere hæreditatis, tui effusione pretiosissimi sanguinis vnigeniti acquisitæ. Vineã tuam ex AEgypto translatam, plantatam dextera tua, ideſt filij tui passione: quam ferus aper de sylua, leo rugiens diabolus, exterminare conatur, feruenter visita auxilio tuo valde nunc necessario: & nos fideles & Ecclesiæ cultores Romanæ, aduersus hanc Rabiem detestantium illam, virtute magna corrobora, & victores contra omnes inimicos effice. Et fac vt simus operantes sicut credimus, vt facias nos tui regni perpetui possessores: conserua Domine, sanctissimum PIVM QVINTVM, ET REGEM nostrum PHILIPPVM, fiat. 1. Macha. 2. A. B.

Sed põt aliquis occurrere & dicere, Quomodo nõ permisit Deꝰ in his,

in his, quę de Niniue locutus eſt, vt poſt triduũ ſubuerteretur (ait Origenes in Numeros) neq; in ijs, quę loquutus eſt per prophetã Gad ad Dauid: vbi tribus diebus mors promiſſa fuerat, vt vaſtaret populũ, & intra vnum diem, & vſq; ad horã prandij ceſſauit: forſan quia quæ per interrogationem dicuntur nõ penitus pro definito accipiẽda ſunt. Et forſan cùm in Scriptura non legatur Deum dixiſſe Ionæ adhuc tres dies, vel (vt Hebræi habere ſe ſcriptum dicunt) adhuc quadraginta dies Niniue deſtruetur. Sic eſt ſermo Ionæ & non Dei. Et de morte triũ dierum, in verbis Gad poſitum eſt, non in verbis Domini: ſicut libellum repudij à Moſe datum. Et Paulus dicit aliquando, Ego & non Dominus dico hoc. Aut quia pœnituit Dauid forſan peſtis quieuit, vt Niniuitis ſubuerſionis executio.

*Hom. 26. in num: 23.*

*2. Reg. 24. b*

*Deu 24. A*

*Matth. 19. a*

*1. Cori. 7. b.*

Tex. ¶ Regina Auſtri ſurget in Iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à Finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic.

EOdem modo (ait D. Hieron.) comparatione, Regina Auſtri iudicabit illam generationẽ peſſimam, & incredulam, quę per tot difficultates gente ſua, & imperio derelictis, venit in Iudæam audire Salomonis ſapientiam, & ei munera multa tulit: vnde occulta fides nationum, fidei tuę Iſrael præfertur. Illa à longinquo venit relicto Regno, patriaq; ſua, nõ metu aliquo commota, ſed tantum auiditate ſapientiæ: nec tantum venit, ſed ingentia munera tulit. Et ecce qui Salomone ſit maior hoc in loco eſt. Quid enim ſimile geſsit Salomon, qualia me videtis gerentem? Aut quid ſimile docuit? Ille de herbis diſputabat, ego de gratia, & Regno Dei: & cum hoc venit illa de lõginquo, & vos à domo veſtra, conciones ad audiendum pigritamini venire? Si auditis opere non adimpletis, ſi negotia habetis, maiora illa Regina habebat, & diuitias. O generatio incredula & peruerſa quam diu vos patiar: quamdiu vobiſcum ero? Iſta Regina ſurget in iudicio contra vos ſacerdotes & religioſos multos: quæ cùm eſſet gentilis mulier & fragilis, tantam longitudinem itineris confi-

*Matth. 17. c.*

cere

cere ob infirmitatem ſexus non eſt impedita: & vos viri & ſacerdotes & religioſi & in proprijs domibus & templis (vt ait D. Chryſoſtomus) Quorum proprium eſſe debuerat amare ſapientiam, & ſcire facienda & facere ſcita, & quæ auditis à verbi Dei præconibus, & alios verbo & exemplo ſimilia docere: & tamen ante oculos veſtros & in medio gremio ſapientiam Chriſti poſitam contẽnitis ad diſcendũ, imò & docentem, & concionãtem cõculcatis? Regina iſta dãnabit vos ſapientiæ Dei inimicos: illa ad hominẽ, relicto regno, cucurrit: & vos à regno Dei, & à Deo ipſo recedentes, ad regnum tenebrarum curritis? Illa vt nuda verba hominis ſemel audiret: & vos quotidie diuinitatis opera audientes blaſphematis? Illa famam ſolummodo de Salomone audiens mota eſt: vos veritatem ipſam loquentem contemnitis, & ab omni bono abitis ad omne malum? Illa munera obtulit, vt illum audiret: vos nec præmia regni cœlorum accipere vultis? Quid feciſſet illa mulier ſi me verum Salomonem concionantem audiſſet? Quid ſi me cæcum à natiuitate ſanantem, & Lazarum reſuſcitantem. *Homi. 30. in impe.* *Ioan. 9. A 11. E*

Regina Auſtri ſurget contra vos conciones audire negligentes: nõ quia ipſa ſua virtute ac potentia condẽnabit (vt ait Diuus Hieronymus) ſed, quia in eius comparatione condemnabuntur, qui deuotionem eius ſcientes, cùm multo faciliùs poſſent, ſapientiæ curam diſſimulant habere. Illa ab vltimis terræ partibus, & vos de domibus veſtris aut plateis non vultis ad audiendum verbum Dei venire: in quibus ſedentes, nil niſi proximum detrahere facitis: vtinam ne multi, de Eccleſia in qua loquitur Chriſtus, exeant verbum Dei fugientes, & ſolum concionatorem relinquentes. Salomon de arboribus & plantis peritè diſſerebat: ego ineffabiles quaſdam res, & mirabilia ſacramenta vobis annuntio, & quæ operando ad cœlum pertingere poſſitis. Sed heu quia non ſolùm non me filium Dei à remotis quæritis terris, bonis operibus, ſed cùm ego alias oues reliquerim, vt vos quererem fugitis à me paſtore bono. Regina Saba erat de regione Sabea, in ora maris Perſici, inter fluuios Oxium & Rogamanum ſita: Eſt metropolis regionis Perſarum, vnde Magi venerunt ad ea, quæ dicitur Saba. Dicitur talis regio eſſe in finibus terræ, quia terminat mare Perſicum, quod cõtinuat cum Oceano. O confuſio fidelium nolentium Deũ toto corde quærere, nec minis, nec blã- *Super prou. 21. to. 7. fol. 40.*

ditijs moti: nec terrore nec amore. Surget certe cõtra vos illa mulier, fideles desides, in iudicio meo, & ostendet exemplo suo, vos damnatione dignos. Quærite me diuinam sapientiam cito & in tempore, vt anima vestra sit Regina in cœlo mecum Salomone sapientiore. Vos igitur Iudæi (ex glossa) non estis similes Niniuitis, quia pœnitentiam agere non vultis me prædicante melius, quã Iona: nec Regina Saba, quia me docente sapientiam melius, quàm Salomon, non didicistis, insuper & calumniamini, signum quærentes de cœlo. Ostendam cui similes sitis, homini pessimo, à quo semel diabolus exclusus, iterùm, suo magno malo, in illum cum multis socijs ingreditur.

Tex. ¶ Cùm Spiritus immundus exierit ab homine ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.

CVm exierit spiritus malignus, animam immũdam faciens, ab homine pœnitẽte ab hospitio veteri exul obambulat per loca arentia, sterilia nec inuenit requiem, & sic reuertitur ad domum pristinam, quam vacuam hospite inuenit, & sic intrat illam nemine obstaculum ponente, & maiori numero comitatus ne iterum expellatur, & (vt ait glossa) explorat corda fidelium, â mollitie fluxæ cogitationis purgata, si quos gressus ibi figere posset, quod qui nequit ad humida viciorum redit. O felix anima, ariditate tali ornata, & vitiorum humiditate cãrens: in qua dæmon per peccatum, quam diu talis est, habitare non potest. Nam loca arida (vt ait Diuus Bonauen. Dietæ salutis) sunt homines sobrij, in quibus requiem non inuenit dæmon: quia in talibus non sternit lectum voluptuosum peccati. Infelix tamen anima, quæ peccatorum humiditate, dæmoni hospitium parat ac receptaculum. Loca arida sunt homines temperatè viuentes, in quibus diabolus non inuenit requiem, & vitia fugiẽtes, vnde legio dæmonum facultatem à Domino petiuit intrandi in gregem porcorum: dicentes dæmones, si ab hoc homine eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum: quod Dominus libenter concessit. O fœlices, qui vt homines viuunt & de peccatis pœnitentiam agunt statim dæmones ab illis eijciuntur, & vitia. Cauete,

*80.2.fo.145. tit.5. de Viritutibus.*

*Math.8.D.*

qui

qui porcinam vitam per gulam, aut voluptatem viuitis: diaboli habitaculum facti estis, & in mare tormentorum præcipitabit vos cito (si ad pœnitentiam non confugitis) hospes vester.

¶ Tunc dicit, reuertar in domum meam vnde exiui. Text.

Adibo ad Iudæos, quos ante dimiseram (ait Diuus Hieronymus) quando acceperūt legem, & vnum fatebantur Deum fide & opere, & modo in septuplum peiores effecti sunt, quam antea erant. Reuertitur diabolus, quia summa illius victoria est ad recidiuum inducere. Vnde o homo fidelis, etiam si cœlum non esset, nec infernus, ob hoc solùm ad vomitum, vt canis non debebas reuertere, ne tale gaudium diabolo dedisses, & talem victoriam obtinuisset in te à se adeò optatam. Quanto magis ob honorem Dei, cuius sanguine prius ablut' fuisti, recidiuum vt inferni ignem & magis, fugere debebas: & vt non fieres habitaculum tenebrosum multis dæmonibus immundis.

Cum teste Iob (ait glossa) dæmon dormiat, & quiescat sub vmbra & in secreto calami, & locis humentibus: dormit igitur in vmbra tenebrosæ conscientiæ: & in calamo foris nitido, & intus vacuo: idest: in hypocrita, & simulato: & in lasciua molliue mente: cauete ab his tribus si diaboli receptaculum non vultis cor vestrum facere. Si erat horrēdum cum Ioanne audire Angelum descendentem de cœlo & exclamātem in fortitudine magna dicentem: cecidit cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & omnis volucris odibilis: quanto horribilius esset, si modo in hoc templo, Angelus quidam resonasset fortiter clamore magno dicens: cecidit à gratia, cecidit in damnandi statum Babylon magna, idest, anima tua, magna per gratiam, & confusa per peccatum effecta, o Petre, & tua o Antoni: &, quod valde dolendum est, quæ prius Dei habitaculum erat & Angelorum existens in gratia: modo Luciferi & multorum dæmoniorum per recidiuum habitatio facta est. Et custodia omnis immundi spiritus, quæ sacrarium Christi erat olim: & custodia omnis volucris odibilis morsu amarissimo talem animam dilacerantis. Cecidit cecidit misera anima confusione plena à statu fœlici,

*Iob.40.C.*

*Apo.18.A.*

*Isa.13.D.* ad hoc, vt requiescant in illa bestiæ (vt ait Isaias) & dracones: quia dæmones in anima otio vacante agunt vt apes in apiario.

*Haba.1.B.* Quia ecce ego suscitabo Chaldæos (ait Dominus per Habacuc) gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua: horribilis & terribilis est, sic dicit Dominus: suscitabo dæmones & spiritus immundos, gentem amaram & velocem contra te, anima peccatrix & otio vacans, vt possideant tabernaculum corporis tui, & vtinam non & animam: & non est suum tale tabernaculum, ego Dominus creaui te, & non dæmon. In quo loco ait Diuus Hieronymus: Omnis enim rationalis anima, licet per vitium, & culpam hospitium facta sit Chaldæorum, idest dæmonum: tamen per naturam tabernaculum Dei est. Et quanquam in Euange-

*Matth.12. D.* lio dæmon dicat, vadam in domum meam vnde exiui, non est ei credendum: siquidem nulla rationalis creatura, ad hoc facta est, vt habitaculum dæmonis sit. Tu ipsamet anima constituis te diaboli receptaculum, culpa & delicto: Dominus tuus ad hoc non te creauit, nec sanguine redemit. Infelix anima, quæ talem habet hospitem omnia opera bona deuorantem, & ad omnia mala inuitantem, & vt nullum bonum facias causantem: nocte & die, in cibo & potu est tecum, domum cœlestem pro viribus, & posse tibi impediens. Considerate homines, vos templa Dei esse: ne vltra tam vastatorem per mortale delictum recipiatis hospitem. Quia in prima sancti Euangelij parte remorati sumus (& si necessario meo iudicio) hanc secũdam breuiter transimus, quia Dominica tertia redibit de illa sermo sub eisdem fere verbis, modo tamen quod ibi non ponitur interpretemur breuiter.

Tex. ¶ Adhuc eo loquente ad Turbas, Ecce Mater eius, & fratres stabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidã, Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te alloqui.

NOn verebatur Christifera Virgo, Christum Dei filium, & suum expectare præ foribus: & cum vna & singularis esset super cæteros: æquanimiter tamen auditurа Christum cum alijs assistebat, & inter auditores humiles, ipsa in humilitate procliuior,

uior, nec ausa in filium, vt eum autoritate materna, deposceret verbi rationem: sed profunde subdita silenter stabat ad verbum, cedens doctrinæ publicæ, pro vtilitate publica, potius quam vellet sibi filium reducere in priuatum. Vnde quæ sic silentium diligebat, & vtilitatem communem, non dixit ipsa, quod ille Iudæus protulit: quod Iesu loqui vellet mater: sed aut Christum increpare satagens, quod ex paupercula natus esset, etiam alta docens: vt inde autoritatem apud audientes tolleret: aut motus matris pietate ad foras existentis dixit verbum.

Omnes tamen ferè Doctores sacri, illum malitiosè fuisse loquutum affirmant, Chrysost. ac si dicat quid gloriaris Iesu, de cœlo dicens descēdisse, qui radices habes in terra. Ecce mater tua & non multum diues. Aut timens diabolus, ne si filius Dei agnosceretur, ipse derelinqueretur ab omnibus, ideò venit iste quasi diaboli aduocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur: impedire nitens, quæ Christus de diuinitate fatebatur Salomone maiorem esse dicēs. Caieta. importunus dixit, adhuc Iesu loquente ad turbas, quasi interrumpere volens concionem. D. Hierony. videtur mihi iste, qui nuntiat, non fortuito & simpliciter nuntiare, sed insidias tendere saluatori: vtrùm spirituali operi carnem & sanguinem præferat. Vnde Dominus, nō quod negaret matrem & fratres exire contempsit: sed quod respōderet insidianti: extendens manus in discipulos dixit, Ecce mater & fratres: spiritualia præferenda sunt semper corporalibus: non cogites me insidias tuas nescire. *Homi. 30. in imper.*

Malitiosè certè dixit ista verba hic homo: volens autoritatem Iesu coram populo, stupefacto de doctrina eius, minuere, & tollere. Ac si dixisset: vt quid tam sublimia de te vanè loqueris, cùm sciamus genus tuum, & vnde ortum habeas. Ecce mater tua paupercula mulier, & fratres tui degeneres. Videte gentes qualem matrem habeat: quomodo potest esse filium Dei quem homines genuerunt. Non potes abscondere quod natura conuincit: ne tanti eius verba faciatis turba. O pestis infernalis, adhuc in cordibus (vtinā non Christianorū, vtinā non Dei ministrorū) residens: qua infecti & inuidia tabescētes liuidi homines dicta & facta alterius bona (etiam si in Dei gloriā & proximi vtilitatē dicta sint) minuendo, detrahendo, murmurando, aut scientiam tollēdo, aut de genere notando: vt inde ei necessaria fides nō habeatur.

tur & creditum tollatur: annihilare contendunt omnibus modis. O luciferina ſcientia, o dæmoniorum & iſtius Iudæi opus, o ſerpentis ſybilus puniendus. Alio in loco Diuus Chryſoſtomus dicit more hominum hoc dixiſſe: vt oſtenderent quantò ipſi eſſent cæteris coniunctiores in genere, cum mater Chriſti eſſet ex illorum progenie & ſic vanam captarent gloriam: tamen confeſtim audierunt, vos eſtis fratres mei? Imò genimina viperarum: quid prodeſt genus, vbi deeſt virtus & opus. De his fratribus dicit Diuus Hieronymus, Quidam fratres Domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicantur ſequentes deliramenta apocryphorum, & à quadam Eſcha muliercula confingẽtes: nos autem (vt in libro quem contra Heluidium ſcripſimus continetur) non filios Ioſeph, ſed conſobrinos ſaluatoris liberos Mariæ materteræ domini intelligimus, quæ eſſe dicitur mater Iacobi minoris & fratrum ſuorum fratres conſobrinos dici omnis ſcriptura demonſtrat: ſic Anſel. & Beda.

*Hom. 28. in Matt. 8. Vulgat.*

Tex. ¶ Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? qui fecerit voluntatem meam.

NOn ſperno generationẽ carnalem, necdum matrem à Deo ſanctiſsimam, ſed cognationem ſpiritualem præpono: & in hac mater mea dignior eſt quã in illa. O magna dignitas ob voluntatem Dei faciendam conceſſa à Chriſto hominibus, & mulieribus. Quid dares vt tanti dñi frater fieres? Fac Dei voluntatem, & es certe. Non tamen dicit, Qui audit Dei voluntatem aut credit, ſed qui facit. Diuina operatio præponatur humanis, cæleſtis prædicatio nullo impedimento terreno (tanquam neceſſariſsima res) omittatur: nec interrũpatur (ait Caieta.) ob pietatis officia, cum ſit officium omnia antecellens. Nam de matre quid credi poteſt faſtidioſe ſenſiſſe (ait Hilarius) cuius curã geſſit etiam Cruci affixus? Ipſa virgo de me curam habeat, vt nil mihi impedimento ſit, quo minus verbo & ſcripto ſemper Deo ſeruiam in terra meritoriè vſq; dum illo fruar glorioſe.

Amen.

Homilia

# Homilia Prima.

¶ Post hæc erat dies festus Iudæorum: & ascen- Text.
dit Iesus Ierosolymam.

## SALVTATIO AD DEIPA-
ram Virginem.

HOrtus conclusus & nulli peccato patens, est spiritus tuus ô Maria, Dei mater alma & semper virgo: hortus conclusus etiam & corpus & fons gratia Dei & virginitate semper signatus, vnde magna dona nobis proueniunt. Quia melliflui facti sunt cæli & fauos donorum incessanter nobis emittunt, postquam fabricata es talis apes in terra & mater tãti Dei. Nunquã infirmata es aliquo delicto, semper incolumis fuisti. Beata fœmina, quæ nunquã habuisti culpæ morbũ, nec abijsti àcõsilio iustorũ, nec in via peccatorũ per instãs iacuisti: sed semper gratia & virtute stetisti semper oculos apertos habuisti, tã fidei quã charitatis. Claudicare nescisti, quia beata quæ credidisti, & omnia à te credita opere debito impleuisti. Arida quomodo anima tua potuit per instãs esse, quę irriguũ superius, diuinitatem scilicet, & irriguum inferius nẽpe humanitatem (satis melius quam Axa) in vno Christo in vtero habuisti? Meruisti certe infestũ Ierusalem supernæ, etiam corpore cũ filio tuo ascendere, super omnes meras creaturas. Quid nos faciemus virgo sancta, in vigilia lugubri huius vallis miseriarum existentes: in periculo non perueniendi ad ipsam solennitatem ciuitatis cœlestis? Infirmi in anima ibi non inueniuntur, & nos langore culpæ prolixo iacemus in terrenis. Cęci in cœlo non sunt: nos tamen talpis cæciores, de cœlo non cogitamus. Sancti in patria per gunt suis affectibus, quocunque filius tuus tendit: nos claudicamus in diuersas partes credentes & non operantes. Aridi sumus & sine charitatis succo: nec videre Deum, nec ambulare in cœlo sine gratia possumus. Veniat angelus de cœlo, & linguã meã calore diuino moueat, & corda astantium, vt sani facti simus, ab omni animæ infirmitate, Virgine hoc nobis obtinente, dicentibus, Aue.

*Can. 4. D.*

*Psalm. 1.*

*Iudic. 1. B.*

Text. ¶ Post hęc erat dies festus Iudæorum, & ascēdit Iesus Ierosolymam.

A. 31. M 4. D. 26. & 21. Maij. QVanuis in primo festo, ingratos expertus fuisset Iesus sacerdotes & Synagogæ principes, nō ideò desinit ad illos reuertere: quia misericors Deus non ilico peccatores abijcit, & relinquit, nisi obstinatè peccēt. Imò & obstinatos quærit, & ingratis & sceleratis beneficia præstat, vt hic est videre. Vt semper Deus faciat ex se, necessaria ad salutem tuam: si tamen illis in bonum vti volueris, damnationem tibi imputa: cum perditio & culpa tua, vt tua sit, auxilium à Domino dominorum. Post hæc, nempè post omnia illa, quæ in salute filio Reguli collata fecit medicus cœlestis, venit ad festum Ierusalem: vt scias te tunc rectè & dignè festum colere: quando salutem animæ consequutus es. Et sine spirituali salute, festum cœleste in superna Ierusalem, tibi contingere non potest. Resina est in Gala-

Oseæ. 13. C.

Iere. 8. G. ad (nempè pœnitentiæ medicina in Ecclesia) & medicus, scilicet confessor, est ibi: si festum supernum in triumphante Ierusalem desideras, vt oportet, accedito ad medicinam & medicum, vt sanus gratia festum cum Iesu celebres.

Legimus Saluatorem, crebro & frequenter ex studio interfuisse festiuitatibus Iudęorum: ad ostendendam virtutem suam, & ad inferendam doctrinam: non ad ostentationem, vt humanā gloriam venaretur: sed sua benignitate se necessitatibus homi nū inferebat, requisitus aut nō, in diebus festiuis aut nō festiuis. Neque mercedem capturus in languidos intendebat: bonitate tamen sua ferebatur, & in omnibus nobis exēplum conferre curans. Ideò disce o homo, à magistro tuo dies festos sanctificare, & quo modo te oportet in illis habere, vt fructum meritorum magnum ex illis reportes. Quin etiam si Dominus noster ad dexteram Patris in cœlis sedeat, considerat tamen (vt credimus) & diligenter attendit, qualiter se vnusquisq; seruorum eius, sine auaritia, & ira, sine superbia & luxuria ad celebrandos dies festos & dominicos, studeat præparare atq; componere: & secundum quod vnumquenque ornatum bonis moribus viderit, & digne festum celebrantem, ità illi gratiam suæ misericordiæ &

dono

donorum dispensabit: vt Diuus Augustinus de Natalis festo af- *Ser. 1.*
firmat.

Ascendit Iesus in Ierusalem in die festo, & primum quod fecit, fuit in templum pergere ad orandum Patrem eius, cum esset illi coæqualis: non profe, qui nullius indigebat, sed pro hominibus egenis, quorum amore corpus assumpserat, & illorum peccata soluere volebat. Hoc est primum, quod in quacunque die, quanto magis festiuo, fidelis, te facere oportet: vt de mane (animam tuam in pace habens, nam in Ierusalem erat festum, quod celebrabat Iesus, pacem signante: quia sine animæ pace non potest festum, vt decet sanctificare) ad templum Dei pergas: mundum animæ tuæ templum habens, & ibi Deo gratias referas, pro beneficijs acceptis & accipiẽdis, & quia te de nocte seruauit. Et pete, vt dirigat te in viam salutis æternæ, vt illo donante, Deo placita cupias & suo auxilio tota virtute perficias, dicens illi toto corde: domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei me tua bonitate sine meis meritis peruenire fecisti: tua me hodie salua virtute, vt in hac die ad nullum declinem peccatum: *Ecclesia ad*
sed semper ad tuam iustitiam & voluntatem faciendam, mea *primam.*
procedant eloquia dirigantur cogitationes & opera. Quære pri- *Luc. 12. D.*
mum regnum Dei & spiritualia, & animæ necessaria, & Dei voluntatem facere: & statim, vt vmbra corpus insequitur, corporalia & vitæ necessaria adijcientur tibi, cum Deus promittat illud. Ecclesias Dei frequenta & rem diuinam deuotione possibili audi: in memoriam Christi in cruce pro nobis morientis, offertur tale sacrificium corporis & sanguinis sui: & vt Deo pro delictis nostris satisfaciamus. Et non solùm sacrum audias illis diebus, in quibus sub præcepto teneris, & sub pœna reatus æterni: sed etiam omnibus diebus si fieri commodè potest à te. Quis enarrare poterit, quanta Deus bona conferat quotidie rem diuinam digne audienti? Melius hoc experientia constat quam verbis, his qui cum timore & tremore, diuino sacrificio frequenter assistunt.

Memini me legisse, quendam iuuenem cuiusdam Regis *Exemplum.*
priuatum, mortem euasisse à conseruo falsè causatam, quia sacrum audiuit. Pater enim illius cùm esset pauper dixit illi moriens: fili, nihil habeo quod tibi in testamento meo relinquam bonorum temporalium: lego tibi hoc mandatum, vt

nullus te prætereat dies, quin ſacrũ audias ſi ſalus cõceſſerit tibi. Ille, vt obediẽs filius adimpleuit legatum: vnde forſan multum erat à Rege domino ſuo dilectus: cõſeruus quidam illius inuidia motus, quia à Rege diligebatur, crimen impoſuit graue illi, ità vt Rex decreuerit illum morti tradere: & ſeruis ſuis fornacem calcis facientibus ſcripſit dicens: primus, qui mane ex ſeruis meis, venerit ad vos ſine mora in fornacem ardẽtem proijciatur à vobis. Multò mane miſit illuc innocẽtem, & quo fine iret neſcientem. Qui tamẽ dũ in mõtibus eſſet, audiuit tintinnabulũ, ab ædicula in ſolitudine, aut deſerto reſonans, ſacrum velle incipi denotans. Venit illi in mentẽ Patris legatũ de re diuina quotidie audienda & relinquit viam & pergit ad ſacrum. Intereà alter cõſeruus inuidia tabeſcens deſiderans illum combuſtum videre, & credens gaudium eius fuiſſe adimpletum, pergit illuc. Qui cũ primum illum viderunt calcem incẽdentes, in fornacem miſerunt: & ſic incidit in foueam quam fecit, & alter quia rem audiuit diuinam ſic liberatus eſt. Tamẽ parens, qui in domo ſua primus negligẽs eſt in ſacro audiendo, quomodo filijs ſuis in legatum hoc mandabit? Vtinã interim ludis, aut voluptatib⁹ ne vacet, & talia filij, vt diſcant quis dubitat?

Quanta mala ſint ventura ſacrum audire cõtemnenti, ſaltim in tempore, quo ſub præcepto Eccleſiæ audire tenetur, ſatis conſtat ex hoc, quod mortale crimen cõmittit pœna ẽterna dignam & nemo ſcit quantis priuetur donis. Eſtq; in illo ſignũ magnum paruam, aut nullam erga Deum habere dilectionem, in tanto ſacrificio oblatum, & ſeipſum olim in crucis altari immolatum, amore iſtorum, & pro peccatis nolentium illum in Eccleſia videre: qui tamen ad Regem vidẽdum terrenum velociter pergerent. Certè ſi nulla alia vtilitate, aut alio commodo allectus eſſes, ad ſacrum quotidie audiendum, niſi ſacerdotem ſacris indutum veſtibus videre exeuntẽ à ſacrario ad ſacrum peragendum, Chriſtum Dominum ſignantem veſtibus illuſionis in paſsione ſua veſtitum, & à domo Pilati in Caluarium tendentem crucis ãltari oneratum: in quo primam & vltimam Miſſam ipſe ſacerdos ſanctus celebrare debẽbat, pro peccatis tuis ſeipſum offerens Patri: aliter ad Eccleſias libenter ire debebas. De quibus veſtium ſignificationib⁹, & de illa ſuperna Chriſti Miſſa: amore Virginis Mariæ, in Homilia quadã de Chriſti Ieſu à Crucis deſcenſu, inue-

nies

nies à nobis, pro noſtra fragilitate, poſitum,

Poſtquam Dominus Ieſus in tẽplum venit, ſecundum quod fecit, viſitare infirmos fuit, cum eſſet ſupremus animarum & corporum medicus: vt diſcas & ipſe ſic dies ſanctificare feſtiuos, vt poſt ſacrum magna reuerentia atque deuotione auditum, in viſitandis infirmis ne piger ſis. Sed ſi poſsibile eſt, omnes viſita: prius pauperes, quàm diuites, & ſolatio plena verba illis loquere. Et ſi potes, ne manibus vacuis, ad illos accedas: vt te totum operibus charitatis in die feſti tradas, hoc enim eſt Sabbata ſanctificare, ſanctum facere diem feſtiuum tuis ſanctis operibus: ideſt, oſtendere charitatis actibus illum eſſe ſanctum, vt eſt, & à Deo ſanctificatum. Dic infirmo, frater, per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cœlorum, conſidera Deum flagellare infirmitate, filium, quem recipit & diligit ad beatitudinem, ego quos amo arguo & caſtigo & illum, de cuius ſalute æterna ſperatur. Conſidera omnes Dei Sanctos per labores & infirmitates in cœlum tetendiſſe: cogita martyres Sanctos, quãta ludibria & verbera, ſcorpiones & equuleos, ignes & leones expertos fuiſſe: ante quam ad cœnam agni & ad ſalutem perpetuam vocati fuiſſent & recepti. Cogita de Virgine immaculata, quanta & grauiſsima cordis tormenta ſine veniali, Mater Dei cum eſſet, paſſa fuit, ante quam ad filium aſcenderet. Imò cogita de filio Dei & ſuo, quam grauiter vulneratus in Crucis lecto ſine ſindone & puluinari, vt ipſe habes: clauis trabalibus, leproſo ſimilis iacuit tribus horis, antequam ad patris dexterã ſediſſet: vt libenter patiaris iſtos minimos dolores tuis grauiſsimis culpis ſatis impares & minores. Ne ſis de illis inimicis Crucis Chriſti, laboris & doloris infirmitatis, quos deplorabat Paulus dicẽs: multi enim ambulãt, quos ſæpè dicebã vobis (nũc aũt & flens dico) inimicos Crucis Chriſti: qui amore Dei & ad peccatorũ ſuorũ remiſsionẽ, nullũ laborẽ & infirmitatẽ patiẽter ferre volũt: nec de neceſsitate volũtatẽ facere, vt magna ſibi merita ex tali infirmitate acquirãt. Tamẽ certe taliũ finis interit? animę eſt, cũ iraſcãtur in Deũ talẽ infirmitatẽ ad ſalutẽ animę dãtem. Si eſſent apes ad fauos meritorũ per patientiã, ex flore infirmitatis educẽdos, & nõ araneę quę in damnũ animarũ ſuarũ venenũ murmurationis in Deũ, iręę & impatiẽtię elicĩũt magna dona reciperent à Deo & auxiliũ ad talẽ infirmitatẽ facilius ferẽdũ.

*Ad He. 12. B.*

*Apoc. 3. D.*

*Ad He. 11. G.*

*Philip. 3. D.*

*Simile.*

Cupis

Cupis ſcire frater mi infirme, quænam ſit ratio vt tanto labore & dolore infirmitatem iſtam feras? Quia ſolus eam portas, vt impatiens & ſine Dei gratia: confitere delicta vere, fac voluntarium morbum iſtum, ac ſi tu illũ à Deo expetiſſes, ad illi ſeruiendum, & pro culpis tuis ſatisfaciendum, & ad magna merita acquirendum: & videbis, quo gaudio & facilitate illum portas. Quia Deus adiuuat ad iugum tale portandum, tanquam amicus, qui eſt alter tu, amore conſtitutus: & ſic debet partem infirmitatis ferre: ſine dolore tñ, ſed alleuiationem cauſantem. Aliter ille D. Auguſt. qui Deo dicebat: Domine, hic vre, hic ſeca, hic non parcas corpori meo, ſed illi omnem dolorem & infirmitatem à te ordinatã tribue: vt in æternũ animæ parcas, & pergam vbi non eſt infirmitas, nec dolor nec gemitus, nec clamor, ſed neq; vlla triſtitia.

Quid paſſus eſſes (bone doctor Eccleſiæ, & hęreticorum malleus à Deo conſtitutus, pater Auguſtine, quem valde diligo) hic in vita infirmitatis & doloris; vt Deo tibi in cælo frui liceat: vbi non eſt infirmitas, vt diſcat hic frater meus libenter infirmitates
*Cap. 15.* ferre & ego etiam? Audite reſponſum in manuali meo poſitum, & illud attente conſidẽrate: O anima mea, ſi quotidie oporteret nos tormẽta perferre, ſi ipſam gehennã longo tempore tolerare: vt Chriſtũ in gloria ſua videre poſſemus, & ſanctis eius ſociari: nõne dignũ eſſet pati, omne quod triſte eſt, vt tanti boni tanteq; gloriæ, participes haberemur? Inſidientur ergo dæmones, parent ſuas tentationes: frangant corpus ieiunia, premant veſtimẽta & cilicia carnes, labores grauent: vigiliæ exiccẽt: clamet in me iſte: inquietet me ille vel ille, frigus incuruet: conſcientia murmuret: calor vrat: caput doleat, pectus ardeat, infletur ſtomachus, palleſcat vultꝰ, infirmer totꝰ: deficiat in dolore vita mea, & anni mei in
*Pſalm. 30. Habac. 3. D.* gemitibus: ingrediatur putredo in oſsibus meis, & ſubter me ſcateat: dummodo requieſcam in die tribulationis & mortis meæ, & aſcendam ad populum noſtrum cæleſtem, beatitudine accinctum, & ad viſionem domini mei.

Vidiſti ſancti calorem? Audiſti quæ eligebat ad patiendum pro Deo & regno ipſius obtinendo? vides quam fragilis ſis, qui nec dolorem capitis per horam patienter ferre potes, pro Dei honore, & tui peccati ſatisfactione? Audi & martyrem Ignatium,
*Epiſt. 11.* quid & ipſe dicat in epiſtola quã ad Romanos ſcripſit, quando Romam ducebatur vt leonibus rugientibus eſſet immiſſus: vti-

nam,

nam fruar beſtijs quæ mihi paratæ ſunt: nunc incipio eſſe diſcipulus: nulli æmulor viſibilium & inuiſibilium, vt Ieſum Chriſtum merear adipiſci. Ignis Crux, beſtiarumq; cõſtantia, abſciſſio, ſeparatio, confractio, diſsipatioque omnium membrorum meorum, interituſque totius corporis: imo & omnia flagella diaboli, & ab ipſo inuenta in me veniant, vt Ieſum merear adipiſci. Sciebant iſti ſancti multa de cælo & de ſuo creatore, ideo tanta pati cupiebant, vt non perderent Deum ſuum. Frater mi, vide ſi caput dolet, Quanto maiori dolore caput Chriſti percuſſum fuit mille puncturis (vt ait D. Anſelmus) ſi latus dolet recordare lanceæ Chriſti, cor matris tranſſigentis: ſi ſcapularum dolorem habes: memento Chriſti dorſi flagellis dilacerati, & ſic de alijs corporis partibus, vt leuius & meritorie feras.

Si pater tuus beneuolus & bonus & te valde diligens, eſſet medicus peritiſsimus & potentiſsimus: non haberes fiduciam magnam valetudinem recuperandi, præcipue ſi poſſet ipſam pro libito tibi dare? Si non dediſſet, vt Diuus Petrus filiæ ſuæ, abſque dubio crederes tibi non expedire ſalutem. Frater mi, Deus eſt pater tuus medicus cœleſtis & adeò benignus erga te & diligens ſalutem tuam, quod ſuã dedit morti vt tu viueres: Quod nunquã pater carnalis fecit: igitur manibus illius te committe. Omnia poteſt, dies eſt, ſine ſumptu pharmacorum valet tibi conferre ſalutem. Si amicus eius per gratiam es, ipſe tibi illam dabit, ſi expedit animæ ſaluti: ſi non es amicus Dei, age cito pœnitentiam & confitere animæ infirmitatem: & eſto patiens cum folium arboris, ſine iſtius patris tui non poſsit moueri voluntate: quanto magis infirmitas cõtra te? Hæc libuit mihi hic intexere: ſumpta occaſione ex hac medici noſtri infirmorum viſitatione: vt habeant parochi & Dei amici & confeſſarij, quid, ſub breuitate in ſolatium infirmorum (credo valde neceſſarium) dicant. *ſimile.*

Sed ſicut Deus non ſolum pauperes viſitauit, ſed etiam illis benefecit, ita & omnis fidelis, non tantum ægrotos viſitet, quin aliquid de ſua ſubſtantia illis neceſſarium præbeat, Sed heu, quo modo iam dies feſtiuus ab hominibus profanatur, & illo abutuntur multi fideles, qui maiora crimina in illo perpetrant & plura quam per hebdomadam totam. Tuncludis & voluptatibus magis vacant, vnde blaſphemiæ & adulteria ſequũtur: & ſic maiora flagitia contra Deum, dæmone ſuadente, imo & obtinente, commit-

committunt quam in diebus laboris. Vnde ipse dominus, qui per Ecclesiam suam dies festos nobis seruare præcipit, credo per
*Esai.1.D* Isaiam dicere iam, causa multorũ fideliũ tales dies polluẽtium: Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates vestras alias, non ferã: ob scelera quæ in illis à vobis committuntur: iniqui sunt cœtus vestri, & congregationes quas in talibus diebus facitis: calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea, quia peccatis cõtra me & delictis illas cõtaminatis: facta sunt mihi molesta, opera quæ in festiuo die perpetratis, laboraui sustinens vos, & magis vtile vobis esset & mihi honorabilius, vt erga multos ex vobis non esset dies festi: quia contra me illo abutimini. Quando ma-
*1.Mach.1.F* gis in Ecclesia Dei verificatũ fuit quam hodie illud Machabæorum: sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, dies festi Ecclesiæ conuersi sunt in luctum animarum, ob peccata fidelium in illis commissa: Sabbata eius in opprobriũ & in Dei inhonorationem: & honores Ecclesiæ primi, quando tot sancti in illa habitabãt, & sic festos dies honorabant, in nihilum redacti sunt: nam secundum gloriam priorem Ecclesiæ, multiplicata est ignominia eius à suis filijs ob scelera sua: & sublimitas eius in luctum & lamentationem conuersa est. Vnde viderũt Ecclesiam hostes eius
*Thren.1.C* pagani & hæretici, & deriserunt Sabbata eius (vt plorat Hieremias) & festiuitates. Festorum fractores, tam laborioso opere quam peccato, audite supplicium quod sumptum est de homine vno, sententia de cælo prolata, quia festũ paruo labore violauit.

*Num.15.D.* Cum essent filij Israel in solitudine, vt in libro Numerorum legimus, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtuleruut eum Mosi & Aaron, & vniuersæ multitudini: qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Et forsan interroganti Mosi, Domine, quid faciemus de homine isto, qui ausus est Sabbatum frangere? Dixit Dominus, morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra, quod & factum est. Primo time homo, diem festum aliquo labore violare, quod mortale crimen sit: nam etiam si in hac vita, lapidibus obrutus non fis ob delictum, certe in alia, valde punitus eris: si pœnitentiam veram in tempore non agis, nam ad hoc notandum tam graui supplicio iste homo, nempe vltimo, punitus fuit.

In so-

In ſolitudine huius vitæ ſumus miſeri filij Euæ, dux noſter Chriſtus eſt, patria & terra promiſſa ad quam, Dei adiutorio, tendimus cibo corporis ſui aliti, terra viuentium eſt, & cœleſtis habitatio. Iuſſit nos Deus feſtos dies bonis operibus ſanctificare & meritorijs actibus vacare: quis te faſcinauit o homo, qui cum à Deo ſis iuſſus per hebdomadam labore manuum tuarum comedere bonis medijs, vt ſis beatus, & bene tibi eueniat in morte: & die dominico vtilitati animæ vaces, e contra omnia facis: cum per hebdomadam otio imo ludis vaces, & diem feſtum frangere curas. Caue iram Dei iubentis lapidare ligna colligentem.

Heu tamen, quàm maiori ſupplicio dignus eris o homo, qui non es veritus in huiuſmodi ſolitudine, in die Dominico & feſtiuo contra Deum & ſanctos eius, ligna vitiorum colligere & verborum nociuorum, in ruinam aliorum & in ſcandalum, applicando huiuſmodi ligna igni concupiſcentiæ. Vnde in cauſam fuiſti, vt miſera mulier, animam ſuam peccato incenderet, & tua combuſta maneret: & hoc in die feſto? time audax peccator, nam certe inuenerunt te angeli & dæmones, in tali furto & lignorum collectione, quibus tam execrandum ignem ſuccendiſti: pœnitentiam cito fac & deſine officium tale, alias ſi in morte dæmones inuenerint te, talibus oneratum lignis culparum, offerent te Chriſto duci cœleſti dicentes: iſte homo in die feſtiuo collegit ligna peccatorum, quibus ſua & aliorum animas incendit. Mittite eum in carcerem tenebroſum, & omnis multitudo infernalis lapidibus obruat illum. Diſce ſanctificare Sabbata bonis operibus.

Iudæi ad proximas coeuntes ſpeluncas, & latenter diem Sabbati celebrantes, cum indicati eſſent Philippo, flammis ſuccenſi ſunt: quod magis elegerũt quam feſtũ frangere. Et tu homo, cũ ſcias flammis arſurus æternis ſi feſtum frangis, potius hoc eligis quam Dei præceptum ſeruare? Et tu peccator addis ligna vitiorum flammis concupiſcentiæ? In ſpelunca ardebis perpetua ſi ad Deum cito non fueris conuerſus. Diſcite à Chriſto dies feſtos ſanctificare: & videte o homines, quomodo in nullo ex decem præceptis Dei, hoc verbo memento vſus fuerit legiſlator diuinus niſi in hoc de feſtiuis diebus colendis atque obſeruandis dicens: memento vt diem Sabbati ſanctifices. 2. *Mach.* 6. 8. *Exod.* 20. 8.

Non

Non facias in illo opus vllum, tu, & filius tuus, & filia tua seruus aut ancilla, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Quia dominus videbat festorũ obseruationem debitam, fugiendam fore ab hominum memoria: ideo in hoc tantum præcepto dixit memẽto, vt diem Sabbati sanctifices. O quam oblitum est iam hoc memento, & quo modo fugit ab hominum reminiscentia. In tantum verecundia hominum deperdita est in festorum obseruatione debita: quod noster sanctissimus pater Pius. V. (quem Deus nobis cõseruet & viuificet, sicut Ecclesia hisce temporibus illo maxime indiget) coactus sit grauissimas & iustissimas condere leges, contra festorum fractores: vt est videre in suo proprio motu, de hoc ad fideles misso.

*Exemplũ.* Si vis videre quam magna Deo irrogetur iniuria in festorum fractione, audi quod memini me legisse: quidã panificus solitus erat in die festiuo de nocte ancillas suas vt incernerent iubere, vt altero die de mane iam coctos & calidos venderet panes, vt maius acquireret lucrũ: & semel hoc illi, ex Dei permissione, contigit: vt omnes panes quacunque parte frangerentur sanguinem effunderent. Et ad episcopum ciuitatis deportati sunt, qui misit illos in suas Ecclesias omnes & in monasteria, vt concionatores contra festorum fractores feruentius insurgerẽt, dicentes: Videte quanta Deo iniuria irrogetur in diei festi fractione: nam in hoc miraculo videtur insinuare, quod sit velut sanguinem eius effundere & cõculcare. Memento vt diem festum sanctifices o homo, alias vt sanguinis Dei effusor punitus eris. Quam multi de loco in locum ob auaritiam & lucrum triste, in diebus festiuis sine sacro audito deambulant: de villa in villam, merces suas vendendo & emendo: ac si dominus per Ieremiam non dixisset: *Iere.17.C.* Custodite animas vestras à malo, & nolite portare pondera & onera in die Sabbati: nec inferatis per portas Hierusalem. Sanctificate diem Sabbati sicut præcepi patribus vestris. Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam ad obediendum: sed indurauerunt ceruicem suam ne audirent me. Si audieritis me & dies festos seruaueritis, multa dona vobis conferam: si non audieritis me vt sanctificetis diem Sabbati, succendam ignem in portis vestris, nempe in morte, & deuorabit domos Hierusalem, animas nempe fidelium, & non extinguetur.

Dolenda est conditio peccatoris, qui velit magis, quam Deo, seruiet

ſeruire diabolo, qui non dat illi requiem die ac nocte, in die feſtiuo aut feria: vnde tempus Deo dicatum dæmoni offert & maledictio Dei per Ieremiam prolata illi applicatur: ſeruies dijs alienis die ac nocte, qui nõ dabunt tibi requiem. Attende tibi, quam crudelem habeas dominum, crudelis eſt (vt dicitur in Ieremia) & non miſerebitur tui: ſed ſagittam & ſcutum arripiet contra te. Et meritò cùm potiùs eligas, maligno laborãdo ſeruire, quàm Deo vero quieſcẽdo in die feſtiuo. Quis audebit dicere requiem æternam dona Domine, iſti homini, qui noluit requiem habere in die feſtiuo, ſed frangere illum labore, & itinere: & quod peius eſt ludis & blaſphemijs & voluptatibus? Miſera requies tibi expectat, cùm à laboribus quieſcere in die feſto non vis, nec à peccatis. Et quia multum aures hominum terrent exempla, audi. Quidam ductus ad pœnas inferni intuendas (ex Dei diſpenſatione) vidit ibi plauſtrum fœno oneratum, & dictum eſt illi: oportet tantum fœnum in dorſo tuo comburi, eò quod Dominico die duxeris illud: ſciens eſſe ab Eccleſia & ſacerdote prohibitum: ſi veniam deſideras delicti. Ille autem reductus poſteà ad pœnitentiam, confeſſus eſt peccata, & factus, Dei auxilio, vir bonæ vitæ. Videte quid erit de vobis, ante rem diuinam, mane die Dominico, meſſes ad aream portantibus ligna ad domos: beſtias, ſeruos & filios ad molendinum mittẽtibus. Supra dorſum veſtrum meſſes & ligna & farina ardebunt in inferno: ſi ad vos non eſtis reuerſi & pœnitentiam agitis.

*Ierem. 16. C.*

*Ibi. 6. F.*

*Exemplum.*

Quidam ruſticus duxit triticũ de campo in horreum ſuum, in quodam die feſtiuo, & ex permiſsione diuina ignis totum horreum & triticum conſumpſit. Scribit Gregorius Turonenſis, cum quidam ruſticus in die feſtiuo arare vellet, protinus contractis digitis, manubrium ſecuris, cum qua vomerem mundare volebat eius dexteræ adhæſit, & poſt duos annos, in Eccleſia ſancti Iuliani ad eius preces ſanatus eſt & liber à manubrio. In promptuario exemplorum, iſta inuenies. Et abſque dubio credo maiora ſupplicia his memoratis, Deus hucuſque feciſſe, & multa oſtendiſſe, contra feſtorum dierum fractores, & Dei, dicentis, memento vt diem ſanctifices feſtiuum, contemptores: & grauiſsime illos in inferno torqueri. Deus in hac vita, neceſſaria præbet feſtos dies ſeruantibus, & frangentibus aufert. Vt patet de illis duobus ſutoribus (nam iſti ſunt inter officiales,

*Exemplum.*

*Exemplum.*

*In verbo feſtum exemplo. 1. 3.*

*Exemplũ.*

qui magis facultatem à dæmone accipiunt, festos dies transgrediendi: sed suo malo, & sic non habent victum) quorum vnus festa seruabat & necessaria semper habuit: alter frangebat & in penuria semper fuit: cum primus habuerit vxorem & filios, & secundus nec puerum. Tamen vidēs pauper alium diuitem, interrogauit, vnde & quomodo tam abundè necessaria haberet? Cui dixit, cras ibis mecum & ostendam tibi vbi talia reperiam. Mane facto duxit illum ad Ecclesiam, & finita Missa dixit ei, vade ad laborem tuum: & altero die similiter fecit. Pauper tamen dixit illi: frater, ego scio si vellem ire in Ecclesiam, viam: duc me vbi thesaurum inueniſti. Alium locum non habeo, dixit bonus homo & festorum obseruator, vbi thesaurum corporis & præmium vitæ æternæ requiro nisi Ecclesiam: non ne *Lucæ. 12. D.* Christum audisti dicentem in Euangelio: Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis? Tunc alter compunctus, & Christo deuotus factus semper libenter Missam audiuit, & festos dies coluit: & tunc etiam illi prosperè in om- *Do. 17. post Trin. 117. in fine.* nibus succesit. Hoc exemplum ponit Discipulus.

Maximè velim fidelibus hoc suasum facere, vt dies festos sanctificent, & nullo labore ab Ecclesia prohibito illos polluant: præcipuè Dominicum diem ab omnibus veneratione dignum. *Li. 2. tit. de con. D. 3. ca. ieiunia.* Et vt ait sanctꝰ Apolloniꝰ, vt Iuo refert ex Apollinario, & habetur in sanctis Decretis de consecratione: die autem Dominica, nihil aliud agendum est nisi Deo vacandum: nulla operatio in illa die sancta agatur: nisi tantum Hymnis & Psalmis & canticis spiritualibus & operibus charitatis dies illa transigatur. Et meritò dies Dominicus magna deuotione & veneratione colen- *Genes. 2. A.* dus est: quia in ipso Deꝰ (qui omnia creauit: & perfecit) quieuit ab opere quod patrarat: eadem die filius Dei conceptus & natus ex Virgine sancta fuit: tali die hororatus fuit Christus à ciuitate Ierusalem cum palmis & ramis, & resurrexit à mortuis & misit Spiritum sanctum. Laicos fideles, dies sanctos malis operibus prophanare audentes, atque violare graue malum est, & non ibunt impuniti: tamen Dei ministri (qui verbo docent esse seruandos, & opere tenentur fortius, ratione exempli ad illos custodiendos, tàm operis seruilis vacatione in se & seruis eius & familia, quàm virtutum nitore & candore) audebunt diuina polluere festa in quibus tanta à Deo recipiunt dona in sa-

cramen

cramenti ſuſceptione? Certè ſi hic lapidati non fuerint tales ſacerdotes feſtorum fractores, tàm opere ſeruili, quàm vitio, coram iudice Chriſto rigidum illis manet iudicium. Si mihi fidem habere non vultis, ſacerdotes, feſtos dies labore ſeruorum & vitio veſtro, & ad malum inuitatione violantes: de tali rigore & Dei indignatione contra vos: audite illum per Ezechielem conquerentem de vobis, & minas terribiles proferentem.

Coniuratio prophetarum, ideſt, concionatorum & Dei miniſtrorum, in medio eius, ideſt, Eccleſię meæ, inuenta eſt cõtra me: nam ſicut leo rugiens rapiensq; prædam & agnos deuorans: ſic ipſi animas ad malum inducendo deuorauerunt: ſacerdotes eius contemſerunt legem meam. Eius Eccleſiæ non mei, niſi verbis & dignitate, nõ operatione & virtute. Certè dolenda Dei verba ſunt iſta, vtinam ne de altaris miniſtris verificentur, & de concionatoribus & religioſis multis, ſicut de antiquæ Synagogæ ſacerdotibus. Fili hominis, verſa eſt mihi domus Iſrael & populus Chriſtianus in ſcoriam & vilitatẽ, quo ad multos, & Deus auertat ne ſint Eccleſiæ miniſtri. Quid ſacerdotes fecerunt contra te Domine? Contẽpſerunt legem meam & cõciones. Quid peius & iniquius facere potuerunt? Inſuper polluerũt ſanctuaria mea, quia conſcientia polluta tractauerunt ſancta ſymbola, & ſacramenta Eccleſię, & velut polluta ſic circa illa ſe habuerũt: & quãtum eſt in ſe ea violauerunt (etiam ſi incõtaminata permaneant) quia manibus ſordidis auſi ſunt tangere ſacra: vt de huiuſmodi altaris miniſtris per Malachiam conquerer: offerentibus ſuper altare meum panem pollutum, ideſt, manibus ſordidis, & conſcientia polluta. *Ezechi. 22. E.F.G.* *Malac. 1. B.*

De quo tamen de illis maximè conqueror, hoc eſt, quia inter ſanctum & prophanũ non habuerunt diſtantiam. Ecce ad quod malorum baratrum, affirmat Dñs, peruenisſe nos Dei miniſtros & multos religioſos: vt ſic ſancta Dei myſteria, vt mũdi prophana tractemus: & ſic ad Chriſti mẽſam, vt ad noſtrã properemus, ſine alia adhibita conſideratione debita, & inter pollutum & mundum non differimus: quod malum grauiſsimum eſt, quod in Dei miniſtris reperiri poteſt. Vt ſuis delictis & conſuetudinibus prauis, in tantã deueniant dementiã ac proteruiam, & tam obſcurũ & contenebratum habeant cor, & ſiniſtram ele-

ctionem & iudicium peruersum, suis sceleribus hoc exigẽtibus, vt inter sanctũ filij Dei corpus, & edulium corporale nullam di stantiam signent neque discrimen. Sed ità temerè & consuetudine ducti ad vnum, velut ad aliud appropinquent: & inter pollutum mulierum amorem, & meum mundum, quo ego Deus diligendus eram, non intellexerunt, imò noluerũt intelligere, vt sanctè & digne me in sacramento existentem venerarentur:
1. Cor. 11. G. ac si sententiam terribilem Pauli non audissent, aut legissent dicentis: Iudicium manducas & bibis & condemnationem tuam o sacerdos, qui indignè accedis ad mensam Domini, quia non dijudicas, nec discernis inter corpus Domini, & cibum corporalem, quem domi comedis.

Ezec. 22. G. Vltrà hoc etiã, à Sabbatis meis auerterũt oculos suos: nolentes attẽdere ad quanta bona opera in illis diebus tenebantur per se facere, & alios inuitare: sed vtinam, etiam si ipsi peccata committerent, alios ad idem non prouocassent. Nam qui me hororare debebant, coinquinabar in medio eorum: quia tam immundi ad me accedebant, vt si ego pollui possem, ab illis coinquinatus
Simile. essem. Tamen si sol non potest à stercoribus, quæ tangit radijs
Simile. suis & illustrat, immunditiam contrahere: neque ignis ligna pol luta comburens: quanto magis ego Sol iustitiæ & ignis omnia
Ad Hebr. 12. G. nociua animæ consumens, sine mei decoris & munditiei minutione, ero inter pollutos? Aut coinquinabar: quia sic se habent mecum multi illorum, ac si ego pollutus essem, & non Angelorum munditia: & hoc in festiuis diebus. Frequẽter igitur Christus Dominus ad diem festum ascendebat, & ad Ierusalem: vt plures lucrifaceret ad festum Ierusalem cœlestis, & nos doceret festos dies colere & infirmos visitare. Multi suspicantur fuisse festum Pentecostes: tamen non fuit nisi Paschale. De his tamen Iudæorum festiuitatibus, iam suprà diximus, cum de puero ascendente Iesu ad festum cum Matre agebamus. Et in his diebus, semper Christus illis se tradidit ad solamen, qui mundi solatia despexerunt, aut quos ipse mundus abhorret: vnde relinquens eos, qui videbantur terrenis festiuitatibus intendentes,

Deus factus homo, ad miseros, qui vacare festis non poterant, se conuertit: vt gloriæ festiuitatem nobis conferat: Amen.

Hom.

# Homilia Secunda.

¶ Est autem Ierosolymis probatica piscina, quę cognominatur Hebraicè Bethsaida. Text.

PRobatica, ablatiuus est, & piscina nominatiuus: vt iuxta Græcam lectionē dicatur: est Ierosolymis in probatica, piscina quædā: vt intelligas fuisse locum, siuè aream, quæ probatichy, ideſt, ouilla, siuè pecualis dicebatur: eò quod illic oues ad sacrificia facienda seruarentur. Et in illo loco erat piscina, ideſt, natatorium in quo natatur: non viuarium piscium, etiam si ab initio piscinæ dictæ sunt à piscibus, qui illic viui seruabantur: tamen quia in piscinis etiam natare solebant, inualuit consuetudo, vt omnes in hunc vsum collectæ aquæ, siue frigidæ, aut calidæ, piscinæ dicantur. Igitur in loco illo ouium, erat natatorium illud, & illæ aquæ congregatæ. Vel erat probatica, piscina ornata, quæ cognominabatur Hebraicè Bethsaida, vel Bethesda, vt à Græcis legitur: domus pecualis vel defluxionis, ab aquis illuc defluentibus. Diuus Thomas in Ioannem dicit: probaton enim Græcè ouis dicitur, probatica ergo piscina quasi ouiaria: ex eo quod sacerdotes cadauera bestiarum, & præcipuè ouium: quæ, vt plurimum in sacrificijs offerebantur, ibi abluebant. Piscina igitur, congregatio aquarum apparentium super terram, desuper descendentibus imbribus cōgregatarum: aut ex occultis venis prodeuntium, aut ex vtrisque: quid aliud quàm Dei gratia est, omnibus præparata: & super terram apparens in Ecclesia per sacramenta publica, & cunctis nota sanè credentibus, & fide rectè vtentibus? De cœlo tamen descendit: quia est datum optimum, & donum valdè perfectum descendens à Patre luminum: ex occultis meritis, quæ nemo hominum nouit. Tamen Ierosolymis est: quia gratia diuina non aliter, aut alibi datur, quàm in pace quærentibus, & in excellentissima Christi pace: ita, vt vbi abundauit delictum, superabundet, ex parte Iesu, & gratia.

*Lectio.1.*

*Iacob.1.c.*

*Rom.5.D.*

Piscinæ virtus (ait Diuus Thomas in Ioannem) concordat cum baptismatis & pœnitentiæ virtute in aliquibus, & differt in alijs: primò concordat in hoc quod virtus aquę in piscina non

erat ex natura aquæ, alias ſemper ſanaret: ſic & aqua baptiſmi extra illum non abluit mentem. Deinde ſicut aqua illa corpora ſanabat: ità baptiſmus mentem: differenter tamen: quia piſcinæ aqua, ſalutem virtute Angelica conferebat, aqua verò baptiſmi ſanctiſsimæ Trinitatis virtute: in cuius ſignum tres diuinæ perſonæ in Chriſti baptiſmate affuerunt. Deinde differt, quia aqua piſcinæ, non habuit virtutem continuò ſanandi: aqua tamen baptiſmatis continuò mentem abluit rectè ſuſcipientis. Illa vnum tantùm ſanabat poſt Angelicam motionem: baptiſmus & pœnitentia omnes, vt decet vtentes illis, poſt Chriſti inſtitutionem & virtutem. Vnde quinque porticus habebat, quia in quinque Chriſti vulneribus efficaciam ſuam habent: & ex illis liquor precioſus ad omnem animi curandum languorem, manat iugiter.

*Matth. 3. D.*

In illa piſcina oues abluebantur ad ſacrificium paratæ in Dei obſequium: vt ſcias & intelligas ſi in piſcina pœnitentiæ ablui deſideras, oportere te ouem eſſe mãſuetam ad omnes & vtilem, & ad moriendum pro Chriſto in ſacrificio aptam & paratam: ità, vt cum Dauid dicere poſsis verè: quoniam ſi voluiſſes, vt me, velut ouem ſacrificio & morti traderem & martyrio offerrem, ſacrificium mei ipſius dediſſem: vtique holocauſtum, quod magis cupis à me, ſacrificium internum eſt: occiſione externa non delectaris. Lupi rapaces auari, ſues immundæ adulteri, canes ad vomitum quotidie redeuntes blaſphemi & detractores, quandiù tales eſſe vultis & verè in oues Dei auxilio conuerti non curatis, non eſt aqua piſcinæ vobis: imò nec Chriſti ſanguis abluet vos, quanuis illo vtamini, ſi tàm crudeliſsima ſcelera relinquere non vultis. Abluit oues ſanguis Chriſti, & etiam hircos, nempè peccatores, ſed pœnitentes, ſed de culpis maximè dolentes: ſed vitam corrigentes, ſed ad virtutem currentes: non tamen immundos hircos & lupos rabidos, volentes ſic permanere lauat.

*Pſalm. 50.*

Tex. ¶ Quinque porticus habens.

CVm piſcina pœnitentiam ſignet, meritò quinque porticus habere dicitur: quia inter alia, quinque maximè hominem ad pœnitentiæ ingreſſum mouere debẽt & feſtinantèr. Primum eſt periculum magnũ quod peccatori imminet ex pœnitentiæ dila-

dilatione. Audi Salomonem: ne tardes conuerti ad Dominum
verè, illius auxilio, pœnitendo: & ne differas de die in diem: ſu- Eccl. 5. a.
bitò dum non ſperas veniet ſuper te Dei ira, & in tempore vin-
dictæ, nempè in morte, diſperdet te. Certè innumeri ſunt hodie
in patria cœleſti, qui per hanc porticum intrauerunt: quia mo-
ti fuerunt à Deo, vt viderent in quanto erant cõſtituti periculo,
in peccato exiſtentes, & quomodo erat magnum periculum in
mora. Secunda porticus eſt, quæ ad lotionem per pœnitentiæ
aquam nos inuitat, vt per illam nobis ad cœlum pateat ingreſ-
ſus: pronitas diuinæ miſericordiæ ad parcendum verè pœniten-
ti: & gaudium quod in cœlo fit de vno peccatore pœnitentiam Luc. 15. c.
agente. Nam in quacunque hora peccata tua ingemueris verè,
& illa confeſſus fueris, amplius Deus non recordatur, ad punien-
dum illa, neque ad te exprobrandum. Quæ magis pronitas po-
teſt reperiri in patre tuo, valdè te diligente? Audi ipſum Deum Ezech. 18. a.
dicentem hoc & promittentem: ſi impius egerit pœnitentiam
ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt: & cuſtodierit om-
nia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam: vita viuet,
& non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus
eſt, non recordabor amplius ad exprobrandum eas illi: neque
ad puniendum.

Tertia porticus, maximè inclinans hòmines ad pœniten-
tiam, ſi pronitas pietatis Dei non mouet illos, & periculum in
mora: eſt terribilitas iudicij Dei: quod poſt mortẽ ſubire debes.
Nam ſtatim anima à corpore egrediens, erit coram tribunali iu-
dicis Ieſu terribili conſtituta. O quantæ anguſtiæ erunt tunc vn
dique tibi, & quàm anguſtæ omnes viæ: ſuperius, erit iuſtus iu-
dex valdè iratus & meritò cõtra te: inferius horrendũ chaos aper
tum ad te deuorandum poſt ſententiam: & à dextris accuſantia
erunt peccata tua, maiorẽ de te vindictam & maiori crudelitate
expetentia, quã omnes dæmones: cùm tamẽ à ſiniſtris non dee-
runt infiniti dæmones ad ſupplicia te extrahẽtes, & terribiliter
de omnibus accuſantes. Precipuè de impœnitẽtia, dicentes, ecce
Dñe malefactorem fidelem, qui non poſuit te adiutorem ſuum
nec tanto & efficaci pœnitentiæ remedio, in tuo ſanguine fun-
dato, voluit fructuoſe & in tẽpore vti. Intus erit conſcientia tua,
ſuper omnes dæmones mordens: foras mundus ardens contra te
& iam te ab ipſo expulſum habens. Peccator ſic deprehenſus &

in tantis constitutus angustijs, quo fugies? Latere, impossibile est: apparere intolerabile erit. Ingredere citò peccator, ad pœnitentiæ domum, per hanc terribilem porticum, & per hanc considerationem.

Quarta & porticus valdè necessaria ad pœnitentiæ ingressum, sit tibi, pœnarum horribilitas simul & illarum perpetuitas. Si annis multis vixerit homo (ait Salomon) & in his omnibus lætatus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis infernalis, & dierum multorum, quia ibi perpetuò manebit. Qui cùm venerint tales dies miseri, vanitatis arguentur præterita & infelicia tempora tua. Si te tamen pœnæ horribiles inferni ad pœnitentiam non inuitant, & quomodo carebis Deo in æternum, & in omnibus sensibus & potentijs tortus terribiliter eris: moueat saltem quinta porticus, gaudia ineffabilia cœlestia ostendens: quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum & veram pœnitentiam de peccatis in tempore faciunt. Et, vt ait Isaias, à quo Paulus accepit: à seculo non audierunt homines, nec auribus perceperunt, imò nemo nouit domine Deus absque te, quæ præparasti expetantibus te, pœnitentia vera munitis. Sufficit scire cœlum esse & gaudia illius ipsummet Deum & illius visionem beatificam: vt ipsemet fatetur Abrahæ: ego merces tua magna nimis. Gaudete & exultate veri pœnitentes, & in piscina confessionis rectè abluentes conscientiam vestram, quia merces vestra multa & copiosa (ait ipsemet Christus) est vobis in cœlis. Non sunt impertinentes (meo videri) iste quinque porticus, ad mouendum ad pœnitentiam homines per concionem: & vt audiens confessiones sacerdos, à principio confitentem moueat.

*Eccles. 11. c.* *1. Cor. 2. C.* *Isai. 64. A.* *Gen. 15. A.* *Matth. 5. B.*

*Lect. 137 in Sapi. 11.* Holkoth verò aliter has porticus describit super sapientiam: quia ferè semper homo, aquam pœnitentiæ ingreditur vna ex quinque occasionibus motus (Deo tamen semper auxiliante, quia sine illo nihil boni fieri potest) prima est verbi Dei prædicatio, vt patet in illis, qui Petro dixerunt suo sermone commoti: quid faciemus, viri fratres? Petrus autem ad illos: Pœnitentiam agite, si salui fieri vultis. Alij vero ingrediuntur Sanctorum moti exẽplo: nã, vt ait D. Gre. plus monẽt exẽpla quã verba. Et sunt nonnulli quos ad amorẽ patriæ cælestis, nõ min⁹ exẽpla quã

*Act. 2. F.*

præ

prædicamenta ſuccendunt. Alij per porticum Eccleſiaſticæ conſtitutionis, qua præcipitur cuilibet Chriſtiano ſemel in anno cõfiteri. Alij per diuinam inſpirationẽ. Alij vere & vltimi, per infirmitatis corporeę flagellationem. Et vltima iſta porticus, communiſſima eſt, in qua iacet multitudo magna languentium: vix extra Quadrageſimam confiteri volentium, niſi per infirmitatis articulum vexentur.

In his quinque porticibus ponebantur infirmi, iuxta varietatem infirmitatum: vt diſcat omnis ſacerdos, iuxta grauitatem delicti pœnitentiam grauem aut leuem iniungere: & ne ſit extrema amplectens, quæ ſi in omnibus rebus vitioſa ſunt, maxime in confeſsionis pœnitentia iniungenda. Etiam ſi timeam & credam per exceſſum paucos errare: timeo tamen, & indubitanter teneo, innumeros pœnitentiam adeo leuem iniungere, quam potius irriſionem vocare poſſumus. Omnes confeſſarij, maxime deſidero, vt in memoria & corde ſummulam auream Domini cardinalis Caietani ingenio grauiſsimi, haberent: in qua ſic de pœnitentia iniungenda inde conditionibus confeſſoris legerent: ſit demum prudens ſacerdos circa ſatisfactionem & pœnitentiam imponendam: vt commenſurata ſit pœnitenti, magis quam peccatis. Declaret quidem, & palam faciat pœnitenti confeſſor, quãta peccatis ſuis pœna debetur, & quam grauis erat iniũgenda pœnitentia: & quã magna olim in canonibus iuris imponebatur: vt peccata abhorreat & perpetrare timeat: imponat tamen illi fructuoſam, & exhortetur ad reliquam per ſeipſum exoluendam. Nec laudo imponentes breuiſsimam ſatisfactionem: tunc in ipſa confeſsione explendam, quaſi ſolam ſacramentalem iniungendo. Vnde teſtis huius dicti eſt parum doloris quem pœnitens concipit de culpa, & rara ad Deum conuerſio: quæ duo maxime debet confeſſor curare in pœnitente: & pœnitentiam valde minimam iniungendo, deſtruit illa. Non eſt forum pœnitentiæ foro mercium aſsimilandum: non ſunt confeſſores, vt mercatores, vt diſpendiũ patiantur ſi ad forum nõ concurritur. Videant quanti Chriſto ſtet animarum redemptio, & quomodo pœnitentias iniungant, quibus peccator non vltra Deum irrideat.

*Verbo cõfeſſio. §. Vltim. fol. 44.*

De pœnitentia, an grauis iniungenda ſit, infra videbis: modo de differentia illius ne omni peccato eadem iniungatur, dicen-

*Simile.* dum eſt: cum infirmi eſſent in diuerſis porticibus poſiti. Nam in corporali medicina irrifione dignum eſſet, omni infirmitati, idem applicare malagma & emplaſtrum. Sunt enim, qui auaro ſuperbo & adultero & detractori indiſcriminatim, vt Pſalmos Pœnitentiales recitent iniungãt: ac ſi omnia delicta miſera commiſiſſet lingua: etiam ſi magna exaltat modicũ membrum cum ſit: & magnam ſyluam incendit, etiam ſi paruus ignis ſit (vt ait
*Iacob.3.B* Iacobus) auaro prius impera vt aliena reſtituat ad plenum & veris dominis: deinde eleemoſynas iniunge & ſacrificia, vt contraria contrarijs curentur. Superbum iube, humilia de ſe ſcire: adultero, flagella & cilicium & ieiunium poſt occaſiones demptas in iunge: detractori impone honoris alieni reſtitutionem, & orationem, & Pſalmorum aut roſarij recitationem. Diſcant confeſsio-
*Sapien.11.C* nes audientes ab ipſo Deo. Vt ait Sapientia: quia errantes quidam colebant multos ſerpentes, & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis domine, multitudinem mutorum animalium in vindictam: vt ſcirent malefactores, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Quanti ſunt hodie, etiam inter fideles, ſerpentes colentes, quando venenum proximo infundunt inuitando illum ad malum, aut famam denigrando fratris? Quanti ſunt beſtias vitiorum & voluptatum colentes, digni vt in pœnitentia illis imponeretur canum morſus aut viperarum: aut illi terrores, qui ibi in ſapientia ſequuntur, vt pertimerent?

*Ibi. Sap.* Non enim impoſsibilis eſt domine mi, creator omnium, manui tuæ omnia ex nihilo creanti & orbem terrarum ex materia inuiſa, immittere his pœnitentibus & grauiſsime quotidie contra te delinquentibus, multitudinem vrſorum: nam ſicut vrſus ſecundũ Iſidorũ dicitur ab vrgendo, eo quod illud, qđ apprehendit fortiter ſtringit: quãdoq; incedit erectus, & eius maxima fortitudo eſt in manibus & in lumbis, & comedit omnia indiffe-
*Ber.libr.10.* rẽter, vt refert Berchori⁹ ex Ariſtotele: ſatis digni eratis certe (dic
*ca.108.§.1.* confeſſor pœnitentibus auaris & rapacibus) vt Deus contra vos multitudinem vrſorum immitteret, ad dilacerandum viſcera veſtra auara, & corda quibus pauperes afflixiſtis & filios eorũ ſpoliaſtis, vrgẽdo illorum filias. Nam ita fortiter facultates male partas apprehendiſtis, quod reſtituere hucuſque noluiſtis, nec contractus iniuſtos relinquere: quilibet veſtrũ dixit, tenui eum nec
*Gen.3.B.* dimittam pœnitentiam agite veram & aliena reddite alias vrſos infernales

infernales experti eritis. Aut audaces leones immittet cõtra vos dominus elati & superbi, aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes contra vos voluptuosi, aut fumi odorem proferentes: aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: quarum non solum læsura poterat exterminare vos blasphemi detractores, maledici, sed & aspectus per timorem occidere. His sapientiæ verbis & alijs huiusmodi poteris confessor pœnitentem terrere vt non iterum ad vomitum redeat.

Quemlibet iuxta delictum suum perterrefac, & pœnam qua dignus erat ei innotesce, & deinde salutarem pœnitẽtiam impõne: nec adeo rigidam vt non adimpleat vel desperet: nec tam remissam & irrisoriam, vt pro nihilo ducat peccatum, & vane confidat: ponite vnumquenque in porticu sua: alias per quæ quis hic peccauit per illa punietur in inferno: nam ad hoc ostendendum Goliath suo gladio perijt: Aman in patibulo, quod proximo parauerat, Saul sua hasta: dives epulo in lingua magis cruciatus fuit. Quia illa magis peccauit: & Holofernes suo fuit pugione interemptus, à sancta & pulcherrima Iudith. Quanta satisfactio sit iniungenda & qualis debet esse: considerandum est, vt sit commensurata tribus (ait Caietanus in summa) scilicet peccatori, peccato & fini, hoc est sanitati animæ. Sicut medicina debet esse proportionata primo infirmo, secundo infirmitati, & tertio sanitati. Oportet enim videre fortem vel debilem infirmum secundum animam: & qualiter dispositus seu promptus est ad satisfaciendum: vt si est bene dispositus, imponatur illi satisfactio quam meretur: debiliter autem dispositio detur satisfactio parvula: sicut infirmo forti & bene dispositio datur fortis medicina, & debili tenuis. Aut quinque porticus, sint quinque sensus, quibus bene vtendo salutẽ animæ obtinebimus, alias væ nobis erit.

*1. Reg. 17. G.*
*Esth. 7. D. 16*
*C.*
*1. Reg. 31. B.*
*Luc. 16. F.*
*Iudi. 13. A.*
*Vers. satisfactio. §. 1.*

## ¶In his iacebat multitudo magna languẽtium. Text.

VEre (ait D. Tom. in Ioannem) dictum est: peruersi difficile corriguntur, doctrinæ medicina: vnde stultorum (id est peccatorum) infinitus est numerus, illorum qui in peccatorum infirmitate iacẽt. Alij in porticu oculorum: alij in linguæ porticu per detractionem & blasphemiam: alij in tactus porticu per oscula & voluptates & furtum: alij frangentes ieiunia, & alij odore abuten-

*Eccle. 1. C.*

abutentes: & omnes contra quinque Christi vulnera peruerse agentes: ac si non essent quinque sacramenta necessitatis (omitto duo voluntaria ordinis & matrimonij) ad omnem animi infirmitatem tollendam: o malitia humana quà tantis Dei donis resistimus. Domine Iesu, cum esset in Ierusalem piscina ista, talem salutem ex motione angeli continens & virtute diuina sanans infirmitatem omnem: & quod maius est, vbi ipse cælestis medicus ades, quomodo multitudo magna languentium iacebat in his porticibus? Quomodo tot cæci erant? Tot claudi & aridi? Interrogabo & ego te aliam quæstionem, ad quam si responderis, & ego etiam ad tuam: in Ecclesia Ierusalem militante, non est fons clarus & diuinus medicinæ, quinque fluuios emittens de se (id est quinque sacramenta) quibus non vnum infirmum, sed omnes possibiles & impossibiles, sanare valet? Baptismo originalem maculam & infirmitatem tollendo: confirmatione, dubietatem fidei abstergendo: pœnitentia omnem culpæ actualis languorem curando: sacra buccella in sanitate confirmando: vnctione extrema infirmitatis spiritualis reliquias auferendo: & non angelica virtute, sed mea diuina? Non aqua piscinæ, sed sanguine meo in Cruce effuso? Non semel sed millies: non vnum sed (vt dixi) infinitos infirmos? Responde mihi, quare in ista sancta Ecclesia sponsa mea, iaceat in terrenis desiderijs & in morbis innumeris, multitudo magna fidelium languentium, & in peccatis grauissimis & inueteratis infirmitatibus existentium? Non est vnus angelus, sed multi qui sunt sacerdotes: & egomet per virtutem assisto in alijs sacramentis, & in Eucharistia realiter Deus verus & homo verus: quare sunt tot peccatores? Certe nescio respondere domine, nam multi cæci sunt, multique auari & adulteri.

Domine, si nesciunt fontem sacramentorum, aut saltim illorum virtutem ignorant, quid mirum, vt tot sint in anima infirmi? *Simile.* Quid prodest virtus fontis, si ignoratur, & sic non vtitur homo aqua ipsius? Fideles non possunt ignorare fontem Ecclesiæ, & per consequens sciunt sacramentorum meorum virtutem & efficaciam per fidem: & si remisse, ob orationis & considerationis & rectæ operationis defectum: tamen quid prodest fontem scire & virtutem, si illius aqua non vteris sacramenta recipiendo? *Simile.* Quando infirmo medicina in apotheca existens,

exiſtens, ſalutem præbuit ſine illius vſu? Plorem ego cum Ieremia & dicam: nunquid reſina & ſacra medicina ſacramẽtorum, non eſt in Galaad? nam (vt ait ibi D. Hiero.) non ſolum in præſenti loco, ſed & in multis alijs teſtimonijs ſcripturarum, inuenimus reſinam Galaad pro pœnitentia poni, atque medicamine: mirarique nunc Deum, quare vulnera Ieruſalem nequaquam curata ſint, & necdum cicatrices obduxerint cutem: eo quod nõ eſſent ſacerdotes nec prophetæ quorũ debeant curari medicamine? Nunquid in Eccleſia ſancta non eſt ſacramentorum medicina, & virtus paſsionis Chriſti? Eſt. Et medicus ſacerdos non eſt ibi? Eſt, paratus omni pœnitenti abſolutionem cõferre, & omni infirmo ſanitatem ſpiritualem. Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? Quare corruptæ ſunt cicatrices, ideſt peccata multorum perfectam ſanitatem non receperunt? Quia non vt decet vſi ſunt medicinis ſacramentorum, nec perfecte ſaniem occaſionis aut reſtitutionis tulerunt: vnde vulnera ſuperſanata & in ſuperficie ſunt. *Ierem. 8. G.*

Plorabat Iob dicẽs (Quod animi fletibus ſemper dicere velim ego) ſi peccaui, & ad horam peperciſti mihi domine: cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris? Ad horam domine, peccato meo peperciſti (vt verbis D. Greg. fruamur ibi in moralibus) quando reatum culpæ meæ fletibus meis à te mihi conceſſis diluiſti: quia facilis eſt & prona miſericordia tua, ad pœnitẽti parcendum. Sed heu mihi domine mi, vt quid ab iniquitate mea mundum me eſſe & perſeuerare in munditia non pateris? Quia volens culpam primam feci & poſt remiſſam à te, accepi memoriã eius cũ delectatione & ſic ad illã ſum reuerſus: & ſic domine, cur ab iniquitate mũdum me eſſe non pateris, poſtquam peperciſti? Id eſt vt quid mihi donum perſeuerantiæ in bono & in venia à te conceſſa non tribuis? Inter omnia tamen peccata, voluptatis venereæ, præcipuum eſt quod mundum (poſt pœnitentiam & abſolutionem etiam) hominem eſſe & permanere non ſinit: ſed moleſtat valde ad delectationem in ipſomet dolore de illius perpetratione. Diuus hieronym. ad Amandum preſbyterum dicit optime hoc: luxuria mater libidinis eſt, ventremq; diſtentum cibo vini potionibus irrigatum, voluptas genitalium ſequitur. Omneitaque peccatum, furtum, homicidium, rapina aut periurium, poſt factum pœnitudinem habent, & licet *Iob. 10. C.* *Lib. 9. c. 39.* *To. 3. fo. 135.*

inuitet

inuitet lucrum, tamen mordet conſcientia: voluptas ſola ac libido, etiam in ipſo tempore pœnitendi, præteritos ſtimulos patitur, & titillationem carnis & incentiua peccati: vt per hæc quæ corrigi cupimus cogitantes, rurſum ſit materia delinquendi. Ecce quomodo mundos nos eſſe non patitur Deus, non quia ipſe malum culpæ irroget, ſed cum nos in libertate noſtra relinquat: reuertimur ad mala præterita facillime, præcipue ſi carnis delicta ſunt, conſenſu aut delectatione, ſi ipſe valde non adiuuet nos perſeuerante gratia. Alias hoc eſt cicatricē non eſſe obductam quod Ieremias plorabat: & mundum non pati quod Iob:
*Pſalm. 37.* & Dauid: putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ: cicatrices computreſcere, eſt ſanata iam peccatorum vulnera, iterum fœtorem culpæ conſenſu, aut delectatione incurrendo, illa renouare: quod fit ex ſtultitia, quando coram facie conſcientiæ ponuntur peccata ad plangendum incaute, ſi ſunt viſcoſa & carnalia, & homo eſt imperfectus, & hoc eſt à facie inſipientiæ meæ putruerunt: acſi dixiſſet Dauid, vt inſipiens coram facie conſcientię: etiam ad pœnitendum poſui carnalia delicta.

Igitur etiam ſi piſcina ſacramentorum, imo flumina diuina, in Eccleſia ſunt, quibus omnis ſpiritualis infirmitas ſanitatem reciperet, illis vt decet vtendo, nil mirum vt tanti infirmi ſint inter fideles, quia multi illorum noluntniſi annuatim accedere
*Pſalm. 13.* ad ſacrum pœnitentiæ fontem. Vnde omnes declinauerunt ad terrena & carnalia deſideria, ſimul inutiles facti ſunt ad bona cœleſtia: rariſsime inuenies vnum qui faciat bonum, vt Deus deſiderat, non eſt vſque ad vnum, ait Dauid. Reddat rationem mirifice ille quintus euāgeliſta & valde illuminatus propheta Iſaias, quare tantam languentium in anima multitudinē hodie (etiam inter fideles piſcinam ſacramentorum poſsidentes) videamus oculis externis & in publico, quid erit in ſecreto & abſcondito?
*Eſai. 1. A.* Væ & iterum væ genti peccatrici, populo graui iniquitate & graui corde erga terrena, ſemini nequam filijs ſceleratis ſicut & patres illorum fuerūt. Quid fecerunt homines iſti Iſaia, quibus væ, minaris? dereliquerunt dominum peccatis ſuis, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Etiam ſi væ, in ſcriptura ambigua ſit particula Hebræa (vt ait Adamus hic) interdum dolentis, & interdum comminatis æternam damnationem:

nem: vt hic tanquam textui magis consentaneum. Et est congeries rhetorica, qua significat propheta gentem vehementer peccatricem, omniq; flagitiorum genere plenam. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Ex hoc testimonio (ait D. Hiero.) discimus idcirco dominum delinquentes percutere, non intendendo finaliter vt affligat, sed vt afflictos corrigat, atque emendet: vt ipsa afflictio non tam pœna sit quam emendatio. Super quo percutiam vos fideles mei, vltra addentes præuaricationem? duplicem sensum, vtrumq; satis conuenientem, hic textus recipit: primo, non inuenio quã plagis vestris possim adhibere medicinam. Quia etiam si ego Deus sufficiens remedium habeam & medicamen: tamen opus est ex parte infirmi, vt aliqua pars sana sit quæ emplastra accipiat & venæ scissionẽ: Tamen omnia membra vestra & omnes sensus & potentiæ vulnerum plenæ sunt: nullam partem corporis vestri, imo & animæ, reperio sanam, & quæ non sit antea peccato percussam: super quo membro aut animæ vestræ potentia percutiã vos, quod sana sit & medicamen sentiat, atque recipiat? O lamentanda expositio, & vtinam populo fideli non esset apta: super quo membro tuo fideli qui bonum sentiat & operetur vt decet, & sentiat flagella mea (in his temporibus dolendis) missa: percutiam te populo Christiane? Quis est qui valde iniuriam meam agnoscat, & agnitam plangat, & omnes ad lamẽta inuitet? Est multitudo magna languentium: & rarissimi sunt qui iam Dei flagella intelligant, vt doleant vehementer, & Dei honorem in omnibus quærant: percussisti eos nec doluerunt.

Et vnicuique fideli dicere volo: super quo percutiam te, aut in qua tui corporis parte aut animæ potẽtia: quod iam vulnerata non sit culpa atq; consuetudine sauciata o homo, vt correctionem meam aut flagellum sentias, & ad virtutem reuertaris? quic quid in te video vulnere culpæ plenũ est: in quo feriam te, vt sentias tanquam non mortuus ibi? Vel certe hoc modo: super quo percutiam te populo fidelis? quia nullas inuenio plagas & correctiones quibus tuam frangam duritiam & obstinationem emolliam. Quia quanto tormenta & flagella contra te maiora sunt missa à me, & Ecclesiæ persequutio & dolor: tãto magis crescit in te impietas & voluptas iniquitas & Dei obliuio. Vnde per Ieremiam conqueror: quid vultis mecum iudicio contendere? *Ierem. 5. A.* *Ierem. 2. E.*

Omnes

Omnes dereliquistis me, ob scelera vestra: frustra percussi filios vestros afflictione & fame & paganorum Granatensium persecutione: quia disciplinam non receperunt & concionis cor-
*Osea.4.D.* rectionem, vt de peccatis pœniterent, & virtutes exercerent. Vnde iratus per Oseam dico: non visitabo filias vestras & mulieres & animas, cum fuerint fornicatæ contra me & peccauerint: sed relinquam illas, vt iuxta desideria praua faciant.

Et requiescet indignatio mea in te, & cauteria non adhibeam cõtra te infirma cum sis: sed auferetur zelus meus à te (vt dixi per
*Ezech.16.E* Ezechielem) & quiescam, ne irascar amplius contra te. Infœlix populus aut anima, quæ ad talem peruenerit statum aut infirmitatem, quod Deus medicus cœlestis, leuet manum suam à curatione sua, & ad libitum facere illam relinquat. Super quo percutiam te, aut qua plaga, vt sane? Aut super quo percutiam vos, & medicamina vulneribus vestris apponere, quid proderit, si vltra additis præuaricationẽ, & à malis vestris non quiescitis, & agere
*Simile.* peruerse nõ definitis? Impossibile est naturaliter, vt chirurgus, quamuis peritissimus, vulneri medicamen salutiferũ adhibeat, quandiu sanguis non impeditur, & restringitur. Deus non vult, reliquæ creaturæ etiam angelicæ non possunt, vulnus peccati ad sanitatem perducere: sine hoc quod peccator vulneratus peccare desistat. Additis malo malum, voluptati periurium, quid proderit percutere vos? Domine, si aliquis ex populo fideli infirmus est puta pedes aut manus mercenarius aut officialis quidã: sunt multa capita in Christiana republica, quæ in secularibus gubernant illam, sana & vt decet viuentia: & ibi potest percutere, vt ad nos sanitatem immittas, gratiæ & gloriæ. Amen.

# Homilia Tertia.

Tex. ¶ Multitudo magna languentium.

OMne caput languidũ est: quia fere omnes qui secularia habent iudicia & populum, in iustitia & sanctitate dirigere debebant; languent circa terrena & caput eorum ad ima inclinatur & eorum intẽtio. Etiã si non dubito, aliquos esse iudices cœlestia primum quærentes,

sed

ſed cùm adeò rarò inueniantur, dico omne caput lãguidum eſſe, & infirmum. Saltim Domine, cor à quo eſt initium omnis motus erit ſanum, in hoc corpore Reipublicæ Chriſtianæ: nempè dignitas ſpiritualis, à quo omnia bona ad animas perueniunt de manu Dei miſſa per miniſtros ſuos. Omne cor mœrens eſt: quia ferè omnes in Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituti, morbum caducum patiuntur: & mœrentes ſunt, quia ad altiora non promouentur, ſine cogitatione faciendi officium ſuum, vt Deus deſiderat, & Eccleſia indiget, & animæ opus habent: triſtes ob terrena, nullum deſiderium habentes ad cœleſtia: triſtes, quia deſideratas voluptates, aut facultates, aut dignitates non obtinent: non ob populi delicta, nec meam iniuriam, & Eccleſiæ tempeſtatem. Eſt omne ferè cor ob terrena mœrens, & omnis Dei miniſter, paucis relictis, qui fontem lacrymarum à me petunt, ad plorandum die ac nocte capita iudicum languentia & corda prælatorum ob caduca mœrentia. Vtinam & multi, qui iam per religionis ingreſſum, omnia mundana reliquerunt contempta, iterum ne ſint mœrentes, ob illarum fugam: & quia ad dignitatem ſeculi, aut ordinis non eliguntur. *Iere. 9 A.*

Quid igitur Domine mi, pedes miſeri, laici nẽpè, & manus, ideſt ſeculares, facient: quam ſalutem obtinebunt in anima, ſi caput, in quo ſenſus maximè vigent, ideſt, poteſtas ſecularis, eſt languidũ & ad virtutem debile & ad iuſtitiam? Et (quod magis dolendum eſt) ſi cor, dignitas ſpiritualis nẽpè, à quo eſt initium omnis boni animæ prouenientis, in multis miniſtris illius mœrens eſt, & ob terrena deſideria valdè triſte, & ſine cœleſtium cogitatione, neque, vt ſubditos ad ſuperna dirigant? Quid erit de miſero vulgo, cui tale caput languidum & cor mœrens contigit, aut particularis populus ſit, aut omnis Reſpublica? Quid erit de popularibus? Quod ibi in Iſaia ſequitur: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: quia à maioribus vſque ad minores & vſque ad extremam plebem Reſpublica infirmata eſt, & multitudo magna languentium in anima eſt in corpore Eccleſię. Et precipua ratio à Deo aſsignatur: quia caput, ſecularis nempè poteſtas, languidum eſt, & cor dignitas, ſcilicet, ſpiritualis, mœrens & triſtis ob terrena. Vnde nihil mirum, vt non ſit in laicis & ſecularibus aliqua ſanitas virtutum. Nam ſi Sol, nempè Eccleſiaſtica poteſtas in miniſtris eius, obſcuratus eſt, & Luna *Luc. 21. E.*

(ſcilicet ſecularis dignitas) in ſanguinem & vindictam ſine iuſtitia verſa, non dans lumen ſuum antiquum in multis iudicibus & dominis populorum: quid facient ſtellæ ſeculares nempe laici: niſi de cœlo & de virtute & gratia cadere, in vitia, & periuria & in tartara? Deꝰ adiuua nos, quia fere omnes in omni genere & ſtatu declinauerunt à virtutibus ad omne flagitiorum genus, & magna eſt multitudo languentium.

Tamen boni prælati, & concionatores zelo Dei pleni, & confeſſores medici à Deo inſtituti: quia multi ſunt infirmi in anima, ideo remiſsius officium noſtrum agere debemus? Imo econtra: quanto plures ſunt languentes, & torpore in peccatis iacentes, tantò magis ob ſanguinis Chriſti honorem & animarum ſalutem, admonendum & concionandum eſt: & oratione lacrymis & lectione & ad ſacramenta inuitatione opportune & importune inſtandum, die ac nocte: & arguendum & increpan
*Simile.* dum & etiam obſecrandum. Si enim medicus non ceſſat pharmaca ingerere: etiam ſi ægrotis non placeant, vt ſanitatem recipiant infirmi: & quanto magis languidorum multiplicatur numerus & morborum infirmitas aggrauatur, tãto maiori cura & ſolicitudine medicus corporum, medicamina grauiora & frequentius illis adhibet. Quanto magis nos Dei miniſtri ad ſalutem animabus dandam à Deo electi, & ad pœnitentiam verbo & exemplo inuitandum: ceſſare ob multitudinẽ infirmorum & grauiſsimum illorum morbum non debemus?

Attendat tamen mentis oculis medicus animarum, tam concionator quam confeſsionum auditor, vt orationi & lectioni, & rectæ operationi inceſſanter vacet: vt præbeat ſe in omnibus
*1. Tim. 4. D.* exemplum bonorum operum (vt Timotheum admonet Paulus & Titum) nam vt ait Diuus Thom. in Opuſculo quodam
*Titi. 2. B* de officio ſacerdotis: cum videamus corporum medicos (vt illos oportet) reuoluere quotidie libros phyſicales & medicinales,
*Opuſ. 65. nu. 40.* Galenum & Auicennam legere incunctanter, in quibus docentur curare corpora moritura. O quam magna ſtultitia eſt imo & temeritas ſuo tempore punienda: vt audeas animas in perpetuum in beatitudine victuras, aut in pœnis morituras, per confeſsionem curare, ſine præuia lectione & oratione, & ſine ſcientia tantæ neceſsitati neceſſaria: cum ſit maius damnum vnius animæ deperditæ, quam de morte inenarrabilium & infinitorum

corpo-

corporum: vt Diuus Auguſtinus ſcribit ad Auxentium Epiſcopum, quod in decretis tibi videre licebit, dicens: Vnde & ſi vna anima per iſtam ſeueritatem diſciplinæ, ſine baptiſmate de corpore exeundo perierit: innumerabilium mors corporum, ſi de Eccleſia homines innocentes violenter abſtrahantur, & interficiantur, huic damno non poteſt comparari. Audiant hoc negligentes erga filiorum baptiſmum parentes, & multoties in lecto in curia illos opprimentes. Audiant & cõfeſſarij qui in tota vita librum non legũt, & audent per vnam Quadrageſimam ducentorũ confeſsiones audire: quo ibunt tam ipſi quam illi? Et quid coram iudice rigidiſsimo reſpondebunt, quando illis oſtendat non vnam ſed multas animas tormentis traditas ob ignorantiam ſuam, & audaciam ad confeſsiones audiendas? *Epiſt. 75. 24. Q. 3. c. 1 habes.*

Hanc multitudinem languentium plorabat Ieremias & Eccleſiæ oppreſsionem: videns cor, ideſt ſacerdotes, à quibus (velut à corde puriſsimus per arterias ſanguis fluit ad membra) Chriſti ſanguis ad laicos communicatur, mœrens ob terrena (vt diximus) & vtinam ne triſtes ſint: Quia malum quod volebant contra Deum ab ouibus & ſimplicibus non obtinuerunt: plorat (inquam) dicens: omnes portæ Eccleſiæ iam ſunt deſtructæ, id eſt, iudices ſeculares olim in portis iudicantes: ſacerdotes eius gementes, ob terrena non ob cæleſtia & Dei iniurias & Eccleſiæ damna grauiſsima, quæ à natiuitate mea (nempe ab anno vigeſimonono) hucuſque, ad ſeptuageſimum ſcilicet pertulit. Vnde virgines ſunt ſqualliditæ & horridæ: quia iam fere nulla in ſeculo caſtitatem ſeruare poteſt & virginitatẽ Deo conſecratam ſi non claudatur in cœnobijs. Et vtinam ne præcipui, qui illis obſtaculum ponunt, Dei miniſtri ſint, & qui ad malum inuitant. Ipſi tamen viderint quas pœnas dabunt, & quid ſponſo Chriſto, de ſponſarum ſuarum violatione conquerenti, de illis dicent. Vnde ex his omnibus & alijs malis inter fideles repertis, & ex alia parte hæreſum fluctibus, & paganorum excommunicata infeſtatione: ipſa Eccleſia ſancta & mater mea ſine ruga & Chriſti ſponſa, triſtis & afflicta & fere in angulo Europæ exul effecta oppreſſa eſt anguſtia & dolore & magno mœrore, & amaritudine. O filij huius Eccleſiæ, talia audientes, imò videntes, & non perhorreſcitis? *Thren. 1. B.* *Autoris Nãtinitas circa feſtum D. Michaelis. anno 1529. in Septembri.*

Text. ¶ Cæcorum, claudorum, aridorum.

IN illis igitur porticibus, decumbebat magna vis hominum, varijs corporum morbis laborãtium: & ex certis morbis quosdam infirmos ponit, pro omnibus ex omni genere morborum infirmis. Sed quia finis noſter eſt, mores componere & vitia expellere, ad animæ vtilitatem iſta tria languentium ge-
1. Ioan. 2. C. nera referamus. Nam cùm tria præcipuè vitia mundum deſtruant, luxuria, nempè, auaritia, & ſuperbia, iuxta illud Ioannis, omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: in his tribus omnia vitiorum genera comprehenduntur (vt dicit Diuus Thomas poſt gloſſam) & in his tribus infirmitatis generibus intelligere illa poſſumus: per cæcos inhoneſtos, per claudos auaros, & ſuperbos per aridos: ex quibus infirmis eſt multitudo magna in populo. Vere cæci & pluſquam talpæ, ſunt amatores voluptatum pluſquam Dei, cum experientia conſtet illos, tales cæcitates perpetrare, quas pueri ſentiant & intelligant, ipſi verô omnes latere credant. Vnde vulgò ſatis ſcite dicitur: putant vani amatores, alios clauſos habere oculos: cum ipſi re vera tantum cæci ſint. Tu ipſa es oculis orbata mulier ſtulta & impudica, quæ (cum tuo honore & fama, furnorum pauimenta abſtergant) ſuades tibi pro honeſta reputari. Recordare filiarum Loth cæ-
Geneſ. 19. F. citatem, credentium mundum perijſſe, & per conſequens neminem ſcire poſſe inceſtum cum patre perpetratum: vnde venit, vt ſcriptura nobis omnibus proponat illum, & ſciat vniuerſus orbis. Mulier inhoneſta, genus tuum infamia repleuiſti, & omnem populum rumore peſsimo tuæ voluptatis, & ipſa cogitas nullam in terra perſonam ad hoc ſciendum remanſiſſe. Iſta cæcitate Salomon ille ſapientiſsimus, percuſſus fuit, quando amore mulierum, alienatum & deprauatum ità habuit cor vt
3. Re. 11. A. coleret Aſtarthen deam Sidoniorũ, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloch: vnde fecit quod non placuerat coram domino. O cæcitas magna qua coactus es o homo, delitias tuas plus quàm Deum colere, & vitium magis quàm virtutem, non minima tui honoris iactura, & magno animæ detrimento.

Indic. 16. F Valde etiam mirandum eſt voluptatis deſiderium, ad quam cæcitatem fortiſsimum adduxit Sanſonem: qui maxilla aſini mille

mille Philisthæos occiderat, ab vna mulierecula victus & sub pedibus eius positus, reuelat illi fortitudinem suam: vnde oculis priuatus, à pueris illusus fuit, & clausum in carcere ipsum molere fecerunt, vsque dum ipsemet occidit se. Omnia ista venient contra te cæce, voluptatis amator, qui cum semel, & centies gratia Dei & pœnitentia à vinculis peccatorum solutus sis, quibus ligatum mulier mala habebat te: non es veritus, iterum ad vomitum caninum imò suillum reuertere, & ad vincula fortissima peccatorum. Quam stultitiam aut cæcitatem, non facit perdix semel à laqueo euadens: imò nec nicticorax quantumuis cæca sit. Non erit impunita, ista execranda tua cæcitas, quia alia visionis carentia erit animaduertenda: nempè, vt Deum in æternum non videas: sed in carcere tetro, & infernali catenis ligatus reclusus maneas, illusus à dæmonibus & molens cor tuum & viscera mola asinaria: & vt asinus hortulani in circuitu oculis clausis ambules hauriendo lacrymas & gemitus.

O homo cæcitate percusse, ô mulier sine oculis & sine cerebro: dic amabo inhonesta fœmina & cæca, si scires delictum tuum à decem hominibus fore videndum, & quod statim in platea publica, coram omni populo, à præcone publicum fieri debebat: & per vias publicas iustitia in asino nudam & flagellando te deducere debebat: præcone acclamante coram omnibus atque dicente: hæc est iustitia quam iubet facere corrector dominus de ista muliere cæca, quæ ausa est contra maritum & genus suum & filios, imò contra Deum suum talem perpetrare dolum: vt flagellis percussa sit, & maneat in foro, vt ab omnibus videatur, vt aliæ discant & ipsa soluat delictum: auderes voluptatem cogitare, quanto magis perpetrare cæca mulier? Potiùs vellem centies mori. Audi stulta non habens cor neque oculos: absque dubiò continget tibi sic, coram Deo & Angelis eius: cùm non erubuisti coram illis peccare, si citò non resipiscis & delictum tuum lacrymis & sanguine Christi abluis, vt non appareat. Alias audi ipsum Deum dicentem tibi per Nahum: reuelabo pudenda opera tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam, & proijciam super te abominationes: & contumelijs te afficiam: ego inhonorabo te: quid apertiùs, vis audire infamiam tuam?

*simile.*

*Nah. 3. B.*

Quam cæci amatores vani maneant, etiam ipsi gentiles senserunt, quando Cupidinem Deum amatorum, cæcum pingebant, ab effectu, quia homines amantes cæcos efficiebat. Superecidit ignis concupiscentiæ ait Dauid, & huius infamæ infirmitatis super corda hominum, & sic cæci infœlices, non viderunt Solem iustitiæ Christum nēpè per gratiam, nec videbunt per gloriam: si in tali cæcitate permanserint. Nec viderunt infernū minantē, nec infamias quas incurrerant, nec cœlū quod amittebāt, nec gratiā quam perdebant: & quod magis dolendum est, multos altaris ministros tali execrando igne incēsos videre. Vnde incenderunt igne (multi illorum Domine) concupiscentiæ & voluptatis, sanctuariū tuum viuum: corda nēpè ipsorum ad quæ, velut ad sacrariū quotidie ingrediebaris in altari: in terra corporis sui incenderunt: polluerūt tabernaculū nominis tui voluptatis igne. Nam omnes adulterantes (ait Oseas) quasi clibanus succensus à coquente, dæmone, scilicet, & vitio. Et quia tali igne Solem non viderunt, aliquando dicent cum damnatis. Sol iustitiæ non illuxit nobis sero pœnitentibus.

*Psal.57.* *Psal.73.* *Ose.7.B.* *Sapi.5.B.*

Comparatur luxuria igni Græco (ait D. Bonauent. lege totum illud caput de luxuria in titulo primo de peccatis, dietæ salutis) ignis enim Græcus horribiliter ardet, & aquas comburit, & vix potest extingui: sic & luxuriæ ignis etiam in frigidis & mortificatis ardet, & aquas lacrymarum cōburit, & ferè omnia deuorat. Videte quid erit in cæcis occasionum amicis, distractis & in nullo mortificatis: de ista luxuria dicitur in Iob, Ignis est vsq; ad consumptionē deuorans. Et Ioel ait, exiccati sunt fontes aquarum & lacrymarū, quia ignis iste maledictus deuorauit speciosa deserti, idest, pulchros viros & mulieres huius mūdi, destruxit & ad ignem inferni misit. Imò & multos pulchros olim virtute & multas, talis ignis deuorauit, & dānauit. Tamē iste ignis Græc⁹, duabus rebus, scilicet, arena & aceto consueuit extingui. Cupis ignem infernalē voluptatis extinguere? Adhibe illi arenā: consideration em, nepè, infructuositatis mundi & ex tali vitio proue nientis, semper illud Pauli in corde habēdo: quē fructū habuisti ex voluptate, tūc & in ipsom et opere: quanto magis nunc quando velis aut non debes erubescere: & finis illius est mors culpæ animæ tuæ proueniens? Aut arenā sepulturæ tuę aut fragilitatis. Et deinde acetū adhibe, idest, acrimoniā & austeritatē pœnitentiæ:

*To.2.fo.130 in fine.* *Simile.* *Iob.31.B.* *Ioel.1.D.* *Ad Roma. 6.D.*

tię: & fugã occaſionũ appone pręcipuũ remediũ (meo iudicio) & ſi his trib⁹ nõ extinguitur tã peſtilẽs ignis, Deus illũ extinguat.

Tobias ille ſanctus & venerandus ſenex, ex hirundinis garru- *Tobi. 2. B.*
læ ſtercore calido cæcus factus eſt: & angelo Raphaeli dicẽti, gau- *Ibi. 5. B.*
dium ſit tibi ſemper (optima ſalutatio re vera: nam qui ſemper gaudium verum habet, in Dei gratia debet eſſe, & poſtea in gaudio perpetuo) dixit: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? Et ipſe vermiculus & peccator cũ ſis, non debes cæcitatem animæ incurrere, à ſtercore putrido voluptatis, ex garrula muliere proueniente, & ab occaſione ſimul? falleris, nam cæcus es, & gaudium fictum habes, cum ſis in peccati tenebris & lumen gratiæ à cœlo proueniens non videas in anima tua. Aperi oculos cito Dei auxilio, & pœnitentiæ collyrio, alias nuntium ſatis infelicem tibi do: quia ſi in tali cæcitate diſcedis, eris in tenebris & vmbra mortis æternæ: & à nullo gaudij ſalutationem recipere velis, ſed dices: Quale gaudium erit miſero cæco Dei viſione in perpetuum priuato? Quanto magis quia nemo tibi illic dicet, gaudium ſit tibi ſemper: ſed triſtitia, ſed dolor, ſed gemitus & væ: quia gaudium vanum hic voluiſti, & ſtercus hirundinis garrulæ, ſcilicet mulieris, non abhorruiſti, & oculos quos clauſos ad culpã habuiſti, ad pœnã velis aut nõ aperies.

Hæc voluptuoſi hominis cæcitas, etiam ſatis oſtenditur *Domi. 13. B.*
in illis execrãdis ſenibus contra caſtam Suſannam, igne cõcupiſcentiæ ardentibus, & oculos declinantibus ne viderent ſolem iuſtitiæ, diuinum nempe Deum, & inuerecunde dicentibus, nemo nos videt. Non? Et vos ad inuicẽ non videtis? Non videt vos conſcientia propria ſenes? Non angeli, inueterati dierũ malorũ? Non vident vos dæmones, ad accuſandum vos ſemen Chanaan & nõ Iuda? Nõ videt & ipſemet Deus iudex veſter? Aliter S. Suſanna *Ibi. C.*
ſentiebat, quãdo dicebat: Melius eſt mihi abſq; opere incidere in manus veſtras: quam peccare in cõſpectu domini, omnia cernentis, & delictum hic aut in alia vita punientis. Quam multos, vt timeo, hodie ſimiles illis ſenibus inuenies, qui igne cõcupiſcentiæ obcæcati dicũt mulieribus, nemo nos videt: nec de cõſcientia cogitãt, nec de dæmonibus accuſantibus, nec de angelis ſe indignãtibus, nec de Deo omnia videnti. Mulier, fac vt Suſanna, & dic Deum adeſſe: ſi nõ vis in alia vita lapidari: nam infelices adulteri regnum Dei non poſsidebunt, & cũ illis ſenibus dãnati erunt.

Quis huius vitij cæcitatem non timet, quando oculos eleuat, & illum Prophetam valdè illuminatum, Dauid nempè considerat? Qui cum primum igne concupiscentiæ ex Bethsabee proueniente aspectu, accensus & obcæcatus fuit, multas
2. Reg. 11. 12. cæcitates commisit: & vna abyssus, aliam & aliam vocauit. Quia statim vxorem alienam tulit: statim dormiuit cum ea, statim misit ad vocandum Vriam ex bello: & cùm non obtinuisset ab illo, vt in domum iret: ad mortem per epistolam duxit: & cæcus mansit vsque ad pueri natiuitatem & vltra, quousque Deus misit Nathan, vt parabolæ collyrio, ab eo cæcitatem expelleret. Qui cum se agnouisset, & quæ fecisset
Psalm. 41. mala: fremebat, plorabat rugiebat à gemitu cordis sui dicens, peccaui Domino: valdè cæcus effectus sum maligno illo igne: exitus aquarum oculi mei deducant, quibus talem ignem extinguam, & quia non custodierunt legem tuam Domine. Illumina oculos meos, ne vnquam ampliùs obdormiam in morte
Psal. 12. culpæ, ne dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum. O vtinam omnes cæcitate ista vulnerati, talem cum Dauid haberent resipiscentiam, & tam veram agerent pœnitentiam, & lacrymis cordis calidissimis tam infernalem extinguerẽt ignem, vt ipse: & incessanter corde & opere, & ore Deo feruenter & magno desiderio dixissent: illumina oculos nostros Domine, à tam nociua cæcitate, ne vltra obdormiamus in morte culpæ.

Act. 9. B. O voluptatis amatores quàm cæci estis, sicut Paulus in corpore, apertis oculis nihil videbat: sic & vos in anima estis cæci, apertisque corporeis oculis, nihil mali vobis minantis, nec boni amissi videtis. Vtinam Deus optimus alium Ananiam, aut concionatorem, Angelum aut internam inspirationem, ad te, ô cæce mittat dicentem: Saule frater, vastator, peccator, adulter cæce, Dominus Iesus (qui toties apparuit tibi in via huius vitæ in sacramentis, aut in concionibus aut inspirationibus, & terrores immisit, ob cæcitatem, qua illum grauiter persequeris, fœminas ad malum inuitando: & tamen durum tibi erit, quia contra stimulum diuinum & Dei mandatum calcitras, quo debet cor tuum cõfigi) misit me ad te, vt videas iam quid contra Deũ, & animam tuam facias, quid peccato amittas, quid mali lucreris, & quam cæcus voluptatis igne factus es: & sic verè pœnitendo (Dei auxilio) implearis alio igne, nempè Spiritus sancti. Con-

festim

festim ceciderunt ab oculis Pauli squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est, & accepit cibum quo confortatus est & continuò prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei, & amplius contra illum non peccauit, sed pro nomine Iesu multa passus est. Quis mihi daret, vt talia mihi deinde omnibus fidelibus cæcis contingerent? Tolle Domine, ab oculis animæ meæ squamas, & incosideration em grauissimam quam de mysterijs tuis habeo: vnde mihi omnia ferè mala proueniunt. Adulter cæce, tolle iam à corde tuo squamas istas, vt recipias gratiæ visum, surge contritione, ablue cor tuum confessione, accipe cibum corporis Christi, vt conforteris: continuò Christum coram omnibus dæmonibus & gentibus confitere verbo & opere, & prædica illum: quoniam ipse est verus filius Dei, cordium illuminator: & amplius contra illum ne peccemus, sed potius moriamur.

## ¶ Claudorum. Tex.

ECce secundam infirmitatem, si potius pestem, illam vocare nolumus, mundum ferè vniuersum inficientem, & homines corrumpentem: nempè auaritiam, qua ferè omnes claudicantur in charitate, etiam multi qui in fidei pede firmissimè ambulant. Nam ista videtur sagena esse, qua omnes dæmon ferè capit pisces humanos: alios capit ad furtum & rapinam, alios ad iniustos contractus, alios vt bona pauperum retineant: cùm teneatur sub præcepto ad mortale obligante, eleemosynas dare copiosas: aut iuxta facultatem propriam. Confortate manus dissolutas (ait Isaias ad omnes auaros) & genua debilia roborate. Con- *Isai.35. A.*
fortate manus & ad eleemosynas eleuate, quas auaritia ad terram submisit: roborate genua pauperum debilia, ex necessitate, victu vestro: aut post eleemosynam, roborate genua vestra ad orationem, animabus valdè vtilem: nam certè habetis illa valdè debilia ad orandum: quia rarissimè illa ad orationem inclinatis, & ob prauam consuetudinem difficillime vobis oratio suadetur.

Petrus & Ioannes ascendebat in templum, & quidam vir, *Act.3. A.*
qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur: & in porta templi, speciosa dicta, petebat eleemosynam: intuens in eum Petrus dixit: argẽtum & aurum nõ est mihi: quod autem habeo hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambu-

la : & apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit cũ illis in tẽplum laudans Deũ. Auare, ipſe es claudus iſte, qui non ſolùm ab vtero matris tuæ claudus natus es, quia naturale eſt homini in moribus claudicare: ſed etiam à tuo in mundum per diſcretionem ingreſſu, ſemper claudicaſti in auaritia: non curans niſi terrena ab alijs per fas & nefas rapere de ſpiritualibus meritis nullam ſolicitudinẽ habẽs: etiam ſi non potes negare, quin in porta ſpecioſa ſedeas, ideſt, in Eccleſia militante, quæ virtutibus dicitur ſpecioſa: & quia ſine macula eſt & ruga. In illa ſedes per fidem, tamen claudicans in charitate, auaritiæ infirmitate: qua omnes ſpoliare ſuis facultatibus curas. Et ſicut iſte claudus, ab omnibus eleemoſynam recipiebat, & nulli ipſe dabat: ſic & ipſe miſer auare, qui cum ab omnibus iniuſtis emptionibus, aut cauillationibus, bona ſua accipere cures: nemo vnquam vidit te pauperi Chriſti, aliquam porrigentem eleemoſynam: quanto magis aliena dominis reddentem. Reuertere in te claude.

Prouideat pientiſsimus Pater Deus optimus, prælatos operantes bona, & concionatores vtilia docentes ſimul & facientes, qui Petri virtute dotati Ioannisq; gratia, ſaltim in veſtigio, auferant deceptionem hanc maximam à te, & tui miſereantur & miſeriæ & claudicationis in moribus. Et dicant tibi ſedenti in terrenis, ſemper hianti ad non habita, reſpice nos: vide exemplum noſtrum, qui cum pauperes prælati aut concionatores ſimus, non ſolum non mendicamus alienа iniuſtis actibus, ſed pauperibus propria irrogamus. Vtinam tales ſint Eccleſiæ prælati omnes, & concionatores: & confeſsionum auditores, vt talia verè alijs dicere poſsint. In nomine Ieſu, præcipio tibi auare, qui vt te diteſceret, egenus factus eſt in natiuitate vſque ad mortem crucis: vt ſurgas à malis tractibus & à reſtitutionibus, quibus, vt cathenis ligatus teneris: & ambules aliena reddendo, & de proprijs eleemoſynas largiendo. Surge, & Dei manum & auxilium ego in nomine ipſius promitto: & quod tibi erit reſtituta fortitudinis & gratiæ ſoliditas, ità, vt poſsis vna cum Sanctis templum cœleſte ingredi. Ille ſtatim ſurrexit, quare tu claude auare, poſt mortem ſurgere vis, & in teſtamento reſtitutionis legata facere, & non dũ viuis, & ſanꝰ es, & potes ipſe facultates alie

nas

nas relinquere dominis veris: & non tempus expectare, quando ipsæ te relinquant, nempè post mortem? Tunc iam paucæ tibi gratiæ: quia si iubes restituere est, quia non potes illas tecum ferre: vt patet, si sanitatem recuperas, quia tunc nihil minus, quàm restituere cogitas. Surge & citò & ambula rectè.

Accedens autem Elias ad omnem populum Israel in monte Carmeli, ait, Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum fide & operibus: si autem Baal, sequimini illum: & non respondit ei populus verbum. O vtinam surrexissem ego modo, vt Elias tanquam ignis & calore cœlesti plenus & verbum meum, quasi facula arderet (vt de ipso Salomon refert) & in isto Dei templo interrogarem omnes auaros, rapaces vsurarios, fures mercatores iniustos, dicens: Vsquequo claudicatis in duas partes fide credendo cœlestia & opere furando terrestria? Vsquequo fidei pede ambulare vultis, ad obtinendum dona superna: & operis pede, per terrena malè aquisita, vt serpens à Deo maledictus estis reptantes? Vsquequo fide Deum creditis, & opere auaritiam adoratis, quod est Idolorum seruitus, vt ait Paulus? In quo loco Diuus Thomas notat, quomodo auaritiã vocet Paulus Idololatriã: quoniam Idololatria est quando honor soli debitus Deo, impenditur creaturæ. Nunc autem Deo dupliciter honor debetur: nempè, vt in eo finem nostrum cõstituamus: & vt in eo fiduciam nostram finaliter ponamus: igitur qui hoc in creaturis ponit, reus est Idololatriæ. Hoc autem facit auarus, qui finem suum in re creata & in nummis ponit, & etiam suam fiduciam totalem: iuxta illud Osee, argentum suum & aurum fecerunt sibi Idola, vt interirent. Et hoc, quia qui confidit in diuitijs suis corruet (ait Salomõ) igitur est Idololatra auarus, & Baal adorat re & opere, etiam si fide Deum credat, & non sit per se & realiter Idololatra, quia nõ intendit per se, sed per accidens, cultum præbere creaturæ. Ne amplius homines claudicetis, Deum ob argentum relinquentes: sed relicto Baal & auaritiæ vitio, reddite quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt proximi date illi: eleemosynas erogate, dies festos sanctificate, maculas citò pœnitentię flumine lauate, vt ad festum gloriæ perueniamus.

Amen.

3. *Reg.* 18. *D.*

*Eccl.* 48. *A.*

*Gene.* 3. *C.*

*Epheſ.* 5. *B.*

*Leuit.* 3.

*Oſee.* 8. *A.*

*Pro.* 11. *D.*

# Homilia Quarta.

*Thema.* *Vis sanus fieri? Domine, hominem non habeo. Ioan. 5. B.*

Text. ¶Angelus autem Domini descendebat secundum tẽpus in piscinam: & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinã post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

*Ad Galat. 4. A. Luc. 1. C.*

ANgelus Gabriel descendit ad te, quõdam de cœlo missus à Deo, virgo intemerata Maria, Piscina & fons omniũ donorum cœlestiũ abundans: descendit secundum tempus diffinitum à Patre: & cum dixisset tibi nuntium, turbauit aquam: quia in sermone eius turbata es. Primus qui descendit ad vterum tuũ post illam motionem & cõsensum tuum, filius Dei fuit, qui sanat omnes contritos corde, & à quacunque infirmitate teneantur homines, si vt decet sanguine suo ablui volunt. Mundus infelix est iam valde senex, & quotidie infirmior, virgo sancta, multi homines in illo sunt in culpis obstinati: vt filius tuus vidit hunc infirmum iacentem misericordiæ oculis: ad nos & ipsa oculos tuos conuerte, vt ostendas filium tuum nobis, post exiliũ istud miserãdum. Vultis sani fieri à filio meo ô homines in peccatis quiescẽtes? Vultis à misera consuetudine liberari? Nil magis volumus: sed hominem non habemus. Non? Cum me virginem & Dei matrẽ in aduocatam habeatis incessanter pro vobis: audetis dicere, vos nõ habere hominem? Cum habeatis filium Dei & meũ, Deum, pro vobis hominem factum, estis infirmi in anima, & affirmatis non habere hominem? Ex parte nostra virgo, non habemus hominem: ex parte tua habemus te matrem Dei, vt obtineas gratiam qua sani ab omni animi morbi facti simus, nobis dicentibus, Aue.

Vsquequo

Vsquequo fideles in duas claudicatis partes, fide Deum credendo, & opere illum irridendo, iniuriando, & offendendo? Et sicut de filio Dei, quidam Iudæi dicebant: quia bonus est: *Ioan.7.B* alij autem dicebant: non, sed seducit turbas: sic & modo inter fideles aliqui claudicant & fatentur se nosse Deum per fidem, & ita est, quia fidem habent, tamen operibus Deum negant iustum esse, cum non timeant eius iudicium: boni vero fide & operibus Deum confitentur, coram Angelis & hominibus. Homines laicos & fideles, claudos esse & opere claudicare contra Deum, & cæcos ad videndum sibi necessaria, graue malum est, quando talis cæcitas aut claudicatio in anima est, & in illis persistunt: sed tamen si in rectoribus ciuitatum, aut iudicibus, aut dominis populorum talia contingant mala, grauius damnum est & sibi & reipublicæ. Si tamen Dei ministri sacerdotes & religiosi & præcipue prælati, tali contagione cæcitatis per ignorantiam, & claudicationis per malam operationem maculati sunt & percussi, iam grauissimum malum esse, quis dubitat? In tantum, vt quodammodo, Christus ab Ecclesia sua, causa ministrorum cæcorum & claudicantium, excludatur & in illam ingredi impediatur.

Veniebat quondam rex Dauid in Ierusalem, ad Iebusæum *2.Reg.5.A* habitatorem terræ: dictumque est Dauid ab eis, non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes, non ingredietur Dauid huc. Vnde Dauid in die illa proposuit præmium, qui percussisset Iebusæum, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam Dauid: idcirco dicitur in Prouerbio, cæcus & claudus non intrabunt in templum. Quis Dauid manu fortis, nisi tu Iesu domine mi, & Regum Rex? Quænam est Ierusalem, nisi *Apo.21.A* Ecclesia sancta, descendens olim de cælo, vt ciuitas Ierusalem ornata sponso tibi Deo viuo & vero? Semper in ista Ecclesia *Matt.28.D* manes in Sacramento altaris vsque ad consummationem seculi, & in sacramentis alijs est virtus passionis tuæ: & in bonis fidelibus es per gratiam. Tamen desiderio magno vis in istam Ecclesiam ingredi, nempe in omnes fideles peccatores per gratiam, nisi Iebusæus malignusque dæmon ingressum tibi non impediret, adiutus mala hominum voluntate. Nam dicit: non ingredieris Christe, in multos fideles tuos: quandiu tot cæcos per ignorantiam, & claudos per vitia habueris in Ecclesia

cleſia miniſtros & prælatos. O graue malum ex ignorantia, & malitia ſimul Eccleſiæ miniſtrorum contra Dei filium exortum, cum obſtaculum ſit illi, ne multas intret per gratiam animas.

Non ingredieris huc domine mi, niſi abſtuleris tot cæcos ignorantia, & tot claudos malo exemplo, miniſtros eccleſiæ, ſcilicet, ſine ſcientia, ſine lectione, ſine oratione, ſine recta operatione. Prælati Eccleſiæ, ego filius Dei magnum præmium in cœlo propono vobis, ſi tuleritis à regimine animarum, ſacerdotes cæcos per ignorantiam, & claudos per ſiniſtram operationem. Quia magnum mihi impedimentum & obſtaculum ſunt, vt non intrem per gratiam in multas fidelium animas. O epiſcopi, amore mei & præmij deſiderio, faciatis hoc quod iubeo, vt maiori cura examen fiat à vobis erga ſacerdotes, curam animarum accipere volentes quam (vt ita dicam) circa verbum meum prædicare deſiderantes. Videte vt ſciant inter lepram & lepram iudicium facere: & præcipue vt honeſti & boni ſint. Attendite linceis oculis, vt ſint ſapientes & virtute præditi, & omnes, quos ſacrato ordinis charactere inſignitis. Vobis autem concionatores, & confeſsiones audientes ſacerdotes, magnum præmium & bonum propono, & mercedem multam in cœlis: ſi dæmonem Iebuſæum ferocem, verbo & exemplo percuſſeritis: & deinde ſi abſtuleritis cæcos, ignorantes docendo viam ſalutis, & ab ignorantijs ſuis ad veritatem inducendo: & vt neceſſaria fidei ſciant, & quomodo ſit reſtituendum. Et ſi claudos & in operibus claudicantes, in bonis operibus firmos feceritis, vt relicto Baal & vitio & auaritia me Deum verum in omnibus ſequantur. O vtinam in noſtris calamitoſis temporibus impleatur iam prouerbium: cæcus & claudus, ignorans & peccator, non intrabunt in templum Dei. Ad animarum regimen.

Text. ¶Aridorum.

PEr aridos elatos & ſuperbos intelligimus, infirmos ſatis miſerandos, & qui difficulter ad ſanitatem veniunt. Superbi ſunt aridi, vt lignum ſine virtutis ſucco: & ſunt oleaſtro amaro ſimiles, qui videntur nati fuiſſe, ad percutiẽdum alios

ſua

ſua ariditate & elatione. Lignum & aridum, & ſine fructu? Igitur igni reſeruaris ſuperbe: ſi Deus angelis peccantibus per ſuperbiam non pepercit (vt ait Diuus Petrus) ſed tradidit illos cruciatibus tartareis, quanto magis non parcet tibi o homo, qui cum vilis vermiculus ſis, ſuperbia inflatus es? Non gaudet Deus vtre aere pleno, vt es ipſe ſuperbus. Hugo de Folieto ſuperbum ſimilem eſſe Elephanti affirmat: qui habet oſſa abſque iuncturis, vnde flectere membra nequit, & ſic ad arborem latus inclinat, vt quietem recipiat: tamen venator perforat arborem, vel debilitat, & ſic ei innitendo deficit atque cadit, & capitur & occiditur. Ita tenet Bercho. ex Plinio, qui ſubobſcure de hoc loquitur. O ſuperbe, o elephas inflexibilis ad humilitatem, qui ſemper propriæ voluntati, velut ad arborem latus & cor tuum inclinas, vt quieſcas ibi: tamen fruſtra cum non ſit quies niſi in Deo. Succidatur iam tandem arbor tuæ voluntatis elatæ, vt cadat & moriatur in te beſtia magna, nempe ſuperbia tua: vt ſpiritus tuus liber à tam feroci fera maneat humilis. Alias ſi in tempore debito & opportuno humiliatus non fueris: venator infernalis obſeruat te in mortis ſemita: vbi corpus tuum erit debilitatum & hic in terra proſtratum, & anima ociſſa & capta, abſque dubio tibi ita continget. Interroga Luciferum, Antiochum & Aman ſuperbos & alios, & ab ipſis finem illorum diſces: aride homo, in te reuertere, & humiliare.

2. Pet. 2. A.

Ber. libr. 10. ca. 36. §. 18. Pli. li. 8. c. 8.

Qui habent deſiccata membra, ſunt infirmi aridi, quanuis corpori coniuncta, quæ de corporis humore non recipiunt alimenta: in homine ſunt huiuſmodi membra arida, tamen miſera ſunt, & ad nullius vſum. O dolenda ſimilitudo contra fideles peccatores, contra ſuperbos & elatos, inhoneſtos cæcos, auaros claudicantes, ſi illam intrinſecus callerent, & intelligerent. Corpus Eccleſia ſancta eſt homo peccator, caput Chriſtus eſt (teſte Paulo dicente) vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ: membrum huius corporis viuum, fidelis in Dei gratia exiſtens eſt: magna dona & præmia à corpore Eccleſiæ, & à Chriſto capite recipiens inceſſanter. Membrum aridum ſiccum & infelix, es ipſe peccator, ſuperbe, inhoneſte: qui quanuis Eccleſiæ per fidem coniunctus es, ab ipſa nullum gratiæ humorem recipis aut ſanguinem Chriſti ad vtilitatem tuam, nec

*ſimile.*

Epheſ. 5. E.

dona:

Psalm. 37. dona: vnde miser factus es & curuatus & ad nullum vsum aptus, aridus & igni reseruatus: ideo contristatus tota die debebas esse: sicut absque dubio vere non potes gaudere.

Quia hoc vtile est ad dicendum & valdè dolendum, accipe aliam similitudinem homo aride sine gratiæ succo: sicut ra-
Simile. mus deficcatus & aridus in arbore, quanuis non præcisus, nihil ab humore arboris recipit, neque à virtute radicis: vnde non potest in folia prodire, neque pubescere in flores, quanto magis aptos producere fructus, in vtilitatem, aut delectationem vescentium, sed aridus sine viriditate manet, expectans falcem qua putetur & in ignem mittatur. Ità, & eodem ferè modo ô homo, in mortali delicto manens, ramus es arbori sanctæ Ecclesiæ per fidem coniunctus, tamen miser & aridus & valdè à gratia deficcatus: quanuis non præcissus (cùm hæreticum sit asserere, fidem quocunque mortali destrui) tamen nihil humoris admeritum ab arbore sanctæ Ecclesiæ recipis. Nam & si cum alijs ramis viridibus, ideſt, fidelibus in gratia existentibus, vnum sis vnitate naturæ, & fidei radice, vt ramus siccus cum viridi, es tamen sine gratiæ humore: vnde etiam si plantatus est secus decursus sacramentorum, & Dei donorum & Ecclesiæ: quandiù in peccato es (quod dictu dolendum est) cum nil recipias de Christi meritis, neque de Ecclesiæ suffragijs, neque de sacramentorum virtute, in folia desideriorum Sanctorum, te prodire non videmus, nec flores verborum sanorum producis, quanto magis fructus dignos pœnitentiæ facere: quandiù sic miser & aridus es: o infœlicem statum.

O fœlix homo in gratia existens, Ecclesiæ per fidem coniunctus es, ab ipsa & à Christo capite, multa dona tibi proueniunt: imò etiam ab ipsis membris & bonis fidelibus partici-
Psalm. 118. pas bona, iuxta illud particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua: quia & si nullus fidelis alteri gratiam lucrari possit, tamen multa bona proueniunt & multæ motiones bonæ ex alijs in gratia existentibus: & satisfactiones etiam possunt prouenire bonis, ex operibus aliorum. Et sic participes fiunt, etiam membrorum, quanto magis Ecclesiæ & Christi à quo multa merita, & gratiæ augmentum quotidie recipiunt iusti: vnde in desideriorum

san

ſanctorum folia, & flores verborum conducibilium ſibi & aliorum mentibus prodeunt, & fructus pacatiſsimos bonorum operum Deo reddunt & dulciſsimos.

Mali vero & aridi, pergant cum illo populo ingrato Iudaico, plorante & dicente: anima noſtra arida eſt: ò Ægypte, quis nos corpore à te ſeparauit, ſicut mente in te ſumus ſemper & memoria. Infœlix populе, hæccine redis Deo liberanti, & ad terram promiſſam tot obſequijs te deducenti, ſtulte & inſipiens? O homo fidelis, & cum Dominus de tenebris eduxerit te ſanguine ſuo, mauis in prioribus culpis eſſe, quam in Dei amicitia, ideo neceſſario dicere debes: anima mea arida eſt & ſine gratiæ ſucco. Igitur dicam vobis cum Ezechiele: oſſa arida & homines ſuperbi, & omnes rami arboris Eccleſiæ aridi, & omnia membra corporis illius ſicca, audite verbum Dei, & attendite quanta bona amittatis à Chriſto & eius Eccleſia prouenientia membris viuis & ramis viridibus: eo quod ſuperbi & in peccato eſtis: audite & pœnitemini, & Dominus introducet in vos Spiritum ſanctum & viuetis eius gratia, alias ad ignem eſtis reſeruati cum aridi ſitis: & lignum arundineum, quo Chriſti caput ſpinis coronatum percuſſum fuit in paſſione ſua. *Num.* 11. B. *Eze.* 37. A *Matt.* 27. D

Vnde ipſe Chriſtus in cruce conquerebatur dicens: aruit tanquam teſta virtus mea: non ſicut fœnum vt caderet, aruit igne tormentorum corpus meum in cruce & humanitas igne tui amoris decocta ò homo, ſed vt teſta vt firmetur. Quia ſicut teſta antequam in igne ponatur infirma & mollis eſt, in igne vero dureſcit, & fortior redditur; ſic humanitas Chriſti ante paſſionem mollis & tenera erat, poſtea tamen fortiſsima, Et tamen aruit in cruce tui amore, & tu ò homo, aridus & ſine gratia potes manere? Quod ramus ab arbore ſciſſus & aridus fructus non præbeat, non eſt mirandum: quia radice caret arboris, à qua alitum accipere debet: tamen ramus arbori coniunctus & ariditate non præbeat fructus? Hoc miſerabile eſt. Quod infidelis aridus & ſine ſucco Eccleſiæ, fructus non reddat bonorum operum dolendum eſt, tamen caret fidei radice, ſine qua non eſt merendum: tamen ò fideles in Eccleſia exiſtens, ſacramentorum fontibus irrigatus, verbo Dei paſtus, & cum hoc aridus ſine gratia, & ſine bonorum *Pſalm.* 21. *ſimile.* *ſimile.*

operum fructibus? hoc est dolendum, imò detestandum, At omnes infirmi expectabant aquæ motionem ad salutem. Expectate cæci voluptuosi, claudi, auari, aridi superbi, quotidie Dei motionem: & orate illum vt corda vestra ad contritionem debitam moueat vt sani sitis: & qui videt citò, dicat cum Iob, *Iob.6.B.* quis det mihi vt veniat petitio mea: & quod expecto tribuat mihi Deus? Motionem cordis expecto Domine, & qui cœpisti mouere me, ipse me cõtere vera cõtritione cordis: aquę motum expecto, id est, mortem tuã Domine (vt ait glossa interlinea.) & inde redemptionem. Quia post motum aquarum, id est, pœnarum, super te venientium, virtus ad sanandum homines venit in sacramentis communicata. Et etiam aquæ motum & lachrymarũ, expecto Domine, vt des mihi ad sordes meas abluẽ *Iob.14.C.* dum. Cunctis diebus, quibus hic nunc milito, dicebat Iob, contra vitia & persecutiones, expecto Dei clementiam donec veniat immutatio mea, de vita in mortem. Et homo peccator non vult magno desiderio petere à Domino mutationem vitæ, & cordis motionem? Quando vocet te Deus, quid respondebis illi? Expecta Dominum, sed viriliter age (ait Dauid) & sic confor *Psal.26.* tetur cor tuum. Expecta Dominum, & illius visionem & præ *Psal.36.* mium, tamen custodi viam eius, & mandata illius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram viuentium: sustine Dominum rectè operando. Motionem videbant aquæ, non tamen Angelum mouentem, & de cælo venientem: vt scias, quod etiam si signa sacramentalia videas & motionem aquæ baptismalis & verborum absolutionis: intus adesse cælestem virtutem, oculis corporeis non perceptibilem, à Deo missam: Angelo (sacerdote nempe) mediante, & maculas animi abluentem. Et vt credas Deum corda mouere ad contritionem, & ad gratiam obtinendam, alias homo nec cogitare aliquid boni ex se, tanquam ex se potest, quanto magis seipsum sanare. Sanabat Deus aqua turbida infirmos in piscina: vt credas conscientiam peccato turbatam, turbatione pœnæ Christi & tuæ sanari debere: medicus multoties contrarijs contraria curat. Nam veneno expellit venenum, ita Christus humilitate sua nostram curauit superbiam: & turbationem cordium nostrorum, tristitia & pauore in nocte qua traditus est, sanauit.

Angelus

¶ Angelus autem Domini descendebat secundũ tempus in piscinam: & mouebatur aqua.

DIcens Euangelista secundum tempus, significare videtur, Angelum certo tempore & determinato in piscinam descẽ disse. Cui applaudit D. Cyrillus dicens, die Pentecostes, angeli de cœlo descendentes, piscinæ illius aquam mouebant: & huius motionis sonus, adesse angelos ad sanctificandum aquam signi ficabat: & mouebatur aqua ab angelo vt salutaris esset. Iã tũc pis cina erat imago baptismi, quo sordes morbiq; animarũ, quãlibet capitales, semel abluuntur: quoties ad elementũ aquæ baptizã tis, opera & verba & diuina vis cœlitus accesserit. Et sicut illius aquæ natura per se non sanabat (ait D. Chry) siquidẽ semper sa nasset, sed dumtaxat cum ab angelo mouebatur: ita & in nobis non simplex aqua operatur, sed cum Spiritus sancti gratiã accipit & virtutẽ passionis Christi: tunc omnia abluit peccata: deni q; omne datũ optimum & lotio sancta à Deo venit. Mouet ma gni consilij angelus Christus Iesus aquam gratiæ, quando homi nũ corda cõmouet & inuitat ad contritionem & gratiã. Quia pri ma gratia ab homine mereri non potest: bene tamen augmentũ illius per ipsam gratiã partum: sed datur à Christo gratis merito suæ passionis & sacramẽtorũ virtute. Quod prima gratia submerito non cadat, patet, quia est principiũ omnis meriti, saltim mediate & formaliter: quia effectiue, est meritũ Christi. Deinde, quia ratio primæ gratiæ, pugnat ex diametro contra mercedem & meritum, ex operibus bonis proueniens: & si ex operibus, iã nõ est gratia (vt ait Paulus.) Augmentum tamen gratiæ, quod prouenit ex bono vsu primæ gratiæ, potest homo mereri per actus informatos à gratia, & elicitos seu imperatos à charitate, ex motione & instinctu spiritus sancti operante: vnde procedit ab ipsa gratia & libero arbitrio. Lege Viguerium de gratia diuina, diuinè loquentem. *Ad Roma. 11. A.* *Cap. 9. §. 3. Ver. 2.*

Quotidie agitur motus gratiæ à Deo, sine intermissione quærit sanare languentes peccatores, inquinque sensibus ęgre atque infirmiter quiescentes. Mouetur aqua gratiæ à Deo mouente cor tuum, descende in eam humiliando te ipsum, & sacramentis subdendo, & secuta erit sanatio: tamẽ recede statim à porticibus, vltra insensib⁹nõ quiescẽdo: nã brutale nõ rationale est, in sensi

*Mala.2.* B. bus quiescere. Iste Angelus sacerdos est sic à Deo per Malachiam vocatus: labia sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore eius requirent: quia Angelus Domini exercituum est: vtinam ne, quod sequitur ibi, multis Angelis, ideſt sacerdotibus nostri temporis conueniat. Vos autem recessistis de via mãdatorum meorum (dicit Dominus) & scandalizastis plurimos in lege, vestro malo exemplo & inuitatione ad malum. Dices forsan cum Deus posset sanare infirmos illos sine aqua piscinę: aut cum aqua sine eius motione & lotione, vt quid voluit ita fieri? Interrogo & te, cũ Deus posset à peccato originali sine aqua baptismali pueros liberare: & à peccatis actualibus, sine commotione absolutionis ab Angelo, ideſt sacerdote, facta: & ab aqua ideſt sanguine Christi ibi dato & à virtute cœli, quare hoc instituit Dominus sic faciendum? Scitis ob quid? Primum, sit pro ratione Dei voluntas. Deinde cum fundamentum virtutis sit humilitas; vt humilieris homo, quando te ad salutem animæ tuæ subditum creaturis elementarijs cernis, aquę scilicet & verbis sacerdotis, qui est Angelus Dei. Et etiam vt saltim ob sacerdotis verecundiam omittas peccata, quorum nec ob Dei amorẽ nec inferni timorem, à perpetratione cessasses.

*Tex.* ¶ Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.

HOc erat Dei beneplacitum, vt primus & non secundus, in piscinam descendens sanaretur: siquidem Deus sanat quos vult. Et quemadmodũ nullus, in natatorio & lauacro probaticæ sanabatur, nisi primus descendisset: ita nemo saluus fit, nemo à peccato abluitur, nisi per Christum vnigenitum & primogenitũ, fuerit & ipse primogenitus factus, & in virtute primogeniti filij Dei mũdatus. Vnus fiebat san⁹: vt intelligas, neminẽ salutẽ animæ consequi, nisi ad vnam fidem nostram catholicam perueneris, & ad vnum cõuentũ verorumque fideliũ, & ad vnũ ouile Ecclesiæ, & ad vnũ pastorẽ Christũ. Quia debet in vnũ Deũ credere, & vnã Ecclesiã, & per vnũ ingredi baptisma, & in vnũ mediatorem Deũ & hominẽ Christũ credendo, & credita operãdo:

ex-

extrā quem nō eſt ſalus. Vnde de ſtatu canitur fideliū, ecce quā bonum eſt & iocūdum honor & vtilitas ſimul, habitare fratres fideles in vnum ouile vnum colendo Deum fide & opere. Et ſic Deus facit illos habitare vnius moris in domo Eccleſię: non habitatur in vnum, neque habitatores concorditer conueniuntur, niſi vnius moris & conſuetudinis bonæ exiſtāt vnus eſt mos Ecclesiæ, vna eſt vrbanitas eius, ſolū ſatagens in ſuperna. Si modo Angelus de cœlo deſcendens dixiſſet omnibus hic aſtātibus, & grauiter infirmātibus: ego tangam fontis baptiſmalis aquam, & qui prior tetigerit illā, ſanus erit à ſua infirmitate. O quāta velocitate & curſu, vnuſquiſque curreret ad aquam. Et ſi dixiſſet, qui prior ad peccata ſua confitendum ad ſacerdotem acceſſerit: etiam ſanus erit à ſuo morbo gallico, aut à dolore lateris, quā cito confeſſorem adires. Nō Angelus ſed Deus, non vni ſed omnibus languidis in anima dicit: accedite ad fontem pœnitentię, & ſanguine meo vulnera peccatorum veſtrorum ſanitatem recipient, & maculæ animæ ablutæ erūt: & ideo nullus aut pauci ad talem fontem accedere vultis, quia omnibus abluendi & ſanādi facultatē dedit? O corporum amatores magis quam animarū, & voluptatū magis quā Dei: ò ſiniſtra electio ſuo tēpore puniēda. *Pſalm. 132.* *Pſalm. 67.* *Simile.*

O baptiſmatis piſcina, ò pœnitentiæ diuinæ fons, nō in vno loco tātum conſtitute, ſed vbicunq; eſt Eccleſia Romana: nō ad ablutionem vnius aut alterius peccati, nec ad ſalutē corporis, ſed animarū & à quacunq; detineantur infirmitate, quātunuis grauiſsima & vetere & periculoſa: nō certis diebus aut ſemel in anno aut in die (vt de hac piſcinę motione D. Bona. dicit fuiſſe quo libet anno ſemel) ſed in quacūq; hora peccator, ingemueris tua delicta & cōfiteri volueris illa, eſt tibi fons diuinus pœnitētię patens (vt ait Zacharias) ſine ſeris & clauibus, ſed apertus, poſtquā Chriſti latus lācea aperuit in ablutionē peccatoris & mēſtruatę: gratis ſanctitatē recipies: ſi infirmus & peccator manere vis, nulla tibi reſtat excuſatio corā iudice Chriſto, tibi imputa cum talis fons expectet patens. O miſeria conditionis humanæ, & pronitas illius ſemper ad minus vtilia, vtiliſsima relinquens: quam eſſent homines fœlices, quantum ſunt infœlices, ſi quam cito habent ſenſum ac intelligentiam & diligentiam ad res leues & corporum ſanitatem, imo & ad malas, haberent ad bonas & animæ conducibiles? Infirmi iſtius probaticæ, cum pri- *Tom. 2. fol. 353. A.* *Zach. 13. A*

mum aquæ motio ab Angelo fiebat, ſine vlla negligentia, aut deſidia omnes ſimul currebant ad natatorium, ad aquam tangendam ſtrenue, vt corporis ſanitatem reciperent, cum vnus tãtum ſanus fiebat: & nos miſeri mortales proprijs delictis cæci & torpore preſsi effecti, ob ignauiam noſtram, ad tollendas animæ infirmitates, ſaltim ambulando pergere nolumus ad pœnitentiæ fontem, quo omnes ad horam, ſanguinis Dei ſumptu, ſani facti eſſemus, ad gloriam, Amen.

# Homilia Quinta.

*Tex.* ¶Erat quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.

MVltis & vrgentiſsimis circunſtantijs, Ioannes miraculi iſtius magnitudinem commendat, vt nullus de miſericordia Dei deſperet, qui ſuo ſanguine in lotionem in tempore vti voluerit, & ſanare deſiderauerit, & morbos peccatorum deteſtatus fuerit: cum videat hic Chriſtum eligentem ad ſanandum, ex tanta infirmorũ copia, vnum omniũ maximè deploratũ, qui morbo periculoſo, peneq; immedicabili teneretur. Et iſte erat infirmꝰ qui aliquando ſanus fuerat, & erat qui iam infirmitate videbatur nõ eſſe: ſicut peccator qui aliquando ſanus eras, & in Dei gratia, modo infirmus & Dei inimicus: eras, & iam non es, quia melius tibi eſſet mori, dum bonus eras, quam infirmum peccatorẽ viuere, ſi in tali infirmitate es moriturus. Quidã homo, nomine indignus: quia infirmus, quia peccator, quia putridus in ſtercore ſuo: homo ex natura bonus culpa ſua infirmꝰ, ſanus in illo quod fecit Deus: infirmus in illo, quod dęmõ in ipſo cauſauit, ſed homine conſentiẽte. Indignus nomine es, quoties infirmus in anima & peccator es; bonus ex natura, & malus ex culpa tua? infirmus in anima ad Dei ſimilitudinem facta, Chriſti ſanguine redempta, quia potius peſsimo dæmoni parere, quã optimo Deo ſeruire voluiſti? O homo, iam potius dæmonis ſeruus tua malitia effectus: qui aliquando Dei filius per gratiam eras.

Erat

Erat homo & infirmus. Homo & infirmus? Si fuisset equus? Si leo? Si lupus? Sed homo, & infirmus? O Adam si honorem tuũ intellexisses, & salutem animæ quam Deus tibi dedit conseruare voluisses, tanto Dei auxilio, & iustitiæ originalis freno: & Dei honorem custodisses, & simul animam tuam & corpus ab omni infirmitate & morte, & dolore, & gemitu seruasses. Noluisti sed vinculum vnicum & mandatum vnum rumpere, & iugum Dei proijcere: quid mirum vt etiam si homo sis, infirmitati subditus sis? Erat iste homo infirmus, inter alios ibi expectans virtutem piscinæ, in qua dicitur fuisse lignum, ex quo crux Christi facta est (ita ait Diuus Bonauentura de vita Christi) triginta & octo annos habens in infirmitate. Qui multorum infirmitate detentus annorum, peccatorem significat quẽlibet, enormi scelerũ magnitudine, vel numerositate depressum De cuius numero & societate, quanti inter fideles hodie sint Deus scit. Numerus quadragesimus (ait glos.) significat perfectionẽ operum & fidei: in quatuor Euangelijs designatur fides, in decem præceptis operatio, ex quibus constat perfectio: à quo numero si duo tollas & trigesimum octauum facias, duo minus habet omnis infirmus peccator qui charitate Dei & proximi caret. Iste homo significat (vt ait glos. inter.) multis & magnis peccatis oppressum: ò infirmitas grauis, & diuturna, & veterana: quam periculosa laboriosa & sumptibus plena es in corpore, quid erit in anima. *Ca. 43. to. 2. fo. 353. Cacus. pla. hic. fol. 145.*

O animæ infirmitas inueterata, quam periculosa es, & quam difficilis ad salutem ex parte ipsius peccatoris obstinati: etiam si apud Deum omnia facillima sint. Quare dixit populus meus (ait Dominus per Ieremiam) recessimus à te (Domine, per multum tempus) Iam non veniemus vltra ad te? Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Tamen populus meus, non alienus à fide, fidelis non Agarenus, oblitus est mei, & sanguinis filij mei, & fasciæ pectoralis flagellorum, qua præcinctus fuit in atrio pontificis, & nuditatis suæ in cruce habitæ. Et non ad horam nec ad mensem, fuit talis obliuio populo meo fideli, sed diebus innumeris, & annis multis: cum paucitas dierum suorum finietur breuissime. Dimitte ergo nos domine, & sine vt plangamus non paululum cum Iob innocente, sed multum cum *Iere. 2. G.* *Iob. 10. D.*

*Oratio Mana. infine.* Dauid & Manasse delinquẽte: & quia inueterati infirmi sumus, dicamus cum illo in sua oratione. Domine cœli & terræ qui fecisti cœlum & omnia in illo contenta, & creasti hoc & illud: tu es Dominus benignus, altissimus longanimis & multum miseri cors, & pœnitens super malitias hominum: & iuxta multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam, & remissionẽ his qui peccauerunt tibi; non posuisti pœnitentiam iustis, sed mihi peccatori super numerum arenæ maris peccăti. Multo vinculo ferreo incuruatus sum, ita vt nõ possim attollere caput meũ, & non est respiratio mihi: multiplicaui offensiones cõtra te, vnde inueteraui inter omnes inimicos meos Dæmones. Discedite iam à me maligni, quia Dominus oculis suæ misericordiæ respexit me. Et modo flecto genu cordis mei Domine, precãs à te bonitatem. Peccaui Domine peccaui, & iniquitates meas agnosco, remitte mihi Domine remitte mihi: & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis. Quoniam tacui non cõfitendo delicta mea & infirmitates animæ, inueterauerũt ossa mea, & virtutes meę, & factus sum infirmus veteranus: respice in me & miserere mei.

*Paralipo.*

*Psalm.32.*

*simile.* O quã dolendus contingit status infirmo tertiæ speciehecticę laborãti, & ab omnibus medicis iã relicto, vt comedat & faciat quod illi beneplacitũ fuerit: quam morti propinquus est. Nam quanto magis infirmitas inualescit & prenalet, tanto magis sequitur debilitas ex parte virtutis naturalis ad medicamina adiuuandum. Vnde attenuatur talis virtus, & infirmitas dominatur illi, quousque totaliter superat & destruit. Et sic talis infirmus, difficulter salutem recipit naturaliter: si omnium medicus non illi medetur. Hoc verius in spiritu quam in corpore accidit, cũ vnico mortali salus animæ, per gratiam obtẽta, totaliter pereat, & destruatur. Et anima, ex se, ab vnica mortali infirmitate cõualescere impossibile sit: quanto magis si ex vna in aliã, peruenit in tertiam obstinationis speciem, post primam malæ operationis, & secundam consuetudinis. Certe dolendus status tibi cõtigit homo, quisquis huiusmodi es, & huic paralytico similis sors euenit tibi. Nam videtur mihi te iam fere à medicis esse destitutum, tam concionatoribus quam confessoribus. Vtinam ne de te iam dicat Deus, dimisi eum vt comedat vetita quæ voluerit & perpetret omnia desiderata mala: denique reliqui eum iuxta desideria sua. Quam propinquus infirmę inueterate, morti ęternæ ades:

*Psalm. 80.*

næ ades: considera opera Dei (ait Salomõ) obstinate infirme, & mirabilia eius: quia si nullus medicorum infirmũ corpore sanare potest, quem Deus non curat: quanto magis non poterit aliquis corrigere, & ad salutem pristinam animæ reuocare peccatorem obstinatum, quẽ Deus iam despexit, & dereliquit arbitrio suo? Nam quo magis animæ tuę infirmitas prævalet diuturnitate, & malorum augmento, & obstinata consuetudine: eo magis virtus animę & liberi arbitrij minuitur & prostratur, & ad mortem tendit, & magis inhabilis redditur ad salutem, & peccatũ prævalet, & valde animę dominatur: quousq; totaliter illam destruit & ad tartara mittit: si iste Dominus qui hunc paralyticũ sanitati restituit, sua virtute magna cito non succurrerit illi. Time homo, plusquam infernum peccatum, & præcipue illius consuetudinem: nam pessima fit plaga peccati: quæ consuetudine longa & diuturnitate inficitur. *Eccli. 7. B.*

Hæc dicit Dominus, vnicuiq; inueterato infirmo in anima (ait Ieremias) insanabilis est fractura tua & præcepti fractio dira, quã contra me exercuisti peccator, quantũ est ex parte tua. Quare Domine? Quia pessima plaga tua, & in gradu superlatiuo. Mala est plaga peccati, dum executioni mandatur culpa, aut cõsensu perpetratur: peior quando in consuetudinem ducitur: pessima tamen & inueterata paralisis, quando in obstinationem subiectum & illam possidentem pertrahit hominem. Vnde tuis demeritis plaga inimici percussi te inueterate peccator, castigatione crudeli. Quæ nam ista plaga est, & percussio Domine? Ad libitum tuæ prauæ voluntatis te facere sinere: quia propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua: & sic quid clamas saper contritione & punitione tua? Insanabilis est dolor tuus, quantum est ex parte tua: ipse voluisti, ipse patiaris illud. Nam ego diuinus medicus, si doloris capax essem, maxime ista tua infirmitate inueterata grauarer, & dolorẽ perferrem: sicut scriptum est languor prolixior & infirmitas animi veterana multum, quantum ex se est, grauat me Deum omniũ medicum, quid erit ipsum infirmum? *Ieremi. 30. B.* *Eccli. 10. B.*

Domine, (dicet quilibet obstinatus peccator) solus sedebam in domo mea (vt ait Ieremias) quoniam comminatione replesti me: & his tuis dictis perterruisti animam meam, periculum infirmitatis inueteratæ mihi ostendens, & curationis *Ieremi. 15. D.*

difficultatem, quantum eſt à parte mea. Et quod magis ſentio, quia te fateris à languore meo prolixo grauatum fuiſſe & à me iniuriatum. Quare igitur factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis, renuit curari? Tu ipſe interrogas & reſpondes. Dolor tuus perpetuus eſt: quia finem dare culpæ renuis: plaga animi tui ideo deſperabilis eſt nec ſalutem ſperat, quia renuit curari hucuſque: & modo non vis vere & deſiderio ſanandi, mihi chirurgo cœleſti, illam per confeſsionem ſacerdoti meo factam oſtendere, vt ſanguinis mei diſpendio medelam conferam. Ideo non quæras à me, quare dolor tuus incurabilis ſit & perpetuus & plaga deſperabilis, quia es infirmus triginta octo annorum obſtinatus.

Sæpe fit vt aſſuetus longo tempore vitijs, diſſueſcere nolit: magis vero ſuadet ſibi, iam non poſſe à tam horrendo & profundo obſtinationis baratro exire, nec vulneri ſuo putrido, eſſe malagma, valens ſalutem conferre: & diffidit ſe iam poſſe tam aſſueta & dulcia ſibi, relinquere. Exiſtimat impoſsibile, poſſe mutare naturam, quam fingit aſſuetudo longęua: & licet ſit abſonum dicere, quod conſuetudo mutatione ſpecifica, in ipſam vertatur naturam, ita vt fiat aut ſit conſuetudo natura: iſtud tamen infallibiliter expertum eſt conſuetudinem firmatam, naturæ habere potentiam & efficaciam. Stabiliti, & diuturni atque longæui peruerſi hominum mores, in tantum attingunt naturam corruptam, vt appropriatione typica & moIere. 13. D. rali ad impoſsibile reducantur. Hoc videtur aperte Ieremias inſinuare dicens: ſi mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cũ didiceritis malum. Tremenda eſt autoritas contra veteranos infirmos.

Vt timeat omnis homo peccandi conſuetudinem, volo hanc autoritatem ſerio (Dei auxilio) exponere, atque grauitatem illius coram male aſſuetis proponere. Dicamus tamen prius (cum Lyra ibi) hanc ſimilitudinem non tenere ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid: quando Ariſtoteles affirmat in libro de memoria & reminiſcentia, conſuetudo eſt altera natura: & Ieremias obſtinatum Æthiopi & pardo aſsimilat: Nam illa natura quæ eſt cauſa nigredinis Æthiopi, in nullo ſubiacet imperio rationis. Vnde Æthiops illam mutare non poteſt, quã tuncunque conetur ad hoc. Sed habitus ex conſuetudine peccan-

candi pessimus generatus, & per modũ naturæ inclinans ad malum: causatur ex inclinatione appetitus sensitiui, qui natus est obedire rationi: & sic per conatum liberi arbitrij ad oppositum, potest reuerti ab bonum. Difficulter tamen, ratione habitus ad oppositum inclinantis: & hoc dicitur impossibile secundũ quid à philosopho. His suppositis audi & time homo. *5. Metaphy.*

Considera ad quam periculosum statum, tua te consuetudo praua perduxerit, vt dicat tibi spiritus Dei: vade ò homo, & in flumine nigrum Æthiopem laua. Domine, non potest fieri, quia nigredo cuti & ossibus illius adhæret. In talem fere animam tuam (ex consuetudine mala peccandi) nigredinem & deformitatem adduxisti: nam corpus & ossa, nempe virtutes & animam, caligine tetro obnubilasti, & obscurasti in tantum, vt fonte lacrymarum lauare illam non possis, nisi adsit Dei auxilium magnum, & sanguis eius in sacramento communicatus. Tolle pardi varietates & nævos ò homo, Domine si non excoriatur non potest fieri. Ita fere, de maculis animæ tuæ per consuetudinem valde adhærentibus iudicare licet: si non excoriatus fueris, ab omni mala consuetudine, & laborem & pœnitentiam magnam passus fueris, vt animal pardus si excoriatus esset viuus, pateretur dolorem: in magno periculo damnandi es, quia magno Dei auxilio indiges, vt ad statum reuertaris salutarem si in obstinatione es & consuetudine praua. Inter auxilia Dei specialia, sunt gradus: est enim auxilium ordinarium, quod per se cuique sufficit vt resurgat bene illo vtendo: quod quidem semper Deus cuicunque homini etiam sceleratissimo offert, cum stet ad ostium & pulset. Est tamen aliud excellentius auxilium, quo homines in profundum malorum collapsi in digent, vt resurgant vt obstinati, & inueterati in malis diebus & culpis: & hoc non semper Deus illis offert: sed est quasi miraculum Paulo contingens, vt resipiscant. In quo sensu dicuntur excæcati non posse credere & indurabo cor Pharaonis: non emolliar tali auxilio. Et tales non in Deum, qui sufficienter quantum est in se illis auxiliatur, sed in seipsos culpam reijciant: qui sua cõsuetudine mala tam difficilem salutem suam fecerunt. Aliquando auxiliũ illud egregium aliquibus obtulit: vt Matthæo & Magdalenæ & Paulo. Doctrina ista sapientissimi Magistri Soti est *Apoca. 3. D* *Exod. 4. E.* *4. D. 15. q. 1. art. 1.*

Igitur

Igitur durum est assueta relinquere, & cum didiceritis mala difficulter ad bonum erit reditus: vbi non dicit Ieremias, ita & vos si feceritis mala, semel aut tentatione ducti: sed didiceritis, quasi deinduſtria peccando, & mala consuetudine pulsi. O grauissima obstinationis infirmitas: ò graue malum quando pessima est & diuturna plaga: in tantum vt non solum Dei scriptores, verum etiam mundani poetæ, de hoc vale monuerunt, ne ad prauam peccandi obstinationem, infirmitas animæ tuæ perueniat: & lumine naturali, graue malum esse intellexerunt. Audi peccator obstinate & inueterate annorum malorum, Ouidium dicentem: principijs obsta, & ne peccati infirmitati assuescas: sero medicina paratur animæ morbo, cum male per longas conualuere moras. Et vidi ego qui fuerat, prius sanabile vulnus, dilatum longæ damna tulisse moræ. Alitur vitium (ait Virgilius) viuitque tegendo, continuo culpam ferro compesce, priusquam dira per incautum serpant contagia vulgus. Et vt semel illorum dicta de hac necessaria materia dicamus, intret Persius: Helleborum frustra, cum iam cutis ægra tumescit, poscentis videas: venienti occurrite morbo. Fugite fideles à morbis veteratis saltim à poetis edocti si non vultis à prophetis: ne similes huic paralytico, tot annorum infirmo facti sitis, vnde miraculo ad salutem recipiendam animarum indigeatis. Nam impius cum venerit in profundum malorum & obstinationis: contemnit medicinam pœnitentiæ, & medicum concionatorem & confessariū imo & Deum.

*Li.1. de. reme.*

*Li.3.geor.*

*Saty.3.*

*Pro.18.A.*

Qualis esset iste pauper homo senex, & triginta & octo annis in lecto iacens ex vno latere: quam horrendus, quam pallidus, quam immundus, & fere iam putridus, in lecto fœtido manebat: nec se huc aut illuc mouere valens, cum per tot tempus in piscinam ingredi non potuit. Miro modo, peccator obstinatus, plumis proprijs in hoc paralytico pingitur. O qualis es peccator diuturnus, quam horridus omnibus Angelis, quam pallidus sine gratiæ colore: quam immundus est spiritus tuus in grabato corporis tui putrido, per tot annos iacens, in vitiorum stercore reuolutus: heu quam ad vomitum prouocans homines miseranduſque. Videns tales Sancta Catherina Senensis dixit (quod inuenies in Historia Diui Antonij) decuriæ Romanæ & de prælati con

*3.p.his.titu. 23.ca.14.§. 13.*

ti concubinæ fœtore. Videns homines in peccatis diu iacentes dolens dixit; computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, Ioel propheta. Heu quomodo peccatores iumentis ſimiles, in ſtercore peccatorum ſuorum ſe ſternentes & obſtinate iacentes, computruerunt ob diuturnitatem peccati. *Ioel. 1. D.*

Vnde Beatus Gregorius in moralibus dicit: nonnunquam Deus, homines vocat eos, quos à beſtijs ratio diſtinguit; & non atteruntur beſtiali paſsionum motu. Quibus per Ezechielem Dominus dicit: vos autem greges paſcuæ meæ homines eſtis: quia illos nimirum Dominus, libenter corpore & ſanguine ſuo paſcit, quos voluptas carnis more iumentorum non afficit. At contra, hi qui carnali affectioni ſuccumbunt, non iam homines, ſed iumenta nominantur: ſicut de quibuſdam, qui in peccato ſuo moriuntur, dixit Ioel, computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Iumenta quippe in ſtercore ſuo computreſcere, eſt carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire: tales non eſſe homines ſed iumenta declarantur. De quibus per Ieremiam dicitur: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat, equi facti, amatores in fœminas. Nunquid ſuper his non viſitabo dicit Dominus? Certe viſitabo & abſorbebo ſimul. Quia carnes taliũ hominum ſunt vt aſinorum (vt dixi per Ezechielem): & ſicut fluxus equorum fluxus eorum. Denique comparati ſunt iumentis inſipientibus & quod peius eſt, ſimiles illis ob immunditias & voluptates ſuas facti ſunt: homines in honore gratiæ aliquando exiſtentes, & minime intelligentes. Vide ad qualem peruenias ſtatum ob culpas inueteratas. *Li. 24. ca. 8. in Iob. 33. Ezec. 34. F. Iere. 5. C. Ezec. 23. C. Pſalm. 48.*

Quis melius quam peccator, quem Satanas diuturnitate temporis poſſedit, per hunc paralyticum tanto tempore infirmum intelligetur: Talis infirmus veteranus infirmatur multiplicatione criminum, magnitudine ſcelerum, iure præſcriptionis: cui nunquam fuit per longum tempus ita interdicta poſſeſsio, quin adiutorio diuino, ſi velit poſſe, poſsitque velle venire ad gratiam, pro vt venit iſte ægrotus ad piſcinam: ſi meritis Chriſti & eius auxilio, vt decet, vti voluerit. Timeat tamen omnis homo infirmitatem obſtinationis & ad talem peruenire ſtatum, vt de anima ſua Dominus dicat quod de Babylone: curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam: quoniam *Iere. 51. A.*

perue-

peruenit vſque ad cœlos iudicium eius, & eleuatum eſt vſque ad nubes. O infœlix anima, quæ ſic inueterata eſt in culpa & obſtinatione vt Deus de illa dicat: curauimus hanc animam, confuſione Babylonica plenam, & non eſt ſanata, nec ad meliorem mentem, tot concionum medicinis & inſpirationum medelis, reddita: derelinquamus eã facere ad libitum per parũ vitæ eius tempus, poſtea omnia ſoluet & ducta erit quo non vult. Eat vnuſquiſque in terram ſuam: bonus & ſanus & humilis & caſtus, in terram viuentium: malus & obſtinatus, & infirmus veteranus, in terram tenebroſam caligine mortis opertam.

Poſtquam tanta diximus mala de peccatore, per hunc paralyticum intellecto: dicamus etiam, de perſeuerantia iſtius in bono, ſalutem corporis per tot annos expectantis ſine aliorum odio. Pudeat nos fratres (ait Diuus Chry.) & incredibilem ſocordiam noſtram deploremus: octo & triginta annos, hic homo expectauerat corporis ſanitatem, neque eius impletum eſt deſiderium, per tot tempus: neque eius negligentia impediebatur ſalus, neque ob id deſperauit nec patientiam amiſit. Nos autem nec ſalutem animarum quærimus: & ſi per decem dies tepide orantes, & à Domino veniã petentes, ſemijoco, nõ obtinemus, & cito non exaudimur, & petita accipimus: tepeſcimus & orationem relinquimus: ac ſi Deus non dixerat: qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus & ſanus erit. Et in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras: ideſt in perſeuerantia boni. Nam vt quidam dicit: mora (ideſt tolerantia & in laboribus perſeuerantia & in virtute) dat vires, teneras mora percoquit vuas, & validas ſegetes quod fuit herba facit. Si iuxta huius ſententiam, imo & experiẽtiam, ob tolerantiam puer acquirit vires, & vua acerba fit ſuauis & herba triticum fit: vt quid nos homines, in bono perſeuerare renuimus, vt talia animabus noſtris contingant? Quas vires virtutum & meritorum anima in bono perſeuerans acquireret? Quam gratiæ dulcedinem? Quam ſuauis panis fieret ad menſam Dei aptus?

*Matth.10. 24.B.*

*Luc.21.D.*

*Oui.de rem. lib.1.*

*Simile.*

*Tex.* ¶ Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet.

Iacet

IAcet peccator peccatis obſitus, quem pietatis oculis, miſericordiſsimus Ieſus reſpicit, & illum, immenſa ſua bonitate gratia & fauore præuenit, atque torpentem præoccupat: adimplens quod per Iſaiam promiſit: eritque ante quam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus (imo tacentibus) ego audiam, & infirmitates illorum videbo ad ſanandum ſi non mihi offendiculum ponũt. Vidit Ieſus in illo, bonum quod fecit, Deus, naturam ſcilicet, & malum, nempe culpam, quam diabolus hominis conſenſu adiecit: vt hanc tolleret, & illam ſua gratia perficeret: quod carnem aſſumendo perfecit, & in illa patiendo: & ſic vidit hominem miſericordiæ aſpectu. Vere lamentandum ſpectaculum eſt, hominem videre nobilem ac magnificam creaturam, infirmam culpa & in ſtercore vitiorum putridam iacentem, horridam atque obſcœnam: & iſta compaſſio filium Dei ad nos perduxit, & vſque ad infirmorum lectum, imo vſque ad crucem. Dominus de cœlo proſpexit, ait Dauid, & de ſua diuinitate, in terram & hominem terrenum, illius miſerendo: & venit carnem accipiendo. Vt audiret gemitus compeditorum & in carcere peccati exiſtentium, & ſolueret filios interemptos. Videat te iam Dei filius peccator horrende, & obſtinate, ſuis oculis vt ſanitatem recipias: alias deplorandus exitus tibi manet: quia impoſsibile eſt, te animæ ſalutem recipere, niſi prius Chriſtus miſericordiæ ſuæ & gratiæ præueniẽtis, oculis aſpiciat. *Iſai. 65. D.* *Pſalm. 101.*

O Dei miſericordia, ob quam non ſumus conſumpti, in infirmitatibus noſtris & tot malis quæ circundederunt nos vndique & non erat qui adiuuaret, niſi tu Domine, oculos tuos ad nos conuerteres ſine meritis noſtris, imo & ſine petitione noſtra, quod magis eſt: ſicut in iſto infirmo eſt videre. Erat infirmus valde & veteranus & putridus, & maxime Dei & hominum auxilio indigẽs: & tamen non reſpicit te & mittis oculos tuos ad illum? Ipſe non petit auxilium à te, & in ipſo lecto exiſtentem adiuuas, & miſericordia motus aſpicis illum? Quantos peccatores in ſtercore vitiorum putridos, de te nil cogitantes Deus meus, aſpexiſti tua miſericordia, & nil à te petentes adiuuiſti & à malis liberaſti, etiam ſi videbaris viſum tuæ miſericordiæ differre? Tamen in tẽpore neceſſario fuit reſpectus tuus ergà illos. Quomodo aſpicies, leuantes oculos ad *Sap. 3. B.*

ad te quotidie in cœlum, auxilium à te expectantes Domine: sic sic respicis tua misericordia, nil de salute sua curãtes? Quid da bis petentibus, si tribuis negligentibus? Si oculis misericordiæ respicis actu peccantes, quid facies erga de peccatis dolentes & multum plorantes?

Magnum solatium, infirmis & peccatoribus salutem cupien tibus & vitia relinquentibus, debet esse: scire Deum illos vide re & magis salutẽ cõferre, quam ipsos accipere, desiderare. Quia videt sua misericordia afflictionem nostram, vt populi sui in
*Exod.3.B.* Ægypto quondam existentis: & cognouit figmentum nostrũ, & vilitatẽ & ad malũ pronitatẽ. Videat te Deus ò peccator, ocu lis misericordiæ suæ, vt teipsum videas valde infirmantẽ, & me dicum quæras animarum. Ideo vidit hũc hominẽ, vt ipse de sta tu suo miserando cogitasset, & auxilium à Christo illum aspi ciente peteret: ac si oculis diceret illi: vide homo, & considera ad qualem & quam horrendum statum infirmitas adduxit te ia centem putridum & surgere non valentem sine me. Infirme in anima ad te diriguntur ista verba mea, quia video te vt te aspi cias: & in te, vt filius prodigus, reuertaris: & scito & vide oculis animæ & corporis, quam malum & amarum est te reliquisse do
*Iere.2.D.* minum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te. Scito in tellectu, & vide fide, & voluntate bona, quam miserrimus sine me, quam infirmus sine mea salute es, & quam prostratus, si nõ te subleuo. Vide quia video te, vt consideres tremendum pecca ti statum, & teipsum sine me.

Quis dubitat quin videns Iesus hunc infirmum (in lecto iacẽ tem & huc & illuc non valentẽ se mouere, & à planta pedis vsq; ad caput infirmitate & paralisi plenũ, sine alicuius adiutorio do lendũ & valde miserandũ) recordatus fuisset & in mẽtem illi ve nisset: quomodo ob peccatorẽ infirmũ non post annos duos vt vidisti in principio, hoc factũ contigisse: ipse qui omnium salus erat, habebat in crucis grabato, vt leprosus clauis confossus, iace re, imo stare, à planta pedis, nil sanum vsque ad caput habens: nec valẽs huc aut illuc se mouere, nec manibus suis ad sanguinẽ de oculis tollendum adiuuare se posse, sine adiutorio alicuius: quia respiciens erat adiutorium hominum & non erat illi ab aliquo. Quanto credis tunc, dolore fuisse percussum: & quis
*Luc.12.F.* dubitat quin intra se diceret: baptismo habeo baptizari, sangui-

guinis in crucis grabato: heu quomodo coarctor & in anguſtia ſum, vſq; dum perficiatur: & iam liber euadam ab illo lecto. Vnde quia tui amore o paralitice tanta pati debeo, ideo aſpicio te: quia ad ſalutem conferendam animæ tuę leproſo ſimilis ero. Vt quando ſanus & liber fueris, non dedigneris aſpicere me oculis duobus, fidei & charitatis, pro te tanta patientē. Et ſcias inde, quanti mihi ſtet ſalus animæ tuæ, vt illam in pretio habeas & me: & peccati malitiam & animæ infirmitatem abhorreas, & de teſteris, pluſquam infernum. Quare domine mi, cum multitudo magna languentium hic iaceat, ad vnum tantum oculos conuertis: cum ita facile tibi ſit, omnes priſtinæ ſaluti reſtituere, ſicut vnum? Quare vnum tantum ſanum facis? Quia multoties, homini magis conuenit infirmitas corporalis, quam ſanitas, ad mei honorem, & animæ ſuæ vtilitatem: vt contigit illi infirmo, ad preces D. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, ſanus factus & deinde infirmus quia illi magis expediebat. Ad hoc inſinuandum, non omnes hos infirmos ſanitati reſtituo: vt patienter corporeas infirmitates feras, vt tibi & animæ neceſſarias. *Luc. 12. F.* *D. Anton. p. 2. hiſtit. 17. cap. 3. §. 2.*

¶ Deinde, vt ſciant mei ſerui, illos oportere crucem tollere & me ſequi, ſæpe nolo dolorem & infamiam ab illis tollere: vt humilientur, & maiora acquirant merita. Sic me habui cum matre mea, & apoſtolis & martyribus. Deinde, quia non video in omnibus iſtis infirmis tantam ſalutis ſitim, neq; ſanitatis deſideriū vt in iſto. Valde neceſſarium eſt erga me, vt animæ infirmitatem tollam; videre peccatorem gratiam ſitientem, & veniam peccatorum deſiderantem. Ideo dicebam: omnes ſitientes venite ad aquas, ideſt deſiderantes: & ſiquis ſitit ſalutem veniat ad me, & mater affirmat mea: me eſurientes implere bonis & ſalute & meritis: faſtidioſos diuites & ſalutem ſuam non deſiderantes, inanes & vacuos & infirmos dimittere. In hoc etiam facto oſtendo, multos eſſe infirmos in anima & paucos ſanos: quia multi ſunt vocati & pauci electi. Et cum eſſet medicus animarum & corporum (ait D. Auguſt.) & qui veniſſet animas omnes creditorū ſanare: de illis languentibus vnum elegit, quem ſanaret: vt vnitatem, & animi pacem maxime ſe diligere ſignificaret. Tot iacebant, & vnus erigitur curatus, cum poſſet vnico verbo omnes ſanare. Denique vnum tantum ſanum fecit, vt ne deficias concionator, ſi videas multos in anima infirmos: & paucos ad medici- *Iſai. 55. A.* *Ioan. 7. F.* *Luc. 1. F.* *Mat. 22. F.*

nam pœnitentiæ verbo Dei motos, currere, & raros monitione concionis correctos. Et vtinam ne expertus sis, illos in canes ad diripiendum te & honorem tuum conuersos, quia sanctũ Dei verbum illis dedisti. Ipse tamen prædica verbum Dei operando illud, opportune & importune: clama ne cesses, cum mala & scelera & infirmitates spirituales contra Deum non cessent ne ipse cedas malis, neque deficias in via, quantumuis paucos correctos videas, sed contra audentiori to: quia Deus sciebat qui essent sui, & quam pauci debebant proficere, & prædicabat propter electos: ex quorum numero nos simus, Amen.

# Homilia Sexta.

Tex. ¶ Vis sanus fieri.

DOMINE, quid sibi vult ista interrogatio? Reuera valde miror, & verbum est consideratione dignũ & stupore, vides illum infirmum miserandum omni solatio & gaudio & motu destitutum: & interrogas illum, vis salutem? Infirmum tot annorum expectantem aquę motionem miserum & in suo grabato fere putridum, interrogas, an sanus fieri velit? Quid magis quam salutem omnis infirmus desiderat: præcipue languidus iste adeo dolendus? Si esset aliquis æger grauissimo & diuturno morbo correptus; & magnis sumptibus veniisset grauissimus & peritissimus medicus, longo itinere grauatus, & magnos perpessus labores: si primum verbum quod ægroto valde laboranti, mortique satis vicino dixisset, esset, vis salutem? Quis non esset demiratus de tali interrogatione? Merito dixisset infirmus: Domine, venis vocatus mea instantia, tanto labore & tuæ salutis dispendio: vides me morti propinquum & interrogas me, an velim salutem? Nil magis desidero. Cælestis medice animarum, Christe omnium vita, vocatus ab infirmis peccatoribus, venis de cœlo adeo longo itinere, per multos labores, per varios casus per tot discrimina rerum: per infamiam & dolorem, tanto

*simile.*

tuæ

tuæ ſalutis diſpendio, vt homini languido ſalutem dones vnde ipſe tuam dabis in cruce vt homo ſanus fiat: & modo interrogas hunc hominem, omnes infirmos in anima ſignantem, an ſalutem velit? Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum & eloquia tua caſta ſunt & vera, dignare huius ſecreti cauſam nobis pandere: iſte infirmus, quid niſi ſalutem & omnis peccator gratiam velle debet? Et cum Deus ſis omnia ſciens, quid opus eſt interrogare, quod melius ipſe noſti?

Verum eſt me in mundum veniſſe ſaluare quod perierat, & male habentibus medicinam ſalutarem, ſatis mei ſanguinis diſpendio, præſtare: & ita eſt me omnia ſcire, & ſcio non dubium eſſe quin homo iſte ſanitatem deſideret, qui iam tot annis tam pertinaci ſpe ſalutis piſcinam obſederat, nec toties fruſtratus animum deſponderat: tamen vt fidem iſtius & tolerantiam, circunſtantibus inſinuem interrogo, & vim morbi omnibus conſpicuam faciam: vt ipſe ore ſuo fateatur morbi deteſtationem, & quod habet in corde, ore omnibus oſtendat. Deinde interrogo, vt illum ad petendum inuitem: & vt doceam, me eſſe eum qui inuocatus iuuare poſſum & inde fiduciam magnam ſalutis concipiat. Ego diuinus medicus ſum & homo infirmus eſt peccator, & cum illum liberum creauerim, & coram illo poſui ignem, & aquam vt porrigat manum ad quemlibet illorum: aut ad ignem culpæ quo poſtea ardeat pœna, aut ad aquam gratiæ, qua poſtea gloriam obtineat: ſua voluntate indigeo ad ſuam ſalutem æternam, etiam ſi ad illius creationem non vocaui illum in adiutorium, Quia feci illum ſine ipſo, non tamen ſaluare volo ſine conſenſu ſuo. Vt illum maxime honorem, adiutorem meum faciendo, in tanto iuſtificationis opere. Vnde maxime timere deberet homo in huius infirmi ſtatum deuenire & in obſtinationem ob hoc tantum: Quia & ſi ego medicus infinitus ſum, ex parte que mea adeo leue & facile ſit grauiſsimam culpæ infirmitatem, ſicut leuem ſanitati gratiæ reſtituere: tamen quia ad honorem hominis ſic à me inſtitutum eſt, vt ad illius conuerſionem, etiam ipſe ſuo modo ſaltim non reſiſtendo, adiuuet, & vocationi meæ conſentiat: quando conſuetudi *Eccl.15 D.*

nis pondere, & obſtinationis habitu grauatur, & contrarium ſaluti impellitur ad faciendum: valde debilis eſt ad bonum, & magna difficultate poteſt adduci ad illud adiutorium quo indiget ex parte ſua: & iſta eſt obſtinatio, vnde oritur magna difficultas ex parte ſua ad conuerſionem.

¶ Valde notandum eſt hoc (meo iudicio) vt homo timeat in conſuetudinis prauæ baratrum incidere: quia ex parte ipſius difficilem ſuam reddit conuerſionem. Et quia homo libertatem habet à me datam, vt poſsit ſi voluerit per peccatum infirmitatem incurrere: & etiam hoc priuilegium à me accepit, vt ſocium adducam, ipſum ad iuſtificationis & ſalutis eius opus, ideo infirmum iſtum interrogo vis ſanus fieri. Et omni peccatori dico, vis ſalutem obtinere animæ neceſſariam, gratiam videlicet. Cum libere peccatum, quo anima tua infirmata eſt, commiſiſti, & iuxta meam ordinationem, ſalutem gratiæ ſine tua voluntate animæ tuæ conferre non poſsim, nec debeam: quia te liberum conſtitui, indigeo voluntate tua, ad te priſtinæ ſaluti reſtituendum. Adiuua me o homo, paruo conſenſu tuo ad ſalutem animæ tuæ neceſſario: & ego ſanguinem meum, mortem meam & merita ex parte mea certe ponam: ego libenter ſalutem tibi conferam, tu ipſe vis ſanus fieri? Vis adiuuare me tuo conſenſu? Vis mihi non reſiſtere ſalutem conferre volenti ſanguinis mei diſpendio? Te non indigeo o homo infirme, ad meam beatitudinem poſsidendam, imo neque angeli mihi ad hoc neceſſarij ſunt: tamen ob honorem meum & ne ſanguis meus fruſtra in te effuſus ſit, ipſe mihi neceſſarius es, & opus eſt mihi ad conuerſionem tuam auxilium tuum: obſecro te vt velis ſalutem animæ accipere à me, præbendo mihi auxiliũ conſenſus quo indigeo ex te. O Dei pietas & amor, o me dici diuini clementia, erga infirmum freneſi correptum & in peccatis obſtinatum: o peccatoris duritam & malitiam.

De vita Chriſti ca. 43.

¶ Sciut hic dominus (ait D. Bonauen.) requiſiuit infirmum ſi vellet ſanari: ita nobis ſine noſtro conſenſu ſalutem nondabit: & inexcuſabiles ſunt peccatores, non conſentientes domini voluntati, in diſpendium ſuæ ſalutis animarum. Vis ſalutem animæ tuæ o peccator, ſicut corporis ſanitatem? Quid eſt corpus in animæ collatione & comparatione,

niſi

niſi veſtis reſpectu corporis? Niſi vmbra, reſpectu veritatis? Niſi mendacium, reſpectu virtutis? Niſi terra putrida, reſpectu cœli? & falſum & caducum, in collatione veri & perpetui? Vt quid igitur tantam adhibes curam & diſpendium facultatum & laborem & deſiderium, vt corpus ſalutem recipiat, cras neceſſario à morte auferendam: & nullam ſolicitudinem laborem aut ſumptum, imo neque deſiderium aut ſitim apponis, imo neque Deo illam ſanare volenti conſenſum præbere vis, vt ſalus gratiæ illi ſubſequatur? Vis ſalutem? Vis ſanus fieri in anima o peccator, quam ſalutem ſi obtinueris & peccati morbo vltra non illam deſtruxeris: habeas ſalutem æternam, & viuas ſine culpæ morte in ſecula ſeculorum? Peto etiam ſi ſalutem cupis, vt deſiderium tuum ad gratiam, ſalutem ſcilicet animæ, obtinendam excitem: quia tale deſiderium, maxime deſidero in ſpiritualibus infirmis. Nam (vt ait Lyra) per deſiderium homo dignior efficitur ad dona Dei magna percipienda. Et verbis iſtis volo te inuitare ad me petendum ſalutem: quia deſidia ſua, & petendi negligentia, homines à me innumera dona non accipiunt: quanto magis animæ ſalutem, ob quam illis obtinendam, propriam vitam & ſalutem in cruce dedi, libenter petentibus & deſiderantibus ſtatim impenderem? State fortes in deſiderio, petite perſeueranter, & ſcitote me eſſe potentem & volentem ſalutem vobis conferre & ideo interrogo: vultis ſalutem infirmi in anima? creditis me eſſe qui ſalutem vobis concedere poſſum? Etiam: quia potens es. Creditis me bonum vt velim? Vt quid igitur parum quod in vobis eſt non vultis mihi præbere ad veſtram ſalutem animæ, conſenſum ſcilicet à parte veſtra neceſſarium? quia & ſi infirmus in corpore, inuitus poſſet medicinas neceſſarias ad ſalutem recipere nolens, ſalutem, & ſic nolens recipere illam: in anima tamen non contingit talis ſalus peccatori illam deteſtanti & nolenti: ſed deſideranti & petenti.

Bene poſſem ego diuinus medicus ſi vellem, te inuitum ad ſatisfactionem famæ aut facultatum alienarum adducere: potentia mea abſoluta, imo ad peccatorum tuorum deteſtationem: tamen nolo ordinariam viam à me inſtitutam, tranſgredi: vt ſcilicet voluntarie ad me conuerſus ſis

12.q.113 art. 10. in cor. & q. 112. ad secundum.

& medicinam optes, & motioni meæ consentias, ne conuersionem miraculosam expectes. Nam (vt D. Thom. sapienter vt omnia dixit) communis & consuetus cursus iustificationis est, vt Deus moueat interius animam, & homo motioni consentiens ad Deum conuertatur: primo conuersione imperfecta, vt deinde ad perfectam deueniat: quia charitas inchoata meretur augeri, vt aucta mereatur perfici: quandoque vero, tam vehementer Deus animam mouet, vt statim quandam perfectionem iustitiæ assequatur (sicut fuit in conuersione D. Pauli) adhibita etiam exterius, miraculosa prostratione: & ideo Pauli conuersio tanquam miraculosa in Dei ecclesia commemoratur celebranter, & non alia. Quia subito cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor eius à Deo, audiendo & addiscendo, & veniendo & vocationi assenticendo: quod fere idem Matthæo & Magdalenæ contigit. Non igitur ò homo, conuersionem tuam sic differas, & ad talem obstinationem peruenias: vt opus sit per miraculum tuam conuersionem facere. Ideo vis salutem animæ tuæ necessariam? opras illam? vis assensum mihi vocanti præbere?

Mendaciter igitur & falso imo hæretice, affirmant omnes quotquot audent dicere, opera bona nil valere prorsus in homine, & omnia esse immunda vt pannus menstruatæ: falsum est, nam si iungas opera tua gratiæ meæ illis beatitudinem obtinebis: & si consensum tuum vocationi meæ & præuenienti gratiæ adhibeas, salutem animæ consecutus eris. Vnum argentum mille aureis adiunctum, mille aureos & argentum valet. Et annulus plumbeus vnius asis valoris, si gemma pretio mille aureorum ornetur, mille auris æstimatur (vt alibi memini me dixisse) sic de operibus nostris est iudicandum. Vnde Dominus consensum ad salutem conferendam ab ipsomet infirmo petit dicens, vis sanus fieri? Da mihi plumbeum consensum tuum, & dabo margaritam gratiæ & salutis. Elice hinc, quanto feruore & bona operatione Dei auxilio vti deberes vt tua opera essent magnæ æstimationis, vnde multa debebas opera bona facere, Dei gratiam, qua perficiuntur

*Simile.*

*Fe. 4. Do. in pas. tex: opera quæ ego facio.*

ciuntur, conseruando, vt magna tibi præmia essent reseruata in cœlis, cum Deus tanti illa faciat: operamini dum tempus habetis ò homines in Dei gratia.

Vis sanus fieri paralitice? Etiam interrogo an salutem velis, vt inde maxime infirmitatem detesteris, & sic ad salutem per desiderium præpareris: sub indicans in hoc nullum hominem ab animi vitio & spirituali infirmitate à me sanum constitui, nisi morbum culpæ odio habeat: nec posse sanum fieri per gratiam, nisi prius languorem animi detestetur per contritionem, & salutem desideret per veram confessionem & satisfactionem. Vnde si à peccati infirmitate periculosa liberum te videre ò homo infirme cupis: necessarium est tibi (sine quo non) vt peccatum odio habeas: & infirmitatem & veterem hominem detesteris toto corde, & gratiam Christi ex animo desideres. Hoc est, vis salutem? Velle fieri sanum, quid est aliud, quam ægritudinem odisse & incolumitatem desiderare? Certe parum à te ò in anima languens, petit diuinus medicus, vt salutem maxime animæ vtilem accipias: nempe, vt morbum detesteris & salutem desideres. Quam amabilis, quam gratissimus quam ab omnibus desideratissimus infirmis, esset medicus salutem corporis omni infirmo conferens, duo tantum facienti: infirmitatem odienti, & salutem cupienti. Quid amplius à te peccator, Christus dominus vt salutem tibi tribuat requirit, animæ necessariam: quam vt peccatum detesteris, contritione & debito dolore, & gratiam confitendo desideres? Quis medicum talem non diligit, amplectitur, & in omnibus colit? *Simile.* *Simile.*

Vis sanus fieri ò homo, diu infirmitate correpte? Non est mihi curæ grauitatem morbi rescipere, adeo faciliter magnam infirmitatem & diuturnam, vt nouam & paruam (quantum est ex parte mea) sanitati restituo. Vilitas tua non consideratur à me, tantum pœniteat te infirmum esse & salutem desidera: in me potestas manet infinita, cui tam faciliter est, grauem vt leuem curare languorem. Discite hinc confessionum auditores, viles & pauperes, etiam grauissimos peccatores, iam de

peccatis dolentes & confiteri volentes non aſpernere, etiam ſi infimæ claſsis ſint: cum Deus pro omnibus mortuus ſit & ſalutem indiſcriminatim omni peccatum odienti, & ſalutem volenti vere, promittat libenter dicens, vis ſanus fieri? Imo talem ſalutem non petenti offert dicens, parum à te peto o peccator: non brachium vt ſciſsioni tradatur, non oculos vt eruantur, & caput vt ſcindatur, neque facultates: cum omnia mundi libenter pro animæ ſalute obtinenda deberes donare: ſed tantum à te requiro peccati deteſtationem & morbi odium in corde, cum deſiderio ſalutis, & propoſito confitendi. Primus ſalutis ſpiritualis gradus eſt, infirmitatem animæ agnoſcere, & agnita, medicum doctum & ſanare potentem quærere: & inuento infirmitatem animæ radices & cauſas aperire, & illi in omnibus obedientiam præſtare, & medicamina quantumuis amara reſtitutionis & ieiunij recipere: omnem corrupti peccati humorem euacuando, & cauſas recidiuandi auferendo, vt ſic ad priſtinam peruenias ſalutem. Omnia iſta facit homo, vt corpus eras moriturum ſalutem recipiat ad horam, & anima tua miſera non faciet talia vt ſalutem obtineat æternam? O infelices animę, quibus tam peſsima corpora contingit habere.

Non eſſet filius Dei magna clementia vſus erga infirmum iſtum, ſi poſt infirmitatem adeo fætidam & longam, dixiſſet illi, vis ſanus fieri? volo domine. Oportet igitur vt prius abſinthium comedas & fel bibas: & deinde, per annum integrum nil cibi, præter duas vncias panis & duas aquæ, recipias, & ſic poſt annum ſanus eris. Certe eſſet medicamen leue, & ipſe acceptaſſet hoc regimen. Nil tale impoſuit, ſed tantum vt ſalutem velit accipere deſiderio, & morbum deteſtari. O Dei pietas erga languentem peccatorem exercita, qui cum dignus eſſet inebriari abſinthio & felle draconum potari: & nil laboris erat hoc, dummodo ſalutem animæ acciperet: petis ab ipſo vt ſalutem deſideret, & culpam odio habeat, & auxilio tuo non reſiſtat? O peccatoris inſania, qui cum non debeat brachium dare aut pedem: ſed peccati deteſtationem, nec hoc vult Chriſto petenti præbere? Certe ſenſibus deſtitutus eſt omnis impœnitens. Si Chriſtus

*The.* 3. *B.*
*Deu.* 32. *E.*

hunc

hunc hominem fætidum in ſuis brachijs ſacris & pulchris & albis recepiſſet, vt poſt motionem aquæ in piſcinam immitteret: non eſſet magna in ipſo pietas? Quid facis delicate iuuenis ſimul & Deus? Non dedignaris neque abhores tangere iſtum infirmum putridum, tuis venerandis & albis manibus; ſi infirmus recalcitrans Chriſto reſiſteret manibus & pedibus, vt non immitteret illum in piſcinam, quid de illo pueri iudicaſſent? Omnes dixiſſent illi, maneas igitur infirmus & miſer in grabato putrido & horrendo, tam peſtilens & ingratus infirmus cum ſis. Ipſe peccator, nolens Dei manum & auxilium, ab ipſo oblatum recipere, ad ſalutem animæ tuæ, es iſte perditus infirmus & tuæ ſalutis immemor & inimicus: qui inſpirationi Dei, & concioni reſiſtis, quando brachijs miſericordiæ ſuæ in piſcinam ſanguinis ſui per pœnitentiam communicati immittere te vult, & interrogat, vis ſalutem? vis intromittam te in hunc diuinum fontem, manibus meis clauis tui amore confoſsis? Nolo: ſed manibus operationum & pedibus affectionum tibi obſtaculum ponere & recalcitrare. Infirmus merito & putridus manebis. Si non ſolum noluiſſes ſanus fieri, ſed inſuper medicum Chriſtum alapa culpæ ferires; non iam in ſpeciem freneſis te peruenisſe iudicabunt? quemadmodum (ait D. Baſil. in quadam epiſtola) ſi quis medicum reprehendat, ob id quod ſuper ægrotantium morbos incumbens, particeps illorum fætoris eſſet factus, vt decumbentes ægrotos reſtitueret, iudicandus eſſet inſanus: & ſi æger eſſet & nolet curari aut medicum percutiens, freneticus: ſic & ipſe peccator, videns oculis fidei, medicum cœleſtem in fætore diuerſorij naſcentem & præſepe non abhorrentem, & in caluariano loco in ter corpora damnatorum morientem, ob ſalutem tibi tribuendam: & non ſolum non vis ab ipſo gratis medicinam accipere, ſed irrides illum blaſphemijs, & percutis illum voluptatibus: freneticus es.

*Simile.*

*Epiſ. 141. fol. 622. Simile.*

Dices forſan ob talia à te dicta & ob Dei amorem, volo ſanus fieri in anima, tamen ſit in hebdomada ſancta, tunc reſtituam aliena, tunc infirmitates animæ meę grauiſsimas dete ſtatus ero, & ſalutem recipiam fatendo ſacerdoti mea delicta. Cum nullus de corporis ſalute ſic dixit, nec fecit, qua

re tanta hominum pars de animarum medela, talia opera si non verbo, affirmare audet? Quia corporum amatores, magis quam animarum & Dei sunt multi homines: imo omnes obstinati peccatores. Si Christus dixisset tibi peccator: in hac Quadragesima, volo infirmitates tuas in confessione audire: & in alia dicam tibi illarum malitiam & causas: & in alia medicinas tibi conferam, vt tandem in quarta salutem obtineas optatam: quid dixisses ad hoc? Vt angeli Deum ob tantum beneficium laudassent: quia ego non eram dignus nec vnde illi soluerem habebam: quia si mortuus essem ante secundam quadragesimam, quid peius mihi accidere potest quam id quod mea scelera modo expetunt? Audi igitur dominum tuum dicentem: vis salutem? Certe dabo non alio anno mense aut die, sed in hac eadem hora si culpam abhorres & salutem vis. Interrogo etiam an salutem velis & id quod scio quæro, & cuius tantum causa ad piscinam veneram: vt ore proprio infirmitatem confessus sis, & audiam te languorem fatentem, & salutem petentem, Vt sciat omnis in anima ægrotus, si salutem necessariam desiderat ore proprio oportere illum delicta sua confiteri. Es ne infirmus in anima? Hoc enim interrogo te, dicens vis sanus fieri? Ore tuo confitere peccatum: nam etiamsi sanare animæ infirmitates & sceleribus tuis sine confessione parcere possum, non tamen sine illa aut debito confitendi proposito volo. Affectas sanitatem? Odis infirmitatem? Argumentis contrarijs persequeris illam à quibus causata est? Pœnitet te comedisse nociua? Doles, te ambulare non posse de virtute in virtutem, neque vtilia comedere? Placet ne tibi sanitas? Vis esse in gratia? Potuit ne peccatum priuare te liberæ voluntatis arbitrio? Potuit ne culpa tua inueterata in illud obstinationis baratrum viuentem immergere te: vt tibi malum displicere non possit, nec iustitiam & gratiam velle? Magnum Dei donum homini collatum, vt liberum arbitrium viuens, etiam quantumcunque peccator, amittere nō possit: sed illo recte vtens & Dei auxilio

Simile.

xilio, etiam à dæmonibus semiuiuo relictus, potest odire culpas & gratiam desiderare, & obtinere: qua gloriam possideat perpetuam, & ego. Amen.

# Homilia Septima:

*Text.*

¶Domine, hominem non habeo.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

DOMINA mundi reginaque poli, salutem desideramus, & in vita hominem adiuuãtem raro videmus, sed ad malum multos inuitantes. Turba aquam voluptatis tuæ ô pecator, contritione debita, & surge iam ab animi infirmitate & à cõ suetudine inueterata, si sanus fieri cupis (ait virgo) nam in Sabbato & post hanc vitam non poteris grabatum accipere restitutionis rerum alienarum. Agnosce filium meum benefactorem tuum, ne statim post peccatorum absolutionem, illum obliuiscaris ad vomitum redeundo, declina à turba omnia turbante, si filium meum agnoscere per gratiam desideras, vt fide cognoscis. Venicito ad pœnitentiam vt sanus factus sis. Tu autem qui iam confessus es, ecce sanus constitutus es sanguinis filij mei dispendio: oro te ego mater Dei vt amplius in filium meum non pecces, & ego obtinebo ab ipso, ne tibi aliquid mali aut deterius contingat, sed omnia tibi prospera eueniant & à calumniantibus te sis ereptus. Ita nobis contingere non valent, sine Dei gratia, vtinam Virgo sancta illam à filio impetres nobis dicentibus,

Aue Maria.

Tex. ¶Domine, hominem non habeo.

DOminum vocat, quia Domini maiestatem præseferebat: & magnum Dominum se esse aspectu venerando & grauissimo ostendebat. Dominum vocat, vt beneuolentiam ad auxiliandum sibi captet, cũ ex interrogatione proposita, an vellet salutẽ, ansam & audaciã illi præbuerit in illũ cõfidendi, & ab ipso auxilium expectandi. Ac si dixisset homo iste: Domine, non deest mihi voluntas salutem obtinendi valde optatam, & certe etiam habeo spem ad illam perueniendi, quantumuis me veteranum languidum & horrendum conspicias, neque mihi deest fides virtutis piscinæ: deficit tamen mihi fœlicitas, quia homo nimis infelix ego sum, auxilio hominum satis indignus. Vnde cum à multis ad infirmitatem & malum expulsus sim, à nullo hucusque merui in piscinam primus immitti. Impedimenta salutis, reuera homines hominibus frequenter præstant, tam in animabus quam in corporibus, raros tamen inuenies hodie salutem animarum pro viribus & posse anhelantes sibi & alijs fratribus. Vnde etiam si volo salutem illam consequi non valeo, quia hominem adiuuantem non habeo.

Domine, nil magis quam salutem desidero, hominem alium extra te non habeo, adiuua ipse si potes: nam etsi verbis hoc tibi non dico apertis, imo neque audeam, satis subindico Dominum te vocando, & me homine altero carere affirmando. Quis tamen audebit aperte tibi dicere, expecta hic Domine, motionem piscinæ, vt me primum omnium in illam immittas? Tu iuuenis mundus, ego pollutus sum senex: ipse pulcher & sanus es, ego languidus & deformis corpore & anima: quomodo igitur audeam ad tale officium, tam speciosum & impollutum inuitare iuuenem verbis apertis? satis sit me hoc insinuare. Quia alium fateor me non vidisse, qui ita compati possit dolori meo & infirmitati vt mihi videris ipse. Quia aspectus tuus & verba tua, indicant te iuuenem misericordem esse: tamen Domine, si ipse mihi homo non es in auxilium, alium hominem ego non habeo. Domine Iesu, vere omnis homo peccator tibi dicere poterit, Domine, hominem non habeo præter te, qui possit ab infirmitate

animæ

animæ liberare me: quia ſine te nulli hominum hucuſq; ſalus cõtigit neq; in perpetuum alicui accidet. Vnde ſicut huic paralyti cõfortaſſe viſum fuit (vt ait diuus Chryſoſt.) id circo te illum interrogaſſe an vellet ſalutem, quia in piſcinam immittere illũ volebas, & ſi te miſericordia conciliare volebat dicens Domine: ita & nobis omnibus videtur, non coniecturaliter ſed de fide, te velle nos ab omni languore ſanos reddere, vt quid ad miſericordiam te verbis & operibus non flectimus Dominum & potentẽ ſimul pium & clementem confitendo?

¶Multa valde bona in iſto infirmo homine notanda ſunt, & ab omni homine imitanda: conſidera fidem eius in Chriſtum cõceptam Dominum vocantis & miſericordem cõfitentis, cum ſubindicet illum ſolum hominem habere ſibi, ad auxilium præſtandum. Quid cogitas fidelis, cum nondum talia de Chriſto Domino conceperis vt ille, neq; ſuam potentiam times, neque miſericordiã confiteris? Habuit etiam fiduciam ſanitatem conſequendi, quanuis tot annis fruſtratus fuiſſet, nec deſperauit, & animũ ſpopondit, ſed exemplo Abrahæ, contra ſpem in ſpem credentis filium inſenectute habituri: ſic & paralyticus noſter ſperauit ſe in ſenectute & veterata infirmitate ſalutem fore conſecuturum. Expecta Dominum ô homo, & in illo cõfide quantunuis veteranus & obſtinatus languidus in peccato iaceas, ſi pœnitere vis & vitã relinquere veterem: nam potentior in infinitum, medicus Chriſtus eſt ad ſalutem conferendam, quam ipſe fuiſti, ad infirmitatẽ animæ tuæ imponendam pertinaciter. Attende huius hominis erga alios charitatem ſibi prẽuenientes, & ante illum in piſcinam deſcendentes: quos minime impediebat neq; illis inuidebat, vt pauperes noſtri temporis erga alios ſe habent odio illos proſequendo, nec oculis illos videre volentes, ſicut peccatores multi, alijs obſtacula in via ſalutis ponentes, & bonis ſemper inuidentes, Vide inſuper iſtius patientiam, tot annis ſalutem expectantis, ſine murmuratione in Deum & homines: ipſe vero per horã non vales promiſſa à Deo expectare, ſed ſi infirmus es, & te maledicis & contra omnes iraſceris. Vide inſuper humilitatem eius qua motus non audet aperte auxilium petere à Chriſto, ob ſuam vilitatem & indignitatem, quam in ſe agnoſcebat: ſet velut alter publicanus non audebat forſan oculos ad Ieſum eleuare. Agnoſce miſeriam tuã o homo, & quam grauiter deliquiſti cõtra Deũ

*Rom. 4. C.*

*Luc. 18. C.*

peccãdo

peccando,& animam tuam peccato infirmando,vt ſic humiliter à Deo ſalutem petas,illum potentem & bonum, te autem infirmum debilem & peccatorem agnoſcendo:vt ſic ſalutem conſequaris optatam.

Iam quis homo in via exiſtens,tam graui obſtinationis morbo correptus poterit eſſe,qui audeat(poſt quam Dei filius homo fieri dignatus eſt vt nobis ſuam largiret diuinitatem) hoc verbū proferre, hominem non habeo? Si intelligis te non habere hominem in te quia vt iumētum in ſtercore tuo computreſcere non vereris,& brutis ſimilis effectus,nec morbum culpæ odio habere vis, neque à Deo ſalutem petere: patiar libenter vt dicas, hominem non habeo ratione vt decet vtentem cum me poſsideā. Tamen ſi extra te negas hominem habere,te adiuuare volentem & ab infirmitate tua liberare potentem,ipſe te feducis, & veritas in ore tuo & corde non eſt,& iam languor tuus prolixus, videtur te à ſenſibus alienaſſe.Poterat iſte paralyticus veraciter affirmare ſe hominem non habere, poſtquam Chriſtus illi dixiſſet: ego manum meam tibi porrigam , qua adiutus in piſcinam intres , ô Domine quo ſeruiam tibi. Expecta Pauliſper , amplius te iuuare volo.Brachijs meis in piſcinam intromittam,ô bone iuuenis & pulcher:polluam veſtimenta tua cū ſim immundus,noli me tangere.Nil ad te, hoc faciam certe & maiora: quia vt ipſe ſanus ſis volo infirmitatē tuam in me recipere & paralyticus in grabato iſto odioſo iacere: ita vt huc aut illuc me mouere non poſsim.O bone Ieſu nē talia dicas.Ego dico & faciam abſque dubio. Poterat tunc dicere hominem non habeo? Minime, ſed verbis &operibus Deum inceſſanter laudare debebat & hominem ſic ſe offerentem in auxilium ſuum.

O vtinam ego primus,qui maxime Dei auxilio indigeo&medicina gratiæ, deinde omnis homo languore culpæ percuſſus, iſta vt decet intelligeret, & intellecta gratias poſsibiles Chriſto domino verbo & opere iam ſanus tribueret, & amplius non auderet tale proferre verbum,hominem non habeo. Audi infirme, tot annis in grabato peccati iacēs(qui audes dicere hominem nō habeo,) Dominum Ieſum omnium ſalutem, interrogantem te, magno tuæ ſalutis deſiderio(vt qui ſanguine redemit te) vis ſanus fieri? Deteſtaris animæ morbum.Salutem gratiæ deſideras? Domine,hominem non habeo,qui me in pœnitentiæ piſcinam immit-

immittat,nam ego ſatis cupio me à tam graui morbo incolumē videre.

Quis talia dicere audeat,qui fidem eccleſiæ catholicæ habeat. Falleris certe ô homo peccator,hominem te habere negans,cum habeas (etiam in hac vita) multos religioſos ſanctos & ſacerdotes & prælatos iuſtos,imo & laicos bonos & amicos meos, qui ſuis orationibus & bonis operibus multum tibi adiutorium conferre poſſent,ſi tuis prauis operibus & conſuetudinibus inueteratis illis nō obuiaſſes. atque obſtaculum nō poſuiſſes. Habes & angelos multos,præcipue cuſtodiæ,in tuum miniſterium & ſeruitium miſſos: habes & hominem ſacerdotem vicem meam habentem,& poteſtatem te abſoluendi & ab infirmitatibus ſanandi,à me acceptam quando dixi,accipite ſpiritum Sanctum, quo rū remiſeritis peccata & ego Chriſtus remitto. Quid querelę tibi adeſſe poteſt de homine non habendo, cū habeas ſacerdotē vicem Dei habentē & ſanguine m meū in manu & lingua ſua poſſidentem,quo te abluat ab omni ſorde,& ab omni morbo facilli m e te liberet confitentem? Vere hominē habes qui tibi me Deū & hominem conſecrare valet ex mea ordinatione,& ſub panis accidentibus in cibum me tibi tradere, ſacerdotem nempe, quid dicis,te homine carere? *Ioan. 20.*

Si homines iuſtos ex parte tua nō haberes,ſi nec angelos, nec Dei miniſtros & prælatos, qua frōte auderes affirmare peccator ingrate,hominē te nō habere,cū me verū Deum & hominem verum,in adiutorium tuum habeas,quem vt talem fidevera me credis? Accipe manū meam vt ſurgas à morbo tuo,accipe opus meū meritoriū tibi,quo ſi vti vis vt decet ſalutē animæ obtinebis. Sed heu,quia extēdi manū meā & auxiliū, & meritū meū ad multos in anima languentes,& non fuit aliquis qui illam aſpiceret,recte ſe adiuuando: vt per Salomonem conqueror. Eia infirme, accipe vtramque manum meam clauis perforatam vt ſurgas à morbo culpæ: relinque mala opera ludos & furta & ſurge, Si hoc non ſufficiat,brachijs meis quæ in cruce extenſa habui ſubleuabo, te & amplexabor,& in piſcinam, non aquæ ſed ſanguinis mei & lacrymarum mearum, immittam, dummodo ſalutem animæ tuæ præbeam. Etſi parum tibi me in hoc facere videtur vt ſalutem obtineas, ſat tibi ſit ad cito à langore culpæ ſurgendum: me in grabato crucis, tanquam leproſum & paralyticum, fuiſſe *Pron. 1. C.*

clauis

clauis affixum, non valentem huc aut illuc me vertere. Et hoc non mouet te ad peccatorum dolorem?

¶ Nullus fidelis ab hac hora audeat amplius dicere ſe hominem non habere, ad animi lotionis adiutorium, cum habeat iuſtos homines & angelos ex parte ſua: habeat & hominem ſacerdotem vicem Dei gerentē ad vtilitatem ſuam: habet etiam Deū & hominem Chriſtum Ieſum illi parcentem, abluentem reficientem, ſubleuantem adiuuantem, ſeipſum homini communicantem. Væ tibi pagane, ſacerdote homine abſoluente à peccatis carens: vætibi Lutherane, Chriſtum Deum & hominem non habenti: quia eius ſponſam ſanctam ſcilicet eccleſiam tuis erroribus & vitijs violare contendiſti: & vt filius viperæ, viſcera illius & veros ſenſus ſcripturæ rupiſti. Dicat vnuſquiſque veſtrum hominem non habeo, cum à fide Chriſti alienus factus ſum. Tu fidelis, ne talia dicas, ſed toto corde & opere dilige talem hominē & Deū: tibi natū tibi paſſum & morientē, vt mors animæ tuæ occiſa ſit, & reſurgentem vt appareas cum illo in gloria. Egre dimini à malis veſtris & aperite oculos mentis & fidei o fideles & videte regem veſtrum, hominem veſtrum, & Deum verum, in crucis grabato valde grauatum & paralytico immobili ſimilem factum: proveſtra ſalute leproſi ſimilitudinem habentem, clauis pendentem, nec manus, nec pedes mouentem, ſed ob veſtra ſcelera & animæ infirmitates valde dolentem. Attendite illum ob infirmos infirmum, ob pullos ſuos raucum vt gallinam: ob homines pedes veloces habentes ad malum, pedes ſuos clauis confixos habentem. Videte illum ob luſores & fures & vſurarios manus grabato crucis ligatas: ob infirmos voluptatis vitio & luxuriæ cæcitate, videte dorſum eius ſacrum flagellis dilacerātum: vt quid inhoneſti dicitis hominem non habere adiuuantem ad vitia veſtra relinquendum? Videte ſuperbi hominem veſtrum & Deum caput ſpinis vulneratum habentem, ob elationes veſtras: quid dices blaſpheme, detractor, maledice, periure, quando appareat tibi Deus & homo, ingrabato crucis tui amore felle cibatus quondam, aceto potatus. Auari, hominem habetis nudum in cruce pendentem, vt aliena reddatis, & propria pauperibus tribuatis.

¶ Venite omnes peccatores Chriſti per fidem milites, qui per ſcelera veſtra crucis Chriſti inimici facti eſtis, accedite ad caluarium

rium ac si modo penderet in cruce homo vester cum sit Deus & dicite illi: Christe Iesu patris sapientia, Deus de Deo qui homo factus es ob nostram salutem & in crucis grabato distentus, & vulneratus iaces, medice animarum, qui herbis virtutem sanandi dedisti, vis sanus fieri? Vis tolli ab ipso grabato in quo iaces valde grauatus, & ex cuius dolore, & viscera matris tuæ vt piscinæ aquæ mota sunt? Cum clamore valido & lacrymis, & nō minimo dolore (videns tam grauissima medicamina ex parte mea languoribus vestris ò homines, spiritualibus applicari: & cum hoc semper in vitijs vos existentes videre & me solum in doloribus relinquere) respondeo vobis, me hominem non habere fere hodie in mundo adiuuantem me & Ecclesiam meam, in comparatione tantorum me & Ecclesiam persequentium, & fideliū peccantium. Vnde sicut tunc in cruce existens conquestus sum de amicorum derelictione: ita fere modo ad dexteram patris sedens, dicere possum, hominem non habeo, qui crucem meam libenter ferre velit: & me in reductione animarum ad patrem, & animas ad restituendas saluti adiuuet.

Vt tunc etiam modo considero ad dexteram vbi sunt fideles mei & video rarissimos cognoscentes me operibus & charitate in fratres, non est qui agnoscat me: si ad sinistram paganorū & hæreticorum fidem persequentium oculos leuo, nec vnus illorū agnoscit me, cum iam non habeat fidem meam qua sciebat me. Perijt fuga à me, quia ego solus clauis ligatus non fugi crucē, nō potiones amaras fellis & aceti, & mortis absinthium, ob hominum salutem. Vnde in crucis grabato vsque ad mortem iacui, & cum hoc hominem non habeo me quærentem, me adiuuantem in fratribus, me diligentem vt par erat: non est qui requirat animam meam, vt decet: sed vt auferant eam & culpis suis vitam meam occidant. Quibus minor dicēs, confundantur, & reuereātur qui sic malo modo quęrunt vitam meam vt tollant illam. Sustineo & expecto, quis simul contristetur mecum, de tantis in Deum iniurijs, & Ecclesiæ vilipensionibus, & sacramentorum meorum irrisionibus, & rarus est: & qui consolaretur me in pauperibus & infirmis & afflictis & nō inueni, quia omnes fere quę sua desideria vana sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Consolantem me quæsiui, & non fuit qui adiuuaret, vnde dolenter & vere conqueror, me hominem non habere, quia pauci sunt sani

*Psalm.* 141.

*Psalm.* 68.

in anima & infirmi ſalutē abhorrent. Hominē non habeo pau-peri panē porrigentē, mæſtū conſolantem, infirmos viſitantē: & quod magis ſentio hominē me nō habere, qui ſalutē animarū ſitiat, vt decet & infirmis in anima medicamina ſalubria applicet. Vtinā habuiſſem decimā partē hominū, ſanos infirmātiū & in culpas adducētiū. Hominē nō habeo, quia paucos ex parte mea habeo, etiā ſi ſemper reliqui mihi aliquos nō curuātes genua Baal & vitio, ſed in medendis animabus me adiuuantes.

Hominē non habeo, dicit anima patris tui in purgatorio exiſtēs, vade o homo, per cōſiderationē, & accede fili, ad animā patris & vxor ad animā coniugis in illis quinq; porticibus, & cruciatibus terribilibus purgatorij exiſtentē: & cū videas illam in grabato grauiſsimo ignis eiuſdē naturæ cū igne infernali: & nō poſsit dolenda anima patris tui huc & illuc ſe vertere, cum non poſsit iam ſe adiuuare niſi doloribus ſuis, cum iam locum merendi non habeat, & ſolatium à nobis illis debeat peruenire: accede ad animam patris o fili, & interroga illam: vis ſana fieri? Vis æternam ſalutem conſequi, anima paralyſi percuſſa? Vis ad gaudia peruenire æterna? Nil magis deſidero, tamen hominē non habeo ſuper terram qui auxilium particulare eleemoſynæ aut ſacrificij ad me mittat, vt egrediar à tam grauiſsimis cruciatibus, & à flamma iſta terribili qua crucior ad gaudium Domini mei. Non habeo te hominē ò fili, quia nec aliena quę reſtitui in teſtamento iuſsi, veris Dominis dediſti nec ſacrificia quæ fieri mandaui impleuiſti: non habeo hominē in teſtamētarijs quos reliqui: non in vxore: nō me hominē habeo, cū iam ſatisfacere, ſine merito, cruciatibus meis debeā: ò dolendū verbū. O crudeles filij, ò tyranni teſtamentarij, ò patres immanes, & quicunq; homo aut mulier habēs in grabato purgatorij animam ardētem: & non cito illam liberā ſuffragijs & ſacrificijs faciēs, quā grauis hæc iniuria eſt quam illis irrogatis, teſtamenta non adimplendo & pro viribus & poſſe à tam graui igne nō liberādo. Cauete ò homines, quia reuera ſi Deus animam patris tui interrogat, in purgatorio exiſtentē, vis ſalutē æternā? Doleo de te in tā graui grabato exiſtente, tot diebus & menſibus. Dñe, hominem non habeo, nec filium fidelem nec vxorem, nec teſtamētarium, niſi
Apoc. 6. C. te Deum verum & hominem adiuuantē me. Vindica domine ſanguinem meum, & dolorem quē patior, de his filijs aut teſta-

menta-

mentarijs qui ſunt ſuper terram, & mihi nullum refugium, ex facultatibus meis mittentibus. Audite hæc qui obliuiſcimini Dei & animarum in purgatorio exiſtentium, quia te vera exigenda eſt à vobis grauiſsima ratio, tanquam iniuſtis, & parentibus ingratiſsimis, & Deo infidis: implete citò teſtamenta & legata.

Quam fœlix filius erit corã Deo, & hominibus dilectus, quicunq; ſolicitudine nõ pigra, animas parentũ, fratrum, aut ſororum, aut filiorum in purgatorio exiſtentium adiuuauerit, & ſacrificijs, & eleemoſynis refrigerium præſtauerit: re vera & ipſe inueniet ſolatiũ hic & in futuro. Quia valdè torpentes in hoc fideles video, & in teſtamentis adimplendis negligentes, & parũ adiuuãtes animas citò beatificandas in cœlo, & modo in purgatorio cruciatas. (Videte quomodo ſoluent dum in regno Dei reges coram Rege ſint his qui illas adiuuarũt) & quia diligo illas: viſum eſt mihi, hanc Danielis figuram hic intexere, deſideràs me ipſum, & omnes fideles monere ad animas ſanctas in purgatorio exiſtentes adiuuãdas orationibus & eleemoſynis: & præcipuè ſanctiſsimo altaris ſacrificio, in quo filius Altiſsimi offertur patri, & immolatur agnus ſine macula: vnde magnum refrigerium, & ſolatium, & ſatisfactio animabus prouenit.

Quia Bel deſtruxit Daniel, & draconem interfecit, & ſacerdotes occidit, miſſus fuit in lacum leonum ſeptẽ, vbi fuit diebus ſex ſedens in medio leonum, ſine hoc quod tangerent eum. Dixit Angelus Dñi prophetæ Habacuc: fer prandium, quod meſſoribus tuis coxiſti, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. Domine, Babylonem non vidi, & lacũ neſcio dixit Habacuc. Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylonem ſuper lacum, in impetu ſpiritus ſui. Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel ſerue Dei, tolle prandium quod miſit tibi Deus. Et ait Daniel, Recordatus eſt enim mei Deus, & non dereliquiſti diligentes & quærentes te, ſurgenſq; comedit. Audiſtis quo modo Daniel quia draconem occidit, & deſtruxit Bel, & malos ſacerdotes interfecit, in lacum leonum iniectus eſt? Hoc idem hodie contra verũ concionatorem, ſi non opere, lingua & odio contingit, ſi in auaris Deum Bel quem adorant ipſi deſtruere conatur, illos ad reſtitutionem inuitando, & falſos contractus & vſurarios propalando, & eos vſurarios vocando: occidatur *Dan. 14. E. F. G.*

Daniel in lacum leonum mittatur. Si draconem omnia deuorã tem vitium nẽpe voluptatis interficit, & grauiter adulteros publicos arguit & lenones: caue Daniel nã in periculo magno vi-ues. Heu tamen, si scripto aut lingua sacerdotes malos & religiosos proteruos & seculo deditos carpere audet, & corrigere Dei amore & dignitatis zelo non veretur. Præpara te Daniel & concionator quisquis es ad tentationem & persecutionem & sta in iustitia & timore Dei; & ne arguas illos ob vindictam tui: sed modeste increpa illos vt sani sint in operibus, & dignitatem suã intelligant, & cum hoc etiam in lacum leonum & detractionũ missus eris Dominus erit tecum, & nil mali ab huiusmodi leonibus tibi euenire sinet. Bor os sacerdotes, & religiosos humiles, in corde meo illos reconditos habere velim: nil mirum si toties in his scriptis ad Dei ministros loquar (vt officium suum vt decet peragant) distractos corrigam & increpẽ meipsum prius feriens: quia reuera salus Ecclesiæ, post Deum, multum ab eius ministris pendet.

*Eccli. 2. A.*

Daniel in lacu leonum existens, est anima patris aut matris tuæ, aut quælibet alia in lacu purgatorij existens inter leones, cruciatus nempe igneos & crudeles, quia non possum mihi sua sum facere ibi Dæmones tortores existere inter animas fideles & sanctas. Quia cum in hac valle lacrymarum, Dei adiutorio, boni vicerunt malignos, post vitam non debent tradi manibus eorum ad torturã, ne vindictam aliquomodo de illis acciperent. Esset enim animabus sanctis præ alijs tormentis acerbum ab illis puniri quos in prælio sub Dei vexillo proq; eius legibus tuẽ dis dimicantes prostrauerunt. Quare (vt ait Magister Soto) neque diuinam bonitatem hoc permittere decebat: neque etiã Angelos sanctos decet animas torquere quas cito socias in cælo debent habere. Sed per ignẽ solũ Deus animas castigat in purgatorio, & est pœna quam quilibet in purgatorio patitur adeo grauissima, quod homo mortalis in hac vita, nõ posset illam citra mortem tolerare, sed quia illic est supernaturalis, incorruptibilis anima eam ferre valet: vide in quo lacu sit anima patris tui.

*4. D. 19. q. 3 art. 2.*

Propheta Domini, nẽpe sacerdos, parat prandium corporis & sanguinis Christi quotidie in altari, pro nobis messoribus & adhuc viatoribus: tamen accede ad illum & offer munus tuum illi & dic, Domine sacerdos, fer prandiũ corporis Christi, quod messo-

meſſoribus parare vis, ad animam patris mei in lacu purgatorij exiſtentem. Hoc eſt te Angelum Domini, nempe ſacerdotem, vno crine, hoc eſt vna intentione & applicatione cibum diuinum animæ patris mei portare, quia eleemoſynam tibi præbeo. O quoties Angelus dixit tibi ô homo, fac vt ſacrificium altaris patri tuo applicetur, non ſex diebus illic exiſtenti ſed mensibus & neſcio annis, & reſpondiſti, Babylonem & confuſionem infernalem non vidi: & lacum purgatorij neſcio, nec de patre meo illic exiſtente cura eſt mihi. Non aliquando forſan, ob hoc ſolum, neſcies lacũ purgatorij hominibus reſeruatum, ſed Babylonem videbis Diabolis paratam: ſi à peccato non ſurgis & defunctos non adiuuas. Qui in labore hominum non ſunt, ideſt in pœnitentia vera cum hominibus ratione vtentibus & de peccatis vere dolentibus: cum hominibus in purgatorio, non flagellabuntur (ait Dauid) ſed in Babylone cum damnatis. *Pſalm. 72.*

Si tamen in nomine tuo cibus ſacratus altaris offertur pro patre tuo: magno gaudio Angelus Domini accedit ad lacum & animæ patris tui dicit. Daniel, anima Dei ſerua & deſiderio gloriæ plena, gaude & lætare, & accipe refugium magnum, & tolle prandium, & auxilium quod Dominus per manũ ſacerdotis ad te mittit, nempe ſatisfactionem officio ſacrato altaris correſpondentem, vt pœna tua remittatur, quo ad intenſionem & extẽſionem, & forſan vt totaliter exeas. Quia, vt ait Altiſsiodorenſis vnũ mirabile verbum (vt refert Viguerius vbi hanc Danielis figuram etſi ſummatim tangit) quod nunquam miſſa celebratur, quin aliqua anima à purgatorio exeat & liberetur. Et quis iuſſit illud ſacrificium offerri pro me? Filius tuus aut vxor eleemoſynam dedit. O benedictus Dominus Deus Iſrael, qui tali me cibo viſitauit, & benedictus ſit ſacerdos qui obtulit, & Deus ſoluat tale refrigerium filio qui offerri mandauit & mei recordatus eſt. O bone Deus qui non derelinquis diligentes te & toto corde quærentes. Infœlix tamen filius de quo pater conqueritur in purgatorio exiſtens ad Dominum dicens: hominem non habeo Deus meus, qui mei doloris recordatus ſit: neque ex tot facultatibus meis, quas in defeſſo labore acquiſiui, argentum in eleemoſynam dare vult vt ſacrificiũ mihi offeratur. Per ſanguinem agni paſchalis fuerunt filij Iſrael à tenebris magnis liberati, & habuerunt hominem, Moſem nempe, in ducẽ: & ego in te *Cap. 16. §. 3. ver. 18.*

nebris purgatorij exiſtens igne miſtis, cum ſit ſanguis Chriſti in Eccleſia, non habeo hominem mihi illum applicantem, niſi in communi, vt hinc liberatus in cœlum aduolem?

O anima horrenda in tenebris infernalibus exiſtens, væ, & væ tibi ſemper, quę verius quam alia creatura hoc verbum dicere potes, hominem non habeo in hoc triſtiſsimo carcere manens, & in grabato grauiſsimo iacens. A quo impoſsibile eſt vt motus ſim ad aliquod refrigerium: quia paralyticus homo ego ſum putridus. Vis ſanus fieri homo infernalis? O quantis gemitibus mihi reſpondet: hominem non habeo iuſtum pro me orantem: hominem ſacerdotem non habeo me abſoluere valentem: imò nec hominem Deum habeo in auxilium mihi, niſi in iudicem terribilem nolentem iam ſanguinem ſuum mihi applicare: hominem non habeo in cœlis neque in terris, nec mulierem, Eccleſiã nempè, aut Dei matrem. O ſtatus infœlix, quem tuo peccato acquiſitum habes, ô damnate, & meritò cum in via noluiſti ſanus fieri ſanguine Chriſti & paſsione eius, cum Deus & homo libenter auxilium tibi promittebat. Ipſe homo viator, ne deſperes, ſed quantumuis peccatorum pondere preſſus ſis, & veteranus infirmus: ſcias te habere hominem abſoluẽtem à peccatis, & Deum & hominem in medicum. Time tamen in obſtinationis ſtatum deuenire, quia re vera veritas facti eſt, vt homo diuturne peccator, difficulter habeat hominem iuuantem ad gratiam, & ad ſanitatem conſequendam, quantumuis iuſtum: cum Dei auxilio & particulari (vt dictũ eſt) indigeat: quia quãuis multum valeant ad peccatoris conuerſionem iuſtorum orationes: ipſis omnino ſe priuat peccator indeficiens, & nolens prauas relinquere vias ſuas.

Tex. ¶ Vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.

FOELIX anticipatio ad virtutem, & fœlices qui ad ſacramenta curant prius currere, & alios præcedere: ad abluendas maculas & in meritis proficiendis. Turbat Deus aquam voluptatis tuæ cum doceat te in cœno volutari, vt aquam mundã quæras,

quæras, Dei nempe gratiam: alias quid opus erat aquę turbatione, cum mũda melius abluat? Etiam vt captiues intellectum in Christi obsequium, quando videris rebus sensibilibus virtutem inuisibilem secretius sacramenta operari. Et etiam vt turbatam peccatoris denotet conscientiam. Anima mea turbata est valde põdere peccati pressa (dicebat Dauid) sed tu Domine, vsq; quo non turbas illam contritionis motione? Primus contritionis gradus & conuersionis, est talis motio à Deo proueniens. Commouisti terram, scilicet, animam meã terrenis desiderijs deditam: & conturbasti eam, ostendendo magnitudinem culpæ, sana cõtritiones eius venia & gratię medicina, quia commota est & doluit de infirmitate, cupiens salutem. *Psal. 6.* *Psalm. 59.*

Turbabit etiam aquã piscinæ Angelus, vt scias Dominum opera sua sub cõtraria specie exequi, vt vitã nostrã operatus est per mortem suam, & gaudiũ per tristitiam: & hoc facit vt rationem nostrã confundat, & intellectum nostrũ in obsequiũ illius subdamus, & vt sciam⁹ Deũ omnia posse. Vt Eliseus sale aquas sanauit, cum sal aquæ mixtũ sterilitatẽ afferat: & turbida aqua signat aduersa quę ad nos Deus immittit vt ad eum reuertamur. Vtinã & nos assequamur sanitatẽ qui dissoluti sumus (ait Theophylactus) & ad omne opus bonũ immobiles, neq; habemus hominem, hoc est humanam rationem, vt pote comparati iumentis insipientibus. Ingrediamur ergo in piscinam pœnitentiæ, & lacrymarum: nam qui primus ingreditur sanatur, & qui pœnitentiam differt in tempora posteriora, nec festinat hic pœnitere sed procrastinat: in magno periculo salutẽ consequendi animã suã ponit. Festina igitur prim⁹ ingredi, ne mors prę occupet: angelus magni consilij Christus Dominus turbat hanc piscinã: nam nisi tetigerit cor nostrum, diuinum verbum, & turbationẽ fecerit in illo, propter memoriã futurorum suppliciorum, nunquam efficax erit piscina ista neq; sanitas erit animæ dissolutæ. Beatus qui audit verbum Dei ad gratiam, & custodit illud ad gloriam. Amen. *4. Reg. 2. D*

# Homilia Octaua.

¶Surge, tolle grabatum tuum & ambula. *Text.*

IEsus autem delectatus hominis tolerantia, qui quod plerique calamitosi solent, non vociferaretur, non deuoueret seipsum, non execraretur diem in qua natus esset, nec offensus interrogatione Iesu an vellet sanus fieri, clamaret sese ab eo haberi ludibrio: simulque commotus Dominus tam pertinaci spe salutis adipiscendæ: denique & volens ostendere, & eos qui motu piscinæ sanabantur, sua etiam virtute sanari: sibique in promptu esse solo nutu omnes & corporum & animorū morbos posse tollere, dixit, surge, iam diu enim quieuisti in horrido isto lecto miser & infirmus, tolle illum & porta ipsum: surge iã post quã tanto tempore iacuisti in tali strato. His verbis potestatem ostẽdo diuinã qua dixi & facta sunt omnia creata: & quod ipse virtutem piscinæ dedi, qua ad sanandum non indigeo: quia virtus mea non alligatur sacramentis sanctis Ecclesiæ, à me institutis quanto magis piscinæ. Surge sine lotione piscinæ, vt omnes sciant me Deum semper plura præstare quam homines sperare valent: vt tibi modo contingit auxilium mittendi in piscinam expectanti ad corporis salutem tantum: & sine aliquo labore, totum te hominem sanaui, spiritum & corpus. Sciant homines in me patienter sperare recte operando, quia absque dubio maiora accipient: vt Iob, Tobias, & Ioseph, si non in corpore, tamen absque dubio in anima.

Surge à peccato, à lecto consuetudinis, à putredine voluptatis, à consortio infirmorum & à peccatorum societate, & à tam infami & graui infirmitate obstinationis ò homo ad Dei similitudinẽ facte. Iacet certe aut sedet, cui de surgendo mandatur: iacet qui cecidit in peccatis: sedet qui à pigritia damnosa detinetur: præceptum datur diuturno & peccatori longæuo, vt surgat si male se cecidisse cognoscit. Surge adiuãdo me Deũ te subleuare à culpa volentem, mea gratia vt decet vtendo & vocationi meæ vt decet assentiendo. Vtrunque (vt diximus) simul requiritur, & meum auxilium, & tuus bonus vsus liberi arbitrij: ipse certe per te surgere non vales à peccato: quia si ceciderit lignum ad austrũ aut ad aquilonẽ, inquocũq; loco ceciderit, ibi erit (ait Salomõ) si ceciderit spiritus & à corpore discesserit ad austrũ charitatis & caloris, gratiæq; in cœlũ ibit & illic erit perpetuo: si tamẽ ad aquilonẽ peccati, & ad malitiæ frigiditatẽ, in inferno erit locus

*Eccle. 11.*

cus eius, & ſemper ibi erit. Ita & de gratia dicẽdũ eſt & de peccato, ſi homo ad auſtrũ gratię venit, quantũ eſt ex parte gratię, in illa debet permanere. Si tamẽ ad aquilonẽ culpę ceciderit, impoſſibilis eſt homini regreſsio & ſurrectio ad gratiã virtute propria facienda, ſi Deus ſuo auxilio nõ dicat ſurge, & homo illo bene vtatur. Si homo lignũ aridũ per culpã, ad auſtrũ auaritiæ aut luxurię (quæ faciũt animam æſtuare præcaumate) ceciderit à gratia & à ſtatu felici: aut ad aquilonẽ ſuperbię vbi Lucifer diſpoſuerat ſtatuere ſedem ſuam, aut inuidiæ quę frigidam animam facit: ibi manebit, non valens perſe reſurgere, vt cadere potuit, niſi Ieſu potentia ſubleuetur, vt in iſto languido patet.

O magna Dei pietas, ò ineffabilis amor, adhuc peccator in malitiæ ſuæ grabato iacet, adhuc in ipſo peccati actu perſeuerat contra Deum: & Deus optimus accedit ad illum & loquitur illi, & adiuuat, & dicit, ſurge & ego adiutricem meam manum tibi porrigam? Si non eſſes peccator ſenſibus deſtitutus, non tibi ſat erat hoc, ad peccatum relinquendum & Deum valde diligendum: bonitatem eius conſiderando, qua ſe tibi (inimico eius & illum perſequenti & in peccati grabato iacenti, & actu illum offendenti) beneuolum & adiutorem, & defenſorem & auxilium dantem ſe præbet? Hac conſideratione ductus, quidam frater eremi iam in baratrum malorum veniens ad ſe reuerſus eſt (Deo auxiliante) & Deo ſeruire diſpoſuit referente Diuo Anto. *P. 2. hiſ. tit. 15. ca. 12. §. 7*

Iſte frater impugnabatur à ſpiritu fornicationis, & veniens ab eremo ad locum & vicum Ægypti: vidit filiam cuiuſdam ſacerdotis paganorum, & petijt eam à patre in vxorem: qui dixit, volo prius conſulere Deos meos. Abijt ergo ſacerdos, & conſulens Deum ſuum Diabolum, ait: monachus vult filiam meam, dabo eam ſibi? Qui reſpondit, ne des illam ſibi, niſi prius renuntiauerit Deo ſuo, & baptiſmo, & propoſito monachi. Quod cum ſacerdos retuliſſet fratri illi, ipſe ad omnia cõſenſit. Nã qui prius ſatanę & operibus eius in baptiſmate abrenuntiauerat, poſtmodum baptiſmo & ipſi Deo vt per idus. Vnde ſacerdos vidit quaſi colũbam de ore illius monachi egredientem & in cœlum aſcendentem. Et iterũ conſuluit ſacerdos Dęmonem, an deberet filiã illi tradere, qui reſpondit, ne dederis ei, quoniam adhuc Deus ſuus adiuuat illũ: & rediens hęc omnia *Exemplum.*

dixit monacho. Tunc compunctus monachus ait: væ mihi peccatori, Deus meus reddidit mihi bonum pro malo? Ego tam grauissima scelera contra illum perpetrans, & ipse adhuc in ipso actu proditionis existentem adiuuat me? Nolo amplius peccare: sed gemitu & dolore ad illum me conuertere: & sic cuiusdam senis consilio ductus pœnitentiam egit: & meruit columbam iterum videre intrantem os eius, quam prius amiserat: scilicet gratiam Spiritus sancti. Quis est homo hoc audiens, qui non agnoscit sic se habuisse Deum erga illum quantumuis bonus sit & iustus. Ipse Deum offendebas, Deus adhuc adiuuabat te: ipse in peccati grabato es & Deus respicit te, defendit ne te Dæmones occidant: cum eius inimicus sis, dicit tibi surge à malitia contra me habita & ego auxilium meum tibi conferam. Quis adeo obstinatus est & peruersus & sic Deo abrenũtiauit, qui non sit cum monacho isto compunctus, & surgat statim ab omni culpa: saltim quia tantam Dei bonitatem videt?

Surge à peccato si vis sanus fieri (medicus diuinus ait) ò peccator, & sine piscinæ balneatione & sine cauterio & amara potione: tantum de infirmitate spirituali dole, & delicta confitere, aliena redde, sine sumptu medicinarũ ex parte tua: etiã si mihi stet sanguinis mei, tua salus à me danda. Surge ab infirmitate si vis salute gratiæ stare, ait Diuus Basil. quẽadmodũ enim fieri non potest vt quis sanitatẽ recuperet, morbo nõ immutato, aut calidus fiat si non penitus quieuerit à refrigeratione: hæc se vicissim recipere nequeunt: quod alter dicebat, contraria nõ possunt esse in eodem subiecto. Sic & eum qui sanctam vitam actu rus est, oportet ab omni malo prorsus abhorrere, & abomni culpa surgere vt sanus fiat. Surge iam tandẽ homo saltim quia Deus imperat. Tolle grabatũ tuum: primo vt miraculũ reddatur celebrius: quia videntes homines infirmum onera portantẽ, de mẽbrorum fortitudine & robore certiores fierent: deinde vt alij cautsam quærerent facti in sabbato talia videntes. Græce crabbatos, idem quod lectus pauper aut paruulus: latine grabatus dempta vna, B, vtà laccos lacus: & in Græco prima est longa & latine breuis. Tolle igitur & tu peccator, grabatum, memoriam scilicet & confusionem peccati tui, quam omnis conuersus ad Deũ tenetur accipere secumferens. Tolle etiam grabatum, ideſt, conscientiam pessimam in qua velut in lecto quieuisti quiete, ob tẽ po-

*Ora. 4. de pœniten. Simile.*

poris distantiam magnam : & modo sit illa supra te, & torqueat cor tuum, quia in me Deum verum peccasti.

Tolle grabatum super te, qui aliquãdo tenuit ipse te: vt scias te de peccato dolere per satisfactionem veram pœnam debitam habendo, qui ab ipsa culpæ delectatione suffultus, quando peccasti fuisti. Videte quomodo etiam si Dominus hunc hominem absoluit â culpa, pœnitentiam ei iniungit salutarem, nempe vt grabatum portet: etiam si vtrumque poterat Christus facillime remittere & culpam & pœnam, isti dixit tolle grabatum, & cæco vade in natatoria Siloe. Vt ne mireris si post culpã tibi in sacra pœnitẽtia dimissam, maneat satisfactionis pars tibi soluenda, post illam quam sacramentum tulit, contritio, atque confessio etiã: nisi sit tanta contritio, quæ omnẽ tollat pœnã: vt creditur de Magdalena, ait magister Soto inde natura & gratia. *Ioan. 9. A.*

Peccator duplici ligatur vinculo culpæ & pœnę, scilicet vt inimicus sit Deo, & deinde pœna dignus: & ab vtroque absoluitur per Dei gratiã: at quia misericordia Dei nunquã est sine iustitia, quanuis in cruce sufficienter, & meritus fuerit & satisfecerit pro omnibus peccatis totius mũdi: efficaciter tamẽ, noluit singulis applicare, aut meritũ aut satisfactionẽ, nisi quatenus vnusquisq; libere assenserit & cooperatus fuerit adiutorio ipsius Dei. Et sic vnicuique pœnitenti & gradus gratiæ, iuxta conatus proportionem eius datur, quo se conuertit, & etiam eadem proportione remittitur illi de pœna temporali de æterna commutata. Vnde Leo primus (cui in cõcilio Chalcedonensi à sexcentis triginta patribus, referente Theodoro Foroliuiẽsi, ter sanctus, acclamatum fuit) dicit: mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent: & salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum, per ianuã reconciliationis admitterent. Tolle igitur grabatum pro pœna satisfaciendo & pœnitentiam adimplendo, cum iam per sacramentum culpa dimissa sit: alias aut hic aut in purgatorio debes pro illa satisfacere. *L. 3. cap. 6.*

Nunc ergo audi obsecro (dixit Ieremias regi Sedeciæ) Dñe mi rex, valeat deprecatio in conspectu tuo: & me nõ remittas in domũ Ionathã scribæ vbi est carcer & domus laci & ergastulũ, ne moriar ibi. Præcepit rex vt traderetur in vestibulo carceris, & da- *Iere. 37. D.*

& daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento. Qui libet in mortali exiſtens eſt damnatus ad carcerem inferni ſecundum præſentem iuſtitiam: ſi tamen reſipiſcit, Dei auxilio, & à peccato ſurgit, dicit Deo: audi Domine mi rex, valeat deprecatio mea, ne me remittas in domum infernalem ne moriar ibi pœna æterna in carcere damnatorum. Sit ita, quia meo auxilio de peccatis doluiſti & de grabato ſurrexiſti. Tamen eſto in veſtibulo carceris, nempe in purgatorio: ſi hic pro pœna non ſatisfeciſti. Quia eodem igne torquentur & purgatorium eſt locus magis coniunctus inferno quam alius, ideo dicitur veſtibulum carceris. Detur tibi torta panis, ſcilicet, eleemoſyna pro te oblata, aut ſacrificium altaris per modum ſuffragij: tamen non dabitur tibi pulmentum gloriæ vſque dum ſoluas vltimum ſatisfactionis quadrantem: & hoc eſt tolle grabatum: dimiſſa culpa ſatisfacere pro pœna te oportet.

*Seſ.14.ca.8.* Nam (vt noſtrum ſacrum Concilium Tridentinum de ſatisfactionis neceſsitate & fructu dicit) diuinã clementiã decet, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij, & contumelioſi Spiritui ſancto in grauiora labamur, Theſaurizantes nobis irã in die iræ: Proculdubio enim magnopere à peccato reuocant & quaſi freno quodam coercẽt, hæ ſatisfactorię pœnæ: cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitioſos habitus, male viuendo cõparatos, contrarijs virtutũ actionibus tollũt. Hęc eſt via ſecurior ab Eccleſia exiſtimata: & Chriſto in hoc valde conformamur, dũ ſatisfaciẽdo patimur, vt ipſe pro nobis paſſus eſt.

*Simile.* Pia mater & prudens, quando filium ſuum cadentẽ & ſe vulnerantem videt, prius vulnus ligat & linit, deinde flagellat ipſum ne iterum ad caſum redeat. Sic filius Dei ſanat languidum & ei pœnitentiam iniungit vt grabatum tollat: & abſoluit peccatorem à culpis & ei pœnitentiam ſatisfactoriam iniungit. Diſce ſacerdos cõfeſsiones audiens, prius leniter vulnera peccatorũ tractare & te mollem illi pœnitenti & confitenti præbere & morigerum: quouſq; omnia peccata eduxeris ab ipſo, & tunc doce pœnitentem, argue grauiter & increpa peccatorum malitiam illi oſtendendo, & iniuriam magno Deo factã & pœnã quã pro ſuis delictis illi patiendum erat, iniungendo pœnitentiam

ſalu-

salutarem. Vnde absurdissimum est quod ab aliquibus confessoribus fit (vt audiui) nempe pœnitentem peccata fateri incipientem terrere, & miracula facere, & in cœlum oculos leuare, & dicere, ò cœlum quomodo non ruis? Vnde miser peccator timidus redditur, & ad alia peccata forsan grauiora vltra procederetimet. Crudelis mater & idiota confessor es, imo lupus abigens oues, ne ad pastorem Christum reuertantur: de quo valde stomachatus fuit Diuus Dionysius contra Demophilum vt patet in epistola quam ad illum misit: stulta mater quæ prius filiũ vulneratum flagellas & absterres: quam vulneribus medearis, vnde fugit ante medellam.

Hoc diuine docet Diuus Bernar. in sermone ad Militem, de bethphage tractans: quamobrem (inquit) ministros verbi sacerdotes, caute necesse est ad vtramque vigilare partem & solicitos esse: quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo confessionis exterreant, sic corda aperiant vt ora non obstruant. Audi igitur patienter pœnitentem vsque in finem, & post quam omnia delicta sua ab illo extraxeris increpa eum dure vt sanus sit in fide & opere & legitime satisfaciat vnicuique quod suum est: totis viribus intendẽdo, ne in recidiuum cadat, & peccandi occasiones radicitus euellat, consuetudines iurandi, aut maledicendi, totaliter auferre cura, & ne iniustis contractibus vacet. Tunc impone illi pœnitentiam salutarem, nec grauissimam vt adimpleat, neque leuissimam vt nõ peccata cõtemnat, & pro nihilo ducat committere delicta quæ tam leui & irrisoria pœnitẽtia deleri quo ad satisfactionem videt & à te imponitur. *Cap. 12.*

Debent ergo sacerdotes Domini (ait Tridentinum concilium vbi supra) quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere: ne si forte peccatis connniuerint, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur: quando pœnitentes ob leues pœnitẽtias non verentur ad peccata priora redire, & non satisfaciunt vt decet. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam (etiam si hic debeat

beat esse præcipuus confessarij scopus & finis) & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: ò confitendi officium quam graue es, & quam multis te exercens indiget.

*opus.65.* Sit sacerdos ita cautus (ait D. Tho. opusculo de officio sacerdo-
*Num.20.* tis) vt nõ imponat pœnitentiã ita grauẽ & austerã pœnitenti: vt totũ dimittat: sicut adolescens qui fascẽ deiecit à tergo, quem super humeros portare nõ potuit. Nec ita leuẽ imponat vt peccator delictũ contẽnat, & vt ex leuitate pœnitentiæ relabatur libẽtius ad peccatum. Faciat ergo quoddã temperamentũ ex misericordia & seueritate, vt pœnitentia non sit nimis dissoluta, nec
*Lib.19.cap.* nimis rigida. Ait D. Grego. in moralibus, & habetur in decretis:
*16.in Iob.29* sunt nanque nonnulli ita districti, vt etiam omnem manſuetu-
*D.45. capi.* dinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita manſueti, vt
*sunt nanq.* perdant districti iura regiminis. Vtrumque extremum caueant sacerdotes in pœnitentijs iniungendis: tamen tutius est minorem debito quam maiorem imponere: quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam erga pœnitentes exercitam, quam per nimiam seueritatem. Quia (vt ait Diuus
*Hom.43.in* Chrys. & habetur in decretis in capite alligant) tales sunt sacer-
*Matt.23.* dotes etiam nunc vt illi de quibus Dominus dicebat: alligant
*26.q.7.cap.* onera grauia alijs, ipsi nec digito tangunt: qui omnem iustitiam populo mandant, & ipsi nec modicum seruant: videlicet
*alligant.* non vt faciendo sint sed vt dicendo appareant iusti. Tales sunt qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponũt: quia dicunt & non faciunt: & sic dum pœna præsentis pœnitentiæ
*Simile* fugitur, contemnitur pœna peccati futura: sicut si fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse habet, vt aut fascem reijciat, aut sub põdere confringatur: sic & homo cui graue pondus pœnitentiæ imponis, aut pœnitẽtiam reijciet: aut suscipiens, dũ sufferre nõ potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde etsi erramus modicã pœnitentiã imponẽtes nõne melius est propter misericordiã rationẽ reddere, quã propter crudelitatẽ? Vbi enim pater familias largus est & liberalis: quare dispẽsator sacerdos debet esse tenax aut auar? Cũ Deꝰ benignus & misericors est, vt quid sacerdos eius austerus vult apparere: iniungẽdo pœnitentiam nimis rigidã & intolerabilẽ?

Si grauissimã imponis sacerdos pœnitentiam, quã nõ adimplet

plet pœnitẽs in magno periculo illũ constituis inobedientiæ: si valde leuẽ, credet se peccasse nullius momenti fuisse ex duobus tamen extremis malim vt ad misericordiã accedas: quia talis defectus in purgatorio supplebitur. Dicitur in decretis: qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis (ideſt satisfactionis pro pœna, nã conuersioni à culpa non est locus post hanc vitã) prius purgabitur igne purgatorij: hic ignis & si nõ sit æternus, miro tamẽ modo grauis est: superat enim omnẽ pœnã, quã vnquã passus est aliquis in hac vita, vel pati potest. Cũ eodẽ igne & cõmuni animę in purgatorio cruciẽtur, quo dãnati in inferno (vt tenet magister Soto) etiã si de hoc testimoniũ sacrę scripturę nõ sit, neq; conuincens ratio, sed ex natura rei ducũtur coniecturę. Quia in scriptura nõ est alia mẽtio quã ignis inferni. Et cũ in purgatorio fiat peccatorũ punitio, sicut in inferno: videtur eidẽ igni cõpetere. Vnde D. Greg. in dialogis ait: sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: ita sub eodẽ igne peccator crematur & electus purgatur. Nã etiã si hoc dictũ potest igni tẽtationis applicari, quo peccator culpæ consentiẽs crematur, & iustus purificatur, quia resistẽdo maiora acquirit merita & pro delictis satisfacit: tamẽ etiã intelligitur de peccatore dãnato, & iusto purgato.

25. *D. capit. qui in aliud.*

4. *D. 19. q. 3 art. 1.*

*Lib. 4. Simile.*

Reiteranti tamen peccatum, grauior est pœnitentia iniungenda. Videte quid faciatis sacerdotes, quotidie alios de eisdem peccatis absoluentes, & leuissimas pœnitentias iniungentes, cum sint grauissima delicta: præcipuè si altaris ministri sunt, & causas peccandi non tollunt. Cum pœnitentia imponatur (vt ait Diuus Grego. & habetur in decretis,) ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationẽ necessariæ pœnitẽtiæ temporalis pœna homini iniungitur, quem iam ad damnationem æternam reum non retinet culpa. Quam magnus confessorum sit abusus adeo paruas pœnitentias iniungentium, facile qui oculos ad canones pœnitentiales iniecerit intelliget de quibus vide Diuum Bonauen. in suo confessionali: & iam legisti pœnitentiam, quam olim imponebant pœnitentibus episcopi, feria quarta cinerum.

*Ho. 34. de pœni. D. 3. c. productior.*

*Par. 2. ca. 3. to. 1. fo. 129.*

Tolle grabatum, vt lectus tuus portatus à te (ait Orige.) per medium ciuitatis: clamet me Christũ saluantem, inuocando & me laudando. Tolle & tu peccator grabatũ rerum alienarũ quas

*Hemi. 5. in diuer.*

posſi-

poſsides & quibus male & velut infirmus ſuffultus es, & in illis hucuſque quieuiſti: tolle & alienũ honorem quem furaſti, & impone ſuper humeros tuos: vnicuiq; propria reddendo: alias impoſsibile eſt, te animæ ſalutem conſequi. A diuro te per nomen Dei ſacerdos Eccleſiæ, & per ſanguinem Chriſti pro animabus effuſum, vt nemini pœnitenti quantunuis gementi & magnam contritionem oſtendenti abſolutionis beneficium impendere audeas: prius quam cui vectigal vectigal, cui honor honorẽ, cui facultates pertineant facultates reſtituat. Ne ſuis culpis innoderis & dicat Deus inuoluam te confeſſor cum delictis pœniten-
1.Re.15.B. tiũ, vt dixit Saul Cineo: quia deſidia & negligẽtia tua, multi honorem ſuum non ſunt recuperati: multi pauperes victum ſuum amiſerunt: quia ſtatim honoris aut facultatum furem reſtituere ante abſolutionẽ, non iuſsiſti dicens: frater mi, tollegrabatũ etiã ſi onus graue tibi videatur reſtituere, & redde vnicuique quod ſuum eſt: & veni & abſoluam te & ſanus eris. Sufficiat quod per vnum & duos annos tuo gladio me confodiſti non reſtituendo: nolo debitor fieri eorum quæ non comedi, aut famæ quam non furatus ſum: cum culpa mea non reſtituis ipſe. Aliter de animabus fieret, ſi ſic in confeſsionibus miniſtri Dei ſe haberent: ſed quid Eccleſiæ Dei prodeſt vnum vel centum tali virtute & rigore neceſſario præditos habere ſacerdotes: cum habeat innumeros tam ſacerdotes quam monachos indiſcriminatim omnes abſoluentes facta & fienda: de reſtitutione neceſſaria, nec verbũ vllum, aliquando illos pœnitebit, timeo ne ſero ſit.

Tolle grabatum peccator, & aliquẽ laborem patere pro ſceleribus tuis curandis cum pœna æterna digna eſſent: nam aliquid doloris te oportet pati vt animæ ſalutẽ recipias. Ait enim
*Iſai.cap.15.* Diuus Baſilius in Iſaiam legens, mœrore in vobis ipſis contabeſcite: mœror neceſſe eſt vt peccatori pœnitẽti veniat cum ſciuerit animæ infirmitatem incurriſſe adeo grauem: & ſe ab hoſte maligno expugnatum ac victum fuiſſe, aduerſus quem eluctandum fuerat. Quemadmodum enim medicamenta quæ vrunt & cruciant, vlcerum putredinem extergunt; & auferunt graue olẽtiam: ita ſi ſanus fieri vis à putredine culpę, & male olentiæ: ſurge per contritionem & confeſsionem, & tolle grabatum per veram ſatisfactionem, etiam ſi cruciet alienis te ſpoliare plumis: melius hic quam in inferno fit vbi nõ ſis ſoluendo. Tolle graba-

*Simile.*

tum

tum proximum diligendo (ait hic.D. Auguſt.) & vade ad dile- *Trac. 17.*
ctionem Dei,cum in his duobus mandatis vniuerſa lex pendeat, *in Ioan.*
& prophetæ.Notiſsima enim eſſe debent iſta duo præcepta, & deleri nunquam debent de cordibus veſtris:ſemper omnino cogitate,diligendum Deum eſſe & proximum.Hæc ſemper cogitãda,hæc meditanda,hæc ſectanda,hæc retinenda,hæc agenda,hęc denique totis viribus adimplenda.Tolle etiam grabatum,ſatisfaciendo de commiſsis(ait.D.Tho.in Ioannem) per grabatũ enim *Lecti. 1. in*
in quo homo requieſcit, ſignificatur peccatum:quod tunc illud *ca. 5. Ioan.*
tollit ſupra ſe homo,quando onus pœnitentię fert ſibi pro pec- *Mich. 7. B.*
cato impoſitum,quilibet noſtrum dicat cum Michęa: iram Domini portabo,quoniam peccaui ei: donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum:educet me in lucem , videbo iuſtitiam eius.Fœlix qui vere & ex animo verbo & opere dicit,iram domini,ideſt pœnitentiam & dolorem & omnia alia mundi pœnalia quæ Deus per ſe aut ſacerdotes,mihi iniũxerint, libenter portabo & feriã. Et merito , cũ irã infinitã pati deberẽ,ob mea delicta contra Deum infinitum cõmiſſa,& Deus ſua bonitate mihi culpam remittendo iram pœnæ perpetuam in temporalem conuertit,& grauiſsimam in leuiſsimam,hoc eſt dicere quoniam peccaui ei:vbi includitur magna ex parte mea ingratitudo , & pietas ineffabilis ex parte Dei,quoniam mihi peccanti in illum facilem iniungit pœnitentiam.

Vnde pœnalia vitæ libenter ferendo & amplius à peccatis cauendo donec cauſam meam iudicet in morte mea,faciet Deus iudicium meum & cauſam meam vt pater: & educet me in lucem & lumen gloriæ quo videam iuſtitiam eius & bonitatem . Tolle grabratũ etiã hoc modo , nam quando infirmus es proximus tuus ſuſtinet te & moleſtias tuas patienter fouet, vt grabatus infirmum,adimplens illud Pauli:debemus nos firmiores,imbecilli *Pro. 15. A.*
tates infirmorum ſuſtinere,tam corporales quam ſpirituales, & non nobis placere, volentes in nullo pati laborem. Quando ergo ſanus & fortis in corpore & anima factus es, tolle grabatum tuum,ideſt,ſuſtine & ſupporta proximum tuum qui te infirmũ portabat:& hoc præcipue verificari debet in tentationum infirmitatibus & paſsionum languoribus, iræ aut odij aut alterius infirmitatis.Vt adimpleas aliud Pauli dictum:ſi præoccupatus fue- *Gala. 6. A.*
rit homo in aliquo delicto aut infirmitate corporis aut animi,

aut ira aut odio & mala voluntate: vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite, & illum verbo & opere adiuuate in ſpiritu lenitatis & ſolatij & charitatis. Conſiderans te ipſum ô homo, aliquando in tali infirmitatis aut delicti grabato fuiſſe, ne alium contemnens & tu tenteris & in eandem incidas fragilitatem: deniq; alter alterius onera & moleſtias & grabatum portate, vt ſic legē Chriſti vt decet adimpleatis.

Mens iam omnis fidelis & Chriſtiani infirmi reſurgat torpida, quæ ſorde extat ſaucia, cum iam ſydus, imo ſol diuinus Chriſtus refulgeat & vt medicus diuinus tollat omne noxium & infirmitatem dicens, ſurge iam homo, vitiorum torporem, in quibus diu languebas excutiendo, & ad exercitium virtutum quibus perpetuo ſalueris te erigendo. Surge relinquendo peccata priſtina, tolle grabatum neceſsitatibus fratrum ſuccurrendo, aliquando tibi auxiliū præbentium. Et ambula de virtute in aliam, & in vniuerſis quæ agis ne in ſeculo mentem figas, ſed ad videdam tui redemptoris faciem feſtina non reſpiciendo retro vt vxor Loth, infirmitates peccatorum tuorum per conſenſum. Denique tolle grabatum, tuum ſcilicet peccatum ad pœnitendū de illo, non alienum ad iudicandum vt ſemper feſtucam in oculis aliorum videas, trabem tuam non conſiderans: ſemper cum Petro dicens, Domine hic autem quid? Quid erit de iſto? Vide te ipſum, quid ad te de aliquo vt illum iudices. Tolle grabatum tuum non alienum ad iudicandum: & confitere delicta tua, & tace aliena. Non vt multi, qui grauiſsime delinquentes, ſua crimina pallia ta confeſſori detegunt, & aliena aperte oſtendunt: magis Deum offendentes quam ſi extra confeſsionem talia delicta reuelarēt alicui. Timeo ne incuria & ignorantia aut (quod abſit) malitia & curioſitas ſciendi in cauſam tanti abuſus fuerint, ex parte confeſſarij non impedientis aliena loqui, ſed forſan interrogantis de perſona tertia: abſit tale ſcelus. Tolle grabatum & tuum peccatum ad pœnitendum ad confitendum ad ſatisfaciendum & plorandum, infamias & confuſionem perferendo, & alios relinquēdo ſine iudicio temerario. Ambula de virtute in aliam, non ſat tibi ſit liberum te Dei auxilio, ab animæ infirmitatibus videre, ſed eiuſdem Dei adiutorio, ad magna merita ex virtutibus & operibus in Dei gratia factis prouenientia magna cura & ſolicitudine te accinge. Propera, in ſanitatis acceptæ teſtimonium, corpus & membra

*Ieau. 21. G*

membra & omnes potentias male in virtute hucusque exercitas sed potius infirmitate & languore culpæ torpentes: exercendo in bono & habiles ad virtutem faciendo: cum olim tanto pere tabuerunt in vitio & animi ægritudine, necesse est vt magno exercitio reparentur, & habitus mali & nociui tollantur.

Eia peccator, interiori sanitate Dei auxilio respiraus, non est locus nec tempus vt amplius ferias in spiritualibus agas nec otio vaces: sed vt ambules in lege Domini immaculatus vt postea in futuro sis beatus & bene tibi sit. Pete cum Dauid corde vero: dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. *Psal. 5.* Quis est Dauid, qui etiam volens Dei conspectum vitare possit? In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos & malos, vt est in prouerbijs. *Prou. 15. a* Iam scio omnia nuda esse & aperta oculis Dei & viam peccatorum & iustorum Deo esse patentem: tamen qui animo contumaci perperam agere cupit, & semper voluptari vacare aut odio: vellet diuinum declinare conspectum, & quod esset verum illud impiorum: non videbit Dominus neque intelliget Deus Iacob: etiam si frustra sit desiderium adeo prauum. Qui vero per iustitiam gradi vult, & per omnem virtutis viam, in conspectu Dei dirigi postulat. Quia & si scit Deum videre viam suam rectam, petit præmium à Deo, cum illius visum requirit, petit & misericordiam Dei per illius visum intellectam: vt in tali via crescat & perseuerantiam vsque ad cœlum obtineat: acsi dixisset respice me ambulantem in via tua & miserere mei, vt semper ambulem, aut dirige in conspectu tuo viam meã, idest, talis & tam immaculata, & vera sit via vitæ meæ Domine, vt digna sit conspectui tuo, dirige illam vt ita sit. O vtinam mihi hoc Christe Iesu, largire digneris, vt in omnibus vijs meis verbis & scriptis, cogitationibus & operibus, sic tibi placeam vt via mea sit digna in conspectu tuo fieri & ipse de illa gaudeas: & ad hoc, gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non Dominetur mei omnis iniustitia & culpa. *Psal. 118.* Tamen si hoc debet fieri à me, redime me à calumnijs hominũ (& non dicit Dauid à dæmonum aut serpentum calumnijs sed hominum & mulierum) vt custodiam semper mandata tua. Dirige Domine mi in conspectu tuo viam meam, vsque dum ad te per gloriam perueniam.

¶ Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.

Text.

IMPERAT Chriſtus verboque curat: vt hoc exemplo diſcamus, quam magnam vim & energiam ſermo Dei efficax habeat: & ob vecordiam noſtram & conſuetudines prauas, non ſic ſe habere nobiſcū ad nos à languoribus ſubleuandos animæ vt ſe habuit cum iſto. Et etiam quiā exparte mea, vim illius & calorem pro magna parte tollo tepiditate mea, & paruo erga Deū zelo prædicans & verbum Dei proponēs. Ecce quomodo multoties audiſti hoc verbum ſurge à peccati languore, exparte Dei tibi dictum, & ſemper in fæcibus requieſcis tuarum conſuetudinū: audiſti redde aliena, ſemper retines illa: audiſti ambula de virtute in virtutē, & noluiſti: paralitic⁹ iſte ſurget in iudicio cōtra te, qui vnico verbo Chriſti dicentis ſurge, ſurrexit. Oſtēditque filius Dei ſe ſummum medicum eſſe, & alium à noſtris medicis: qui neque morbis vt recedāt, neq; infirmis vt reſurgāt atq; ſanētur imperāt: ſolius Dei eſt, nō hominis tāta poteſtas, & virtus vt ſic imperare poſsit. Nō orauit hic Dñs, vt homo curetur, ne de prophetarū numero aliquis eſſe videatur: ſed vt virtutū omniū Dñs, fieri quod vult imperat, & ſtatim fit: & non imperfecte ſed integrum ſanat: non vt medici noſtri morbos aliquando pharmacis varijs depellentes, ſed debilem relinquentes infirmum & baculo innitentem non ſic medicus noſter Chriſtus, ſed vnico verbo ſurge, expulſa paralyſi, addit vires, & ſolidam membrorum compagem: dicens, tolle grabatum & ambula.

Statim ſine mora ſanus factus eſt quia ſimul atque audiuit, credidit nihil diſceptans, aut ad hunc modū murmurans: me iubes ſurgere? Quomodo fiet vt tam longa ægritudine preſſus ſurgā? Quomodo tollam tam graue pondus & ambulē, qui iacens viuere non valeo? Nihil tale cogitauit, ſed credidit, & credendo iuſſa adimpleuit operando, & ſic ſurrexit ſanus & ambulauit, lectulum ſuum in humeris ſolus ſufferens. Et ſic ſui lecti baiulus fortis & robuſtus effectus, domum recta via abijt: longiſſimæ ægritudinis monumentum cunctis expectantibus obuiā faciens, vnde aperte cognoſcere poterant, quanta domi-

ni

ni virtus eſſet. Statim iſte ſanus factus eſt, quia credidit & operatus eſt, Dei auxilio: tu ipſe credis Dei verbo: tamen vt rana ſemper in cœno voluptatis quieſcere eligis, à vitijs ſurgere negligis, aliena reddere non curas, nil mirum vt de vitio in aliud continuo ambules, quo ad vſque ad pœnas tuis delictis dignas, cito & horrende peruenias. Non ſat eſt verbum Dei, ſurge, audire: non ſufficit fidem te habere ſi opere Dei mandata non adimples. Fac quod in te es, & ſacramentis vt decet vtere, & anima tua ſtatim in inſtanti, dicto ſacerdotis verbo, ego te abſoluo, ſalua erit: quia ideo ſtatim ſanus factus eſt iſte, vt in te fieri credas ſimilia ſi Deo obedis. Homo iſte ſuſtulit grabatum & ambulauit vt Deus imperauit: oſtendens in hoc magnam fidem (vt ait D. Chry.) qui cum audiſſet vnum hominem ſibi dicentem tolle grabatum & ambula: non riſit, neque admiratus dixit: angelus deſcendit, & turbata aqua vnum dumtaxat, in bonam reſtituit valetudinem: tu homo cum ſis ſolo verbo angelo ſuperare confidis? Nimium tibi arrogas, ridiculuses, & illudere mevis & nō iuuare. Nil tale dixit, imo nec cogitauit: ſed audiuit, & credidit & ſurrexit, & ſanus factus grabatum tulit & ambulauit, ad maiora virtutū, mēbra ſua ſolida reddita ſibi habens, Chriſtum coram omnibus facto ſuo confitendo. Ambulate dum lucem vitæ habetis homines, & lucem fidei: ambulate operando quæ recta ſunt vt Deum deorum videatis in Sion: alias quid prodeſt ſolis luce viam videre, & ambulare nolle? Nunquam ad locum optatum peruenietis. Sic & ipſe credens & non operans, fidei luce perfuſus tamen non ambulans operando: cœleſtia habitacula non pertinges.

¶ Erat autem ſabbatum indie illo. Dicebant Iudęi illi qui ſanatus fuerat: ſabbatū eſt, non licet tibi tollere grabatum. *Text.*

A Circunſtātia temporis quæ ſequuntur ſuperioribus connectit euangeliſta, aperiens lectoribus, qualis fuerit Iudæorum malitia & calumniæ ſeminarium? Solum carnalia & temporalia ſeruantium & ſuperſtitioſa, neglectis his, quæ erant præcipua ac

perpetuo duratura. In ſabbato hoc opus Dominus fecit, vt ſe dominum etiam ſabbati omnibus oſtenderet: & vt magis miraculum diuulgaretur. Dicebant ergo Iudæi, certi de miraculo facti, etiam nolentes: ſabbatum eſt cui debetur otium,
Exo. 20. B. non eſt fas tibi lectum portare, cum Deus in Exodo iuſſerit di-
Iere. 17. C cens: non facies omne opus in eo: & per Ieremiam: cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati: nec inferatis per portas Ieruſalem. O maledicti phariſei, erga Deum impij, & inuidi erga proximū, vt multi hodie inueniuntur in mūdo: qui cum ex tāto miraculo gaudere debebatis & fidē confirmare in vobis & in alijs: Chriſtique potentiam admirari, & illū multa laude celebrare, toto corde illi ſeruire & alios ad hoc verbo & exēplo inuitare: interim ſanato congratulari, & in eo maxime Chriſtū illuſtrare: quod ſi faceretis intelligeretis charitatis opera ſabbatum nō violare, & multū vobis bene eſſet. Qui tamē odij & liuoris veneno pleni, hęc omnia ecōtra facitis: & Deū inhonorare conamini & proximum confundere, veſtro damno.

Impiorum iſte ſolet eſſe genius, candida in nigra mutare, & èmirabilibus Dei obſtinatiores fieri: vt contigit Pharaoni, & iſtis
Iean. 11. F met phariſęis in Lazari reſurrectione. Negligunt obſtinati in malo, præcipua & neceſſariora & interna & cœleſtia: ſuperſtitio ſe defendunt externa & caduca, etiam ſi alia ratio nō ſit, niſi Deū inhonorare, & proximū moleſtare atque malitiā propriā exercere. Infelices, non eſt iſta ſabbati violatio, cū ſit ſanitas quietem inducens & omnium moleſtiarum & inquietudinis ablatio: quę ad rationem ſabbati non parum confert. Audi & tu homo ſtulte qui non habes cor, qui cum virtutem fratris tui admirari deberes, & imitari, & congratulari illi, & inde ſurgere à peccatis in laudem Dei, ſine cuius auxilio tuus frater bene operari non valet: vt aranea veneno plena, illum ex inuidia odio habes, & bonū eius opus detrahis, in Dei iniuriam non minimam. O phariſæe cæce iudicium durum tibi manet. Non ſat tibi eſt infirmū in anima nō ſanare (vtinam ne ad culpæ languorem inducas) ſed etiam ſalutem impedire pœnitere volenti, & inuidere obtinenti?

Text. ¶ Qui me ſanum fecit ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula.

Iudęo-

IVDAEORVM criminationes repulsurus, autoritate Christi medici armat se atque defendit, à quo tantum beneficium accepit: ad illum appellat calumnias suas & rem totam & litem transfert ad Iesum qui tam mirandum salutis opus solo verbo operari valuit. Quasi diceret, vultis me ingratum profitear & cõstituam contra meum benefactorem? Hoc facio iussu illius qui me potuit & voluit sanum constituere: cuius honorem credo sabbatismo præferendum esse. Homo cui tanta virtus & gratia inest, qui me adeo miserum solo verbo sanauit: non debet à me honorari & illi parere non decebat? Non est hominis hoc opus sed Dei sabbato maioris: delirio & desipientia magna laboratis, iubentes neme morem geram & obedientiam non præstem ei, qui me ex tan graui languore sanitati perfectæ totum hominem, sua bonitate restituit: Qui potuit infirmitati meæ imperare & illi obediuit, non valuit me iubere, & debebam contumax illi esse? Vtinam ego sacerdos, & deinde omnis fidelis (qui se fateri, velit aut non, debet: non semel aut centies sed millies à Deo maximo & benevolo salutem animæ recepisse: non verbi sui iactura dicendo surge, sed sanguinis dispendio in sacramento communicati) quoties dæmon aut malus homo, ad Dei iniuriam inuitat istis paralytici verbis corde & opere dixisset. O effrons maligne, ego hoc delictum contra Dominum mihi adeo benignum: & salutem multoties conferentem gratis, & ex grauibus languoribus non semel & bis liberantem perpetrare debebam? Ingratum me constituere vis patri adeo charo? potius mortem subeam, quam illi iniuriam irrogem. Iste paralyticus non dum Christum Dominum agnoscens vt cito ipse fatebitur, ob corpoream salutem, nam spiritualem nescio an intellexit se recepisse: Christum laudat & confitetur, & libera voce Iudæis obiurgantibus, cum fiducia ipsum prædicat, & defendit: & ipse fidelis veram de Christo fidem profitens, & tanta beneficia ab ipso te accepisse, etiam inuitus, agnoscens: & non offertur occasio tibi delinquendi, quantumuis minima, aut tentatio: quin statim Deum coram hominibus neges, & coram dæmone offendas, & cum timore videris illum credere, cum statim peccato consentias.

Sinite me Pharisæi cæci, salute mea optata diu frui iam habita: qui potestatem habuit salutem mihi languido putridoque

die Sabbati conferendi, potuit id quod minus eſt, nempe de Sabbati obſeruatione diſpenſare, ſi hoc opus violaret illud. Qui potuit id quod maius eſt: quid de minore calumniam tegitis, non eſt maius infirmitatem tot annorum, ſubito & ſine mora, & ſine medicinis expellere, inducereque perfectam ſalutem: quam iubere grabatum tollere in die Sabati. Infirmitas illi obediuit ſtatim, fugiens à me cum primum dixit ſurge, & venit ſanitas ad ſuum imperium: debebam ego rationalis & qui ſalutem & beneficium recipiebam, his rebus inſenſatis inſenſibilior eſſe, illi non parendo & inobedientior exiſtendo. Non erat meum de licentia Sabbatina diſſerere, cum illo quem tam potentem & mihi beneuolum experiebar: nec debebam maiorem Sabbato quam illi venerationē exhibere, quia non me ſanū fecit obſeruantia legis ſabbatiq; cuſtodia, ſed huius hominis virtus ſanitati me reſtituit: igitur magis illi quam legis obſeruantiæ teneor obedire: quanto magis vobis parere in hoc non debeo, qui ob fictam Sabbati obſeruationem, Deum inhonorare, & me calumniare decernitis: abite & diſcite benefacere, ſinite alios bene operari. Infirmitas & ſanitas, res ſenſu carentes, verbo ſuo incunctanter obedierunt: receſsit illa à me acceſsit iſta mihi: & ego in cuius vtilitatem iſta fiebant obedire tanto Domino contēnerem? Diu tabuit corpus meum non valens ferre me ipſum: modo ab iſto homine ſancto ſanatus ſum ſupra artem & naturam, & mandata eius non faciam? Qui ſupra infirmitatem & ſalutem poteſtatem habuit: ſupra Sabbati obſeruationem quis niſi vos dubitabit, ſe habere imperium. Deliratis certe (vt ait Theophy.) & deſipitis iubentes ne obediam ei, qui me à tam diuturno & difficili morbo liberauit: vos interrogatis ad calumniam, ego beneficium illius refero ad honorem eius.

*Tex.* ¶ Quis eſt ille homo qui dixit tibi, tolle grabatum & ambula.

QVASI dicerent perfidi, qui autori ſalutis calumniam ſtruebant, & inſidias moliebantur, quis tam effrænis, & perfrictæ frontis eſt quiſquis talia tibi imperauit, qui nobis

nobis inſcijs & neſcientibus,& nihil in hoc negotio diſpenſantibus aut permittētibus:violatorē legis ſe conſtituit, & ſibi arrogauit autoritatem legis violandæ & Sabbati? Re vera ſciebant quis eſſet miraculi autor: ſed hoc ſuo ſupercilio & faſtu, terrorem ſimplici plebeculæ incutere volebant : vt nomen Domini Ieſu & honor obſcuraretur,& prorſus extingueretur ,ne illifidē haberet, tanquam Sabbatum violanti.O homines liuidi & malorum viſcerum, apud quos nefarium eſt otium Sabbatorum violare: & tamen proximum fraudare & Deum inhonorare nullius momenti eſt. Sabbato ſuſtuliſſe grabatum impium haberi vultis à plebe,& inuidere miſero ſalutem & Deo bonitatem culpam non reputatis . Vtinam inter nos fideles huiuſmodi præpoſtera & peruerſa iudicia, quotidie non reperirentur. Attēdite tamen,& malitiam horum conſiderate: paralyticus iſte duo de Chriſto illum ſanante dixit: & quod ſanum fecit illum, & quod ius ſit tollere grabatum : omittunt primum quod bonum erat & honoris, & illud quod calumniæ proximum videbatur arripiunt. Officium commune eſt omnis inuidi hominis liuoreq; confecti: ſemper defectus proximi in lingua accipiens, quod bonum eſt aut honoris calumniæ reſeruat:cœnum vt ſcis, potius quam flores odoriferas amplectens. *Simile.*

¶ Is autem qui ſanus fuerat effectus,neſciebat quis eſſet. *Tex.*

TAnto perfuſus erat gaudio, de reſtituta ſanitate homo iſte, vt vix de facie, nam de nomine , certe non nouerat Ieſum ſaluatorem. Chriſtus enim non manifeſtauit ſanato perſonam ſuam nec illi quis eſſet reuelauit: vt inanem gloriam in omnibus operibus noſtris tollere conemur: & vt doceret, verbo Dei potius adhærendum , quam perſonæ prædicanti, nobis eſſe, vt faciamus bona quæ nobis proponit, ſua mala vita non impediente. Proinde cum de facie tantum nouiſſe poterat, tunc quidem commōſtrare Ieſum non valebat, cum ſtatim miraculo facto ſubduxit ſe à turba. In turba poſitus homo iſte non agnouit Ieſum(ait gloſ.) ſed poſtea in templo: vt ſcias ſi ad Dei viſionem & ad notitiam illius per lumen gloriæ venire deſideras,tur-

bam affectuum tuorum, & hominum nequam fugere tibi neceſſe eſt, & adire templum internæ orationis, & eccleſiæ mandata frequentare decenter. Neſciebat iſte ſanus factus quis eſſet medicus: forſan quia nunquam antea Ieſum viderat, cum antequam Chriſtus naſceretur ipſe iam infirmus erat, graue malum eſt, diu in anima languidum eſſe, & magnum obſtaculum ad Ieſum cognoſcendum fide & opere, & illum coram hominibus confitendum. Et non caret culpa, ignorare benefactorem etiam hominem, quanto magis Deum & hominem: & illius ingratitudinem arguit, quòd non nouerat ſuæ ſanitatis autorem. Sed forte iſte perterritus nouitate facti: aut feſtinans adiuſſum, aut omnino detentus de ſanitate lætitia, nõ curauit agnoſcere beneficij largitorem. Nos tamen inceſſanter beneficia corporalia & ſpiritualia à Deo, quem fide agnoſcimus, recipientes: qua fronte coram illo apparere audebimus, noſtris ſceleribus & flagitiorum lituris quotidie delentes illa?

Tex. ¶ Ieſus autem declinauit à turba conſtituta in loco. Poſtea inuenit eum Ieſus in templo.

DEclinauit à turba, vt non queramus humanum fauorem ex noſtro bono opere, nec laudem tranſeuntẽ: & vt non tentemus Deum, ſed declinemus iratorum inſaniam ad tempus, ne corda ipſorum maiori flamma inuidiæ ex noſtro aſpectu incendantur: vnde clarius fuit miraculum & omnibus magis notum, cum inquirerent de illo curioſius: & opera noſtra magis meritoria & ſplendidiora erunt quanto ab hominũ aſpectibus tollere curabimus. Fugit turbam, vt ſe abſente paralytici teſtimonium
2. Timo. 2. D. ſuſpicione careret: & vt fugias quæſtiones inutiles quæ generãt lites. Et nota prius Chriſtum inueniſſe hominem quam è contra: quia prius enim eſt, Deum nos inuenire, quam quod Deum inueniamus: præoccupat eos qui ſe concupiſcũt ſapientia increata, vt illis ſe prior oſtendat. In eo quod neſciuit Ieſum ſalutem
Sap. 6. B. illi præbentem agnoſcimus ingratum, tamẽ pœnitentem & gratum in eo quod in templo Deo gratias dantem inuenit Ieſus. Nam fortaſsis intrauit templum ad orandum, & ad referendum vni Deo, cui templum dicatum erat, gratiarum actiones, ob ſa-

lutem

lutē ſibi collatā: quod ingratitudinē noſtrā maxime arguit. Quid eſt frater mi, te toties infirmitates animę prēteritas & ſanguine Chriſti deletas incurriſſe: & modo in tātis, ſi nō in magis, ſceleribus quā in anno prēterito Deū animā tuā iacentē videre? vis rationē huius grauiſsimi mali ſcire? quia rariſsime inuentus es à Ieſu, gratias Deo reddēs, ob inſigne ſalutis beneficiū, quod tibi parcēdo irrogauit per ſanguinē Chriſti: O hominū ingratitudo, ob quā omnia mala veſtra vobis eueniunt, & delicta dimiſſa perpetrare non veremini.

Cōfiteor tibi liberator meus (ait D. Aug. toto corde meo, & recolā ad mētē meā bona quę feciſti mihi in omni vita mea: ſcio nā que & optime ſcio ingratitudinē tibi multū diſplicere, quæ eſt radix totius mali ſpiritualis, & vētus quidā diſſecans & vrens omne bonū: & cū miſericordia tua infinita ſit, eſt potēs, tā peſtilēs ventus, obſtruere fontē diuinę miſericordię tuę ſuper hominē ingratū: ita vt indignus ſit aliqua gutta clemētię tuę. Quia ingratitudine opera mortua nō oriūtur & viua moriūtur, & vltra nō adipiſcūtur (tali veneno manēte) & ego dñe, gratias tibi ago ne ſim ingratus, quia liberaſti me ab ore draconis iā deuorāte me. O quis cū D. Aug. iā gratus eſſet Deo: vtinā ego ne ingratus reperiar, cū neſciā quis hominū viuētiū in mundo tāta à te dñe mi, beneficia vt ego acceperit neq; quā me magis ingratū agnoſco vllū. Eſto Deo gratus homo, tibi ſanguine tuo medelā dāti, & vade frequēter ad Dei ſacramēta, & ad templū: & corā dęmonibus & malis & bonis hominib⁹ Deū vere cōfitere: & corā omni tētatione illi reſiſtēdo, & ſtatim dominus inueniet te, & ab omni periculo defendet te dicens. Lib. ſoli. cap. 18.

¶ Eccè ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Text.

PROCVL dubio interminatio iſta à iudice omniū Chriſto, huic facta & terror iſte grauis eſt: & inſtruit ad ſciētiā & cautelā parat, & terrorē magnū in noſtra corda immittere talis mina deberet. Et inde ſcire debebamus, quāta mala hominib⁹ ex peccato proueniāt, nō ſolū in aīa ſed etiā in corpore: nō tātū in aliavita, ſed & in iſta. Terror tū qualis erit, quādo De⁹ grauiſsimā à te & me exigat rationē: & Deus vltionū ſit vlciſcēs in eos qui peccauerūt? Certe tremēdis verbis omnes peccatores, in hoc homine figuratos

guratos, teret Deus. Nam cum inueniſſet illum in templo, non in foro aut in ludis & iocis & malis tractibus vacantem: non otioſum aut ſegnitiæ deditum ſed orantem: non detrahentem ſed Deo gratias reddentem: tam terribili iaculo percutit dicens: ecce, aperi oculos & vide quanta pro tuis peccatis contra corpus & animam tuam venere, à quibus te ob meam bonitatem liberaui: caue vltra peccare, nam re vera deterius malum tibi vt contingat neceſſe eſt. Quid erit de te poſt confeſsionem non orante, ſed murmurante? Non in templo exiſtente ſed ſtatim ad occaſiones peccati reuertente? Reuera tibi deteruis contigit.

Ecce, particula eſt attentionis, acſi dixiſſet: attende tu, rem ſeriam ſum tibi narraturus: ecce aperi oculos & vide, quomodo ob peccata tua infirmus eras, ecce quanto tempore: vide quomodo infirmare ſed non te ſanare potuiſti: ecce quam ab omnibus derelictus putridus & immobilis manebas in horrido grabato. Ecce ſanus factus es à paralyſi tam corporis quam animæ, à me diuino medico, ſine potionibus amaris, etiam ſi mihi ad bidendum in cruce reſeruantur: ecce quomodo ex iacente es ambulans: cum ad tanta mala corporis & animæ per peccatum peruenisti, & mea potentia & bonitate ſine tuis meritis, ad tantam ſanitatem & gaudium. Medici optimi eſt non ſolum à morbo præſenti liberare ægrotum: ſed etiam regiminis regulam in futurum dare: quis vt ego. Ideo iam noli vltra peccare, ne ad eadem mala tibi adeo nociua iterum venias: imo ad deteriora ob ingratitudinem. Ponderа iſta verba homo fidelis, & hoc tibi dictum puta: vt videas & conſideres animæ oculis, ex quam periculoſo ſtatu & infelici infirmitatis & miſerię: à Deo optimo maximo ſanguinis ſui diſpēdio, nō ſemel & bis liberat⁹ ſis, ſed quoties digne cōfeſſus es.

Attēde inſuper adquē fœlicitatis & gratię gradū & Dei amicitiā veniſti vt ne iterū in laqueos Satanę incidas à quib⁹ liberatus es. Nā ſpes in hominib⁹ reiteratio dimiſſorū cor impœnitēs generat: & nil deterius in his qui voluntarie peccant poſt ſuſcep
Ho. 2. tam de priſtinis indulgentiam, quam ſi cordis duritia ſubſequa
Te. 1. tur. Vnde optime admonet D. Chryſ. in de lapſu primi hominis ſic dicens: noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam, & emundationem à ſordibus

dibus: cogita grauiorem esse culpam post veniam: reuocatum vulnus peius dolore post curam, molestius hominem sordidari post gratiã. Vnde indulgẽtiæ ingratus est, qui post veniam peccat: sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat: nec meretur mundari, qui seipsum post gratiam sordidat. Porro qui post absolutionem non peccat, meretur & præmium: qui post curam cautus est, sanitatis possidet donum: qui gratiam illęsam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Vides quã ta mala recidiuanti, quanta bona maneant, salutem & gratiam à Domino datam toto corde conseruanti.

Quam necessarium est, hominem (qui diu à patria propria *Simile.* à parentibus & amicis & facultatibus suis, culpa sua, exul effectus est & de meritis) redeuntem summopere cauere ab omni offensa & scandalo: & latrocinio (præcipue si ob hoc fuerat à rege relegatus) quia tunc proditor quasi conuictus & recidiuus, contra regem durius ab ipso punitur. Noli amplius peccare homo, sufficiat iam præteritum tempus vitæ tuæ, quod in vitijs & malis consumpsisti: & cum tempus faciendi bonum legem Domini dissipasti frangendo illam, diutius culpis diuinam bonitatem exasperasti: multiplicando mala & peccatis peccata addendo: exul factus es à me rege angelorum & patre tuo, & à regno meo, & ab amicis sanctis & angelis, & à meritorum facultatibus, & à filijs bonorum operum, ob delicta à te commissa. Hæc omnia malavenerunt super te & alia quæ taceo: veni ego oculis clementiæ meæ & te in grabato existentem miserum & exulem aspexi, gratia mea, cor tuum ad dolorem mouente: dixi, vis salutem? Vis adiuuare me consensu tuo, & bono vsu liberi arbitrij: & sanus eris? Voluisti. Dixi, surge à culpis in gratiam, & omnia furta tibi parco, etiam si honorem meum (quantum fuit in te) à me tulisti: sanguinis mei dispendio laui te, sanauite in amicitiã meam reduxite, quia vere cõfessus es & grabatũ restitutionis sustulisti ad imperium sacerdotis: sublato exilio ad patriam celestem alacri via tendebas. Quis te fascinauit ad priora furta voluptates & vitia redeundum, cum summa openiti te decebat, magnopere cauere ad pristinas culpas non reuertere? quare me regem regum sic offendisti, sic contempsisti, & misericordiam meam exasperasti? Ad te cito reuertere, alias in maius periculosum exilium missus eris: & for-

& forsan, vbi iam non est ibi redemptio neque exilij suspensio, nempe in infernum. Vade & noli amplius peccare ne deterius tibi aliquid contingat. Quid deterius accidere potest, quam infirmum veteranum esse triginta octo annorum languidum? Maius malum erit, in grabato inferni æternaliter cruciari, & pati alia mala ibi malis seruata.

Concilium generale ex hoc Christi loco, iubet medicos monere suos infirmos ad confessionem cito faciendam, vt curent per causas: cum multoties infirmitas corporalis ex peccato proueniat, vt extat decretum cum infirmitas corporalis, de pœnitentijs & remissionibus: de quo cum supra tractauimus medicum interrogando, quis es, modo supersedebimus: præcipue cum iam sanctissimus Pius quintus Pontifex noster, grauissimas pœnas & debitas, contra medicos medicinas applicantes infirmis, sine præuia confessione in suo proprio motu posuerit. Medice cura per causas, faciendo vt æger confiteatur prius: & tollatur ab illo radix infirmitatis si culpa est, & deinde applica medicamina: nam tunc magnam virtutem habebunt, si infirmo salus expedit, alias perget cum Deo suo ad gloriam, vbi infirmitas non est. Noli ad peccatum reuertere homo, ne tibi aliquid deterius contingat. Audisti quanta benignitate Deus vsus fuit cum Niniuitis pœnitentibus & ieiunantibus, & flẽtibus etiã si sceleratissimis? vidisti quomodo illis pepercit statim? Naum. 3. B. Nota tamen & time, quia ex Propheta Naum constat subuersam & vastatam fuisse: quia ad vomitum malorum suorum reuersa est semel à tam grauibus delictis dimissa. Vbi dixit Dominus Niniuæ: reuelabo pudenda tua, & erit omnis qui viderit te, resiliet à te, & dicet admiratione perterritus: vastata est Niniue, etiam si à Deo quondam veniam recepit, quia non est verita iterum Deum offendere.

Audi & time homo, qui non semel aut bis ad vomitum es reuersus, ne tibi deterius & similiter cum Niniue contingat. Minatus fuit tibi Deus anno præterito, verbis concionatoris dicens: destructus eris si pœnitentiam non feceris: doluisti de culpis cum Niniuitis: ingemuisti, ieiunasti à vitijs ad tempus, cilicio indutus cinerem te esse confessus es: pepercit Deus peccata tua, & noluit exercere iram quam contra te conceperat & vindictam. Tamen absque vllo timore ad eadem

dem scelera ausus es contra Deum reuertere: quid miraris si dicat mihi Deus vt ex parte sua dicam tibi & notam faciam sententiam quam contra te decreuit executioni mandare? Quid contra me dicit Deus? Reuelabo pudenda tua, & scelera horrenda coram vniuerso in ratione vltima: & omnis qui viderit te, resiliet à te dicens, admiratione plenus: heu, vastatus est fidelis? Damnatus est christianus iste? Etiam, quia non timuit ad vomitum reuertere. Et quia de hac sententia cito redibit sermo, quando fiant homini recidiuanti nouissima prioribus peiora, hæc modo sufficiant. Et quod Niniue destructa sit, audi Tobiam dicentem: prope erit interitus Niniue. Tob. 14. B.

## ¶ Abijt ille homo, & nũtiauit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Tex.

POSTQVAM is cui sanitas contigerat cognouit, didicitque autorem fuisse Iesum: credidit vere propter quod locutus est ad calumniatores Iudæos, clamans Iesum fuisse autorem salutis suæ. Non vt mali quidpiam in Christum calumniarentur, nec tali animo iste accedit (vt aliqui affirmare ausi sunt) sed vt non ignorarent medicum, si quis etiam eorum curari desideraret. Ac si diceret cum cæco, vultis & vos discipuli eius fieri? Cupitis animarum salutem infirmi & inuidi? Accedite ad Iesum omnem tollentem languorem, quantumuis diuturnum & malum. Nam certe, multum interest, vt omnes infirmi talem medicum agnoscant: qui vno verbo vtrumque morbum meum tam corporis quam animæ, depulit in instanti. Diligite illum frenetici Iudæi, vt tollat grauissimas ægritudines vestras. Et quòd recta intẽtione iste venerit ex hoc solo constat, quia non dixit: Iesus est qui me iussit in sabbato grabatum tollere, quod ipsi desiderabant: sed ipse me sanum fecit, id quod audire nolebant. Nec mirum: quia cum essent diaboli filij, quo magis diuinitatem Christi sentiebant, eo magis contra ipsum insurgebant, debacchantes vt iam damnati & in inferno existentes: mouente eos & exagitante Satana Dei, hoste crudelissimo: sicut & multos Ioan. 9. D.

illos homines

homines malos idem malignus contra bonos exagitat & commouet.

Abijt & nuntiauit, non tanquam iniquus vt proderet, sed tanquam gratus (ait Euthymius) vt benefactorem diuulgaret, nam beneficium, & etiam minæ sufficiebant vt eum gratum facerent, timens nequid deterius pateretur ob ingratitudinem. Et qui crimen se putabat incurrere tacendo, beneficium acclamando prædicauit. Gratus itaque ac liberè loquens censendus est hic homo, omnique carens accusatione, quia confessus est Iesum coram hominibus, vt illum confiteretur Christus coram patre suo, vt ipse omni homini similiter facienti promisit, & adimpleuit.

Luc. 14. Mar. 8. D.

Vers. ¶ Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in Sabbato.

ISta est etiam nunc mundi ingratitudo erga Christum Dominum: hæc est præcipua causa, qua homo malus Deum persequitur, aliam nescio, nempe quia ab ipso multa beneficia accepit, salutem & sanguinem suum, oblata & illi tradita summa beneficentia. Vnde hæc est Deo, & euangelio & optimo conciona tori solutio, & gratitudo, vt pro bonis, mala à malis semper reddã tur, & pro beneficijs conuicia accipiat: vt hic noster locus ostendit. Nam pro tam insigni opere non solum filium Dei calumniabant, sed insuper persequebantur ad necem. Vnde dicere po terat: quiretribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem, & beneficia præbebam. Sicut modo omni sequenti virtutem contingit, quia statim à malis detrahitur. Tamen ob hoc non desistat bonus à virtute incepta, sicut nec Christus Dominus ob istorum calumnias, imo nec ob flagella & crucem ab animarum redemptione destitit, sed vltra processit. Vt ipse discas in omnibus Deum honorare, sanctos dies festiuos missam audiendo & alijs bonis operibus sanctificare, infirmos, præcipue pauperes, verbo & opere visitare. Magnopere à voluptatis cæcitate cauere, & vt pestem auaritiæ claudicationẽ, & superbiæ ariditatem fugere: obstinationem & infirmitatem diutur nam plusquam infirmum abhorrere: & sic accedet Iesus & dicet tibi: salutem animæ desideras? Surge à peccatis confitendo illa,

Psal. 27. D

tolle

tolle grabatum aliena reddendo, ambula de virtute in virtutē: quousque videas me in Sionifica arce cœlesti per gloriam. Quā mihi & vobis Iesus concedat, Amen.

# DOMINICAE Secundæ Quadra. Homilia Prima.

¶ *Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.* Matth. 15. C. *The.*

¶ Egressus Iesus, secessit in partes Tyri, & Sidonis & ecce mulier Chananæa &c. *Rem.*

¶ SALVTATIO AD SACRATAM VIRGINEM.

QVando vniuersus orbis à Dæmonio per peccatū vexabatur vehementer, in angustia viuens & à maligno venatus: clamabat bonorum congregatio ad filium Dei dicens: miserere nostri Domine, miserere nostri fili Dei, quia anima multorum à Dæmonio torquetur. Et egressus Dei filius à patre, per generationem: manens semper cum illo, venit ad huius mundi angustiam, per Tyrum interpretatam, dummodo animas venaretur, per Sidonem significatum: & vt commotionem in illis causaret & dolorem peccatorum. Et ecce mulier virgo intacta, (dū adhuc loquerentur boni ad Deum) egressa est in mundum puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro, magis quā illa Rebecca: ouis innocentissima, in finibus Nazareth nata, & egressa à moribus aliarum mulierū, ante quatuordecim annos, quæ recepit Dei filium in vtero suo. Et simul cum illo, angustię fuerūt Deiparæ virgini vndique, plusquam Susannæ: quas omnes libēter passa fuit, dummodo à filio suo nos captari sinamus. *Gene. 24. B* *Dan. 13. C.*

corde perfecto & vero animæ miseræ à dæmonio vexatæ, & angustia posſibili, dicamus omnes Reginæ cœlorum: miserere nostri filia Dauid & Dei mater, anima nostra à diabolo vexatur per culpam: fac vt angustiæ filij tui ne in nobis pereant, sed vt venetur nos à maligno liberatos. Hoc sine gratia fieri non contingit: hanc à patre filij meritis obtine vt Spiritus sanctus mihi ad dicendum, & omnibus ad operandum, statim tribuat, dicentibus calore debito & deuotione, Aue Maria.

*Tex.* ¶ Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis.

*Mich. 5. A. A. 32. M. 4 D. 14. die. 8. Maij.*

ILle filius Dei cuius egressus (vt Michæas ait) ab initio & ante secula est à patre per generationem diuinam, & à diebus æternitatis: patri coæqualis in omnibus & consubstantialis, per quē pater omnia fecit, omnia creauit, omnia gubernat & alit: ob nostram salutem, & vt nos â dæmonis vexatione liberaret, & à venatione, qua peccato nos captarat: dignatus est de cœlis descendere & in vterum matris ingredi. Et natus tanquā sponsus procedens de thalamo suo, illustrabat omnia plusquam sol, & vbiq; discurrebat, verbi sui luce sedentes in tenebris errorum & in vmbra mortis, idest, peccato, illuminando, per mare per terras.

*Matt. 14. D* Vnde si scire vis, vnde egressus fuit tūc Iesus: scito ex Matthæo ipso, quod venerat transfretando in Genesareth, vbi multa miracula fecerat: & multa, in solutionē, opprobria à scribis & phariſeis, discipulos de lotione manuum, calūniantibus sustinuerat: quos de superstitione redarguit. Et ideo tāquā ab ingratis recessit Iudæis, & egressus venit ad partes Tyri & Sidonis: non ad prædicandū cum essent gētiles & ipse iusserat, in viam gentium ne abieritis discipuli mei: sed per transitum. Aut ipse cū non esset obnoxius præcepto illi, nō facit contrariū eundo: & in Marco dicitur, neminē voluit scire. Tyrus & Sidō fuerūt ciuitates gētilium (teste Remigio) Tyrus metropolis Chananęorū & Sidon terminus respiciens ad aquilonē. Chananęi fuerunt Gentiles (vt ait Lyra) qui ante filios Israel habitauerūt in terra promissionis: nec vnquā à Iudæis potuerūt totaliter extirpari: quia fuerunt vt fomes & concupiscentia nostra, quæ in hac vita etiam in viris perfectis permanent vsq; ad mortem: etiam si illis non noceant: cum peccatis non consentiant. Væ peccatoribus quotidie cadenti-

*Mar. 7. C.*

dentibus, si auxilio Dei, & continuo bello, contra tales inimicos non insurgunt, & Dei gratia illos vincunt.

De his Chananæis erat ista mulier, cuius nomen propriũ nullibi reperitur, nisi quod Marcus ait: erat mulier gentilis Syrophœnissa genere: id est, de villa quæ dicitur Phœnix prouinciæ Syriæ. Et sic egressus est Iesus à consortio Pharisæorũ, discipulos, imò & magistrum, calumniantiũ, vt discedit ab homine cauilloso: vt per fidem gentilis fœminæ perfidiam Scribarum argueret: & ex deuotione gentilium, ostenderetur iusta Iudæorũ reprobatio. Egressus ab his, qui illum labijs honorabant, & à tor de suo longè repulerant, & opere offendebant: etiã ad Gentiles diuertebat, malens inter illos viuere quã inter ingratos Iudæos, vnũ Deum colentes fide tantũ, & opere offendentes. Heu quã valdè timeo quotidie id Domino meo Christo Iesu contingere: quã multi sacerdotes accedunt ad filium Dei in altaris sacramento: & nescio an omnes sic illum sacramentaliter recipiant, quod ipse dignetur per gratiam inhabitare cum illis: fœlices qui huiusmodi sunt, magna enim munera à tali hospite accipient. Væ tamen Dei ministris indigne sacratam buccellam accipientibus: quia statim, quod Christus sacramentaliter intrat in domum stomachi illorum & species alterantur: egreditur Christus & eius virtus, & manent ieiuni, sine gratia & fructu aliquo illis communicato: imò iudicium manducauerunt, & condemnationem sibi. Et nil mirum, quia gaudent, se tantum Deum labijs honorare, horis nempè inaduertenter recitatis, & verbis consecrationis & canonis: cum tamen corde illum vituperent, voluptate aut odio maculato, & opere peruerso, & exemplo scandalo pleno. Dolendum certè est, de tali sacerdote, qui talem hospitem & valdè diuitem recipiat adeò familiariter, non in domum materialem, sed in stomachum: & inde nullum emolumenti, aut commodi, sed damnum recipiat. Et sic egressus Iesus ab huiusmodi ministris habitu diuisis à laicis, sed non virtutibus: secedit ad seculares angustiam habentes pro peccatis suis, & pœnitentiam veram agentes. *ibi.*

Tyrus enim (iuxta Diui Hieronymi interpretationem) idem quod angustiæ. Tyrus enim lingua Hebræa Zor, dicitur, quod in nostro sermone, transfertur angustia: Sidon verò venatio-

nem aut commotionem ſignat. Fili Dei, ab Angelis in cœlo in ceſſanter adoratus, vt quid egreſſus es per incarnationem veniens ad mundi anguſtias? certe melius quam Suſannę fuerunt,
Dani. 13.c. tibi per totam vitam anguſtiæ vndique, & ab omni hominum genere. Omnia libenter patior vt ad Sidonem & animarum venationem perueniam: & ad motionem cordium per veram contritionem. Vt quid iaces Domine mi puer paruulus in pręſepio Anguſtia & frigore plenus? Vt animas captrem frigidas gelu culpæ ad calorem gratiæ: tribulatio & anguſtia inuenerunt me in circunciſione: vt ad Sidonem perueniam, & animas venatus ſim illas ſanguine meo abluendo. Tribulatio & anguſtia inuenerũt me, in nocte qua traditus ſum, triſtitia & pauor, agonia mortis & ſanguineus ſudor, & altero die flagella & crux. Vt quid Domine mi? Vt ad Sidonem peruenirem, & animas à Dæmone captas liberarem, & in prædam patri meo reportarem: & commotionem facerem in conſcientijs hominum ad pœnitentiam.

O diuine venator, & auceps cæleſtis, anguſtijs circundatus in hac miſeriarum valle vt animam ab Accipitris infernalis vnguibus liberaſſes fuiſti. Eſt ne aliqua anima adeo perfida, quæ velit magis in ore draconis per culpam eſſe, quã in manibus tuis per gratiam, cum de cœlo egreſſus ſis vt illam tãtis anguſtijs captaſſes? Innumeræ ſunt: & vtinam ne animæ multæ fideles, talem perfidiam & ſcelus contra me non perpetraſſent. In ore lupi infernalis eligunt magis eſſe auari, quam in manu mea: ac ſi in manu Iudæ apoſtatæ non fuiſſent triginta argentei, quibus venditus fui & traditus, vnde magna anguſtia mihi fuit. Alij fideles magis volunt in furioſo Dæmonis corde, per odium & iram mori: quam viuere in corde meo lãcea aperto in cruce poſt mortẽ, vt illos ad Dei & proximi amorem venarer. Heu quam multi in ſtomacho putrido Aſmodęi diaboli ad luxuriam inuitantis libẽtius & gaudenter putridi vt iumenta in ſtercore ſuo quieſcunt capti, & infames: quam in manu mea & ſcapulis meis multis flagellis dilaceratis, vt ipſos ad caſtitatem captarem. Heu heu Domine mi, & ad hoc ad Tyrum & anguſtiam magnam veniſti, vt ad Sidonẽ & animarum venationem peruenires: & ipſæ malũt in ore draconis per culpam venari ad pœnam perpetuam reſeruatæ, quam à te capi per gratiam ſinere, vt ad gaudia perducas æterna?

Doleo

Doleo equidem de his animis & auibus ſtultiſsimis, ſed magis multo gemere & plorare deſidero, anguſtias tuas, quas paſſus es cogitando, & parum venationis quod in manibus tuis video ex mundo infœlici. Imo quod maiori gemitu dignum eſt quod inter fideles multi nõ cõſentiunt vt illos per gratiã captes. Dolẽdum eſſet de Rege noſtro Philippo, ſi nudis pedibus mag no labore & anguſtia fame & ſiti, damulã ſuam in Pardo venari voluiſſet ad curiã viuam portandam & ipſa voluiſſet in furiam luporum & dentes leonũ potius incidere, quã in manus regis. O damula ſtulta, ò anima inſana, venit rex cœleſtis pedeſter & nudis pedibus, magno labore & dolore, anguſtijs vndiq; circundatus: imo flagellis & clauis fame & ſiti cruciatus, ad te venãdum, vt regiam domum inhabitaſſes: & maluiſti voluptate capta, in Dæmonum vngues incidere: & odio infecta, in ora leonum cadere: quam in manus regis pacifici, tantam anguſtiam pro tua ſalute & libertate patientis? Doleo de te anima infœlix à Dæmonio capta: tamen, abſque aliqua ſimilitudine, magis anguſtiæ tuæ Dñe mi Ieſu (quas pro animæ venatione fuſtra tuliſti peccatricis) mihi & cordi meo dolorem & triſtitiam incutiunt. *ſimile.*

Vnde quia poſt tot gemitus, & anguſtias à me amore venationis paſſas, noluiſtis ò animæ multæ, à me per gratiam capi ſinere, nec commotionem per veram contritionem habere voluiſtis in corde veſtro: ideo egredior à vobis, & recedo ſicut ab illis phariſæis, labijs me honorantibus, & corde & opere me lapidantibus. Mihi valde moleſti eſtis ô homines, veſtris litibus & accuſationibus, voluptatibus & odijs, laboraui ſuſtinens vos per annos: modo tamen egredior & relinquo vos ſecun dum deſideria veſtra operari: vnde abſque dubio ibitis poſt inuentiones veſtras prauas, & conſuetudines nociuas, væ infirmo ſine medico: in periculo moriendi poſitus eſt: væ ſitienti ſine fonte, rabiem patietur vt canis: væ famelico ſine pane: væ frigido ſine igne: væ oui erranti ſine paſtore: & væ tibi ò homo in æternum erit, ſi mors ſine Chriſto per gratiam te inuenerit: mortuus, ſitibundus, famelicus, & frigidus & in ore lupi, in æternum manebis: ſine pane gratiæ, ſine fonte ſalutari, ſine charitatis igne, ſine paſtore cœleſti. Quid facies? *Pſalm. 80.*

Vobis Iudæi (conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt) oportebat primum loqui verbum Dei, tam à Chriſto magiſtro no- *Act. 13. 6.*

ſtro quã à nobis diſcipulis eius: ſed repellitis illud: nos perſequẽ do & Chriſtum labijs honorando & operibus crucifigendo: iudicaſtis vos indignos eſſe non ſolum verbi Dei ſed etiam vitæ æternæ: & ſic parcite aut non, ecce coram oculis veſtris conuertimur ad gentes ex præcepto domini dicentis: poſui te in lucem gentium: vt prædicando cõcionator ſis in ſalutẽ vſq; ad extre-
Iſai. 49. B. mum terræ. Vnde hæc audientes gauiſæ fuerunt gentes: & etiã hic exẽplo nos docuit Chriſtus, perfidos Iudæos ſimulatos relinquere, & gẽtes quærere. O vtinã in noſtris dolẽdis tẽporibus Europæ noſtræ talia verba facto Deus non dixiſſet: tibi volebam ego vt prius verbũ meum loqueretur, Europa, mihi olim fideliſſima: & amore ciuitatis magnæ, quæ mũdi caput à me electa eſt, Roma ſcilicet, & etiã ob Hiſpaniam meam, tam firmiter vſq; in finem fidem meam defendentem & Eccleſiam: ſed quia quo ad maiorẽ tui partem verbum Dei repuliſti, veterem ac firmã Eccleſiæ & ſanctorum patrũ doctrinam contẽnens, ob tua priuata vitia: & nouam & falſam eligens vt nõ adimpleres opere veram quam prius credebas: indignã te iudicans verbi Dei, & beatitudinis: ecce quomodo iuſſi, vt ad Indos prædicatores meos ſe conuerterent. O Hiſpania noſtra, operare vera quæ credis, & pete auxilium à Domino, vt ſemper illi adhæreas.

Reijcit Chriſtus phariſæos inflatos, & recipit Chananæam Gentilem, & pauperculam mulierem: quia peccatorem magnũ vere confitentẽ & de peccatis dolentẽ amplectitur, & illi parcit: qui tamen diutẽ faſtidioſum, & hominẽ apud ſemetipſum iuſtificatum, excludit. Et ego dico vobis fideles, credentes, quia ſacrum auditis & verbum Dei, iam eſſe iuſtificatos, & quia credi
Matt. 21. C tis fidem veram: ſi non operamini iuxta illam, Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei: & Chananæa & Samaritana vos mulieres antecedent: imo illę intrabunt in gaudiũ domini, quia pœnitentiam egerunt, & à culpis iterandis ſe cuſtodierunt: & vos ſine gratia & ſine Deo miſſæ eritis in ſtagnũ ſulphuris: quia noluiſtis conſuetudines veſtras prauas Dei amore relinquere, & Deum corde honorare.

Text. ¶ Et ecce mulier Chananæa.

Homi. 7. to. 2. fol. 522. MIra res ò Euãgeliſta (ait Origenes in diuerſos) ecce mulier, caput peccati primi, arma diaboli, quibus multos proſtra-

uit

nit,& nobis continuum & durum bellum gerit. Caue ô homo, ne huiuſmodi arma aſpicias, nec mulierem arma dæmonis videas ad concupiſcendum: ſtultus eſſet homo, qui ſic arcus pulchritudinem aſpiceret, quod ſagittam contra illum venientem non attẽderet. Caue ô homo, nam dæmonis arcus mulier eſt, ne taliter illam aſpicias, quod peccati telo vulneratus euadas. Ecce mulier expulſio paradiſi, delicti mater & origo, corruptio legis antiquæ iubentis, ne comedatis de ligno ſciẽtiæ: quæ omnia mala in multis mulieribus noſtri temporis, facilè reperies. Vnde ſi abſq; illis, mũdus poſſet eſſe, aliter de hominibus eſſet: tamẽ bene vocauit illas quidã neceſſariũ malũ. Quid eſt mulier, niſi defectio viri, ob imperfectionẽ naturę, quæ ſemper intẽdit producere id quod melius eſt. Optimè in Eccleſiaſtico mulieris malitia pingitur, vbi dicitur: omnis plaga triſtitia cordis eſt: & omnis malitia nequitia mulieris. Nõ eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit magis, quã habitare cũ muliere nequã. Et meritò, quia leo & draco corpus ad ſummũ occidere poſſunt, & nõ habent amplius quid faciant: mulier tamen mala precioſam animam viri capit & occidit in perpetuũ. Caue à conſortio mulieris, etiam bonæ: imò inde maius periculum imminet, cum volũtas magis affecta ſit ad maius bonum: alias quid mirum, vt cum ſpiritu cœperis carne conſumptus ſis. Quia ſagittarius ille malignus, à principio non mittit ſagittas venenatas, ſed ſolum aliqualiter vulnerantes (vt ait D. Bonauẽtura de puritate conſcientiæ) & amorẽ augmentãtes: caue mulierẽ tanquã arma diaboli.

*Simile.*

*Gene. 2. C.*

*Eccli. 25. C. D.*

*Prou. 6. D.*

*Ad Gal. 5. A.*

*To. 1. fol. 143 col. 4. c. 14.*

De carbonibus ſcintillæ diſiliunt: de ferro rubigo nutritur: morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam. In riſum aliquando diſſoluitur: nunc blanditias exhibet, & quod eſt venenoſius ſuper cũcta pſallere delectatur, aut cantare: cuius cantũ, tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantẽ. Vnde ille alter fidelis poeta malens, mori quam ſe polluere dicebat: tutius in ſyluis baſiliſcũ audire frementem: quam molles cantus fœmineumq; melos. Breuis deniq; omnis malitia ſuper malitiam mulieris, id eſt, ferè nulla (ait Salomõ) reſpectu fœminæ malitię: ſors peccatorum cadat, id eſt, cadet ſuper illam: nam à muliere initiũ eſt factum peccati, & per illã omnes morimur. Valdè ſtomachatur & meritò D. Chryſo. contra fœminam venenum

*Mich. Veri.*

*Eccli. 25. C.*

Homi. 14. tom. 2. nenum viro infundẽtem, vt patet in illa homilia de mulere mala: ex varijs Matthæi locis: dicit enim: heu me, quid agam? Vnde ſermonis exordium faciã? Quid enim quis dicat, aut quomodo quis enarret mulierem illam crudelem & malitioſam? Ego quidem æſtimo nullam eſſe in hoc mundo beſtiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia, leone ſeuius? Sed nihil muliere ferocius. Quid in ſerpentibus draco ne atrocius? Nec iſte quidem cum muliere mala conferri poteſt
Dan. 14. G. & linguoſa: nam leo & dracoin malo inferiores ſunt. Danie-
3. Reg. 21. C lem leones in lacu veriti ſunt: iuſtum Naboth Iezabel lapidibus
Ionæ. 2. A. interfecit. Cetus Ionam in ventre cuſtodiuit: Dalila Sanſonem
Iudic. 16. E. circunuentum illecebris, raſo etiam capite deformatum alieni-
Marc. 6. D. genis tradidit, vt oculis orbatus morti traderetur. Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem, dracones & aſpides cornutę ſubdita feritate tremuerunt: Herodias vero eidem caput abſcidit: & tanti viri caput in pretium ſaltationis accepit. O mulier, ecce mulier, cauete viri & oculos mentis ad illam fugiendam aperite: nam Elias ille zelo Dei plenus, quem corui in monte pauerunt, rapaces aues cum ſint, poſt aquã redditã per ipſum terris: à Iezabel perſequitur: & ei minabatur dicẽs: es tu Elias? Ego ſum Iezabel. Certe me timere & fugere debes, qui tot occidiſti prophetas: alias hęc faciãt mihi dij, & hęc addant, niſi hac hora cras
3. Re. 19. A poſuero animã tuã vt vni⁹ ex illis. Timuit & fugit Elias, & ſic eua fit è manibus ei⁹. Time & fuge mulierẽ ſi occidi ab illa nõ cupis.

Ecclеſ. 7. D. Salomon quaſi expertus, multa de muliere affirmat mala, & valde conqueritur de illa dicens: inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius: qui placet Deo fugiet illam: qui autem pecca tor eſt capietur ab illa. Virũ de mille vnum reperi: mulierẽ ex omnib⁹ nõ reperi: nõ vidiſti virginẽ. Terribilis eſt locus iſte, cõtra mulieris malitiam: ſuis pennis mirifice pingitur mulier mala hic. Primo docet ſpiritus Dei per Salomonem morte amarorem eſſe mulierem. Neſcio an ipſe Salomon didicit in morte illas fugere melius quã in vita, cum mulieres cor eius auerterent, & à quo niſi à Deo? Et deprauatum fuit & idola mulierũ quas diligebat coluit. An ipſe mulierum cauſa mortẽ æternam inue-
3. Re. 11. A nerit, iudicio Dei reſeruatum ſit: certè mihi nõ placet finis eius, quẽ in ſcriptura ſancta reperio, quæ male de illo audit, in vitæ

ſuo

ſuo termino, etiã ſi legi Aluarũ Pelagiũ de plãctu Eccleſiæ in fauorem Salomonis, doctores citantẽ, neſcio an ipſe illos legerit: nam dicta illorum non inuenio etſi quæſiui. Interim qui, ſtas, ſi gratia ſtas, & in dignitate & ſcientia & iſta legis aut prædicas, time, & noli altum ſapere, & familiaritatem mulierum fuge. *Li. 2. ca. 45.*

A marior morte es mulier mala, cum tua cauſa ſpiritualem mortẽ multoties incurrat homo: væ illi ſi non reſipiſcit & velut à facie colubri & melius fugiat à te: ęterna mors illi erit ſubſecuta. Laqueus es etiam mulier (ait Spiritus ſanctus) & venatorum Dæmonũ. Vide officiũ quod exerces: ò infœlix mulier, quæ viro virus voluptatis propinas, & hominẽ ad imaginẽ Dei factũ ſuoque ſanguine redemptum, non vereris à manibus illius arripere, qui tantis anguſtijs venatus eſt illum, & draconis infernalis vnguibus tradere, alliciendo illum ad voluptatem? O Diaboli laqueus & mucipula inferni, quã male tibi erit coram iudice Chriſto, quando accedas ad illum patrẽ, cuius filios occidiſti: ad Dominum omnium, cuius ſeruos percuſsiſti: verbo percuſsiſti, & conſenſu occidiſti. Attẽde mulier cuius es laqueus & in cuius iniuriam, in illius nempe qui in nocte lugubri & triſti laqueo duro in horto ligatus eſt. Non ſolũ laqueus quo vnus aut alter capitur à Dæmone es infœlix mala mulier: ſed etiam ſagena eſt cor tuum qua diabolo multos, non piſces, ſed pice nigriores, rubetas atq; ſerpẽtes in tales ex hominibus cõuerſos capis. Videte quid decem aut viginti ſi non centũ, meretrices in vna ciuitate Valẽtina in vnica nocte capiãt homines in ſagena voluptatis maledictæ: & in curia regia, quanti per hebdomadam capiantur: vbi reperiuntur (ſi verum eſt quod audiui) pluſquam quatuor millia mulierum malarum publice Deũ offendentiũ & animas captãtium. O mitto illas, qui occulte etiam animas Diabolo lucrãtur. Vnde ſequitur euidenter (ait ſpiritus diuinus) manus huiuſmodi mulieris & opera verba & cogitationes, nil niſi vincula eſſe: quibus ſtultus homo capitur, & quaſi bos ad inferni macellum ducitur: ignorans quod ad vincula perpetua inſanus trahatur. Placens Deo, homo, Deo placere cupiens fuge illam vt peſtem, ſi victoriam contra illam reportare vis & contra malignum. *Prou. 7. D.*

Audi D. Hieronymũ (per quatuor continuos annos ab hominibus & mulieribus inuiſum, & in vaſtã eremũ fugientẽ, lapſus adoleſcentiæ lacrymarũ imbre diluentẽ, & contractas per ętatis

incuriá ſordes, laborũ aſperitate detergentẽ: & inedia & vigilijs, & incredibili auſteritate rebellantẽ carnẽ, & ſubinde repullulá tem ætatis laſciuiam coercentem corpus ſpiritui ſeruire docentem) vade ad illum ò homo, nociuorum cõſortiorum amice & mulierum familiaritatem diligens, & interroga illum: quid hic agis Hieronyme? Tu ipſe tanto Dei auxilio fretus, non poteras eſſe in vrbibus & inter mulierum ignem, ſine hoc quod eſſes cõ buſtus conſenſu? Quare ad vaſtam ſolitudinem veniſti? Vt Dei conſilium facerem, mihi dicentis fuge: omne animal poteris vincere irruendo in eum: nam vi aut fraude aut induſtria captabis aut occides etiam leonem & vrſum, vt Dauid & Sanſon interfecerunt: fœminá vero nõ niſi eá fugiẽdo. Interroga hos duos modo memoratos, ſi victi ſunt à fœminis qui leones vincebãt. Et audi me dicẽtem notanda in illa epiſtola ad Euſtochiũ, de virginitatis cuſtodia, vt timeas & ipſe mulierẽ, & fugias ſi non vis capi. *Tomo. 1. fol 136.*

O quoties ego ipſe in eremo cõſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridũ monachis præſtat habitaculum: putabã me Romanis intereſſe delicijs. Vide quid ipſe facies, inter prunas ardẽtes, ſedebã ſolus, quia amaritudine repletus eram: horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis, ſitũ Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus. Et ſi quãdo repugnãtẽ me ſomnus imminẽs oppreſſiſſet, nuda humo, vix oſſa hærentia collidebã. De cibis vero & potu taceo, cũ etiã languentes, aqua frigida vtãtur, & coctũ aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehẽnę metũ, tali me carcere ipſe damnauerã, ſcorpionũ tãtum ſocius & ferarum: ſæpe videbatur mihi choris puellarum intereſſe. Quid cogitas faciendum homo, qui non in eremo, ſed in frequentia magna mulierum, habitas, non ſolus ſedens & dolens pro peccatis amaritudine repletus, quia Deum offendiſti: ſed lætus & gaudens quaſi re bene geſta à te inter mundi gaudia quieſcens? Quomodo mulier, Dæmoni prædã non te conſtituet, qui non ſacco & cilicio duro membra tua premis: ſed mollibus ornas adluxum inuitantibus veſtibus? Vbi lacrymæ quotidie à te pro peccatis effuſę? Vbi gemitus pro Dei honore à te conculcato?

Quãdo corpus tuum in humum vt in lectũ proieciſti & cito ſepeliendum cogitaſti, vt ille Baſilius magnus qui humi cubitabat, & totis ſæpe noctibus vigilabat, cũ omnis expers libidinis

tota

tota vita perſeuerauerit. Lecta eburnea quæris, puluinaria mollia requiris, cibis & potibus reples quotidie corpus tuũ: nec gehennam metuis, nec cœlum deſideras, nec Deum inhonorare abhorres: ſocius mulierum, ſcorpionibus damnoſiorum, & ferís ſatis peſtilentiorũ, quomodo debes ab ipſis per mortale delictum capi & Dæmonis poteſtati tradi? Fuge mulierem cum Ioſeph, nullo alio ſcuto ad defendendum ſe de illa vtente, quam fuga: & magis pallium, imo & vitam, in manibus illius relinquere volente, quam caſtitatem & animæ gratiam: & potius carcerem obſcurum & vincula, quã capi ab illa & à laqueo ſuo Dæmoni, eligente. Vnde etiã ſi captiuus corpore, ſpiritu liber erat & domi nabatur in carcere: & maluit omnia iſta (& quod grauius eſt in famiam qua mulier reſperſerat illum) pati, & vincere fugiendo, quam Deum in aliquo offendere. Fuge cum Ioſeph vitium carnis & iram mulieris, captantis animas Diabolo ò homo, etiã palei corporis tui & honoris necdum facultatum iactura & diſpendio, ſi vis liber eſſe in cœlo cum illo: quia de hoc vitio tantũ audies Paulum dicentem: fugite fornicationem. Vbi ait Diuus Tho. cætera vitia vincũtur reſiſtendo, quia quãto magis homo particularia aliorum vitiorum cõſiderat & tractat: tanto minus in eis inuenit vnde delectetur, ſed magis anxietur, & ſic contemnit illa: ſed vitium fornicationis, non vincitur reſiſtendo: quia quanto magis homo in illo cogitat particularia, magis incẽditur ſuo proprio igne, quem ſecũ portat: ſed vincitur fugiẽdo, ideſt, totaliter vitando cogitationes immundas & quaſlibet occaſiones. Ideo fugite de terra aquilonis (ait Dominus per Zachariam) ò, ò, fugite, ſi vincere Dæmonem & arma eius laqueum & vincula & ſagenã (mulierẽ nẽpe) deſideratis vt par eſt, ò homines.

*Ge. 39. B. C.*

*1. Cor. 6. D Lecti. 3.*

*Zach. 2. B.*

Fugit Elephas ſuem aut porcum, fortiſsimus cũ ſit: & non fugies tu homo, mulierem laqueantem & captantem fragilis cum ſis? Certe naturales affirmant (vt eſt videre in Berchorio) Elephantes domitos turres ligneas portantes eſſe, acieſque deſtruẽtes, armatoſque concutientes: tamen (quod dictu mirabile eſt) qui armatas acies non timent, vocem minimi ſuis, ſiue porcelli, fugiunt & valde timent. O imitãdum exẽplũ ab hominibus caſtitatem & vitæ puritatem deſiderantibus. Eſto ò homo iuſtus, præcipue ò Dei ſacerdos, corpus tuum inedia & vigilijs & pœnitentia domitũ redde, & ſpiritui & Deo ſubijce illud: per cõ

*Simile.*

*Lib. 10. cap. 36. §. 12.*

ſtan-

ſtãtię fortitudinẽ hoſtes ſpirituales, mundũ ſcilicet & Dęmonẽ, infinitis malitijs & telis contra te armatos, ſic bonis operibus illude, vt illos non timeas. Turres ligneas mãdatorũ Dei & Eccleſię & religionis (ſi monachus aut monialis es) libẽter in humeris tuis obſeruatione debita porta: tamen per viſcera Dei noſtri qui bus nos redemit obſecro te, vt ſuis grunitum & carnis vocem & mulieris aſpectũ, velut ipſum infernalem ignẽ & melius fugias & abhorreas: ſi cupis vt animam tuam non polluat, & in Dæ-
2. Pe. 2. D. monis laqueum captam proijciat: & vt ſus lota in volutabrolu-
Gene. 33. B. ti reuolui & coinquinari non faciat & dãnari. Iacob, qui non timuit Laban perſequentẽ, magna comitatũ caterua: timuit valde & perhorruit fratrẽ ſuum Eſau: & ſepties adorauit ne ab eo oc-
Ibi. 34. A. cideretur pronus in terram. Vt ſcias non ita Dæmonem perſequentem te perhorreſcere, ſicut carnem propriam aut mulierẽ
De nomi. hebra. In Gene. E. per Eſau ſignatam qui (iuxta D. Hieronymi interpretationẽ) ſignificat facturam, ſiue rubentem, vel aceruum lapidun, ſiue vanum aut fruſtra. Fruſtra delectaris in mulieris pulchritudine, in vanũ voluptati vacas, cum finem tuum ideo amittas: aceruus lapidum expectat te poſt mortẽ: quia noluiſti liberari à ſanguinibus & delicijs rubeis, cum eſſes Dei factura: & etiam mulier qua abuſus es contra Deum: Cade in terram, vilitatem tuã agnoſcens, & cito fore ſepeliendus cogita: quod maxime contra mulieris malum & contra voluptatis fallaciam te adiuuabit: ſepties laudem in die Deo ob victoriam præbe, & vt ſemper vincas.

Ecce mulier ex genere canũ: ſicut hodie multas reperies, hominum honorem, vitam & quod peius eſt animas dilacerantes, vt caniculas rabidas. Tamẽ etiam ſi audiſti Salomonẽ dicẽtem, nullam mulierem bonã inueniſſe, intellige cũ Lyra ibi nõ quod nulla ſit virtuoſa ſed quia paucæ reſpectu virorũ: ſicut dicimus nullus eſt in Eccleſia, quando pauci ſunt reſpectu multitudinis
2. Phy. quę ſolet ibi cõuenire: quia ſicut Ariſ. in Phyſicis affirmat, illud quod modicum eſt, quaſi nihil cõputatur. Si per mulierẽ ſenſua litatem (cum gloſſa interli,) non intelligamus. Et quomodocunque ſit ſunt hodie & fuerũt multę honeſtę & ſanctę mulieres, tã ante gratię legẽ Sara Rebecca Rachel & alię: quã ſub lege Euãge
Prou. 31. B. lica virgines innumerę & martyres. Et ſatis eſt ad ſexũ fœmineũ decorandũ illa mulier fortis procul & de vltimis finibus nempe de diui-

de diuinitate (in infinitum perfectione ab humanitate distante) & ab ipsa humanitate pretium eius adducens, nempe Christum Dominum, virgo prudentissima, animatum templum Dei excelsi: quam Deus sic elegit & præelegit ante mundi constitutionem: vt sancta & immaculata ab omni labe Dei mater esset: quę Angelos vincit puritate, & omnes sanctos superat pietate. Et Diuus Augustinus sexum deuotum nominat fœmineum: & ipse Salomon multa de muliere bona in Ecclesiastico dicit. Eccli. 26.

Ecce mulier canicula ad cōfusionem vestram mulieres Christi sanguine emptæ, quæ cum multæ ex vobis filias habeatis, à Dæmonio vexatas, imo propriam animas mortali culpa maculatas & in potestatem Dæmonis redactas: nil minus quam de expulsione peccati à vobis, quanto magis à filiabus curatis. Ecce mulier, ad hominum fortium confusionem egrediens, & illorum opprobrium: quę cum esset ex canum genere, egreditur de terra sua & de domo propria & cognatione, per valles & colles plorans & gemens, iniurias oblatas libenter ferens: dummodo Dæmonem à corpore filiæ & à propria anima Dei auxilio expellat, ne talem patiatur vexationem? Et tu homo vir, virilis & fortis, à tot Dæmonibus, vt peccata habes, tortus & possessus, per longum tempus: quasi securus quiescis, remedia non quęrēs spiritualia, nec sacramentorum medicinam nec animæ tuæ infelicis, quam Dæmon ad libitum miserrime possidet, misereris, quam sic contra Deum mouet? Vnde credis tot mala & blasphemias, à miseranda anima tua, contra Deum procedere: nisi ab hospite infernali, quem secum per tot habet tempus? O magis insensate quam asina Balaam: cum illa conquerebatur de domino suo, ira fuste illam percutiente: & tu nō de Dæmone, concul canteanimam tuam & possidente. Ecce mulier, discite mulieres, imo & homines, illius exemplo perseuerantiam in oratione: patientiam in iniurijs habendam & in laboribus & fidem cum operibus. Ca. 8. Num. 22. F.

Ecce mulier, in nomine gentilitatis, exeuntis ad fidem, egressa ad Christum à Iudæis repulsum vt illum quærat & amplecta tur, & credat & sperat & obtineat micam fidei quam petit. Vnde non mireris de fide & perseuerantia huius mulieris, quia gentilitatem, valde Christum amplectentem & magna fide & desiderio quærentem signat Iudæa repudiata & meritò.

to. Vnde ait Origenes: ecce mulier Chananæa, quod translatum sonat paratam dimissioni: nam boni parati sunt regno cœlorum, & qui pœnitentiam egerint dimissioni & exaltationi. E contra peccatores, parati sunt deiectioni malitiæ quæ in illis est. Ecce mulier alienigena de gētibus nouella plātatio. Mirū negotiū, Iudęi fugiūt, Chananæa sequitur: domestici derelinquūt, alienigena hęret: iūgere se Christo & approximare cupit. Sic fere semper in vsu est, in isto misero mūdo: filij fideles fugiūt à Christo: alij fidem relinquentes vt hæretici, alij per culpas charitatem odientes vt Christiani peccatores: Indi tamen accedunt ad illum: vt multi ab oriente & occidente venientes ad fi-
*Matt. 8. B.* dem & opera (vt oculis videmus in Iapon & Regno contigisse occidentali nouo) recumbant cum sanctis in cœlo: & multi filij regni, idest Ecclesiæ, fugientes Christum aut opera bona, eijciantur in tenebras exteriores. Ecce mulier, quæ videns se miseram & filiam Dæmoniacam, & in cibo & potu & in lecto sem per Diabolum in comitem & Socium habebat: dolebat & tremebat, & medium quod adhiberet ignorabat; vt illo hospitem & hostem, adeo pestilentem & horrendum, à filia & à domo expelleret. Forsan nō defuit, qui vidēs illā in tātis angustijs & mœrore cōfectā, de Iesu fama virtute & potētia illi notitiā daret, dicēs: quid stulto labore & planctu infructuoso cōsumeris? Est medicus cœlestis in mūdo, & de salute filię dubitas? Est Dęmonum imperator in terra, & ad cuius nutū trementes & etiā nolētes hospitiū relinquunt maligni, & dolore tabescis, ob Dęmonis vexationē? Est Iesus inter nos, ad cuius nomen ipsi Dęmones curuantur, & desperas salutem consequi erga filiam? Et scito modo trāsire apud fines nostros, magna comitatum caterua, infirmorum quos sanauit: & hominum quos ab immundis spiritibus liberauit: ideo si tantus dolor tibi est, de tali hospite filiam vexante, curre ad fontem misericordiæ & ipse liberabit te.

Vt cognouit hoc, & talia audiuit mulier ista de Iesu, & famā illius intellexit, magnā in corde concepit fiduciā: & sicut cerua sagitta percussa herbalinita, surgit statim sine mora: neq; procrastinādo, nil de sua vilitate cogitans, sed de Christi magnanimitate, reliquit domū & filiā & ciuitatem & surgit animo versans. Iesus est? Ergo saluator. Filius Dei est? Ergo omnipotēs, & summe bonus. Igitur poterit & vellet. Māsuetus est? Igitur nō aspiciet

meam

meam ignominiam, vile genus & caninum, ſed benignitatem ſuam. Medicus eſt & ad conferendam medelam venit immundum? Curabit ergo filiam meam & animam meam. Mihi non erit iratus, medicinam quærenti. Inimicos generis humani expellere curat? Igitur modo malignus hoſpes meus expulſus erit: & gratiæ ſalus veniet, deinde gloriæ, Amen.

# Homilia Secunda.

¶ A finibus illis egreſſa eſt. *Tex.*

ARbitror (ait Origenes) quod ſi non fuiſſet iſta mulier egreſſa à finibus ſuis, non potuiſſet clamare ad Ieſum, nec obtineret aliquid ab illo: ſic qui occaſiones non fugit, faciat quod voluerit clamet & oret: in magno periculo ſaluationem ſuam conſtituit. Ecce mulier canicula gentilis: mordens pollices ſuos, gemitu magno & fide Deum & hominē inuocando, & diſcipulos in aduocatos citando: & tamen quouſque à finibus ſuis egreſſa eſt non exauditur à Domino, neque petita obtinuit, quouſque terram propriam deſeruit. Vt ſcias peccator, quod etiam ſi plores & gemitus emittas, & ore & fide Deum & hominem verum confitearis: & etiam habeas omnes cælicolas pro te orantes, videbis certe in magno periculo te eſſe conſtitutum á Dæmonio vexari, & à mortali delicto teneri: quandiu occaſiones radicitus non euellas, & cauſas peccati non fugias. Quia tamen (meo iudicio etſi tenui) nulla res magis vtilis animabus dici poteſt, aut ſcribi ſiue concionari, quam de occaſionibus peccati tollendis: & nobis anſa detur ex hoc Chananææ facto: immorabor in hoc, vt ſi (Dei auxilio implorato) mihi primum, deinde omnibus omnes peccandi cauſas radicitus tollere ſuadeam: tanquam fundamentum omnium virtutum & initium perfectionis, ſine quo neſcio quis bonus fieri poſsit, quanto magis perfectus.

Fundamentū igitur huius materiæ ſit dictū Domini per Ieremiam nobis dicentis ita, recedite de medio Babylonis, & de *Iere. 50. B.*

terra

terra Chaldæorum egredimini: ô homines à me creati & sangui ne filij mei redempti, & ad Ecclesiam perfidem vocati: si saluari cupitis & veniam peccatorum accipere: fugite de medio Baby lonis & de omni confusione ad culpã inuitante, & de terra Chal dæorum, scilicet de omni occasione peccandi: si Dæmoniũ ab animabus vestris vultis expellere vt decet. Dices forsan: nescio quare sic causas peccandi esse tollendas intimasti: quia ex occa sionibus fere nunquam aliquid mali mihi accidit hucusque. Sit
*Simile* ita quod dixisti, etiam si impossibilem mihi rem narras: applica, amabo, columnæ albæ & marmoreæ tædam succensam: cer te illam non combures, tamen nigredine & caligine deformem & nigram sine albedine reddes. Esto sis columna fortis contra vi tium, marmoreus, valde malis resistens: albus castitate, optimi coloris & honoris & occasionibus ad culpam non sis attractus (quod velut miraculum erit) certe tamen velis aut non & neces sario fama tua & honor nigredinem contrahere debet & caligi nem: & alijs ruinæ causam per iudicium temerarium & scanda lum præbere debes. Vnde debitor manes Deo & honori tuo & etiam proximo cadenti tua causa, & scandalum patienti: ex eo quod te in peccandi occasione satis probabili cernit.

*Simile.* Sicut detractor iniquus, delictum graue committit, & nõ erit impunitus, infamia bonum virum respergendo: quia etiam si il lum non combusserit sua detractione neque ad malum & odium perduxit, neque illius bonitatem sua malitia tollere potuit: ta men famam illius aliquo modo nigredine offuscat apud homi nes: vnde pœnas dabit non minimas, si ad pœnitentiam & hono ris satisfactionem cito non confugerit: Sic occasionum amicus & illarum contemptor: quia honorem suum denigrat, & alijs scandali ruinam parat, etiam si fortissimus ad malum culpæ resi stendum sit, debitor pœnæ manet. Quanto magis, quia fortitu do tua ô homo fragilis, & ad malum pronus ab adolescentia tua, imo ab vtero matris tuæ, non est marmorea neque lapidea sed mollis & ad malum tenera. O vtinam omnis homo aut mulier, quando ab alio aut à Demone, ad occasionem peccati inuitatur,
*Iob. 6. 2.* aut à lenone, dicat illud Iob: abi hinc discede à me pabulũ mor tis (vt dicebat Sancta Agnes) quæ est enim fortitudo mea vt su stineam occasionem grauem & consortia nociua sine culpæ rui na? Aut quis finis meus erit in morte & iudicio, vt patienter agã

& te-

& feram tantum periculum? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est, sed terrea & fragilissima. Ecce non est auxilium mihi in me, quoties in occasione peccandi me constituo, sed statim delibor ad malum. Et quod magis doleo, quod cum primis in occasione delinquēdi me cōstituo, necessarij mei Angeli nēpè vidētur recedere à me, & auxilium suum auferre: fuge ergo ô homo de medio Babylonis & occasionis.

Meo videri non est absolutionis beneficio dignus, qui per mensem & annum occasionem satis probabilem peccandi fugere noluit, etiam si videatur veram adducere contritionem, vt qui noluit à domo discedere, in qua satis probabiliter, cum muliere ibi existente in periculo peccandi se constituit, & cum qua frequenter peccauit. Et qui ludis vacat in periculo magno blasphemandi, aut alia peccata committendi, & non vult recedere à domo ludi. Patet non esse absolutione dignum: quia nemo sine contritione debet absolui: aut saltim si venit cum attritione cognita (vt tenet Magister Soto in quarto) & qui non censetur absolutione dignus, præceptum contritionis non implet, atque adeò nec confessionis: sed qui venit ad confessionem sine firma voluntate, occasiones probabiles peccati tollendi, in quibus certo certius credit & experientia illi constat se maculari, non portat veram contritionem, quę includit in se voluntatem fugiendi peccata & occasiones in futurū: igitur non cogitās vere de tollenda occasione, absolutione est indignus. *D.18. Q.3. art.3.*

Hoc (meo iudicio) patet etiam ex illo Salomonis dicto: qui amat periculum peribit in illo: hoc est, qui se peccandi mortaliter periculo satis probabili se exponit in illo peribit, etiam si non habeat aliud peccatum quam tali periculo se exponere. Vnde ait Lyra ibi: Qui amat periculū, id est, occasiones peccatorū. Igitur sicut non debet absolui, qui peccandi intentionem habet: sic qui occasiones peccati, non habet tollendi intentionem. Maneat ergo talis sine absolutionis beneficio: excōmunicetur multetur quatuor argēteis, infametur in populo, qui huiusmodi est Deū inhonorans: quousq; à domo ardente & ab occasione egrediatur. O bone Iesu si hoc in confessione esset in vsu, quāta delicta contra te essent impedita. Doeg ille pessimus Idumæus, irruit in sacerdotes Domini, & trucidauit in die illa octoginta quinq; vestitos ephotlineo: solus Abiathar quia fugit ad Dauid *Eccles. 3. D.* *1. Reg. 22. D.*

euaſit. Quid Doeg, qui mortuus interpretatur, niſi carnis peccatum eſt? O deteſtandum vicium, quod hominem occidis, & infamia coram Deo & hominibus fœtere illum facis, & peſsimum odorem reddere. Signat etiam ſolicitum dæmonẽ, multos vitio carnis occidentem: & quod Paganos aut Lutheranos tali occideret telo aut laicos fideles, dolendum certè erat: ſed ſacerdotes? Sed religioſos? Quos hodie vidimus in Eccleſia, ſacra peragẽtes: & indutos Ephod lineo, nempè alua, veſtem qua Chriſtus illuſus fuit ſignante? Et caſulla veſtem purpuream repræſentante? Corpus Chriſti conſecrantes, oſculantes, recipientes? Hoc nefas eſt viuit Dominus. Quis tamen ſacerdotum gladium dæmonis & voluptatis mortem fugit & euitat? Abiathar, qui ros interpretatur & fugit: nẽpe ille qui diuino gratiæ rore perfuſus, occaſiones delinquendi viriliter fugit, & à finibus illorum abit.

Congregatis ſimul fratribus Franciſcanis Deo gratiſsimis, Egidio Rufino Iunipero & Simone (vtinã ex iſtis modo habuerat omnis ordo multos: etiam? Si non dubito veros religioſos habere complurimos) dixit Egidius illis (vt refert D. Antoninus) Quid facitis vos cum tentationibus carnis? Reſpondit Rufinus: ego commendo me Deo & beatæ Mariæ, & proijcio me in terram: ac ſi me mort. Idem & ſepeliendum cito agnouerim. Iunipe rus vero dixit: cum ſentio huiuſmodi cogitationes ſtatim dico: à longe à longe: quia captũ eſt hoſpitium & fures adſunt ad gratiæ ſpoliationẽ. Dixit ergo Egidius: tecum teneo, quia cum iſto vitio ſecurius pugnatur fugiendo. Si modo multi ſocij, in ordinibus ſanctis fugiũt vere occaſiones aut nõ, ipſi ſciunt: & aliquando fructũ illarum inuenient. Neſcio tamẽ, quid ſancti ordinum fundatores feciſſent: ſi frigiditatem charitatis in mundo iam præſenten agnouiſſent: & occaſiones ex familiaritate & confabulationibus mulierum præuidiſſent futuras, circa ſuos ſucceſſores: & ex neceſſaria ob neceſsitatem cõfabulatione exortas. Cõſule D. Antonin. mecũ ſentientem, in vita D. Dominici. Neſcio inquam an illis vt commodum victum proprium haberent conceſsiſſent: dummodo occaſiones oblatas hodie fugerent, & frigiditati charitatis hominum obuiarent. Sed cùm filij Dei eſſent, & ſpiritu Dei agerentur & ducti eſſent ad ordines inſtituendos: videat quilibet Monachus quomodo occaſiones fugiat, nã illi patres ſanctè omnia inſtituerunt ex Dei nutu: fugiat cum Egidio,

P. 3. hiſt. tit 24. cap. 7. §. 12.

3. P. hiſt. tit. 23 capit. 4. §. 13.

qui

qui vti noluerit: cum videamus D. Franciſcum tam ſtupendum factum obtinere à Deo in ſuorum fratrũ victu, ſine redditibus.

Attẽdatq; religioſus quiſpiã & ego ſacerdos & quilibet homo in mẽte habeat, quid alter frater fecit (referẽte D. Antonino) qui cũ trãſire vellet cũ matre ſua flumẽ: ſumpſit matrẽ in humeris, tũ manus eius pallio proprio inuoluit: trãſacto fluuio interrogauit eũ mater ſua: quare ſic feciſti, vt inuolueres pãno manus tuas ad tãgẽdas meas? Mater feci ſic ne me cõbureres, quia caro mulieris & corpus eius ignis eſt: & eo ipſo qđ te tãgebam, veniebat mihi memoria de alijs mulieribus. Audiamus D. Bonauẽturam nomine & re beatũ. In cõfeſſionali, dicentẽ: niſi ſemper de cætero deſiſtere volueris, ab omni mortali & eius cauſis & occaſionibus, religioſus ſis aut ſacerdos, veniã peccatorũ non tibi ꝑmittat aliquis: nec corpus Dñi aliquatenus tibi dare audeat. Imò etiã ſi ſacerdos ſis, & inſtet feſtũ quodcunq;, etiã ſi veſtitus ſis miſſalibus indumẽtis, ô notãda intimatio: etiã ſi Papa expectaret & Imperator, & totus mũdus, vt ad faciendũ ſacrũ exires: etiã ſi poſt annũ peccare velles, tibi nõ detur abſolutio: quãto magis probabiliter credens te ante noctẽ futurã iſtã peccaturũ, cùm domi habeas ignẽ, quo animã tuã quotidie incẽdis? Tolle peccãdi cauſas Dei miniſter, ſi beneficio abſolutionis potiri vt decet deſideras, & dignè ad Chriſtũ in altari accedere. Nam omni die vos ſacerdotes aut religioſi viciſsim cõfitentes & ad inuicẽ de eodẽ crimine aut voluptate (occaſione ſemp delinquẽdi manẽte) vos abſoluẽtes: timeo ne ſitis voſmetipſos & ſacramẽtum irridẽtes, & ſine fructu abſolutionis permanẽtes: qa occaſiones peccãdi non eſtis reſcindẽtes.

*P. 2. hiſt. tit. 15. c. 12. §. 6.*

*Par. 3. to. 1. fol. 136.*

Cui ſimiles dicam vos talia quotidie facientes, & ad veram pœnitentiam & vitæ correctionem non peruenientes? Similes illis execrandis preſbyteris Suſannæ affirmem vos eſſe, qui ambo exarſerant in concupiſcentiam eius, cùm eſſet caſta & ſancta mulier: & euerterunt ſenſum ſuũ, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlũ, nec recordarentur iudiciorum iuſtorum. Ambo igitur erant vulnerati amore eius: & cùm eſſent peſſimi erubeſcebant indicare ſibi viciſsim dolorem & concupiſcentiam ſuam: quouſque ſciſcitantes ad inuicem, cauſam confeſſi ſunt, & concupiſcentiam ſuam alternatim. Non tamen inde emendati receſſerunt, nec cauſas peccandi reſciderunt: ſed ad hortum & ad occaſionẽ pariter perrexerunt. Vnde mulierem

*Dani. 13. B.*

caſtiſsimam infamia reſperſerunt & in periculo lapidandi conſtituerunt: ipſi verò pœnam talionis inuenerunt: interfecti ſunt,
*Dani. 13.* & neſcio de illorum damnatione quis dubitet: totum hoc in Daniele Sancto inuenies.

Qui ſunt hi duo ſenes inueterati dierũ malorum & preſbyteri obſtinati: niſi duo ſacerdotes aut religioſi in concupiſcentijs ſuis combuſti? Euerterunt ſenſum ſuum & declinauerunt oculos fidei ad ſua deſideria: ne viderent recta cõſideratione cœlum, nec dignitatem ſuam, nec Deum quem quotidie conſecrant in altari. Nec recordati ſunt tot ſacerdotum ſanctorum, & Religioſorum beatorum: ſed ambo vulnerati amore maligno cõtra Dei famulas & caſtas mulieres. Et ſcelus quod erubeſceret quilibet illorum alteri indicare extra cõfeſsionem: in illa alternatim corda ſua & immunditias patefaciunt & in ſacramento ſancto: & ſi ad vere de illis dolendum eſſet & in futuris cauendum & occaſiones peccandi tollendum, bene illis eſſet & Deus gaudenter ſanguinem ſuum tribueret. Tamen non inde emẽdati recedunt, neque confitentur, niſi vt conſcientiarum foris ora claudant: & hoc patet, quia ſtatim ad pomarium & ad conſortium nociuum reuertuntur, & ad primas peccandi cauſas. Caueant qui huiuſmodi ſunt bonarum mulierum infamatores: quia ſupplicium crudele illorum ſenum maledictorum, manet in inferno illis.

Fugite homines de medio Babylonis, tollite peccãdi occaſio-
*Gen. 12. A.* nes, qui ſalui fieri cõcupiſcitis, & eſſe meritorũ diuites. Abrahã, vis vt faciã te in gentem magnã, & protector tuus ſim, & merces tua magna nimis? Volo Domine. Egredere igitur de terra tua & de cognatione tua, & benedicã tibi, & magnificabo nomẽ tuũ, eriſq; benedictus. Cupis ô homo fidelis, vt Deus faciat te in gentem magnam meritorũ, & fiat tuus protector in omnibus? Volo. Vis vt ſit in cœlo merces tua præmiorũ magna nimis? Deſideras vt te benedicat benedictione cæleſti, & ſis in æternũ benedictus? Nil magis opto. Audi illum dicẽtem tibi & opere obedientiam illi præſta: egredere de terra tua & terreno deſiderio, & de occaſione delinquendi quã habes in domo, vel loco: & in cognatione aut parentela aut in officio quod exerces. Quia & ſi poſſum magnum te conſtituere in tuo loco, & in occaſione, tamen nolo, ſed egredere ab illa: quia nolo miraculũ operari. Si vis Chananæa, ſalutem filiæ conſequi, egredere de finibus tuis. Et ſi vis homo,

animam

animã tuam à dæmonio nõ vexari per mortale: occaſiones fuge, & de locis aut domibus vbi Deum offendis egredere cito: alias quid confeſsio tua niſi irriſio eſt? Melius mihi videretur: aut ſaltim minus malũ: non cõfiteri & ſacramentum nõ irridere: quam peccandi occaſiones non tollere & cõfiteri. Si vis in anima diues fieri meritorum, egredere ab occaſionibus: nam Iſaac & Iacob in terra aliena diuites effecti ſunt. Audi filia & vide futura, & inclina aurem tuam ad obediẽdum Dei mãdatis: & obliuiſcere patris tui domum, & omnem ad malum te adducentem: & populum tuum ad culpam occaſionem prębentem: & eris anima adeo pulchra, quod cæleſtis rex decorem tuum concupiſcet: alias deformis & ipſi dæmonio odioſa manebis. *Pſalm. 44.*

Angeli de cælo miſsi ad Sodomã perdendã cogebant Loth, cũ eſſet mane dicẽtes: Surge tolle vxorẽ tuã & filias, ne & tu etiam, bonus cũ ſis, pereas in ſcelere ciuitatis. Diſsimulãte illo apprehẽderũt eũ, & eduxerũt & poſuerunt eũ extra ciuitatem: ſalua animam tuã defende vitam. Et ſi Loth dixiſſet: hic extra, ſed circa ciuitatẽ & in ſuburbanis non ero liber? Non: imo noli reſpicere poſt tergũ: deinde ne ſtes in omni circa regione: ſed in mõte ſaluum te fac. Et qui ab incendio Sodomę fugiens in montem liber euaſit, ab igne cõcupiſcentiæ filiarũ, occaſionũ cauſa non fuit liberatus. O homo Dei quiſquis es, qui Dei adiutorio & Angeli, nẽpè ſacerdotis, per verã tuorũ peccatorũ abſolutionẽ ab incendio Sodomę infernalis liber ac defenſus es: ex parte Dei parcentis tibi requiro & dico: ſurge, fuge: nã duo tibi facienda ſuperant ſi in ſcelere ciuitatis Sodomæ perire in anima nõ vis. Primũ noli reſpicere poſt tergũ iterum ad peccata cõfeſſa rediens: alias audi veritatem dicentẽ: nemo mittens manũ ad aratrũ (ideſt, opus ad laborandũ in Dei obſequio & ad virtutes colendũ) reſpiciens retro, peccata dimiſſa iterãdo: aptꝰ eſt regno Dei. Memores eſtote vxoris Loth, ob hoc in ſtatuã ſalis verſæ. Sufficit mihi hoc? Satis eſt ad ſalutẽ: tamẽ eſt fere impoſsibile, ſi occcaſiones peccati non tollis & circa Sodomã habitas, retro nõ aſpicere. Vnde veniat ſecũdum: nõ ſtes in omni circa regione Sodomæ, nec circa domũ vbi igne ſulphureo voluptatis multoties anima tua incẽſa fuit, aut alio quocunq; vitio maculata, ſi ſaluari cupis. Fuge omnem peccãdi cauſam, & in mõte orationis & contẽplationis, & ſolitudinis ſaluũ te fac. Loth cum ſanctus eſſet cum filiabus peccauit quia. *Geneſ. 19. C.* *Luc. 9. C.* *ibi. 17. C.* *Geneſ. 19. F.*

quia simul erant, etiam si ipse non sentitus est: & cogitas te Lot sanctiorem, & in aqua non submergi, neque in igne vri, & inter
*Similia.* serpentes suo veneno non lædi? Falleris certe & experientia tibi contrarium constat: & audi Spiritum sanctum deceptionem à te tollentem.

*Prou.6.D.* Nũquid (ad te ô homo, occasionũ amice, sunt sermones mei) potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius
*Simile.* non ardeãt? Aut ambulare super prunas, vt nõ cõburantur plantæ eius? Sic (applicat ipsemet Deus) qui ingreditur ad mulierem proximi sui frequenter: non erit mundus cùm tetigerit eam. Igitur sicut Deum tentaret, qui ignem in sinum misisset & super prunas vellet ambulare & non comburi: sic qui occasionem probabilem nõ fugit peccandi Deum tentat & vestimenta virtutum quibus ornabatur cõbusta videbit, & plantę affectionum concupiscentiæ igne ardebunt: & ipse super prunas ignitas infernales deambulabit in perpetuum. Fuge occasiones ô homo, si
*Eccle.11.D.* saluari vis & animã sanam videre. A scintilla vna augetur ignis
*Simile.* (ait Salomon) etiam si scintilla, vnica gutta aquæ extingui potest, si cito subueniatur: tamen si non, in magnum peruenit rogum & domum & omnia comburit. Sic & concupiscentiæ ignis scintilla cito extinguenda & facile est, si ab occasione animam tuam separas: si verò illam non fugis: ab vna scintilla augetur ignis culpæ, qui domum conscientiæ tuæ incendat, &
*Ser. in Oziã.* omnia merita tua cõburat, quia si (vt ait Diuus Chrysostomus)
*Simile.* ignis mox vt calamum apprehenderit, non expectans aliquanto tempore, attractam materiam sua flamma accendit: ità & concupiscentiæ ignis, vt primum formositatem & venustatem visu attigerit, animam statim accendit & comburit, si consensit. Quid erit si non paruo tempore, sed multo remoratur homo, in
*Simile.* ipsis occasionibus, & in ipso igne? Et (vt ipsemet Sanctus ait ibi) sicut cerua telum corpore fixum ferens: licet venatorum manus effugiat, perit tandem & moritur: sic & anima telo concupiscentiæ, ob intemperatum & curiosum saucia visum: etiam si discedat, perit tamen & corrumpitur consensu. Nam reiecto telo, vbique videt impugnantem, & gerit se comitantem: quanto magis misera cerua & anima hominis & mulieris nõ discedens à telo neque ab occasionis sagitta, erit saucia & occisa.

Valdè ganisus fuit Abraham Isaac cũ filio suo sibi nato, qui risus

risus interpretatur: tamen nec in natiuitate illius, nec in circuncisione (quæ illis erat magnum gaudium, vt modo nobis in baptismate nostro) sic lætatus fuit Abraham neque conuiuium legitur feciſſe: ſicut in ablactatione pueri, in qua grande cõuiuium fecit. Multum gaudet Abraham pater omnium, nẽpè Deus noſter, & magnũ gaudiũ eſt in cœlo, quoties anima tua naſcitur ad gratiam, per veram contritionem aut confeſsionem: & maius gaudium habet Deus quando per veram reſtitutionem ſuperflua & aliena circuncidis: tamen conuiuiũ pingue & valdè gaudioſum non fit in cœlo nec ab Angelis Dei nec ab ipſo Deo, vſque in ablactationem animæ tuæ, & ſeparationem veram & perfectam, ab omni occaſionis lacte, & cauſæ peccandi huberibus. O quantum gaudium curia cœleſtis, tunc habet de anima tua, & quanta lætitia perfunditur ipſe Chriſtus, qui ob hoc felle potari in Cruce dignatus fuit: vt ipſe à tali lacte occaſionis ablactatus eſſes, vt à morte æterna liber effectus eſſes. *Gen. 21. A.*

Miſer Siſara ideò à Iael occiſus fuit, quia lac bibere voluit, vn de ſomnũ incurrit, & ſic mulier illa clauum percuſsit malleo & defixit in cerebrum vſque in terram: qui ſoporem mortis ſocians defecit, & mortuus eſt. Vt quid cogitas te ſomno peccati toties indulſiſſe, & mulier aut caro tua clauum culpæ (vſque in terram & inferos in animam tuam defixiſſe) percutiens? Quia occaſionis lac bibere non recuſaſti, nec ablactari cum Iſaac voluiſti. Gratias poſsibiles Chriſto redde, qui non permiſit hucuſque, vt mors corporis tibi contingeret: aliâs vt miſer Siſara, ſoporem mortis ſpiritualis ſocians defeciſſes & mortem perpetuam inueniſſes: vide occaſionis lac quam ſit nociuum animæ. Si tamen tibi dulce fit, vt puero lac, & non facile ab illo ablactari potes, accipe conſilium cuiuſdam ſenis (vt refert D. Antoninus) dicentis interroganti cuidam: quid faciam? Occidit me cogitatio ſordida. Mulier quando vult filium ſuum ablactare, ſuperungit fel aut aliquid amarum huberibus ſuis: & cum iuxta conſuetudinem puer ſuggere vult ſentiẽs amaritudinem fugit, & lac abhorret. Sic & tu homo, ſi lac voluptatis aut dulcis occaſionis fugere non potes: mitte in corde tuo cogitationẽ amaram mortis, & inferni amariſsimi, qui paratus eſt peccanti: & præcipuè fel qđ Chriſtus tui amore in Cruce guſtauit. Si hoc nõ ſufficit, vt voluptatẽ odio habeas, & occaſionis lac, vt Abſinthiũ & *Iudi. 4. D.* *P. 2. hiſt. tit. 15. capit. 12. §. 7.*

ſerpẽtis venenum fugias: ô te infœlicem, & puero inſaniorem. Fuge occaſionem peccati, ſi non vis gladio illius occidi.

*Pſal* 130. Domine(dicebat Dauid) nõ eſt exaltatũ cor meũ, vt aliquid boni ex ſe cogitet, ſed tibi laus & honor ſit: & hoc opus humilitatis tibi valde acceptabile, & omne qđ in tui amorẽ hucuſq; feci: velim, vt in alia vita ſancta viſione tua mihi ſoluas. Tamẽ in hac vnã peto à te & hãc requirã, vt ab occaſionis peccandi lacte ſepares me: quia ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua & tollitur ab huberibus eius: ità ſit retributio in anima mea: vt ab omni peccandi cauſa & delinquẽdi hubere, auellas illã & tibi iungas. Si ille Doctor grauiſsimus & ſanctiſsimus, Eccleſiæ defenſor Auguſtinus, dicebat: in tantũ ſum bonus, inquantũ euito occaſiões: quid ego miſer dicam omniũ imperfectiſsimus? Quid erit de te homo fragilis occaſionibus tradito & hominũ perditiſsimo? O fœlix homo, qui totaliter occaſionis lac abhorret: de tali verificabitur il-

*Iſai.* 11. *2.* lud Dñi per Iſaiã: delectabitur infans ab hubere ſeparatus ſuper foramina aſpidis, & in cauerna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuã mittet: & nihil ei nocebit. Quia ſi purus in cõſciẽtia es vt infans, & ab occaſionis hubere ſeparat⁹ & à cauſa delinquẽdi ablactatus: delectat⁹ eris in omnib⁹, & Aſpidẽ, dæmonẽ, ſcilicet,

*Pſalm.* 90. nõ timebis, ſed ſuper illã & Baſiliſcũ ambulabis, & manũ in ore illorũ pones & opus tuũ & nihil tibi nocere poterũt: quia es Dei amicus & peccati occaſiones fugiens.

*Exo.* 10. *C.* 6 Quando iam cõuictus prodigijs aliquo modo Pharao, vocari iuſsit Moſem, dixit illi: ite ſacrificate Deo veſtro: ſed prius ſciamus quinã ſunt qui ituri ſunt? Ait Moſes, omnes nos cũ paruulis & ſeniorib⁹ & cũ ouibus & armẽtis. Maneãt oues & armẽta, dixit Pharao. Ait Moſes, nõ: cuncti greges pergẽt nobiſcũ: non remanebit ex eis vngula in AEgypto. Volebas vt ad illas reuertens, iterũ populus Dei ſeruus tuus fieret? Nõ erit ità. Dæmõ dimitte populũ fidelẽ, vt Deo ſuo corda ſua per pœnitentiã veram ſacrificet, & de tenebroſo peccati ſtatu exeat. Nolim, vt recedat: tamẽ ſi ità debet fieri, maneãt paruuli, & venialia, & mulieres, & illarũ cõſortia: & armẽta, nẽpè tract⁹ illiciti, & ite ad cõfeſsionẽ. O frater mi, dic verbo dic opere: nõ ità erit maledicte dæmõ, cuncti greges pergent nobiſcũ, ideſt, oẽs cauſę peccandi, vt Domino ſacrificemus illas. Nõ remanebit ex eis nec vngula in AEgypto:

*ſimile.* ne tali veſtigio ducti, ad te per culpã reuertamur. Nã ſicut canis

lepo

leporẽ per veſtigiũ inuenit & occidit: & puer per filũ paſſerẽ ad ſe trahit: ſic maligne aduerſarie noſter, animas per occaſionũ veſtigia & filum conſuetudinis, trahis ad te & peccato occidis.

Fuge de medio Babylonis & veſtigiũ occaſionis: nam etiã ſi non peccares, teneris non ingredi domũ, ex cuius ingreſſu ſimplices & ſine malitia ſcãdalũ patiũtur. Nam (vt ait D. Hiero. ad Euſtochiũ virginem in epitaphio Paulæ) à viris erat tanta ſeparatio iuſſu Paulæ, vt à ſpadonibus quoq; eas ſeiungeret, ne vllam daret occaſionem linguæ maledicæ, quæ ſanctos carpere ſolita eſt in ſolatiũ delinquẽdi: vt liberius ſine tãto conſcientiæ remorſu malus peccet, detrahit ſanctos. Fuge igitur occaſionem. Papilio iuxta candelæ lumen volitãs, ſeipſum tradit incendio: & Murilegus albam pellẽ iuxta ignem ponens, cõburit. Quæ ſecuritas poteſt eſſe fœno de non cõburendo iuxta prunas exiſtenti? Omnis caro, ideſt homo non eſt iuxta Iſaiæ dictũ fœnũ? Quare audes iuxta ignem cõſiſtere & circa ardorem mulieris Papilio? Quid miraris vt alas virtutũ quibus in cœlum volare debebas, talis ignis cõburat & pellem albam caſtitatis incendat? Mortuus manebis in culpa ſi non arripueris fugam. (Teſte D. Hieronymo) mulier ignis, homo ſtupa, dæmon ſufflat, ardebit. Cum ſtupæ ſimilis ſis ô homo, & mulier ignis rabidus exiſtat, & dæmon ſufflare nõ ceſſet, quomodo credis & tibi ſuades non arſuro, iuxta illum habitanti continuò? Audi Iob dicentem, Halitus Leuiathan, prunas ardere facit, & flãma de ore eius egreditur. Vide ſi incẽdet te ſtupam fragilem in conſortio ignis, id eſt mulieris, exiſtẽtem.

*To. 1. fi. 168*

*Similia.*

*Iſai. 40. B.*

*Iob. 41. B.*

Qui tetigerit picẽ (ait quidã expertus, Salomon nẽpe) inquinabitur ab ea: & qui cõmunicauerit ſuperbo induet ſuperbiam. Et ipſe tibi ſuades, te tangentem occaſionis picẽ, voluptatis aut ludi aut cuiuſcunq; alterius vitij, culpa nõ inquinari? Falleris certe, nã ſcriptura iſta diuina eſt cõtra te, & experiẽtia. Et dixit picem, & non fumũ aut lutũ, aut maſſam panis, quia iſta omnia facillime abluũtur: pix vero difficulter. Vt ſcias inter omnia vitia, voluptatis vitiũ incurri cito: & tolli ſero vel nũquã. D. Bernar. cũ muliere ſemper eſſe, & eã non agnoſcere culpa, maius eſt quã mortuũ ſuſcitare: & ſi hoc, qđ minus eſt nõ potes, quomodo qđ magis eſt credã? Terra in ſe non eſt bona, & mũda, & fructifera? Aqua etiã per ſe ſumpta clara eſt & multũ vtilis. Tamen iũge vtrũq; & apponãtur ſimul: & lutũ immũdum cõpones, & ſe ad inuicem pol

*Eccle. 13. A*

*Simile.*

*Simile.*

luuntur,& maculant. Bona eſt terra hominis, ſine occaſione pec cati,mũda & fructus operũ reddens: bona eſt aqua & mulier per ſe,recte viuẽs, & ſi fragilis & lubrica ſit ad malũ,tñ ad multa vtilis eſt. Iungãtur ſimul in cõſortio & in occaſione viuant:miraculum erit,niſi lutũ voluptatis cõponant, quo animas ſuas ad inui cem maculent & immundas faciant,infernali igne dignas.

*Simile.* In ſilice ignis latet: & tamen ſine ferramẽti excuſſorij ictu,nõ
*Notabile.* comburit digitos neq; extra egreditur: imo etiã ſi percutiatur & ſcintillas emittat,ſine aliquo fomite aut eſca,nõ incẽditur rogus, quo domus cõburatur. Fateor in quolibet corporis noſtri ſilice, ignem edacẽ concupiſcẽtiæ latere & fomitis ſcintillas:tamen frater mi,ſine ictu ferramẽti excuſſorij,ideſt ſine tẽtatione, non cõburit manus,id eſt opera noſtra. Imo etiã accedente tentationis ictu,quo ſcintillæ cõcupiſcentiæ excutiũtur & animũ cruciant: ſi nõ adſit occaſionis eſca aut mulieris fomes, niſi perditiſsimi in honeſti multoties domũ conſciẽtiæ non cõburit: quia nõ præbetur illi aſſenſus. Tamẽ ſi omnia tria iſta ſimul cõcurrunt:in magno periculo ardendi eſt miſera anima cuiuſcũq; ſit: fuge occaſio
*Pſal.105.E.* nis eſcã,ſi non vis hic culpa & in inferno pœna ardere. Cõmixti ſunt inter gentes(ait Dauid)filij Iſrael, & didicerunt opera eorũ mala,& ſeruierũt ſculptilibus eorũ, & factũ eſt illis in ſcandalũ. O homo fidelis, qui non dubitas animã tuã inter occaſiones peccandi cõmiſcere,& malis hominibus ſociare:quid mirũ vt diſcas mala illorũ opera,& ſeruias vitijs ipſorum:quod certe fiet tibi in magnum ſcandalum & animæ ruinam. Quis in Hiſpania viuẽs aut Luſitania(etiam ſi alterius ſit nationis)ex ſocietate & conſor
*Simile.* tio nõ capiat aliquid de linguæ idiomate? Ipſe cum gaudeas in occaſionibus, peccandi viuere: credebas quod tibi non debebat aliquid mali adhærere? Periculoſa res eſt in aere corrupto ægrotare,& in illo diu immorari. Fuge peccandi cauſas,ſi gratiã in via ſi cupis gloriam in patria. Amen.

# Homilia Tertia.

Text. ¶ A finibus illis egreſſa eſt.

*Eccle.34.D.* QVi baptizatur à mortuo,ideſt abluitur à peccato ſanguine Dei,& iterũ tangit tale peccatũ, per occaſionẽ à ſe ſuſceptã:quid proficit lauatio illius,ait Salomõ? Quaſi dicat

dicat nihil: qa ſtatim mortuus erit. O ſancte & caſte Ioſeph, cuius famã contẽpſiſti & vitã: dũmodo animæ ſalus & Dei honor nõ periclitaretur, Quod occaſionẽ fugiendo feciſti. O infelix Abſalon, qui cũ non eſſet vir pulcher in omni Iſrael, & decorus nimis vt ipſe eras: & quãdo capillos tõdebas, ſemel in anno, quia grauabat te cæſaries: põderabas illos ducẽtis ſiclis pondere publico: ſiclus tamen (vt ait Ioſephus) erat inter Hebræos moneta quatuor drachmas Atticas cõtinens, & quatuor argẽteos Hiſpanos: & ſic octingẽtis argẽteis noſtris põderabat. Aliqui (vt ait Lyra) dicunt quod vẽdebat tãti mulieribus ad capillaturas. Quod nõ eſt verosimile, filiũ regis capillos ſuos vẽdere: & cũ ſemel in anno tondebat: creſcẽtia capillorũ vnius anni, nõ videtur ita lõga, quod inde mulieres talia ornamẽta facere poſſent: vnde videtur magis probabile, ſcripturã facere ſolũ mentionem de hoc põdere: ad oſtendendũ, qđ habebat multos capillos: quod facit ad pulchritudinẽ hominis de qua ibi agebatur. Sit hoc vel illud, ad finem noſtrũ reuertamur. Tondebas Abſalõ, capillos & quia radicitus nõ euelle bas: ingreſſus mulus, à quo vehebaris, ſubter cõdẽſam quercũ & magnã: caput tuũ illi adhæſit, & capillis ſuſpẽſus fuiſti inter cœlũ & terrã: tribus lãceis cõfoſſus, & in foueã proiect⁹, & aceruo lapidũ coopertus. Abſalõ fidelis, fili regis cœleſtis, quã pulcher es atq; decorus, dũ in Dei gratia es, nõ eſt macula in te. Cœperũt capilli creſcere, ſuperflua nẽpe & peccata: ſemel in anno tollebas illa & cõfeſsiões ſorticibus tõdebat barbitõſor, ideſt ſacerdos: & De⁹ ſoluebat gra ſua & meritis & ſanguine ſuo emebat. Tamẽ quia adeo ſero, & nõ radicitus peccatorũ capillos euulſiſti, cauſas peccãdi tollendo & occaſiones nociuas fugiẽdo: creuerũt iterum contra Deũ. Et vtinam in morte ne maneat illis ſuſpenſus, tuus ſpiritus: quãdo mulus, id eſt, corpus ingrediatur mortis imperium: alias tribus lanceis, tribus peccatorũ ſcilicet pœnis cõfoſſus eris: pœna dãni, ſenſus & vermis, & in foueam inferni proiectus eris.

*Gene. 39. C*

*2. Reg. 14. F*

*Lyra ibi in li cum regum.*

*2. Reg. 18. B*

Sacerdos Dei, caue ne ipſe in cauſam ſis, vt capilli pœnitẽtis & peccata creſcãt, alias & ipſe eris occiſus ab ipſo. Conſilio Dalilæ Philiſtijm raſerunt ſeptẽ crines Sanſon, & ſtatim fortitudo eius receſsit, & cœperũt abigere eum ſine timore fortitudinis eius & ſecuri: tñ cũ radicitus nõ euulſerunt crines & renaſci cœperũt, & vires reſumpſit, apprehẽdens colũnas tẽpli & ſeipſum & Philiſthæos occidit. Sacerdos, ſine ſciẽtia & exẽplo, cõfeſsiones audire

*Iudic. 16. B.*

audens

audens, time & audi: etiã ſapiens & bonus, in tali periculo conſti tutus eſt moriẽdi in anima, quãto magis ipſe idiota cum ſis? Venit ad te confeſſor, Sanſon fortis, ideſt fidelis, cõſilioq; Dalilæ id eſt Eccleſiæ vis radere capillos eius & ſeptẽ crines: ſuperflua nẽpe & peccata, cõtra ſeptẽ Spiritus ſancti dona commiſſa, & in ſe ptẽ peccatorũ capitaliũ fauorẽ: in quibus fortitudo peccatoris & dæmonis cõtra Deũ & proximũ conſiſtit. Et cum barbitonſor, à Deo cõſtitutus es vt (quãtum in te eſt) radicitus cauſas peccandi & occaſiones recidiuãdi, in pœnitente euellas: raſiſti & non euul ſiſti, abſoluẽdo à præteritis, & non docẽdo cauere à futuris. Demulſiſti & fricaſti barbã adulationis aqua, neq; magnopere cura ſti, vt oẽs peccãdi cauſas tolleret, & cõtract' illicitos relinqueret: & iurãdi conſuetudinẽ. Et vt ante abſolutionẽ aliena, etiã cõfeſ ſa, redderet veris dominis, & fœminã ſuſpectã à domo antequã abſolueretur abigeret: nil tale feciſti, vnde ſtatim capilli & ſuper flua renaſci cœperunt, & ad vomitũ tua culpa reuerſus eſt aut nõ reſtituit alienam famam. Time, ne quãdo moriatur infelix, ſi in peccato fuerit, ne dicat verbo & facto: anima mea moriatur pœ na æterna, qa capilli & ſuperflua vitia in me cõtra Deũ creuerũt, & fortitudo in malũ. Tamen non ſolũ anima mea moriatur, ſed cum Philiſthijm & columnis templi, & principibus, nempe cõ feſſarijs. Et merito: quia raſerunt peccata mea & fricauerunt: & non radicitus cum occaſionibus peccati euulſerunt: ante abſolu tionem hoc grauiter imperando.

Dices forſan, nolo peccare, tamẽ quid prohibet me in domũ illam (vbi aliquando peccaui & modo eſt periculum ſatis proba bile peccandi) adire, cum intentione non delinquẽdi? Nolo lu-
*Tob. 3. C.* dere, tamen gaudeo videre ludentes. Sara illa vxor Tobiæ non laudabat ſe tanquam non ludentem: ſed quia nunquam cum lu dentibus miſcuit ſe: neque cum his qui in leuitate ambulabant,
*Simile.* participem ſe præbuit: ita & ipſe fac, ne ſis vt rana, quæ in luto exiſtens clamat: ſi neſcires quare, & illi appropinquares, quaſi volens inde illam educere, ſtatim tacet, & in luto manens, imo ad imum deſcendit. Quid tibi profuit anno præterito ra na loquax, fidelis verboſe, clamare in confeſſione, & auxilium à ſacerdote petere: cum ſemper in eodem luto & peccati occaſio ne permaneas? Statim tacebis, & paulatim ad ima deſcendes.
*Simile.* Contingit vt ſagax homo, velit canem emiſſarium ligare catena ad colum-

ad columnã: qui tamẽ dentibus & vnguibus catenã rumpẽs ſoluitur & vadit quo vult: ſi catenã exuit, & nullis annulis manet ligatus, non ita cito capitur & tam facile ad ligaturam reuertitur: tamen ſi aliqua pars catenæ ad collum manet, facillime captus eſt & ligatur. Anima fidelis, capta fuiſti à dæmone peccati catena, tot annulis conſtante quot peccata mortalia perpetraſti, qua ad tartara ducebaris: dentibus cõfitendo, & vnguibus reſtituẽdo & Dei auxilio, catenam per abſolutionem ſacerdotis rupiſti, & ſolutus à ligatione fuiſti, vt libere abires in cælum. Si tamen catenam totaliter à te exuiſti, ita vt omnia male parta reſtitueres, & occaſiones totaliter peccãdi fugiſti: difficulter ille ſagax venator iterum culpæ catena ligabit: tamẽ ſi ad collum occaſiones reliquiſti, & veſtigia praua quibus ad culpã cito traharis: quid conquereris, quod hoc anno etiam ligatus inuẽtus ſis, & vtinã ne catena pluribus annulis peccatorum conſtante quam anno præterito? Caue ne in tali ſtatu moriaris, alias vt canis niger ductus eris ad canem Cerberum inferni.

Si mulierũ memoriã ſancti fugiebant & Deum deprecabãtur vt illarũ obliuiſcerentur: quid erit de te ſemper de illis cogitãte, & conſortiũ illarũ non euitãte? De Arſenio illo ſancto D. Antoninus refert: magis ac magis in diẽ mulieris aſpectũ fugiſſe & no luiſſe ab aliqua videri muliere. Quædam autem matrona, mãdauit Arſenio in eremo exiſtenti, ſe velle eum videre. Qui cum negaſſet, illa ait: credo in Deũ quia videbo eũ (vt eſt mulier contumax & cõtentioſum animal). Quæ cũ ad cellã eius peruenifſet: inuenit eũ extra cellã & proſtrauit ſe ad pedes eius. Ille aũt leuãs eam cũ indignatione & intuens eam ait: ſi faciem meã videre vis ecce vide. Illa autem præ verecũdia non cõſiderauit faciem eius. Et ait ille, neſcis quia mulier es, & per mulieres ſeducuntur viri perfecti? Nunquid nõ ſufficit tibi audire opera mea? At illa, nolo videre faciem tuã, ſed ora pro me. At ille, ora ipſa Deũ, vt delea tur memoria tua de corde meo. Illa vero ingemiſcens receſſit: & adeo contriſtata eſt, quod reuerſa domũ febricitauit. Audiens bonus epiſcopus ad eam conſolãdam acceſſit dicens: Quid habes? Ecce cõtriſtata ſum ob talia verba Arſenij maioris: quia dixit vt oraſſem Deũ vt memoria de me in corde ſuo nõ maneret. Me miſerã qualis ego ſum? Cui epiſcopus: ne mireris nec ob id triſtis effecta aut infirma ſis: quia optime dixit, & neceſſarium petiuit.

*P. 2. hiſ. ti. 15. c. 8. §. 3.*

Neſcis

Neſcis quia mulier es, & inimicus ſanctos Dei ꝑ mulieres impugnat? Nil dãni maius viro perfecto euenire poteſt, quã mulieris memoria. Quid erit cõuerſatio, & cõtinua familiaritas? O vtinã à memoria mea, ex nũc vſq; ad obitũ meũ, omniũ mulierũ cogitatio, mihi viã ſalutis impedientiũ, recedat. Egreſſa igitur fuit à finibus ſuis mulier iſta: vt oẽs nos qui ſalutẽ æternã cupimus, occaſiones peccãdi fugiamus, ſi ſaluari deſideramus. Et credo nullam animabus magis neceſſariã doctrinã eſſe: quam quæ de occaſionibus reſcindẽdis tractata à nobis eſt, vtinam exequutioni à me primũ deinde ab omnibus detur, vt cũ ſanctorũ conſortio & Dei viſione perpetuo lætemur. Deinde egreſſa fuit iſta mulier à finibus & à domo eius, in qua talem habebat ſocietatẽ, nempe dæmonem, vt omnes qui pie volunt in Chriſto & eius amicitia viuere, domum peccandi occaſionem prębentem fugiãt & malam
*Pſalm.17.* ſocietatem. Nam cum ſancto ſanctus eris, & cum innocẽte innocẽs, & cũ electo electus, & cũ peruerſo peruerteris. In quo vtiliſsimo Dauid dicto, reperies multa eſſe neceſſaria vt ſis perfectus & ſanctus, & te multorũ innocẽtum & electorũ ſocietate indigere vt electus ſis: cum dicat, cum ſancto, cum innocẽte, cũ electo: qui tamẽ vt peruerſus & malus & peccator ſis, ſufficit vnius peccatoris ſocietas: nam cum vno peruerſo cito euades peruerſus.

Ratio in promptu eſt, ex dicto D. Dionyſij ſumpta: bonũ cõſtat ex integra cauſa, malũ ex quocunq; defectu. Bonum, omni circunſtantia bona debet ornari, vt bonum & perfectum ſit: malum vt tale ſit, vnico tantũ defectu aut imperfectione indiget. Et cum nos ad malum proni ſimus à conceptione noſtra, & ad id quod facilius eſt & leuius: & non ſimus ad bonum & difficilius procliui, cum multis indigeat: idcirco malum citius quam bonũ perpetramus. Quia ſicut ſagittarius facilius albũ errat: quia vbicunque det hoc agit & difficilius tangit illum, quia quocunque ſagittam iaceat errat ſi non percutit illum: ſic de virtute eſt dicendum. Vnde facilius homo ab vno peruerſo damnificatur quam à multis bonis perficitur: quia virtus circa difficile verſatur: ideo nociuas fuge domos. Domus tamen, vbi dæmon præſidet, & in cathedra ſua peſtilentiæ continuo reſidet, vt animas capiat & virus blaſphemiæ, & periurij venenum & fraudis fel immittat in illas: præcipue eſt ludentes aſsidue receptans, atque menſam paratam omni ludenti habens. In qua domo totus locus & obſequium

quium dæmoni datur, & Deum meum magnificum & benefi-
cium iniurijs & blasphemijs lacessitum videbis. Fuge talem do-
mum, quàm potius infernum vocare poteris cum ita vt in infer-
no Deo iniuria irrogetur. Nam si vnus homo, ex peste in illa do- *simile.*
mo mortuus esset, & alius & alius percussus ob quod ianua illius
luto clausa esset aut bitumine siue cæmento: ne aer corruptus
exiens populum inficeret, & omnes illam fugissent, imo proprij
habitatores exules fierent si qui ex illa remanserunt, auderes illã
intrare, & quiete illam inhabitare? Minime.

Audi homo stulte, qui nõ habes cor rectum in dominũ tuum,
infelix lusor, vna, ex præcipuis nostri dolendi temporis, abusio
hæc est: vt fugias domum, vnico homine peste infirmante inha-
bitante: & nocte & die contra Deum tuum & familiam & ani-
mam, non vis exire de domo ludentium: vbi non vnus aut duo,
sed multi, & quot quot in illa sunt infernali blasphemiæ peste
percussi sunt, & maledictionis, & rapinæ morbo contagioso vul
nerati: & aliorum scelerum pleni? Vnde absque dubio & ipse
percussus eris tali plaga, nam multi iacent mortui periurio, alij
ódio: fuge illam nam dæmonum legio ibi inhabitat. Claudatur
ianua domus adeò infernalis, calce aut bitumine aut portis fer-
reis: ne dæmones ibi astantes contra populum egrediantur. Imò
lusores intus manentes tanquam peste inferni vulnerati, clau-
dantur intus vsque ad mortem famis: ne exeant & alios bonos
coniugatos, & obedientes filios familias, tam graui peste infi-
ciant & ad ludos inuitent, adeò animabus nociuos. Infernalis re-
ceptor, exul à patria & à finibus nostris eijciatur, tanquam pater
pestis & autor tantorũ in Deũ malorũ: & talis domus ruinæ de
tur, nec remaneat lapis super lapidẽ qui nõ destruatur: & talibus
lapidibus dns illius obruatur: & sale seminetur tale habitaculũ.

Si domus hæretici, Vallisoleti, sic destructa est & sale respersa
& meritissime: quis vetat quin domus, vbi tot ore (etsi nõ corde)
dicãtur hæreses à ludentibus, destruatur, cõburatur, sale respergã
tur? Blasphemias proferunt, quarũ sensum, si affirmanter, dixis-
sent, pro hæreticis punirẽtur. Nos talia dicimus ludẽtes? Vosmet.
Non dixistis multoties, pœniteat Deũ? Nõ est verbũ magis exe
crandũ & maledictũ, in domo infernali, ex ore damnatorum aut
dæmonũ contra Deum prolatũ: quam hoc quod ipse fidelis san
guine Dei redemptus inuerecunde & sine Dei timore profers.

Qui

Qui angelorum gaudiũ eſt, qui beatis lætitiam inceſſanter præbet, audes ore tuo excõmunicato vt illũ pœniteat dicere? Si affirmaſſes in Deo pœnã aut triſtitiã cadere poſſe & hoc cũ pertinacia: non eſſes formalis hæreticus? Non eſſes cõbuſtione dignus? Vtinam ne dicas: nõ credo in Deũ. Si nõ credis ergo paganus: ergo Lutheranus, ergo iã iudicatus & dãnatus es. Et ſi per vitã Dei iuras, vitã illius ſuomet ſupplicio obligas, quantum eſt in te, & illius punitioni ſubmittis. Videsquid in domo tua, luſores infernales cõtra Deum dicãt? Intelligis quã digna eſſet ſubuerſione, & ipſe grauiſsima punitione? Quid adhæc mihi reſpondes? Et Chriſto? Ab iſta hora, iam nullus audere præſumat, domum ſuã infernũ conſtituere, illam luſoribus tradendo: in qua Deus inhonoratur velut in gehenna, & ſanguis Chriſti cõculcatur. Et facultates, quibus filij pauperes alendi erãt perdũtur ab inſanis parentibus. Imo & à filijs, non valentibus res paternas alienare, dilapidantur in damnationem lucrantiũ. Quorum malorũ, ipſe infernalis receptãtor cauſa præcipua es, & per conſequens omniũ pœnarum & ſatisfactionum reus. Vnde nõ plus tibi abſolutionem porrigerem, quam Iudæ: quouſq; domum luſoribus clauderes, & pœnitẽtiam veram agas de tot in Deũ tua cauſa peccatis commiſſis: cum dicat Paulus, nõ ſolum dignos eſſe morte æterna qui mala faciunt: ſed etiã qui facientibus conſentiunt, & auxilium & occaſionem præbent: vt ipſe latronum receptator infernalis. *Rom. 1. D.*

Si tamen deſiſtere à malo adeo graui nolueris ob lucrũ infame, omnes curent tãto malo obuiare qui Dei honorem diligunt: & ſicut accurrũt ad domũ ardentem extinguẽdam aqua & vocibus: ſic & melius (quanto honor Dei tuis facultatibus dignior qui in domo tua incẽditur) omnes lacrymis & gemitibus iudici & prælato tantũ malũ innoteſcãt: vt honori Dei prouideatur. Et ſi aliter nõ obuiatur, domus tua deſtruatur, in exilium pauper miſſus ſis: & accipe digitos meos & vende illos vt in montibus cellulam facias. Et interrogantibus quid hic facis? dic, quia infernũ feci domum meam in oppido, iuſte relegatus ſum ad feras & ſerpentes, melius Deum honorãtes quam ego. Et ſic Deus miſerebitur tui, & parcet delicto tam grauiſsimo: alias, audi Dauid te minantem & ipſos luſores ſimul: fiat mẽſa eorum, coram ipſis in laqueum, in retributiones & in ſcandalum. Talis luſorum mẽſa fiat, & eſt laqueus quo dæmõ tam ipſos quã recipiẽtem capit. Fiat & in re- *Pſalm. 68.*

tributionem:

tributionē: ità quod præmium vobis debitum in cœlis ob opera vestra bona in hanc ludus voluptatem commutetur, & nil aliud recipiatis. Fiat & in scandalum & ruinam tam aspicientium illos, quàm recipientiū, & nummos mutuantium, & chartas præbentiū, aut taxillos, aut auxilium quomodolibet dantiū: igitur cauete à ludis, & à domo ludentium, quia ibi dæmon adest.

¶ Clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine Fili Dauid. Tex.

NOn est ausa propius accedere ad Iesum, ne impura purū cōtaminare videretur: sed, pcul clamore miserabili cōpellat. Et clamauit, nō tàm voce quàm affectu: sicut Dñs Mosi dixit labia nō mouenti: quid clamas ad me? Quia desiderio bono valdè clamāt boni ad Dominum. Clamo Dñe ad te: quia tu Domine dixisti per Ieremiā, clama ad me & exaudiam te: & annuntiabo tibi grādia & firma quæ nescis. Clamo ad te ergo exaudi me secundum verbū tuum. Clamo igitur annuntia mihi grandia quæ desidero: nempè, sanata est filia tua, & magna est fides tua. Hæc erunt firma quæ nescio, quare ità clamo: miserere mei Dñe fili Dauid Mulier hæc (ait Origenes) Euāgelista efficitur: probauit enim diuini cōsilij sacramentū, quando & diuinam virtutē obsecratur, & carnis naturā confitetur dicens, miserere mei Dñe quia Deus es: fili Dauid, quia etiā homo verus pro me factus es. Considera pulchram mulieris mentem, vide quid dicat: nō est quid boni in actibus meis, non mihi conuenit de iustitia loqui, cùm mulier nimis infœlix & mala ego sim: ad misericordiā tuam cōfugio, sub qua velut sub alis colligis miseros peccantes, & verè pœnitentes. Ideò descendisti ad lacrymarū vallem, ideò carnem assumpsisti, natus es, imò & moriturus, & ad me dignatus es venire: vt ego possem loqui ad te, & cū fiducia petā. Peto, & clamo & quod maximè mihi opus est: igitur misericors homo cùm sis, & Deus potens: da mihi quod fiducia peto obtinendi. O mulier iam fidem tuam ostendere incipis, & doces pauperes quomodo & quid à Deo petant. *Exod. 14 D.* *Iere. 33. A.* *Ho. 7. in diuers. tom. 2.*

Cherubin aspectū eius tremūt, Seraphin ad nutū eius contremiscunt: & audes ipsa canicula accedere ad Thronū maiestatis Dei & clamore magno aures eius pulsare, & in terra tu mulier illū non formidas? Angeli metuūt eū in excelsis, & mulier misera

nõ erubeſcis in terris? Nõ: quia propter me & alios peccatores & oues errãtes, venit iſte Paſtor diuinus in hunc mundi cãpum: & ideò inſto opportunè & importunè: miſerere mei fili Dauid ſe-
*Pſalm.61.* mel locutus eſt Deus duo per Dauid, tamẽ iſta duo audiui in te, miſericordiã & potentiã. Si ſemel locutus eſt, quomodo duo audiuiſti mulier? Semel locutus eſt pater tuus intelligẽdo ſe ab æterno & generãdo te filium ſuum vnigenitũ: tamẽ duo in te video, iuxta duas naturas tuas diuinã & humanã quas cõfiteor ſimul: qa poteſtas infinita tibi eſt à diuinitate procedẽs: & miſericordia ab humanitate, in qua miſeriã magnã expertus es, vt de noſtra doleas miſeria: qa tu eris iudex, & reddes vnicuiq; iuxta opera ſua: modo vt potẽs & miſericors, miſerere mei Deꝰ & homo: à patre tuo Dauid didici hoc. Me miſerã & mẽdicã cõfiteor, & maximè tua miſericordia indigentẽ: te omnipotentẽ & diuitẽ fateor, & cũ hoc clemẽtiſsimũ & ad miſerendũ pronũ. Me indigere eleemoſynatua oſtẽdo, & te valẽtẽ illã mihi porrigere: igitur miſere
*Matt.5.A.* remei: qa hoc eſt pauperẽ ſpiritu eſſe, quẽ tu beatũ vocaſti, & ſuũ regnũ cœlorũ eſſe. Verè & ex corde, pauperẽ in anima eſſe reputare ſe, in omni virtutũ genere, & te Deũ diuitẽ & volentẽ omnẽ indigentiã ſupplere: & cum hoc toto corde & humilitèr & fiducialitèr petere à te. Talis ego modo ſum, igitur miſerere mei, vt ſim beata, & meum ſit regnum Dei.

O verũ & admirandũ initiũ, imò mediũ & finis impetrandi à Deo, quicquid volueris ô homo: agnoſcere te pauperẽ in omnibus & Deũ diuitẽ & miſericordẽ in omnes qui inuocant illũ: de ſiderio obtinẽdi, & ad laudẽ Dei, humilitèr & perſeuerãtèr. Iam mulier iſta docet nos orare: priùs à finibus ſui egrediens, docuit tumultus omnes fugere & peccãdi occaſiones, & ſeculi negotia ad orandũ Deo: hoc eſt intrare in cubiculũ cordis, & claudere ia-
*Matt.6.A.* nuam omni externo obſtaculo: ex Chriſti mãdato. Deinde clamauit, deſideriũ oſtẽdẽs magnũ: quo valdè indiget oratio ad im-
*Pſal.118.* petrandũ: vnde Dauid quando deſiderio carebat cõcupiebat deſiderare dicẽs: concupiuit anima mea deſiderare: oratio ſine obtinendi deſiderio magno, potiùs irriſio videtur. Tandẽ modo docet, agnoſcere indigentiã noſtrã humilitèr, & Dei potentiã cum
*Pſalm.41.* bonitate. Miſerere mei Dñe nam abyſſus abyſſum vocat. Abyſſus miſeriæ meæ, abyſſum miſericordiæ tuæ infinitæ inuocat, in voce clamoris plena. Nõ oppono virtutes meas cũ nullas habeã:

etiam

etiã si habuissem illas tacuissem. Non còram te opera mea bona, quibus careo, obijcio, sed misericordiam tuam mea mala omnia cooperientem cito & adduco: quæ super exaltat iudicium rigidum, quod mea vita mala merebatur.

Misera ad misericordiam recurro: & si Dauid dicebat, miser factus sum & curuatus ad terram ob peccatum meum, tota die contristatus egrediebar: quanto magis ego omnium mulierum miserrima, dicam: misera facta sum ob scelera mea, miserere Domine miseriæ meæ: curuata sum tota die vitæ meæ ad terrena, vnde semper in domo mea cõtristata eram, & modo tristissima egressa sum ab illa. Heù mihi filię Babylonis miseræ, si tu nõ misereris mei: sed retribuis mihi iuxta retributionẽ quã retribui tibi, in tot reb⁹ offendẽdo te. O me miserã, quã morũ miseria talẽ me cõstituit: sed iã miserã me agnosco Dñe, sciẽs qa homines & mulieres & populos (teste Salomone) solũ peccatũ facit miseros, & miserãdos. Scelus meum me miserã cõstituit: ad misericordiã, ideô & nõ ad iustitiã tuã cõfugio. O quã miserã facit animã peccatũ cũ sine Dei gr̃a & amore, fœtidã immũdã horridã & mẽdicã illã cõstituat, & Dei misericordia valde indigentẽ: ideò peccator miser, fuge cito ad illã, caue iustitiã tibi reseruatã, si ad misericordiam cito non veneris.

*Psalm. 37.*

*Psalm. 136.*

*Prou. 14. D.*

O mulier, vt quid ità ad Christũ oras, ab illo petẽs, vt tui misereatur, & nõ dicis fili Dauid miserere filię meę? Ipsa est misera & miserãda: ipsa à dæmonio vexatur: ipsa multa patitur: ipsa tantũ dolorẽ tibi causat: vt quid dicis miserere mei, & nõ miserere filiæ meę? Primò ideò dico miserere mei, & nõ miserere filiæ, quia maiorẽ laborẽ & dolorẽ patior q̃ illa: magis infælicitatẽ illius sentio, q̃ ipsa, quia cũ sit ferè extra se, ex dæmonis vexatiõe: & quid patiatur ferè nõ intelligat, vnde se miserã non agnoscit: ipsa magis doleo, cũ suũ & meũ dolorẽ & infamiã ferã. Vt optima mater, quę filiã in morib⁹ perditã videt, & valde leuẽ: imò iã à dęmonio p culpã possessã, & cõsortia virũ pditorũ in honoris parentũ, & animę suę detrimẽtũ valde diligẽtẽ, plorat & filia ridet: gemit & filia gaudet, nil mali suspicãs de tãto malo. Quia stulta est abalienata à sensibus & à dæmonio vexata & voluptate capta. Nec mediũ suæ salutis quærit, nec occasiones peccãdi deuitat: sed lætatur cũ male facit & exultat in pessimis rebus: plora tu mater, si Deum diligis: pete à Deo, vt misereatur tui, cum talia patiatis,

*Simile.*

videns filiæ dissolutionẽ: dicens, Domine, miserere mei, quæ sic infœlicitatem & inhonorationem filiæ meæ, vt mater sentio.

Nihil aliud quã miserere mei ista Chananæa exclamabat (ait D. Chrysostomus) & ingẽs spectaculum clamore suo incitabat, morbum filię, suum reputabat, & sic nõ dicit miserere filię meæ. Nam illa insensata iacet, etiãsi à dæmonio vexata sit: nõ videt se infirmam, nõ dolet de tali captiuitate: non cogitat medicinam, medicum nõ quærit: & ideò magis est miseranda, & sic miserere mei, quia ego suos perfero labores. Sẽtio illos, quia ipsa nõ sentit cogito medicinam & quæro medicum, quia ipsa nil minus cogitat: peto vt misericordiã tuam antiquã ne obliuiscaris Domine. Et quia filia vexata, ego torqueor cum ipsa sit pars mea, & non possim à domo fugere: vnde in lecto & mensa, nocte & die tribulor, ideò miserere mei Domine: quia si mei fueris misertus, illam non eris oblitus. Fine hoc multoties Deus febre & dolore filios innocẽtes & pueros torqueri & infirmari finit: vt parentes vexentur & ad pœnitẽtiam peccatorum ducãtur, videntes partem ipsorum infirmantem in filijs.

Itèm, ideò miserere mei dico & non filiæ, quia forsan ego in causam fui, vt illa sic à dęmonio vexetur. Aut illã maledicẽdo, & verbo meo dæmoni tradẽdo: aut in peccatũ inducẽdo indulgẽtia mea, aut ornatu impudico. Aut consortiũ vetularum infernalium nõ prohibendo, aut saltim ad virtutẽ non inducendo. Ecce mulier canicula ad confusionẽ multarum matrũ nostræ tempestatis, quæ istis causis positis & alijs, vt dæmõ in animas filiarum suarum intraret in causam fuerunt, à quo valde vexantur: & tamen non veniunt ad tẽplum, vt ista Chananęa, magno clamore dicentes: miserere nostri Dñe miserere nostri. Vide dolorẽ & laborem quibus afficimur, videntes filias nostras à multis dæmonibus, & vitijs vexatas: & quod peius est nil ipsę sentiũt, sed gaudent ad sonitũ tympani & choreis vacant. Nos tamẽ cum sint ex viscęribus nostris, & illas tradidisti nobis ad nutriendũ, vt filias tuas sanguine tuo redẽptas: & tam negligenter circa illas habuimus nos, miserere nostri, quia illas, die ac nocte tortas à dæmone & vitio & maledictione videmus. Et nullũ nos possum⁹ adhibere tãto malo remediũ forsan nostra culpa causato. Ista mulier canicula, coram iudice Christo viscera vestra mordebit, matres veloces ad filias maledictione aut vitio inficiẽdas: & tardissimæ ad

medi-

medicinam illis quærendam. Miserere mei fili Dauid, vt anima mea amplius à dæmone per culpam non vexetur: & occasiones fugiamus omnes, vt gloria fruamur. Amen.

# Homilia Quarta.

¶ Miserere mei. Text.

¶ SALVTATIO AD VIRGINEM.

O Benedicta filia tu à Domino Virgo, ab omni dæmonis vexatione semper defensa: quid nos miseri facimus in tam infœliciſsimis diebus, in quibus ad filiũ tuum clamauimus, vt misertus esset nostri, & à dæmonis & paganorum vexatione liberaret nos: qui tamen non respondit nobis verbum, & videtur posuisse nubem ante se, ne nostra ad illum tanseat oratio? Scio & optimè scio nos *Thre.3.E* iniquè egisse & ad iracundiam illum nostris malis prouocasse, vnde digni sumus, vt inexorabilis sit. Tamẽ ad te clamamus mater nostra & soror, nos exules filij Euæ & à filio tuo redempti, vt oculos tuæ misericordiæ ad nos conuertas: & videas miseriam & afflictionem nostram hucusque in Ecclesia non visam: & doleas, saltim de morte filij tui, in tot animabus amissa ob peccati mortem. Fili, dimitte culpas his fidelibus, corde suo & lacrymis clamantibus post me matrem tuam, & illorum aduocatam. Mater ego sum pastor ouium, nolo lupos peccatorum & sceleratorum, nolẽtium ad gregem bonorum per gratiam reuertere. Errauimus vt oues quæ pereũt, ouis mãsuetiſsima & virgo iam omnes nos volumus desiderio magno ad pastorem filium tuum reuerti, ne pereamus in tremẽdo iudicio: talis reuersio & ex lupis in oues cõuersio sine gratia fieri non valet. Pater, amore filij, tuis precibus mittat Spiritũ sanctum in me, vt clamor meus sic corda nostra moueat, vt omnes simus Christi oues, & illi valde gratiſsimæ. Vt facias dicamus. Aue.

¶ Miserere mei fili Dauid. Text.

HOc dicebat Chananæa, & dicat omnis mater cuius causa filia sua à dæmonio per culpam vexatur. Quis scit maledica mulier, si ob tuas inferni maledictiones: malignus locum habuit

in cor filiæ tuæ ingrediendi, ſuo adhibito etiam conſenſu? Vteris maledictionibus à dæmone inuētis, cōtra Deū & animam tuam & in grauē familiæ tuæ pernicie: quia ſimilia diſcunt à te. Et tale vitium, nō eſt niſi mulierculārū infimæ claſsis, & ob hoc tātum illo vti nō debebas. Quanto magis, ob innumera mala quæ inde ſequūtur: & ſic ore puerorum tuorū & filiarū, nil ſine dæmonis inuocatiōe dicere (audias.) Crudelis tu quoq; mater, quæ maledictiōes multi generis à dæmone didiciſti, vt cōtra filios euomas vt ſerpēs maledict⁹ venenū. Et quia (ni fallor) vnū ex præcipuis malis & frequētius in vſu mulierū, imò (quod abſurdū eſt) & hominū fideliū, quo dęmones capiūt Chriſtianos maledictiōis execrādus abuſus eſt: ideò ſemel hic de illius extirpatiōe (Dei auxilio) viſum eſt nobis agere. Nā cōſcientijs valde periculoſa peſtis eſt, & multū communis, & ſine aliqua vtilitate etiā ficta aut guſtu: ſicut de blaſphemia hominū cōtra Deū, eſt videndū: dæmō maledicos & blaſphemos hamo culpæ capit, ſine aliqua ſolatij, aut lucri eſca.

Primo docuit te dæmō mulier, vt dicas filijs & filiabus, malus te cōburat ignis: nullus eſt mal⁹ ignis in terra bona mulier. Infernalis tamē ignis, etiā ſi creatione bonus ſit, qa à Deo creatus, dicitur tamē malus, quia talis à dānatis reputatur. Et quia cruciat malos. Et quia in illo malo loco cōburit. Vide ſi cupis vt filiū tuum aut filiā, quā in vtero portaſti, vt ab igne infernali perpetuo crucietur. Crudelis & inſana tu quoq; mater, & vos omnes tale maledi
*Iſai. 33. C.* cū verbū proferentes: & quis poterit habitare de vobis (ait Iſaias)
*Simile.* matres crudeliſsimæ, imò & gigātes (quanto magis puer tener) cū igne infernali deuorāte, & ardorib⁹ ſempiternis? Stulta mulier ſi filij digitus pruna parua cōburitur, multo dolore afficeris: & ploras: & tua maledicta lingua, audes totū in ignē inferni mitte
*Simile.* re? Quid ipſa iudicaſſes de matre filiū tenellū, in rogū incenſum iaciēte? Crudeliſsimā eſſe. Quid rogus magnus cū malo inferni igne, ad quem filios tuos non vereris, maledictione immittere?

Aliud deteſtādum maledictionis genus, quod te diabolus docuit, diſcipula illius, eſt: maledictus ſis à Deo puer. Crudelior & ipſa Medea es: nā aliā maledictionē Dei ego nō inueni, niſi illam
*Matt. 25. D.* terribilē diſcedite maledicti in ignē æternū: ſi tu gaudebis videre filios quos peperiſti, à Deo irato maledictos, & excōmunicatos ad locū dānatorum miſſos, tali maledictione vtere: ſin minus, vt

quid

quid maius malum quod Iudæ & dæmoni euenire potuit, filijs Dei ſanguine ſuo ablutis optas? A ſenſibus eſt deſtituta. Nota in fœlix Deum ità maledictionẽ abhorrere, vt in ſancta Scriptura, quando maledictio debet poni iuxta Deum dicatur benedictio, vt quando falſi teſtes dixerunt contra Naboth: quia benedixit Deum & Regem, hoc eſt, maledixit, nam ſi benedixiſſet, quid mali feciſſet? Iob dicebat, ne forte filij mei peccauerint & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Et vxor ad illum dixit: benedic Deo, ideſt maledic, & morere & occide te. Et cũ ſic Deus maledictionẽ deteſtetur, audes illa vti mulier inuerecunda? Time ne ob hoc ſolum à Deo ſis maledicta. Re vera virtualiter in ſe continet grauiſsima mala iſte modus maledicendi: maledictus ſis à Deo patre, & matre & à Sanctis: vt diximus de iudicio tractantes: mulier dæmonis mucipula. Lingua qua Deum benedicis aliquãdo dicendo ſanctificetur nomẽ tuum, eius creaturas maledicere non vereris, quæ ad eius ſimilitudinem creatæ ſunt? Vidiſti fontem (ait D. Iacobus) mulier maledica de eodem foramine dulcem & amaram ſimul manãtem aquam? Vidiſti ficus vuam producentes, aut è cõtra? Igitur lingua tua eſt hoc monſtrũ in natura, cum ab ipſa benedictio & maledictio ſimul procedat. Time mulier nõ refrænans linguam tuã ad nõ maledicendũ: ne ſis à Deo maledicta, etiam ſi Chriſtianã habeas religionem: quia in te vanã illam facis, hoc eſt, finẽ illius maledicẽdo non obtinebis. Nam ſi Angelus noluit diabolũ (conantẽ corpus Moſi reuelare, ad Idololatriã Iſraelitas in hoc inuitãtẽ, vt ait ibi D. Th.) maledicere: neq; auſus fuit iudiciũ inferre blaſphemię (vt ait ſanctus Iudas in ſua vnica epiſtola) in eũ, quaſi in malã creaturam, ſed modeſtè cõpeſcuit illum per diuinum imperium. Qua fronte filium tuum innocentem, maledicere audes infernalis diſcipula? Animã tuã maledicis.

3. Re. 21. D.

Iob. 1. B. 2. C.

Iacob. 3. C.

*Simile.*

C.

Quid tamen dicam de muliere crudeli & inſana, à cuius ore diabolus nõ recedit per maledictionẽ, ſed ſemper filios aut filias ſeruos & ancillas iumenta & res inſenſatas: omnia denique & ſe ipſam dæmonis poteſtati quota hora tradit dicens: diabolus te vehat aut portet ſecum, & adiuuet? Proh nefas, noli illum (niſi ad deteſtandum) nominare ſemel, immundiſsimus ſpiritus cũ ſit: & nũquam de ore tuo recedit, infœlix mater? Quid ipſa iudicaſſes de famula magni domini: quæ filios & facultates & omnia bona, quæ in domo erant ſui domini: tyrãno crudeli inceſ-

*Simile.*

ſanter, verbo ſuo dediſſet, & maiori domini ſui inimico? Quod erat crudelis & ingrata, & perfida domino ſuo. Et ipſa maledica mulier, potes his nominibus & peioribus nominari: quæ cum ſint Domini cœleſtis filij, & creaturæ & poſſeſsio eius, omnia quæ in domo tua ſunt: non vereris maiori inimico ſuo dæmoni nępe, quota hora nocte & die lingua tradere Dei filios & creaturas ſuas. Et velut calamo ſcribęs, & teſtamentũ facięs, nullũ legatum Ieſu facis in illo, ſed omnia, filios ſeruos canes oues dæmoni mãdas. Quid in morte tua dicet tibi filius Dei benedictus, à quo omnia ſua furata es, & dæmoni tradidiſti? Et dicis dæmõ reintret te: crudelis dæmoniaca, iſta Chananæa tantis lacrymis curat, vt Chriſtus à filia ſua dęmonẽ eijciat, & ipſa dicis, vt tuũ filium aut filiam intret? Neſcis quam terribilis hoſtis dæmon ſit & quam Deo iniurioſus, & quam tibi infeſtus & nociuus: aliâs deſineres illum ab ore tuo, ſaltim ne tam frequenter nominando illum.

Omittamus quanta mala dæmõ hucuſq; fecit & quam malignus ſit: tamẽ ſolum horribilitatẽ eius quando ab hominibus viſus eſt aliquo modo innoteſcere volo tibi mulier: vt hinc ſaltim timeas ore tuo illum nominare, ne tibi aliquando appareat. Diuus Antoninus narrat de quodã fratre ſui ordinis dominici Alano nomine in Anglia, qui ad extrema vitę deductꝰ, cępit vultu horreſcere: & terribiliter clamans ait: maledicta ſit hora qua ordinẽ intraui: & ſubticuit. Et orãtibus pro eo aſtãtibus: paulo poſt infirmus ſerena facie ſubridens ait: nõ ſit maledicta, ſed benedicta hora qua intraui ordinẽ: & benedicta ſit beata Virgo Maria, quam ſemper dilexi. Fecitque vocari alios fratres, & ait: vos turbati eſtis de primo verbo meo & meritò, ſed ſciatis hãc fuiſſe cauſam. Apparuerũt mihi dæmones terribiles parati ad rapiendum animam meam: propter quod prę timore extra me factus ſic maledixi horam. Et dico vobis, ſi fieret hic ignis ſulphure miſtus, qui vſq; ad finẽ orbis terræ ſe extenderet, & daretur mihi optio, vtrum mallẽ per medium illum ignẽ tranſire: an dæmones iterum in ſimili forma videre, potius eligerẽ per horribillem illum ignẽ tranſire, tam horribilis eſt eius aſpectus. Venit tamẽ Beata Maria, quæ illos fugauit: & tunc concepta ſpe ſui adiutorij riſi & ipſam quę me liberauit benedixi. His dictis requieuit in pace.

3. p. hiſt. tit. 23. capi. 10. §. 6.

Tit. 24. cap. 7. §. 12. Vide mulier quibus beſtijs filios tuos commendes.

Ipſemet de Egidio fratre Frãciſcano refert: cuius anima ſancta ad

cta ad ſecreta cœleſtia contẽplanda rapta extra corpus (vt ſibi videbatur) aliquando, & tamen nunquam voluit expreſſe reuelare dicens: Beatus qui ſcit conſeruare ſecreta Dei. Scite dictum, nã ideo amittimus multa bona à Deo data quia publicè portamus illa, & prædari deſiderat à dæmone latrone, qui theſaurum ſecretorũ aut donorũ Dei, publice portat, alijs reuelãdo ob inanẽ gloriam: ſecretũ meum mihi dicebat Iſaias: & tu fac ſimiliter. Ad hu miliãdum tamen eũ, poſt dictã reuelationẽ, paulo poſt oranti in cella, adfuit Sathan iuxta eum tã terribilis, quod ex horrore Egidius loquelã amiſit: & in terra proſtratus & ſi nõ ore, corde tamẽ diuinũ auxilium implorabat. Et ſtatim eo euaneſcente liberatus eſt. Experiẽtia hac didicit, quod S. Frãciſcus aliquãdo dixerat: ita eſſe horribilem aſpectu diabolum: vt nullus ſufferre poſſet in eum aſpicere per dimidiũ pater noſter: niſi diuinitus iuuaretur. *Iſai. 24. C.*

Ad iudicãdum maledictionis culpam (ait Magiſter Soto) perpendendum eſt animi propoſitum, & intentio: cũ parentes filijs maledicunt, nullum intus habentes mali deſideriũ, nunquã eſt peccatum mortale: quanuis cõſuetudo peſsima eſt, & hominibus infimæ claſsis peculiaris & mulieribus infimis: neq; ad correctionem quicquam cõferens. Præterquã quod ipſe maledicendi impetus, ſæpe iram in odium concitat: atq; animum mutat, vt quic quid malorũ illis imprecantur fere optẽt vt eueniat. Tamen diaboli appellatio, qui illũ cui maledicitur importet & vehat: vix à mortali peccato excuſari poteſt: eſt enim blaſphemiæ genus & ſcãdalum ſempiternã mortẽ alicui imprecari. Audiſti maledica? *Lib. 5. de Iuſti. q. 12. artic. 1.*

Igitur mulier maledicta aut homo vilis, ab ore ſuo multos dæmones cõtinuo ſpirans, infernus potius quam mulier dicẽda eſt: quia abſq; dubio in corde multos dæmones habet. Ex regula Chriſti: ex abũdantia cordis os loquitur: & malus homo vel mulier ex malo ſuo theſauro, pfert mala ſemper: ſicut è cõtra bonus homo de bono cordis theſauro benedictiones profert. Igitur vt infernum, flammas & dæmones inſpirantem fugeres: ſic & mulierem maledicam, & dæmonem frequenter nominantem fuge. Non ſic ſancta fœlicitas nõ ſic mater ſeptem fratrum martyrum martyr & ipſa: quæ cum vidiſſet tyrannũ Publicum præfectum filios ſuos maledicentem & ad Chriſtum negãdum inuitantem, dixit illi. O iudex, ſi Chriſtũ noſſes eiuſq; magnitudinẽ & diuinitatẽ intelligeres: deſiſteres certe iſtos pios homines ſeducere & *Luc. 6. G.*

maledicere. Nam qui Christianis maledicit, Deo maledicit in cordibus eorum habitanti. Audi mulier maledica, mulierem istam benedictam: disce maledicta, filios tuos benedicere: & tu homo.

Quanto magis, quia te ipsam & animã tuam maledicis, quam lingua tua maledicta occidis. Et multoties ex Dei permissione horrenda dictu, ob matrũ maledictiones filijs euenere. In Oathalonia, quidam agricola de villa quæ dicitur Merchera, Petrus de Tabula nũcupatus (vt refert Berchorius) paruulam filiam dæmonibus cõmendauit: quia ipsum eiulatu turbabat: q̃ statim inuisibiliter affuerũt, & puellam raptam in turbine abstulerũt. Septenio ergo decurso, quidam viator ad pedem montis Canatum in accessibilem (in cuius summitate est lacus, cuius aqua est subnigra, & fundus imperscrutabilis: vbi mãsio dæmonũ ab incolis fertur esse sub aqua ad modum palatij ædificata. Vnde fit, quod si modicum lapidem in lacum ieceris, statim, quasi offensis dæmonibus, tẽpestatem & tumultũ audies & videbis) transiens igitur inde ille homo, vidit hominẽ celeriter decurrentẽ, & voce flebili proclamantẽ. Heu me (inquit) qui tãto põdere premor. Quis es? In mõte Canatũ sub dæmonũ cõmendatione trãsigo, me quotidie pro vehiculo vtẽtium. Et ibi est puella Petri prædicti, quam si pater in monte requireret, dæmones illã libenter restituerent. Cũ tamẽ pater puellæ sciret hoc à viatore, mõtem ascẽdit dæmones adiurat vt filiã reddant: & statim repẽtino flatu filia prodit, procera statura, arida, tetra, oculis vagis, horrendo aspectu: quæ tandem paulatim extitit reformata. Videte parentes, quibus hospitibus filias vestras tradatis. Ibi narrat Berchorius de alio qui tẽpore suo nunquã potuit se amplius vestire, quia mater eius male dicendo dixit, nunquam te induere valeas. Et in patria sua Picta uia, in parochia de Fontanis: vir filiũ suum iuuenẽ dæmonibus cõmendauit: & vix à matre & à pluribus alijs impeditus fuit dæmon volẽs illũ in paludẽ ibi exiſtẽtem submergere. Ista sufficiant vt audaces mulieres, maledictionem abhinc valde abhorreant: Et Dei creaturas cani infernali, ne tradant. Quia benedictio patris, firmat domos filiorũ: maledictio autẽ matris (ait Salomon) eradicat fundamenta. Vnde non mireris canicula mulier si filia tua à dæmonio vexatur & maledicta sit: ne parcas virgæ aut flagello, & non maledicas, & duo bona facies: maledicis & non flagellas filios, duo mala à dæmone tibi tradita, operaris.

*Exemplum.*

*Lib. 14. cap. de Hiſpania*

*Exemplum.*

*Exemplum.*

*Eccle. 3. B.*

Deinde

Deinde miſerere mei Dñe(ait Chananęa) quia forſan in cauſam fui filiæ tãtum accidiſſe malum: aut ornatum vanum illi conſentiẽdo, aut præcipue familiaritatem mulierum ſuſpectarum non illi prohibendo, & abſterrendo, & maledictas pronubas. Quãta mala & dãna in republica Chriſtiana faciant iſtę mulieres infernales & internuntiæ maledictæ, ſolus Deus nouit & ſcit. Et aliquid huius mali, ſciũt multę infelices mulieres, quæ à ſtatu honorato & bono & à fidelitate debita maritis & filijs, à & Dei amicitia illarũ conſilio & inductione, in infamiã & dolũ & peccatum corruerunt, & innumeræ in infernum. Eſt filia tua domi, bona & innocens, intrat bona vetula: imo diaboli venenum: & ſubridẽs ait puellæ, ſalutans illam, cum animæ ſalutem tollere veniat: Deus te adiuuet. Et tu mala mulier, vt quid venis dæmonem & lenonem contra illam adiuuare? Vnde ingreditur blande, vſque dum cor amantis reuelat illi, munera promittit & nuptias ſi puella innupta eſt: ſi nupta dona multa, & opponit illi amorem hominis & periculum inſaniæ aut moriendi. Stulta puella, aut coniux, cum videat illam mulierem vtipſam, eiuſdem ſexus eiſdem ornatam veſtibus, & eodem caliandro caput coopertum: decipitur miſera, & illam peccato ligatã relinquit, & à dæmonio & nociuo amore vexatam.

O mater, ſi tibi datur optio, dũ opus tibi eſt à domo egredi, cui filiã interdum cõmittas, cani rabido, dæmoni aut ſerpẽti ex vna parte: & ex alia peſsimæ mulieri: cuilibet triũ potius, quam iſtæ maledictę cõfidas. O optima mater eſt, ſicut gallina bona, quę oua congregat, & ſuper illa quieſcit, nõ ſinens illa frigeſcere: diſpendio ſanguinis in pullos cõuertit oua & pro viuificãdis illis rauca fit ſanguinis defectu: congregat illos ſub alis, in illorũ defenſam cũ miluo pugnat, prius cibũ illis prębens q̃ ipſa comedat: gallina tamen mala omnia econtra facit. O bona gallina mater fidelis & optima Chriſti nutrix, tibi filios ſuos ad nutriẽdum tradẽtis & filias: nã ſuę ſunt quas in cruce magno dolore peperit: cõgregas filias tuas ſub alis nõ relinquẽs illas à viſu, & circa illas quieſcis: nõ ſinis illas in charitate Dei frigeſcere, ſed doces illas orare & in angulo domus cõtinuo labori vacare: ne diabolus ocioſas inueniat. Maledictionẽ vetas & detractionẽ & multũ loqui, & cũ his quæ in leuitate ambulãt cõfortiũ impedis. Diſpẽdio ſanguinis illas & ſalutis alis, dũmodo nõ detur occaſio, domos alienas illas frequẽtare,

*Simile.*

*Simile.*

tare, & ſic labore tuo cibū paras. A miluo lenonis aut hominis cuiuſcunq; conditionis etiā conſanguinei (imo melius ab iſtius) conſortio & familiaritate magna cura filiā cuſtodi. Et præcipuè à canicula, ſcilicet, à vetula deteſtanda, & à maledicta pronuba.

*Eccle.7.C.* Vnde Dei conſilium vt optima mater impleuiſti dicentis: filiæ tibi ſunt? Serua corpus illarum, vt gallina pullos: & ne oſtendas faciem hilarem ad illas: ob quod audeant contemnere te, & Deū offendere: ſed doce illas vtilia, prius ipſa operādo bona: alias difficulter filiæ bonæ ſunt, matre peccante.

Quid tamen dicam de multis noſtri temporis matribus, nullam curam de filiarum virtute habētibus, ſed vt mala gallina gar

*Prouer.7.B.* rula vaga (teſte Salomone) nec valens domi conſiſtere pedibus ſuis: nunc foris nūc in plateis nūc in domo vicinæ, filias in frigiditate mala ſolas non verens relinquere: imo inhoneſtis illas cōmittens, & à malis pronubis non cuſtodiens. Vnde in voluptatibus exardeſcunt, & à miluo dæmone aut lenone capiuntur: & à vetulis diaboli decipiuntur, & ſic à dæmonio vexatæ, quid mirum vt prius matres quam coniuges ſint? Quid mirum vt prius filios quam maritos habeant? Tu ipſa mala gallina, peſsimaque mater, tantorum malorum cauſa fuiſti, quia indulgentia tua & incuria, ſic deſtruxiſti, quod peperiſti. Si culpa iſtius Chananitidis, dæmon locum habuit in corpore filiæ eius, quid ipſa de illa diceres? Tot dæmones, non in corpore filiæ, ſed anima ſunt, bona mater, quot peccata tua cauſa aut negligenti cura commiſit: aut ſolicitudine internuntiæ, quia non ſeruaſti corpus illius vt Deus iuſſit te. Plora cum iſta muliere: veni huc ad filium Dei in templum exiſtentem ſacramentaliter: etiām ſi vbique ſit realiter. Confitere peccata tua & filiarum, tua cauſa ab ipſis perpetrata: in te reuertere, clama toto corde ad Deum dicens: Miſerere mei matris negligentis & perditæ, domine fili Dauid, & Virginis caſtiſsimæ Mariæ. Quid habes? Quia filia mea male à dæmonio & vitio & malo homine, & peſsima pronuba vexatur: ob incuriam & deſidiam meam. Confitere delictum vere & ego tibi parco: vade in domū tuam, & cuſtodi te & filiam tuam, quantum eſt in te, ab omni iniuria contra me, vt ſalua ſis & ipſa non pereat.

O vtinam ne inter fideles matres, reperiantur aliquæ ita Deo inimicæ & filiarum ſaluti ſpirituali, & honoris Dei & ſui ita oblitæ:

oblitæ: quod ipſæ filias ſuas voluptati tradant, & officiũ maledictæ pronubæ induãt: & filias dæmoni & lenoni vẽdãt, vt melius ornatæ incedãt, vt delicatius & ſine labore abũdantius comedãt & delitijs indulgeãt. O infelix & crudelis mater quæ talis es, ſerpẽte venenoſior, diabolo pernicioſior: cum audeas, de ſanguine animæ filiæ tuæ, Chriſti ſanguine redẽptæ, in corpore viuere: & nõ timeas lupo tradere ouem quam peperiſti, & à dño morte ſua liberatam. Et illam cui lac dediſti, modo occidis culpa, vt ſanguinẽ animæ eius bibas? Quid reſpõdebis Chriſto Ieſu cras aut hodie corã illo repreſentata, quãdo dicat tibi: Da mihi filiam meã, quam tibi tradidi nutriendam, mihi & cœlo? Dñe, iam tradidi illam maledictioni, dæmoni & lenoni, voluptati & diſſolutioni. Videtur tibi optima reſpõſio iſta? Audebis corã Chriſto appare re dicente: Da mihi ſanguinem meũ, filiæ tuæ cõmunicatum, & à te cõculcatum? Quid loqui audebis quãdo tibi dicat: Bona mulier imo peſsima mater, quid ipſa de gallina iudicaſſes tua, fugiente miluum cõtra pullos venientem? Occiſione dignam eſſe. Tuo ore te iudico inuerecũda & audax mater: nam quid pulli, cũ anima filiæ tuæ meo ſanguine empta? Quid miluus cum dæmone aut lenone? Ipſa tamen non ſolum nõ defendiſti filiam à talibus miluis, neq; reſtitiſti illis: ſed inſuper vnguibus & dentibus illorum ad dilacerandum tradidiſti: & fugiſti, illam miluo & pronubæ committendo? Reſponde ſi habes quid. *Simile.*

Tamen quia rariſsime, credo, tam dæmoniacã matrem in republica Chriſtiana inueniri, filias ſuas dæmoni & lenoni vendentẽ & inferno tradentem: ſaltim ex timore iuſtitiæ ſecularis grauiter talem matrẽ punientis: reuertar ad genus mulierũ magis execrãdum maledictum & abominãdum: perniciosum damnoſum periculoſum inter fideles repertum: quod ego maxime deteſtor, quod eſt pronubarũ & mulierũ internuntiarũ. Ob cauſam veſtram quanta mala, quanta ſcelera cõtra Deum & homines commiſſa ſint, mulieres infernales, ſolus Deus à vobis valde offenſus nouit. Tu mala mulier tot coniugatos bonos & pacificos & Dei amicos, iræ diſcordiæ, diſſenſioni & odio tradidiſti: & quos maxime ad inuicem diligentes ſe olim, odio & diſcordię dediſti. Tot mulieres gladio maritorum dediſti: tot generos, infamia reſperſiſti: & in cauſam fuiſti vt mulieres innumeras fidem coniugibus & Deo fregiſſent. Et vt filios infames & male habitos: cum

magno

magno reſtituēdi periculo genuiſſent: deniq; quātas inferno perpetuo tradidiſti. Deficiet me tēpus enarrādi mala & dāna, quæ Chriſtianæ reipublicæ maledicta & infernalis pronuba irrogauit: & quæ quotidie cauſare non ceſſat. Et quod magis doleo, quia cum hoc libere in tali republica viuit & in malo impunita perſeuerat: & rariſsime aliquam iuxta iuris rigorem punitam video: omnes illam defendunt, neſcio an ſit in cauſa, quia multi illa abutantur & officio ſuo indigent. Vtinam ne ſint aliqui iudices, qui illas exterminare debent, defendentes & illius delicta coperientes. Vnde cum primum aliquam, etſi ſero, & vnam ex tot in populo viuentibus, in carcerem injciūt: omnes illam liberare ſatagunt obſeruitia illis ab ea exhibita: non attendentes quantos in carcere culpæ, ad carcerem inferni dānatos habeat.

Audi maledicta pronuba, quam graue ſit delictum tuum, ob quod multæ filiæ & coniuges, à dæmonio in anima vexātur, in Dei iniuriā & ſanguinis eius diſpendium. Primo attende peccatum tuum eſſe diabolicū, & dæmonis officium: cum proprium ſit illi, operā dare, vt hominem peccato & Dei iniuriæ & deinde tormētis ſubijciat: ſine ipſius dæmonis vtilitate aut aliquo emolumēto. O diabolo ſimilis maledicta pronuba: quæ ſimiles tui in natura in ſexu & in fide, incunctāter operā das ad peccatū inducere: & tollere illas de manu Dei ſui, & lupis infernalibus tradere. Imo quod maius malum eſt, vbi deficit dæmon, iam defeſſus & non valēs miſeram mulierē ad voluptatis conſenſum adducere: incipis ipſa diabolo potētior ad malum & illo peſtilentior: & quod magis doleo, quod perficis ipſa & obtines à muliere culpā, quam dæmon per multum tempus non potuit elicere. De quibus vetulis poteſt intelligi illud ſaluatoris: vos ex patre diabolo eſtis, & illo peiores, quia deſideria illius perficere vultis: & quod ipſe non poteſt à muliere obtinere, vos cito ſuadetis illi. Lingua tertia (malignæ pronubæ tertiæ inter lenonem & mulierem) mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus ſuis. Maledicta lingua tertia & dæmonis quæ à te poſsidetur mulier internuntia: qua mulieres fortes & viratas, in voluptatem eieciſti, & in peccata multa, & infamiam & odiū circa Deū & maritos filios & cognatos: & illas ſuis meritis & honoribus priuaſti & ieiunijs & eleemoſynis. Attende mulier, quanta mala tibi irroget lingua tertia: vnde Salomon ibi: beatus qui tectus eſt à lingua nequam: nam

*Ioan.8. f.*

*Eccle.28.c.*

nam vtilis potius inferus quã illa: hoc eſt minus malus. Quia inferus ſuo igne, malas mulieres & obſtinatas & à vita impœnitentes diſcedentes cõburit: lingua tamẽ peſtiferæ vetulæ caſtas coniuges & ſanctas virgines vrit, & ad malũ voluptatis attrahit. Sũt deniq; diaboli lingua: & omnia quæ de mala lingua Iacobus affirmat faciliſsime linguæ pronubæ adaptare poteris. *Iacob. 3. A. B. C.*

Faber ferrarius, volens ferrum ad libitum ſuum ducere & igni tum facere, apponit illi carbones & incendit follibus vſque dum ferrum liquefacit. Quis eſt iſte faber niſi diabolus de quo ait dominus per Iſaiam: ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas: & vt ait Iob, halitus Leuiathã prunas ardere facit: iſte maledictus faber cupit omnes homines & mulieres igne concupiſcentiæ molles reddere, vt illis abutatur ad libitũ. Et ſunt multæ mulieres adeo fortes vt ferrum, quas ipſe per ſe liquefacere nõ valet pluſquam faber ferrum, nec ad malum inducere: tamẽ, vt eſt malignus, carbonibus vtitur, nigris nempe vetulis: quæ ſicut carbo primum pruna fuit incenſa & deinde carbo manet: ſic maledicta vetula, quæ pronubæ officium exercet, frequenter & fere ſemper, prius fuit meretrix & luxuria incenſa. Et quando neq; canes illam aſpicere volunt, diabolus vtitur illa tanquam cãrbone & follibus rugis plenis: vt ſuis flatibus baſiliſci, & venenoſis verbis, incẽdat fortẽ mulierẽ igne cõſenſus & mollem ad omnẽ dæmonis ſuggeſtionẽ reddat. O maledicte carbo: & follis diaboli, quãtas miſeras incẽdiſti mulierculas: quas dæmõ, & leno ſimul, non potuerunt cõburere: & ipſa ad inferni ignem miſiſti. Petrus Alphigus oſtendit hoc exemplo tali: de quadam muliere honeſta & caſta, quam ardenter quidam iuuenis amabat, & nil obtinuit: ob quod cœpit languere: quẽ videns vetula & cauſam morbi ſciẽs dixit expecta pauliſper. Poſt ieiunium diurnũ caniculæ ſuæ panem ſinape fortiſsimo cõfectum ad manducãdum dedit: quo cõiecto cœpit lacrymare canicula præ ſinapis fortitudine. Et pergit cũ illa ad domũ caſtæ mulieris: & illi interrogãti, Quid caniculæ accidiſſet ploranti: ac ſi inuite dixit fuiſſe filiã ſuam in caniculam verſam: quia deſiderio iuuenis noluit aſſentiri. Illa tunc aperuit cor vetulæ de iuuenis amore: vnde infelix domina, quæ à diabolo & iuuene ſuperari non potuit: per maledictam pronubam decepta, in nequitiam deducta eſt adulterinam. Cauete ab illis vt à ſerpentibus: quia ſicut tu ligno ſicco viride incendis: ſic & *Similitudo. Exemplum. Similitudo.*

ſic & dæmon filiam tuam vetulà ſicca vrit & ad ignem trahit vo luptatis: ſerua filiam ab illa potius quam ab igne.

Magnum delictũ eſt tuum internũtia & dæmonis carbo mu lier, (aut homo, nam iam dicitur mihi quod etiã aliqui homines hoc officiũ vetularũ infernalium exercent) rea es apud Deũ pro ditionis, cũ caſtrum eius, nempe animam mulieris, dæmoni & le noni tradas. Dic ipſa quãta culpa erit in te, quæ animam quam Deus toto ſanguine ſuo à corpore effuſo redemit, tollis ab illo & in cauſam es vt perdat illam? Si vna tantũ anima tua malitia eſſet damnata, qua pœna digna eſſes? Quid erit cũ tantas inficere non verearis? Si tantum ſeruitiũ ſe credebat facere Deo D. Vincẽtius Ferret, vnam ſardinam, id eſt, vetulam, (Dei auxilio & prædica tione ſua conuerſam) Deo offerendo in cænã: & dicebat ſe auda cter pulſaturũ cœli ianuas illã vehẽdo: quanto ſcelere aſtricta es, mulier excõmunicata, tot animas auferẽdo à Deo & illas totali ter deſtruẽdo? Sicut nullũ eſt ſacrificiũ aut ſeruitiũ Deo accepti? vt animarũ zelus, & illas ad Deũ conuertere, auxilio Dei fretus: ſic Deo nil magis odibile quã illas ſeducere, & à Deo alienare, & nil à dæmone deſiderabilius. Et ſicut Deus linguas igneas ad aĩas
*Actu. 2. A* incendẽdas fecit apparere in Pẽtecoſte ſuper diſcipulos ſic mali gnus igneas linguas & ſulphureas in iſtis generat vetulis & ipſe met docet illas: & ipſæ magis in hoc ſciũt quam dæmon ipſe: vt honeſtas cõiuges, honorẽ & illarũ animas in gehenna cõburant.

*simile.* Dic ipſamet crudelior Medea, dæmonis gladius cũ ſis, quo cul pæ delicto conſtricta eſſet mulier, quæ filiũ vicini ſui, à quo alitur ipſa, homini crudeli vẽdidiſſet: ſciens illum ſtatim occiſioni tradẽdum? Magna certe, & grauiſsima erat pœna plectẽda. Mul tis vapulabis infernalis coadiutrix, quæ non es verita, nec Deũ timuiſti in venditione non vnius filiæ ſuæ ſed multarũ ſanguine ſuo redemptarũ: cum à Deo ipſo panem & victum & veſtitum, & vitam recipias. Et vendis illas tyranno crudeliſsimo, dæmoni, ſcilicet, qui ſtatim trucidat illas culpę gladio: reſeruatas igni æter
*simile.* no, ſi Deus ſua bonitate ad ſe illas non conuertat. Quis auderet hominem aut mulierem, pro decem argẽteis interficere? Tu ipſa audax dæmon mulier ſanguinaria: occidere animam tuam & le nonis & mulieris pro calceis non vereris. O larua dæmonis, qua animas tẽtat, & occidit, tollit à Dei manibus & damnat illas ma
*simile.* lignus. Incendiarij in bello, cæteris vaſtatoribus peiores, abſque

ſimilitudine,

ſimilitudine, ſunt, & magis exoſi. Quid erit de vobis vetulę excommunicatæ, cum ſitis animarum incẽdiariæ, ignem voluptatis vſque ad conſumptionem deuorantem (teſte Iob) immittentes in mulierum corda contra Dei amorem & charitatis ignem? Flagellentur, mitra decorentur tetra, odio habeantur, & extermi nentur à Republica fideli: explodantur exules & abominentur à pueris tam pernicioſi ſerpentes generi humano, & ſibilo ſuo ſic animas inficientes. *Iob. 31. b.*

Quando Sãſon trecẽtis vulpibus, caudas iunctas ad caudas habentibus, & faces incenſas ligatas, ſegetes Philiſthinorũ ſuccendit: iam fruges maturas habẽtes, & vineas & oliueta flammis cõburit: dixerunt Philiſthijm dolẽtes: quis fecit hãc rem? Sanſon. Ità irati ſunt, vt vxorẽ primam Sanſonis & patrẽ eius (quia tulit filiam & alteri tradidit, vnde iratus fuit Sãſon & iſta fecit) cõburerunt & Sãſonem perſecuti ſunt, vſq; ad oculorũ orbationem. Et quod videant iudices tàm ſpirituales quàm ſeculares, vulpeculas iſtas, deteſtandaſq; pronubas (ſaltim facili negotio ſi ſolicitudine nõ pigra illas quæ ſiſſent inueniſſent, & de tãto facinore conuiciſſent) linguis ſuis igneis honorẽ maritorũ & filiorum, & animas mulierũ (quod magis dolendũ eſt) iam fruges meritorũ habentes, & triticũ bonorum operũ ad meſſem iudicij poſsidentes, incẽdentes, & pinguedinẽ virtutum & dulcedinẽ bonæ conſciẽtiæ cõburentes: & q̃ nõ iraſcantur cõtra illas, vſq; ad oculorũ priuationẽ, & corporũ cõbuſtionem? Tollite illas de medio iudices alias eadẽ pœna internũtijs digna, in inferno eſtis multandi. *Iudi. 15. A. B.*

Grauiſsima eſt culpa tua pronuba infernalis, tamen nonibis impunita: iudex cœleſtis non tranſiet ſilenter per ſcelera tua, vt iudices ſeculi, nec te ſine flagello relinquet vt iſti. Quod magis ego velim in quocunque populo aut ciuitate videre: eſſet vna proceſsio harum mulierum maledictarum mitras ſceleratas habentium: & à pueris per vias publicas ouis percuſſarum & à carnificibus flagellis: deinde ad remum exules velim vt cõfuſæ abigerentur. In valle Ioſaphat implebitur hoc deſiderium meum: & iudices vobiſcum diſſimulantes, ſimul etiam pœnas dabunt. Scito mulier infœlix, quæcunque tale exerces officium, grauiſsima tibi pœna futura à iudice Chriſto: cum dæmonis negotium & ſerpentis antiqui operaris, maledictiones quas dominus contra illum iniecit, ſuper te abſq; dubio euenient. Serpens

enim quem diabolus ſibi elegit, vt per eum mulierem deijceret: eo quod mulieri aſsimilaretur (nam erectus tunc erat, & ſecundum Bedam vultum virgineum habens) ſignificat recte te mulier deteſtanda: quam diabolus elegit, ad alias mulieres decipiendas & in culpis deijciendas: eo quod habitu & ſexu illis ſimilis es. Et licet ſerpens, tanquam creatura irrationalis, non intellexerit quid fecerit, in tribus punitus eſt: diaboli pœnas & tuas exprimens, mulier, odioſa mihi & Deo.

*Gene. 3. C. D* Homo Adam in vno punitus eſt, quia in ſolo eſu peccauit: nempe vt in ſudore & labore pane ſuo veſceretur. Mulier quia ſuperbiuit & locuta eſt cum ſerpente, & etiam fructum vetitum comedit: duplicem punitionem accepit. Sub viri poteſtate eris (ait Deus) & in dolore paries filios tuos. Serpens tamen maledictus, triplici flagello à Deo percutitur dicente illi: quia in ore habuiſti mendacium: venenum ſit in ore tuo, & terram comedas omnibus diebus vitæ tuæ. Deinde, quia mulierem decepiſti, inimicitias ponam inter te & illam & ſemen eius: & maledictus eris ſuper omnia animantia terræ & beſtias: & ſuper pectus tuum gradieris. Audi adulter, audi mulier voluptati dedita, attende & ipſa pronuba ſerpenti ſimilis quanta vobis maneāt ſupplicia. Homo, quia cibum vetitum voluptatis contra meum ſextum præceptum comediſti, audiendo vocem vxoris tuæ, id eſt, carnis: cum ego Deus præceperam ne comederes dicens, non

*Mat. 10. B.* adulterabis: maledicta erit terra corporis tui in tali opere tuo: in laboribus & conſcientiæ remorſibus, comedes cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas concupiſcentiæ & tribulos tentationum ad vomitum ſuadentes, germinabit tibi. Væ ſi non pœnitueris: anima etiam tua erit maledicta, ſpinas culparum tibi, & alijs tri-

*Sup. 10. A.* bulos germinans occaſionum. Age pœnitentiam cum Adam, vt tali maledictione liber euadas adulter immunde, & caue recidiuum.

Ipſa tamen mulier, quæ ſuaſu dæmonis, aut vetulæ internuntiæ, tam graue facinus committere non es verita, contra Deum tuum voluptati conſentiendo, & Dei præceptum frangendo: matrimonij vincula rumpendo, & coniugis tui & filiorum honorem deſtruendo, & propriam animam occidendo: accipies à domino duas terribiles minas, imo & maledictiones. Hic in vita, eris ſub viri tui poteſtate: ita vt licite occidere te poſsit,

te posſit, traditam ſibi à iudice. Ecce prima maledictio, & ſemper in iurgio eris cum viro tuo: quia nihil magis homo, quam hanc iniuriam ſentit. Deinde ait dominus, in dolore paries filios tuos: quia ad literam, in magno reſtituendi periculo conſtituis animam tuam ò mulier, quando ab alio quam à viro tuo filium peperiſti. Deinde velis aut nõ, dolore & conſciẽtiæ remorſu filios, id eſt, opera voluptuoſa parere debes: cum contra tanta debita à te, Dei nempe honorem, mariti, filiorum, conſanguineorum animæ tuæ, & contra Deum audeas voluptatem perpetrare. Heu ſi cito ad pœnitentiam non fugis & cauſas peccãdi non tollis: ſub poteſtate dæmonis eris, & ipſe dominabitur tui: & in dolore perpetuo gemituum, filios & dolendos cruciatus paries, in magno conſcientiæ remorſu.

Contra te tamen ſerpens venenoſe, pronuba excommunicata, eſt noſtrum præcipuum iurgium: quæ triplici maledictione percuſſa eris à domino, & merito. Quia feciſti ſcelus adeo graue, & inuitaſti mulierem ad frangendum præceptum meum veneno oris tui: venenum culpæ ſit in anima tua quandiu pœnitentiam non egeris, & terram comedes & terrena lucra & execranda, pro officio tibi data, cunctis diebus vitæ tuæ, & poſtea carbones ignitos. Deinde inimicitias ponam inter te & ipſam mulierem quam ſeduxiſti, hic & in inferno: & inter filios ſuos & tuos & inter opera veſtra: quia magnam filijs eius irrogaſti iniuriam. Denique eris maledicta inter omnia animantia terræ & beſtias: inter dæmones nempe & peccatores: & ſuper pectus tuum gradieris in igne æterno. Audiſti quæ tibi reſeruentur tormenta homo aut mulier quiſquis es, qui officio internuntij vacas: ad animas capiendas dæmoni, & mulieres decipiendas, in tantam Dei iniuriam?

O fœlix mulier, quæ fortiter tali ſerpenti maledicto, Dei adiutorio reſiſtit, & ſtatim in tentationis initio illum à ſe reijcit indignatione ſancta: ita vt pronuba infelix dicere poſsit lenoni, quę Aphrodiſia dixit præſidi Quintiano de S. Agatha virgine, nobili genere, pulchra corpore, fide & opere pulchriore. Nam (vt ait Diuus Antoni.) tradita fuit S. Agatha à Quintiano cuſtodienda, & ad malum inducenda, turpiſsimæ Aphrodiſiæ ſeptẽ filias habenti, turpitudini deditas, ſicut & ipſa. Ipſa autem *P. P. Hiſt. ti. tu. 7. c. 7. §. 5.*

cum filiabus per triginta dies ſuadere nitebatur, quandoq; blan ditijs quandoque minis vt præſidi aſſentiret. Sed cum fruſtra laborarent, dixit Aphrodiſia tyranno: facilius poſſent ſaxa emolliri: quam mens huius puellæ à propoſito Chriſtianitatis remoueri. Benedicta eris à Domino mulier, quæ velut firmiſſi mum ſaxum, à bono honeſtatis neque à virtute, ad vitium & vo luptatem moueri à tali ſerpente fueris permiſſa: væ nutanti ad malum. Miſerere mei Domine, quia forſan ego in cauſam fui (aut maledicendo, aut filiam ſuperflue ornãdo, aut conſortium malum hominum aut mulierum non prohibendo) vt filia mea à dæmonio eſſet in anima vexata, vnde in corpore cruciatur: vt matres diſcant alere filias ſuas, ne in talẽ miſeriã, vt ego, veniant. Et ſi filias habent ſua indulgentia dæmoniacas, cito ad te dolore debito & cõtritione plorantes perueniãt: atq; dicentes, Miſerere noſtri Domine, & tolle peccata ab anima noſtra & dæmones à filiabus, quos peccando in ſe receperunt.

*Simile.* Miſerere Mei Domine, quia ſi eſſem in domo igne ſuccenſa ex omni parte, in magno ardendi periculo: valde eſſem gauiſa ia nuam aliquam videns, qua foras egredi poſſem, & illuc accurre rem ſine mora. Domus mea ardet, ex dæmonis ſocietate, ego in tus cum filia eram magis quam ipſa dolens: vidi ianuam miſeri cordiæ tuæ, qua tãtum fugiam malũ: miſerere igitur mei Dñe. Peccator quiſquis culpæ igne incenſus es, domus conſcientiæ tuæ ardet, in periculo ſatis proximo flammis tartareis animam tuam cito ardendi: vis tam graue vitare malum? cupis tale fuge re tormentum? Scito vnicam eſſe ianuam, nempe Dei miſericor diam, in vnica Eccleſia per ſacramẽtum pœnitentiæ tibi appli cari paratam: fuge ad illam & cito, dicẽs, miſerere mei Domine.

# Homilia Quinta.

Text. ¶ Domine, Fili Dauid.

*Rom. 1. A.* DOmine, quia Deus meus es tu: fili Dauid quia homo verus ex ſemine Dauid ſecundum carnem natus es (vt Paulus ait) prædeſtinatus filius Dei in virtute. Deus & homo miſerere mei: nam cum dominus fis potens es ad miſerẽdum: & cum humanam carnem aſſumpſiſti,

pronus

pronus vt homo eris ad compatiẽdum: ideo potens & volens mi
serere mei. Ipse dixisti, te non venisse iustos vocare ad pœniten- *Matth. 9. B.*
tiam, sed me & alios peccatores: igitur voca me miserendo mei.
Dauid non dixit, propter miseriam inopum & gemitum paupe *Psalm. 11.*
rum, te dixisse debere nasci mori & resurgere? Fac vt filia mea
per gratiam nascatur, & diabolus moriatur: & ego & filia resur-
gamus. Nunquid oblitus eris misereri Deus (vt dixit Dauid) aut *Psalm. 76.*
continebis in ira tua inclusas misericordias tuas contra me, non
ostendendo foris illas? Misericors & miserator dominus patiens
& multum misericors: miserere mei secundum magnam miseri-
cordiam tuam. Non habeo opus spõsore, per me accedo (ait Ori-
ge.) per me obsecro, quæ crucior & indigeo, ideo miserere mei.
Quid tibi opus est, ô mulier, quæ adeo anxia & solicita es & sic
lacrymis perfusa? Misericordia indigeo, & ideo misericordiam à
te peto. Quid pateris? Dolorem quem non suffero in persona, in
corde perfero. Quid habes? Filia mea captiua à Dæmone tene-
tur. Vt quid ergo potius filium Dauid, quam Abrahæ Isaac aut
Iacob vocas illum & appellas? Primo quia (vt ait D. Hiero.) inde
noui vocare filium Dauid, quia egressa sum de finibus meis: &
errorem meorum conciuium, loci ac fidei commutatione dimisi:
vnde iam Euangelista facta sum, & de veritate edocta. Videte
quantum valeat occasionum fuga.

Fili Dauid, fac mecum signum in bonum, & mansuetudine
tua vtere: & memento domine Dauid, cuius filius ipse es secun-
dum naturam assumptam, quia ex genere ipsius natus: & recor-
dare mansuetudinis illius, vt illam erga me exerceas, vt videant
qui oderunt me & confundantur, quoniam tu domine, adiuui-
sti me & tua misericordia consolatus es me. Vt quid amplius mu
lier filium Dauid illum vocas & non alterius patriarchæ aut pro
phetæ? Quis vestrum scit si audiui ego factum, quod Dauid con
tigit cum spiritu maligno Saul valde torquente olim? Nonne in
Regum libris scriptum est: quandocunque spiritus domini ma- *1. Reg. 16.*
lus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat ma-
nu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebatq; ab
eo spiritus malus? Ista veritas infallibilis est. Quid igitur mirum
vt ego à vero Dauid Christo Domino petam, vt potentia sua, dæ
monem torquentem filiam meam expellat, virtute citharæ cru-
cis, quam in morte sua est pulsaturus?

Recedebat ſpiritus malignus à Saul citharam pulſante Dauid. Quia ſanctus erat, vnde dæmon illũ ferre non valebat: vt ſcias bene operari ſi diabolum vis longe à te effugare. Deinde, quia malignus maxime diſcordiam diligit, odit tamen vehementer concordiam: & quia cithara ſonum æqualem & ſonorum & concentum concordem faciebat, dæmon ferre non valebat. Vultis coniugati & omnes qui familiam habetis dæmonem vicinũ & valde corda veſtra torquẽtem poſsidere? Ne ſit pax & concordia in domo veſtra: maritus iraſcatur contra vxorem, vxor irreuerentiam marito irroget (vt cõmuniter fit in noſtris deplorandis temporibus) & filij parentibus ſint inobedientes: & parentes ad iracundiam prouocent filios ſuos. Et ſtatim ſine mora, ſpiritus malignus dominium domus veſtræ abſq; dubio obtinebit. Vultis illum explodere à finibus veſtris, & à domo, & comeſtionibus & actibus veſtris? Sit magna concordia inter vos & pax vera: & cithara ſonora concordiam reſonans, nempe conſcientia pacata: & ſtatim malignus recedet, & Deus aderit. Ita de qualibet anima dicendum eſt, quando omnes potentiæ ſuæ in Dei ſeruitium conueniunt & pacem componunt, & concentum ſonorum efficiunt: Deus adeſt vt hoſpes, fugit peſtilens noſter hoſtis. Heu tamen, quando iurgio & diſsidio anima plena eſt, quam cito adeſt dæmon, recedente domino.

Re vera magnam habet vim Dei verbum ad dæmonem expellendum, à cordibus humanis, ſi attente audiatur, & executioni mandetur: iuxta illam facultatem, quam dominus apoſtolis & concionatoribus dedit, mittens illos ad concionandum dicens:
*Marc. 16. D.* Prædicate Euangelium & in nomine meo dæmonia à cordibus audientium eiecta erunt: quia Dauid eſt prædicator, cithara tamen ſacrum Dei verbum eſt. O, exurge pſalterium & cithara, verbum nempe Dei in auxilium noſtrum: ò concionator pulſa illud verbo & opere: vt Saul, qui interpretatur abutens, ideſt peccator propter rerum temporalium abuſum, & male Dei beneficijs vtens, furibundus & dæmoniacus effectus: aut exagitatus à ſpiritu fornicationis nequam, aut ſuperbiæ, à quo ſpiritus domini receſsit per culpam & Dei gratia: motus ad contritionem, verbi Dei conſonantia, conuertatur ad Dominum: & recedat ſpiritus nequam & mala voluntas ab illo, & morbus peccati ſui alleuietur, & ſpiritus nouus & ſanctus & rectus innouetur

nouetur in viſceribus ſuis. O vtinam talem efficaciam verbum à me prolatum in ſe habens: à me concionante aut à te audiente non impediretur, morum noſtrorum diſſonantia & malitia.

Malignus dæmon, maxime verbum Dei ignitum abhorret & timet: & ſi ad cor loquitur hominum, ſpiritu neceſſario concionantis & calore, maxime fugit illud, ſicut orationem feruentem. Si concionator vtrunque habet, ſonorum verbum, oratione plenum, operibus illud pulſans: non poteſt audire dæmon, ſed ait illud Amos: auferà me tumultum carminum tuorum, & verborum quæ in concione profers, quia valde me cruciant: & cantica lyræ tuæ & orationis non audiam, quia incendunt me orationes tuæ: vt dixi apoſtolo Bartholomæo, referente Diuo Antonino. Miſerere mei fili Dauid, qui aliquando citharam pulſaſti ſeptem verborum, quando morti propinquus eras. Quænam erat cithara niſi crux, & fides aut chordæ, niſi nerui tui clauis extenſi? Septem mirifica verba ceciniſti & ſeptem fides tetigiſti: vt nobis ſeptem virtutes contra vitia donares, & ſeptem Spiritus ſancti dona, quibus dæmon effugatus abiret à nobis. Et virtute Crucis & mortis tuæ, ſeptem ſacramenta diuina inſtituiſti: quibus omne peccati genus diſcedit ab homine, illis recte vtente. Pulſa Domine mi, citharam hanc, & concentum adeo ſonorum, vt à nobis fugiat omnis inimici infeſtatio, & diſcedat omne peccatum: accedatque ſpiritus bonus corda noſtra illuminando. Hoc facies, quando auxilio tuo ſacramenta digne & fructuoſe accipiemus, nobis, malitia noſtra, non impedientibus. *Amos. 5. F.* *P. P. hiſt. Ti. 6. cap. 12.*

Ego mulier Chananæa tãtum indigeo prima tuæ citharæ fide, quam in Cruce pendens es pulſaturus dicens: pater ignoſce, me iniuriantibus & crucifigentibus. Ignoſce mihi, & ignoſce filiæ meæ contra te multoties peccantibus, vnde merito à dæmone affligimur: vt ſic pulſans dæmon recedat & filia reſocilletur & anima mea melius habeat, vt Saul cum Dauid, cum magis ſonorum facies ipſe concentum: & concordiam etiam cantus reddes maiorem quam Dauid, vnde malignus diſcedat. Dauid, citharæ & fidis diſpendio pulſabat, ad dæmonem fugandum: tu Domine angelorum, ſanguinis tui iactura, & venarum, & oſſium atq; neruorum cruciatu atq; dolore: imo *Luc. 23. F.*

& vitę amiſsione, vt dæmonem expellas, & peccatum ab anima abigas: pulſa primam fidem fili Dauid & ignoſce mihi. Dicamus & nos omnes clamore valido & lacrymis cordis, qui à dæmone per delicta noſtra vexamur: fili Dauid & fili Dei, qui quõdam in cithara crucis diſtentus fuiſti, clauis confoſſus: pulſa modo ſeptem illas fides diuinas, & illa verba à te ibi prolata nobis applica. Pulſa primam parcendo nobis, & ignoſce peccatoribus: vt dæmon & peccatum recedant ab animabus noſtris, & fiat in illis pax & concordia magna.

Domine fili Dauid, totus mundus in maligno poſitus eſt, D. Ioãne teſte: & latrocinijs & rapinis plenus: multi fures in illo reperiuntur facultatum alienarum, honorum, & vxorum: tange ſecundam fidem, tangendo corda illorum ad reſtitutionem præteritorum & ad veram contritionem. Confige manus illorum clauis boni latronis, vt iam furari abhorreant & peruerſe agere quieſcant, quilibet illorum corde vero tibi dicendo: memento mei domine, cum iam ſis in regno patris tui. Tange ſecundam vt audiant à te: quia vere ad me conuerſi eſtis & aliena reddidiſtis, hodie in morte veſtra eritis mecum in paradiſo. Aut hodie per gratiam iuxta præſentem iuſtitiam eritis mecũ, quia amici mei eſtis. Quia tamen indigni nos ſumus, quibus iſta tam grandia præſtes, quia iniquè egimus cõtra te: pulſa tertiam & tange matrẽ, vt dignetur aduocata noſtra eſſe, & tertia inter te & nos. Dic illi: mater ecce filij tui, eſto mater illorum & monſtra te eſſe talem. Vtinam & nos ſuo modo filiorum officium operaremur, vt ipſa matris exercet. Tange corda noſtra domine, dicendo: ecce mater mea, quæ ſit veſtra, & à me data, vt ſit ſemper aduocata veſtra: ipſam honorate vt par eſt, & à vobis poſsibile: quia reuera, ſi amore illius non eſſet, forſan iam gladius meus viuos deuoraſſet vos.

*1. Ioan. 5. D.*

Quis dubitat modo in tempore noſtro maiora mala, & ſcelera grauiora cõtra Deum ab hominibus perpetrari: quam tempore ſanctorum patrum tantarum & grauiſsimarum religionum fundatorum D. Dominici & S. Franciſci? Igitur abſq; dubio valde iratus eſt contra homines dominus tam grauiter peccantes: & ſi virgo nõ obuiaſſet filio vindictam exercere volenti, quid de nobis eſſet? Narrat enim D. Antoninus in hiſtoria ſua: quod dũ Romæ eſſet D. Dominicus quadam nocte orationi incumbens:

*3. p. tit. 23. cap. 3. à principio.*

o fælices

o fælices ſancti, qui ideo ad tantum virtutis faſtigium peruenistis, poſt Dei auxilium, quia fere ſemper orationi & conſideratio ni dediti eratis, quid miramur de tepiditate noſtra atq; ſocordia? Vigilanter, vidit ad patris dexteram exurgere filium in ira ſua, vt interficeret omnes peccatores terræ: & diſperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat autem in æthere aſpectu terribilis, & contra mundum in maligno poſitum, tres vibrabat lanceas: quarum prima ſuperborum ceruices erectas transfigeret: altera cupidorum viſcera effunderet: tertia concupiſcentijs deditos & carnis voluptatibus perforaret: ò quam terribilis eſſet.

Cuius iræ dum nemo poſſet reſiſtere, nec aliquis angelorum aut beatorum forſan rogare auderet: occurrit propitia virgo mater, aduocata miſerorum, leuamen perditorum: & pedes amplectens eius, rogabat (forſan vbera illi quæ ſuxerat oſtendens) dicens: parce fili mi, & ſubueni miſeris hominibus quos precioſo ſanguine tuo coram me iuxta crucem exiſtente redemiſti, & iuſtitiam tuam miſericordia tempera. Nonne vides mater quantæ mihi irrogantur iniuriæ ab ingratis hominibus. Iuſtitia mea tanta mala nõ ſuſtinet impunita. Fili dabo tibi duos ſeruos fideles Dominicum & Franciſcum: vt illorum doctrina & exemplo & ſuorum monachorum, homines ad te conuertantur omnium ſaluatorem. Cui filius dixit: ecce placatus ſuſcepi faciem tuam mater, bene & ſtudioſe facient quod dixiſti.

Tange domine mi, hanc tertiam fidem vt pro nobis intercedat virgo ſancta apud maieſtatem tuam merito contra nos iratã, quia in multis offendimus omnes bonitatẽ tuã: & digni ſumus non vt tribus, ſed mille perfoſsi ſimus lãceis: & credo te arripuiſſe gladium tuum, & illum vt fulgur acuiſſe, vt teſtante Moſe minatus es: vt nobis vltionem redderes tanquam hoſtibus tuis, & vt ſe odientibus retribueres: cum videamus te, tanquam gladiũ hos Granatenſes canes cõtra nos hoc anno accepiſſe, & euaginaſſe. Tamen ne hoſtes ſuperbirent (etiam ſi ſagittas illorum ſanguine fidelium inebriaſti, & gladius illorum carnes multorum noſtrorum deuorauit) & dicerent, manus noſtra excelſa & non dominus fecit hæc omnia: & quia multi inter nos ſunt amici tui tã laici quam ſacerdotes & religioſi, & prælati: & præcipue quia virgo mater tua deprecatur ad te pro nobis, & pro tẽplis ab iſtis perfidis prophanatis, & pro imaginibus. In te domine ſpero, *Deut. 32. F.*

quod cito illos delebis de terra, vt non memoretur nomen eorũ amplius, & talem virgam quam ad nos corrigendum accepisti
Isa.10. A. (vt Assur filios Israel) in furore subito franges & in ignem mittes: vt nos secura tibi seruiamus libertate, & virgini matri gratias pro deprecatione demus.

Fili Dauid tange quartam, Deus Deus meus ne derelinquas nos in tempore tantæ angustiæ sine adiutorio. Pulsa quintam, cum sitias animarũ salutem, & tãge corda nostra, vt aquã gratiæ salutaris desideremus, & esuriamus & sitiamus iustitiã: vt simus visione tua fruentes, & saturati in gloria, & aquã voluptatum abhorreamus. Pulsa sextam, spiritus nostros in manus patris æterni commendando, & tangendo corda nostra, ne tales manus mala operatione mordeamus, sed semper in illis per gratiam simus, & nemo rapiat nos ab illis vsque dum illo regno perpetuo fruamur: fili Dauid miserere nostri. Tange septimam & vltimam fidem, faciendo vt iam delicta nostra consumpta sint, & omnia mala nostra finem habeãt, & debita tibi exhibeamus seruitia, & dæmon recedat à nobis, & spiritus malus, & omnis culpa, & veniat ad nos spiritus bonus, animas nostras donis suis refocillãdo. Fili Dauid, qui tanta in crucis cithara passus es neruis extentis existentibus tuis & clauis perforatis, defende nos à malignis rugientibus contra nos & ad deuorandum paratis, cum simus redẽpti tui, filij tui, etiam si nunc exules tui & opprobrio traditi.

Miserere mei fili Dauid: nam si dicis mihi, nolo tibi parcere, neque à filia tua dæmonem eijcere: quia venio iratus & fugitiuus à filio meo inobediente, populo nẽpe Iudaico, me odio & indignatione persequente, & labijs honorante, & corde odio me
2. Reg. 16. B habente: miserere mei & memẽto Dauid, & mãsuetudinis eius. Qui cum fugisset filium suum Absalonem vitam patris tollere volentem, & obuiam habuisset Semei maledicentẽ Dauid actu, dicentẽq; illi verba, quæ nullus de plebe media ferre poterat aut de vulgo: pepercit illi, & iratus fuit contra Abisai vindictam sumere volentem. Fili Dauid miserere mei, etiam si tristis & exul venias, ab ingrato populo explosus: ego sum vt Semei & mulier nimis audax, quæ quondam multa verba & maledictiones dixi contra te, quæ nullus tolerat nisi tu patiens Deus: iam confiteor miseriam meam & potentiam tuam & bonitatem, dolens de præteritis. Irascere domine contra Abisai, scilicet, dæmonem, vindictam

ctam contra me & filiam, desiderantem & dicentem: me canicu lam morituram & maledicam: expellendo ab animabus nostris & à corpore filiæ.

## ¶Filia mea male à dæmonio vexatur. Text.

FIlia mea captiua tenetur à tyranno, male à dæmonio torquetur, pignus meum consumitur, & pars corporis mei violatur, noli me vereri peccatricem & miseram, quoniam tu es Deus qui secreta consideras. Libera filiam à plaga: nam mirabilis luctus cõcludit vterum meum, & animam meam perturbat sæua tempestas. Quid faciam nescio, patitur misera filia, nec tormẽta sentit, nec mortem scit timere, nec vitam sperare: nec remedia quærere, nec tam horridũ hospitẽ à se repellere. Ego mater illius infelix, ista omnia & alia multa sentio in anima, lacet illa confusa & cau sam tormenti ignorat, ego autem & causam scio, & tormentum patior: aspice in me & miserere mei, vide diuturna vulnera mea. Filia patitur & ego deficio, & infamis redacta sum: quia passio eius cũctis pauorem incutit, & ego omnibus sum spectaculum, & illusio: quid faciam, aut quo vadam nescio: non possum ab illa diuelli, neq; viuere cum illa ob dolorem: non potest sola relin qui, & væ mihi illam comitanti. Si expugnator crudelis de foris veniret domine, ianuas illi clauderemus ne intraret: intus semper est, intra nos habemus hostem incluſum, ignem & gladium, nauis est misera filia mea, quæ de se tempestatem contra se & me concutit. Vtinam defuncta esset filia & sepulta semel, vt sic tanti vulneris oblita essem: tamen quotidie mori & me occidere, & semper cadauer, dæmonem habens, ante oculos habere: quis ferre poterit domine? Domus mea sepulchrum eius est, semper mortua manet coram me, nec sepelire eam mihi licet, quia corpore viuit à dæmone possesso.

Domine, etiam si fortitudo huius fragilis mulieris esset lapidea, posset tanta tormenta quotidie perferre? Iam video filiam, toruo aspectu minãtem me pro beneficijs: manu crinis vittas dis solui & dilacerari genas: spumas ex ore diffundi, dari voces & horrendos mugitus, sæuire intus contra filiam inimicum inuisibilem intelligo, & pugnam manifestam: nam dæmon allidit illam,

illam, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit. Et frequẽter eam in ignẽ coram me & in aquã mittit vt eã perdat: vt dixit alter pa-
Marci. 9. C. D. ter de filio ſuo: & cum ſit filia mea, facta eſt dæmonis eſca. Adiua me miſertus mei: & vos matres, quæ filias aliquando habuiſtis, miſeremini mei, quia iam non poſſum ferre iſta: & tu pater omniũ miſerere mei, & defende me à tãtis malis ſuper humeros meos poſitis. Vtinã ego, Dei auxilio, obtinuiſsẽ ab omni matre filiã habẽte à dæmonio & peccato vexatã, inhoneſtã, vagã, garrulã maledicã, proteruã: cũ qua maiora mala patitur quã de Chananea diximus: vt quotidie lacrymis perfuſa in hoc Dei tẽplo talia dixiſſet toto corde ad Dominũ Ieſum. Quid cogitas pater, filiũ habẽs luſorẽ, blaſphemũ, cõtumacẽ, voluptati deditũ: qui gemitu magno iſta Chananææ verba nõ dirigis quotidie in cœlũ, vt dñs tui & filij miſereatur? O paſtor animarũ, nõ vnã tantũ animã, & filiã tibi ad nutriẽdum traditam dæmoniacã & peccatricẽ, & ad cuſtodiẽdum: ſed multas (ex quibus alias igni concupiſcentiæ dæmon tradit, alias aquis auaritiæ) habens ſub cura tua: vt quid tam parum de malis ſuis doles, vt ſpiritualia tormenta illãrum, non ita ſentias vt iſta mulier canicula? Iſta gentilis dilacerabit te coram Chriſti tribunali, quæ ſic de corpore filiæ doluit, & tam anxia ſalutem quæſiuit: & ipſe nil minus cogitas, quam de ſubditorum vexatione, per dæmones & peccata cauſata.

Accedite igitur omnes parẽtes filios aut filias à dæmone & peccato vexatas habẽtes, & oẽs animarũ paſtores, ad dñm Ieſum, & his Chananææ verbis clamate ad illũ quilibet veſtrum dicẽs: Domine fili Dauid, miſerere mei, cum rationẽ exactã à me de filio aut ſubdito es petiturus: miſerere mei, mihi vt faciã quod in me eſt donando, & ſubdito à dæmonio & peccato vexato auxilium præbendo vt reſipiſcat. Quia nil minus quã hoc ſentit ipſe, vnde nullã ſolicitudinẽ in ſe habet tam grauem tyrannũ à ſe reijciẽdi, neque aliquo medio vtitur ad hoc. Ille peccatum habet nec ſentit, ego tamen tormentũ graue patior quia intelligo: nec poſſum ab illo diuelli, quia filio, quia ſubdito, intra ſe inimicũ habẽte, & cũ hoc non plãgente. Si mors corporalis illi cõtigiſſet, ſemel plãxiſſem, & doluiſſem, & oẽs morimur: tamen in anima occiſum videre & cõtra honorem tuum Domine, & mihi periculum cauſantem: non poſſum nõ vehemẽter dolere, & lacrymis dicere, vt mei & illius ſis miſertus Ieſu. Nam vbi fugiã ab illo quem mihi

ad cuſto-

ad cuſtodiẽdum tradidiſti? Manere cum illo in peccato exiſtente, intolerabile eſt: & non pœnitẽtem videre, dolẽdum: illum fugere impoſsibile, ideo miſerere mei, & illi peccatum dimitte.

Iam tamen rariſsime inuenies proximum de alio (etiam à dæmonio, aut ira, aut odio, aut mala voluntate, aut blaſphemia vel voluptate, vexato) dolẽtem, & Deũ pro illo orantem: nec vicinũ de altero vicino: imo quod magis eſt, nec matrẽ pro filia ſic vulneratam & plorãtem de ſua damnatione reperies: nec prælatum pro ſubdito diſtracto. Sed omnes fere quæ ſua ſunt quærũt, damnata tamẽ proximi, quis eſt ille qui in ſe vt ſua ſentit & plorat (præcipue ſpiritualia) & Deum exorat pro liberatione ipſius, & laudabimus eum? O prudẽtia fœminæ iſtius, quæ cum eſſet gentilis, pro filiæ ſalute obtinenda, non iuit ad homines ſeductores, non ſecuta eſt vates fallaces, & impoſtores. Non quæſiuit inanes ligaturas, aut ad falſa confugit præſidia, aut ad mulieres veneficas, nec ad Beelzebub Deum Acaron (vt fecit Ochozias) ſed omnem relinquens diaboli cultum, venit ad Ieſum cæleſtem & verum medicum, & omnium ſaluatorem. Vt confundaris mulier audax, quæ cum primum puerũ tuum aliquo laborantem dolore cernis: ſtatim ad ſuperſtitioſas mulieres pergis, relictis naturalibus medicinis, & Chriſto Ieſu. Si increpatus fuit rex Aſa qui antea Dei zelo matrẽ depoſuit imperio: quia in pedum infirmitate, in medicorũ arte confiſus eſt: quid erit contra veneficas conſulẽtes? Spera in Domino & fac bonitatẽ, vt ſis in gloria. Amen.

4. *Reg.* 1. A

2. *Paral.* 15. D. 16. D

# Homilia Sexta.

## ¶ Filia mea male à dæmonio vexatur. Text.

NEmpe gentilitas (vt ait gloſ.) pro qua orabat iſta mulier nondum credente, vt à fraude diaboli eſſet abſoluta. Vel filia eſt anima cuiuſlibet intra Eccleſiã diabolo mãcipata: pro qua orat ipſa mater Eccleſia, vt liberetur à tã crudeli tyranno. Aut quilibet homo, pro ſua fœdata conſcientia: nam valde vexat dæmon animas quas poſsidet. Vt quid tamen mulier, dicis male à dæmonio filiam tuã vexari? Eſt ne aliqua dæmonis vexatio, quæ mala nõ ſit & crudelis? Sua intentione

tentione praua, omnes malignus male vexat & torquet, tamen diuina prouidentia hoc exigente: boni à dæmonibus per tentamenta vexati, & ad culpam inuitantibus, qui fortiter illis resistunt, & nulli malo consentiunt: vnde in præmium magnum & meritum illis talis vexatio succedit (vt exercitus martyrum clamat, à dæmonio vexantium, non tamen male cum culpis carebant, & merita inde acquirebant) non dicuntur male vexari à dæmone: cum inde beatiores euadant, & in donis ditiores. Heu tamen, & væ miseris peccatoribus à dæmonio per tentationes varias vexatis, & consentientibus contra dominum: isti male vexantur, cum vexatio ad malum succedat.

Notandum est hoc: filia à dæmonio vexatur, & tamen nil minus quam de sua salute solicita est: non plorabat, non abhorrebat dæmonẽ, & hospitem adeo crudelem: non quærebat Iesum medicum, neq; aliud remedium adhibebat: sed pia mater hæc omnia feruenter & dolenter faciebat. Vt scias quotidie sic peccatori præcipue obstinato cõtingere: angeli pacis amare pro illo plorarent, si essent fletus capaces, & sancti in cælo: boni contristantur de sua tam horrenda à dæmone vexatione, & ipse ridet & ludis vacat. Homo à dæmonio male vexate, quomodo gaudes? Quale gaudiũ tibi euenire potest, in tenebris culparum sedenti: & dæmonem in socium te incessanter vexantem habenti? Vt quid iam tandem, de tua salute, & à tam grauis vexationis liberatione, non cogitas paulisper: & vt exeas & fugias à diaboli stomacho nõ curas, totis vijs & viribus infelix? Boni pro te orãt, & Dei religiosi horas recitant Matutinales media nocte: & sacerdotes Dei corpus Dominicum, patri quotidie pro tua salute spirituali, & redemptione à tam periculosa fouea offerunt cum lacrymis: & ipse interim vt freneticus rides, detrahis, & de cœlo non cogitas? Dæmoniacus es. Portemus te omnes coram domino dicentes: fili Dauid miserere huius à dæmonio vexati, & nil sentientis.

*Marc. 9.* O miseria nostra deploranda, venit pater ille (vt ex Euangelio constat) & filium suum in corpore à dæmonio vexato attulit ad Christi discipulos, vt eijcerent illum, & si non potuerunt, deinde ad dominum: quousque liberum à tam horrendo hospite vidit non quieuit. Et patres, & spirituales prælati, non adducent filios aut subditos à dæmonio & peccato in anima vexatos,

ſatos, cum dolore & lacrymis: iam coram ſanctis, & præcipue coram Virgine Maria digniſsima, vt ſuis orationibus Deus tales malignos & peccata ab ipſis expellat: iam coram ipſo Chriſto vtà tanto malo liberet? O freneſis peccatorum à dæmonio vexantium, & nil de ſalute curantium: ò ſocordia, & negligentia prælatorum, ſubditos coram domino quotidie cum lacrymis non præſentantium. Quam vexata ſit anima in peccato mortali exiſtens, mirifice pingitur in filio lunatico & à dæmonio vexato in Marco poſito: quam horribiliter tractet dæmon *Mar. 9.* animam per mortale ſibi ſubditam, illic inueniens graphice exaratum. Vnde vt homines peccatum vt ignem inferni fugiant, & amplius, & quia mulier iſta dixit filiam à dæmonio vexatam, ponamus aliqua ex illa hiſtoria: vt ſaltim dæmonis & vexationis illius metu: ſi non Dei amore, & præmiorum beatitudine attracti, homines peccare refugiant. Primo ille filius lunaticus, habebat ſpiritum immundum: & homo peccator dæmonem & peccatum animam ſuam polluens, & mutam illam reddens, ne mala latentia per confeſsionem oſtendat. Vexabat illum ne quieſceret: quia inquietus eſt omnis malignus, nec quieſcit niſi ſupplantet: & ſemper facit peccatorem quem poſsidet inquietum, ſuadens impoſsibile: nempe vt quieſcere velit, in rebus caducis & voluptatibus lubricis: quæ quieta eſſe non poſſunt: nec poſsibile eſt homini, in illis quietem habere. Vnde bene lunaticus à Matthæo dicitur ille dæmoniacus: quia ſtultus & *Eccle. 27. B* peccator vt luna mutatur, de malo ad malum dæmonis ſuaſu, nunquam in eodem ſtatu permanens: nunc ad hæc, nunc ad illa vitia mutatur, creſcit atque decreſcit (vt ait Beda) & à pace animi *Beda in Mar* ad Iericontinam mutationem & defectum deſcendit continuo. *ci. 9. lib. 3.* Vnde in via adeo peruerſa, à dæmonibus ſpoliatur virtutibus & meritis, & vulneratur peccatis & malis habitibus. O terribilis vexatio dæmonis, qua homini illudit, in mari feruente quietem promittendo.

Deinde talem hominem malignus vexans, ad præcipitium aquæ & ignis deducit: quia ad charitatis frigiditatem, & ad voluptatis ignem odij & iræ calorem, continuo pertrahit ad patranda mala prohibita, in quæ ad cadendum impellitur diabolo mancipatus. Cui miſero dæmoniaco, duo mala inter alia in inferno reſeruantur, Iob teſte, & duo pœnalia ſatis crudelia, *Iob. 24. D.* ſcilicet

scilicet aqua & ignis. Nam ad nimium calorem ignis transibis ab aquis niuium frigidissimis: & vsque ad inferos peccatum tuum deducet te. Allidebatur ille à dæmone, & tu peccator ad terrena impelleris cum curuaris ad ima. Et spumabat ille: & tu in libidinem quotidie spumas, & stultitia tabescis. Stridebat dentibus ille: & tu honorem Dei periurijs & blasphemijs dilacerás, & proximi famam: & in inferno similis pœna diuerberabit te, cũ
*Psalm.* III. ibi sit tibi fletus & dentium stridor reseruatus. Videbis te ibi à dæmone illusum, & iratus eris contra omnes & te: dentibus tuis fremes & tabesces: quia omne desiderium tuum iam ibi deficiet. Stultorum & languentium atq; hebetum, est spumas saliuarum ex ore dimittere, & dentibus stridere: & etiam canum rabidorum. Sic in anima languentes & stulti peccatores & à dæmone possessi, in cœlum spumas emittunt, & contra Deum latratibus insurgunt. Ille dæmoniacus semetipsum dilacerabat: & ipse peccator te ipsum dilanias, cum nil vestimenti honesti charitatis & virtutis, quo te cooperire debebas in anima tua retines: nec pateris aliquid integrum, aut sanum habere. Sed ornamenta naturæ & gratiæ indumenta destruis, quæ turpitudinem, quam peccando incurrimus propria voluntate, & contraximus in Adami, cooperiunt: vnde nudus & infamis & à teipso dilaniatus manes, dissipando omnia bona tua. Arescebat ille: & ipse aridus es, ac si esses sine humore spiritus vitam habentis, quia sine gratiæ succo viuis mortuus & à dæmone vexatus. Vidisti quanta mala & quam graues vexationes tibi à dæmone ob peccatum proueniant?

O generatio incredula (ait dominus) quandiu apud vos ero? Quandiu vos patiar peccato adhærentes & à dæmonio vexatos, & surgere nolentes? Quantum temporis est, ex quo tibi peccator tam grauia mala ob peccatum tuum à dæmone proueniunt? Domine, ab infantia. O res dolenda: ab ineunte ætate tua Sathanæ mancipium factus es? O maligne spiritus & immunde, qui iuuenes præcipitas per barbaricas voluptatum lasciuias, & lubrica corporum: blande ingrederis per teneram ætatem, & difficulter expulsus eris à sene male consueto, vnde frequenter in ignem concupiscentiæ & iracundiæ illum immittis. Et ad aquas voluptatum, quæ dissoluere mentem per delicias solent. Vel (vt ait Beda) in ignem fertur dæmoniacus, quo adulterantium corda suc-

da ſuccenſa ſunt, & in aquis quæ ſolent extinguere charitatem. Veni iam homo, ad Chriſtum vere pœnitendo: & exclama cum patre pueri cum lacrymis, vſque dum malus à te expellatur ſpiritus, & amplius ad te non introeat. Multum re vera peccata vexãt cum hominem ab innocentiæ & gratiæ arce deijciant: cũ ad ima demergant: cum ſocient dæmonibus, cum excludant à legibus Dei & regno ipſius, & à ſedibus paradiſi. O homo animæ tuæ oblite audi: ſi ſeruus tuus quinquaginta aureis emptus à dæmonio torquetur, & iam in ignem, & deinde in aquam eſſet miſſus doleres, & omnibus modis illi remedium quæreres: & de anima tua ſanguine Chriſti redẽpta, à tot dæmonibus quot habes peccata vexata: non doles, & illam medico diuino oſtendere per veram contritionem differs? Valde peccata vexant conſcientiam & animam, etiam ſi tortor contra corpus non videatur: cum ratio ſuo priuatur iudicio, voluntas ſua affectione erga Deum debita caret, & memoria beneficiorum Dei obliuiſcitur: & inter animam ſponſam & Deum ſponſum magna ſit diſtantia, & miſera totalis inimici tradatur imperio. *Simile.*

Diſcat omnis anima à dæmonio vexata per culpam ab iſta canicula quomodo orare debeat: videat orationem adeo breuem & omnia neceſſaria in ſe habentem. Humilitatem orationi congruentem, dum ſe miſeram fatetur intelliget: plenam charitate erga filiam cum pro illa ſic clamet: deuotione fide & æſtimatione erga Deum, cum Dominum illum vocet: nec dicat illi ſana filiam, tolle dæmonem, ſed tantum miſeriam ſuam & Dei potentiam & bonitatem confiteatur. Neceſsitatem meam oſtendo tibi domine, & infirmitatem, te potentem, & ſapientem fateor: nolo dicere ſi vis tolle dæmonem, quia nolo iniuriam bonitati tuæ irrogare, cum ſis ita bonus ad volendum vt potens & ſapiens. Et quia tu melius ſcis quid mihi & filiæ expediat: diſcat omnis homo, præcipue peccator, ſic à domino petere animæ ſalutem & bona. Accede frequenter ad orationem homo ſalutem æternam deſiderans: eſto in illa valde humilis, te in omnibus miſerum fatens, & Deum omnipotentem & bonum. Pete animæ tuæ & proximo vtilia: oſtende medico vulnera tua deſiderio ſanandi: & in rebus differentibus, ne abſolute petas, ſed vt Deus tui miſereatur & faciat quod ſibi beneplacitum fuerit. Vidiſti mulieris fidem? Audiſti verba illius Euangelio ple-

na? Probasti sapientiam eius intellexisti charitatem erga filiam. Quis vnquam dubitasset, filium Dei statim illius fuisse misertum. Vide tamen aliud nouum & expertum negotium: nam lamentum suum in cœlum euexit, & amator omnium Deus, quid?

Text. ¶Non respondit ei verbum.

*Ioan.1.A.* *Isai.55.D.* O Miranda res, verbum quod eras in principio apud patrem, non respondes verbum: miseræ mulieri misericordiam petenti. Pater tuus per Isaiam non dixit de te: verbum meum quod egredietur de ore meo per carnis assumptionem, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud? Et quid magis pater tuus voluit, quam vt pœnitentem plorantem atque dolentem & à te misericordiam petentem & ad te confugientem exaudias, adiuues, & recipias, & sanes? Vt quid non loquerisilli? Ipse di-
*Ioan.6.D.* xisti, omne quod dat mihi pater ad me veniet: ipse tibi hanc mulierem præbet, & ideo ad te venit, vt quid illi non respondes? Dixisti insuper: eum qui venit ad me, non eijciam foras: quare istam, à verbo solatij excludis? Verbum tacet? Sol tra-
*Ibi. Similia.* dium misericordiæ suæ ad se retrahit? Fons sitienti clauditur? Riuulos clementiæ suæ, puteus aquarum viuentium in se retinet? Ipse non dixisti: petite & accipietis (poterat ista mulier dicere Christo) peto domine, filiæ auxilium accipiam, adimple verbum tuum, & respondemihi verbum salutare. Dixi-
*Luc.11.B.* sti, quærite & inuenietis, quæro domine, inueniam remedium, vt quid mihi non loqueris? Dixisti pulsate & aperietur vobis: iam verbo & clamore & gemitu pulso: quare non aperis mihi thesaurum pietatis tuæ, & os tuum ad mihi loquendum? Si in te adeò magnam fidem non haberem, etiam mihi non loquente, poteram dicere: frustra domum reliqui, & à finibus meis egressa sum: frustra credidi propter quod ad te sum locuta: frustra ad te veni, quare te misericordem & potentem esse cõcepi? In vanum clamaui, frustra laboraui per itinera & labores: & vt quid fortitudinem meam consumpsi? Sine fructu ploraui & oraui.

Quid

Quid hoc eſt verbum æternum? Verbum & taces, & non reſpondes mihi tale verbum dicenti, miſerere mei? Es fons diuinus & mihi ſitienti & guttam miſericordiæ tuæ petenti denegas: cum ipſe dicas & inuites omnes dicens: omnes ſitientes venite ad aquas donorum meorum: & ſi quis ſitit veniat ad me & bibat? Dixiſti venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos: veni ego per valles & colles dolore laborans: iniquitate mea onerata iam pœnitendo: & non ſolum non reficis me & exoneras, ſed neque vllum loqui verbum dignaris. Vt quid ad te veni, & tantos paſſa ſum labores, niſi vt mei miſertus ſis. Reuera domine, miror de tua clementia, cum ad vocandum peccatores te venire dixiſti, & ſaluare quod perierat: vt quid hanc pauperculam mulierem te vocantem non audis, & audiens, illi non reſpondes? Filia iſtius perijtin ore leonis exiſtens, mater iſta petit à te vt ſalues illam: quid hoc eſt quod illi nec verbum dicis, nec dum ſalutem filiæ conferre? Paralyticoludæo infirmo & putrido, tacenti & nil à te minus quam ſalutem petenti: inuitando ad illam, dixiſti, vis ſanus fieri? Vide quia coram te ſum medicus, & valde ſalutem conferre deſiderans: & huic triſti mulieri gentili, acclamanti, digitos mordenti, domum & omnia bona ſua relinquenti: per montes poſt te ploranti, rem iuſtiſsimam petenti: nec verbum reſpondes: ſed quaſi illam contemnens, tranſis magna ſerenitate? Quis vltra tepide aliquid à te petere audebit, & ſemiioco: cum petenti feruenter & ſerio, nec verbum dignaris dare?

*Eſa. 55. A.* *Ioan. 7. F.* *Matth. 11. D*

*Matth. 9. B.*

*Ioan. 5. B.*

Legionem dæmonum à miſero homine nudo & crudeli, & multa mala irrogante, omni tranſeunti per viam, & ſeipſum lapidibus concidente eieciſti: ſine hoc quod à te petijſſet: & vnicum à filia matris tam anxie petentis, non ſolum non eijcere, ſed neque reſpondere curas? Quatuor fratribus arti piſcatoriæ deditis non quærentibus te, verbum ſalutis dixiſti, nempe, venite poſt me, & apoſtolos conſtituiſti: imo quod maius eſt. D. Matthæo auaro negocianti & mentienti, & nihil à te petenti, imo actu peccanti dixiſti magnum verbum: illum vocaſti, illi pepercisti, & Apoſtolum & Euangeliſtam conſtituiſti: & huic mulieri iam peccare nolenti, ſed

*Matth. 8. D.* *Mar. 5. A.*

*Matth. 4. c. 8. 9. A.*

vere credenti, & operari volenti, nec vllum reſpondes verbum? Verbum æternũ caro factum, patris clementia, vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, imo & recentes: quibus ſurdos vocas & dæmoniacos liberas, & mortuos loqui non valentes, voce tua in lucem vitæ reuocas? Saulo perſequenti ſanguinem tuum & filios tuos occidenti minaſque promittenti, loqueris de cœlo & illum conuertis, & vas electionis facis tibi, & Annaniam in pedagogum illius conſtituis: & huic mulieri fragili non te perſequi, ſed ſequi volenti, non vis parcere? Saltim illi aliquod ſolatij verbum reſponde, aut dic te nolle ſalutem filiæ dare, quia indigna eſt: aut aperi nobis hoc myſterium ſacrum, vt quid huic mulieri non reſpondes verbum.

*Act. 9.*

Vt quid pius medicus medicinã contines, & fons vitæ taces? Si non quærentes te contemnis, ſaltim ſuſcipe mulierem pulſantem: vocas non quærentes te & ſpernis vocantem? Qui ſcis abſcondita cordium (vt ait Diuus Chryſoſt.) non reſpondes, ſed taces, neque ſermone eam dignaris? Vt quid non miſereris mulieri, quam vides tanto cum eiulatu accedere ad te? Audite quare non reſpondi ei verbum. Primo, quia volo (vt ait ibi Chryſoſt.) occultum mulieris theſaurum fidei omnibus manifeſtum facere, vt diſcant & accipiant de illo, vnde diuites efficiantur: ſi ſtatim reſponderem, & illi darem petita, non ſic ſua magna fides omnibus eſſet reuelata. Et cum ego ſciebam reconditam margaritam patientiæ eius, & perſeuerantiæ, quam latere hominibus nolebam, vt ipſi ſimilia facerent: volui vt ipſa proderet illam, non reſpondendo, neque illi filiæ ſalutem continuo conferendo. Nam etiam modo multi impatientes ſunt, & in virtute perſeuerare nolentes: poſt huius mulieris oſtenſam fidem patientiam & perſeuerantiam, me non loquente illi: quanto magis, ſi ſtatim pro voto reſponderem?

*Homil. 44. in Geneſ. 19. Tom. 1.*

Item non reſpondeo ſtatim illi, vt diſcipuli pro illa intercedant (vt ait Anſelmus) oſtendens per hoc, quam neceſſariæ ſint hominibus in mundo viuentibus, preces ſanctorum hic nobiſcum in vita mortali degentium: quanto magis beatorum in patria exiſtentium. Et ne videar meæ ſententiæ contrarius, qua dixi in viam gentium ne abieritis, non reſpondeo illi: & differo ſanare filiam iſtius: oſtendens ſalutem gentium differendam poſt reſurrectionem meam. Et quod magis notandum eſt, cum

Chryſoſt.

Chryſoſt. in Geneſin, non reſpondeo ei verbum. Quia Deus, cum ſim & non ſolum bene facere volo hominibus, & dona mea dare, ſed multum deſidero illos facere clariores, & ad recipiendum capaciores: quod maxime fit hoc deſiderio dona mea obtinendi, & perſeuerantia orationis, & bonæ operationis. Vt quid nos mortales deſidia noſtra, Deum à tali deſiderio defraudamus: & animi capacitatem ad merita recipienda non dilatamus? Non reſpondeo medicus infirmæ, & taceo (vt ait Origenes in diuerſos) vt ipſa magis detegat vulnera: & ſacerdotes confeſſiones audientes diſcant, à pœnitentibus omnia peccata expetere: & prudenter omnem putridum peccati ſanguinem euacuare. Verum eſt, me verbum æternum eſſe, quo mediante, omnia pater meus fecit, & per me modo conſeruat illa: quia ſine me omnia in nihilum tenderentur, ideo dixi patrem meum modo etiã operari & me: ſcilicet, in rerum conſeruatione, fons ſitienti ſum, medicina infirmo, & peccatores vocare veni, & tamen huic mulieri verbum non reſpondi: vt maioris ſtimulum doloris, & maiorem peccati compunctionem in illa excitem: & maiori conatu me quærat, & malitiam culpæ magis ſentiat, vt vlterius caueat ab illa: quæ omnia in peccatore maxime deſidero.

*Hom. 38. in Ge. 16. te. 1.*

*Hom. 7. te. 2*

*Ioan. 1. A.*

*Ioan. 5. C.*

Quia ſponſa dixit in Canticis: anima mea liquefacta eſt, in amorem ſponſi mei Chriſti, vt ipſe dilectus locutus eſt mihi, poſtquam quæſiui per aliquod tempus & non inueni illum per guſtum in oratione, & vocaui, & non reſpondit mihi: qui tamen ſi ſtatim illum inueniſſem ad votum, & ad interna ſolatia, imo per gratiam, non ſic illum dilexiſſem, neq; amittere illum ſic verita eſſem per culpam. Et ſi ſtatim reſpondiſſet mihi ad omnia vota mea, negligens fierem in quærendo, & orando: & vacors & ſine metu ipſum amittendi. Sic magis diligo, & maiori ſolicitudine cuſtodio, ne iterum perdam quem cura magna inueni. Deinde volo, vt ſicut iſta mulier, honoratione digna & imitatione, orationem humilem fide & charitate plenam, meo arbitrio illam relinquens implendam: omnem hominem fidelem docuit: ſic etiam & patientiam, ſcilicet, perſeuerantiam in illa oratione vt doceat cupio. Hic fere deficit omnis orans, cum primum non accipit quod petit. Non vult, vt agricola, ſeptem aut octo menſibus fructum expectare, ex ſemine terræ mandato:

*Cantic. 5. B.*

*Simile.*

ſed cum primum aliquid petit, continuo à domino accipere vult & obtinere, alias ſtatim orationem relinquit. Cum ipſemet irriſione dignum agricolam iudicaſſet, qui eadem hebdomada, qua triticum ſeminauit: vellet vt naſceretur, & vſque ad maturas meſſes peruenirſet. Vt quid igitur in oratione perſeuerantia cares, ſi cito non tibi ad votum omne quod petis datur? Quis ſcit ſi gladium quo te iugules à Deo petis: & ipſe, vt parens benignus, potiuste plorantem videre quam vulneratum vult, & ideo non tribuit? Petamus omnes, vt miſereatur noſtri, & dæmonis vexationem per culpam tollat, vt reſpondeat verbum accipite gloriam, Amen.

*Simile.*

# Homilia ſeptima.

Text. ¶Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat poſt nos.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

Vis vnquam auſus fuit ad Ieſum accedere ad interpellandum pro peccatoribus, vt ipſa aduocata miſerorum mater Dei ſanctiſſima? O fideliſsima Maria, quæ cum angelus Dei maternitatem, ex parte patris æterni tibi promitteret, & panem angelorum in vtero tuo portare: dixiſti, ecce ancilla, quæ gauderet micã de menſa domini edere: tamẽ fiat mihi quod dixiſti. O mulier quam magna fuit humilitas tua qua concepiſti, & virginitas qua Deo placuiſti, & fides qua credidiſti, eſſe Dei matrem & virginem ſimul: fiat tibi ſicut vis, & tuo fiat reſpondeat verbum caro factum eſt. Clamemus igitur omnes poſt hanc virginẽ ſanctam dicentes: o domina angelorũ, quam male à dæmonio vexamur & à peccatis: pete à filio vt miſereatur noſtri. Fili dimitte iſtos & à peccatis abſolue, quia clamant poſt me deſiderijs & orationibus. Mater non ſum miſſus ad canes, ſed ad oues. Domina adiuua nos. Fili, dirige hos in viã ſalutis æternæ. Sine mater, quia ſunt canes & gratiæ pane indigni. Fateor fili mi, cõtra te fuiſſe

*Luc. 1. 2.*

fuisse canes dictis ac factis: tamen sunt tui: & etiã catelli, possunt de mensa tua opulenta micas accipere: da illis gratię micam, qua ex canibus oues fiant. O mulier o mater amore plena erga filios Adæ, magna est virtus tua, fides & charitas circa homines, fiat tibi sicut vis: & sani sint gratia si obstaculum non ponunt. Petamus humiliter dicentes, Aue.

Mansimus fratres mei, in illo verbo, vt quid patris verbum huic mulieri non respondit verbum, nec dixit reuertere mulier, non enim petitionem tuam adimplere volo. Tamen vt homo grauitatem culpæ magni pendat (quod Deus maxime desiderat) cum videat se à Deo contemni, nec cito exaudiri vt caueat peccatũ, & magis æstimet beneficium absolutionis, non statim collatum, & magis illud desideret, cum priuatio sit causa appetitus, quia carius venditur quod negatur: ideo huic mulieri non respondi verbum. Vnde incarnationem meam, per quinque millia annorum & amplius distuli: fuge peccatum o homo, tanta incommoda adducens. Deinde, sicut semina in terra abscondita, gelu aut niue pressa, fortius radices emittunt, & maiori vi nascuntur: sic & ista mulier maiori amore & desiderio resurget gelu taciturnitatis meæ pressa. Et si Centurioni plusquam petiuit concessi & vltro dixi ego veniam & curabo eum, & istam alloqui dedignor: cum sapiens medicus sim (vt ait Chrysost. in Matthæum) non ignoro contraria ex contrarijs facile elicere: nam quasi renuendo, mulieris fidem cunctis aperio. Et si Paralytico tacenti & salutem non petenti vltro salutem obtuli, & huic non respondeo: interrogo ego & vos hanc similitudinem, respondete mihi. *simile.* *Hom. 27. in Mat. 8.*

Contingit pastori, agnum album pulchrum & pinguem habere & mansuetum, quẽ per niues & silices per montes & valles venire pedibus suis sinit: hœdum tamen macilentum fere nullius pretij in brachijs portat: vt quid ista facis pastor? Agnum album sic laborãtem sinis, & hœdum humeris portas? Domine, quia agnus & si pinguis & à me dilectus, veniet absq; dubio post me per montes & colles balans, & sic non opus est multam de illo curam habere: tamen iste hœdus macilentus & mali odoris, si humeris non portassem, aberrasset, & lupo & vulpi maneret expositus, vnde illum totaliter amitterem. Sic & ego respondeo pastor cœlestis cum sim: vidi illum Paralyticum hœ- *simile.*

dum macilentum fœtentem debilem: quem ſi in brachijs meis non portaſſem, illum voce mea & miſericordia præueniendo, lupus infernalis deuoraſſet infirmum corpore & anima: ideo vt illum non amitterem dixi vis ſalutem? Quia ipſe non petiſſet nec poſt me abiret. Hanc tamen mulierem, video iam agnam ex canicula effectam, albam, & fide magna pinguem & deuotione ad me honorandum: ſcio non eſſe retroreuertendum taciturnitate motam, aut dura reſponſione: ſed me ſecuturam pedeſtrem, balantem, plorantem, petentem & perſeuerantem. Ideo, vt maiora merita acquirat & multis perſeuerantiæ exemplum ſit: non reſpondeo illi, nec voco ſibilo, nec in brachijs porto: tamen corde meo attraho illam & diligo, & cito exaudiam ad votum.

Eodem modo cum perfectis & orationi continuæ inſtãtibus me habeo, vt cũ Chananæa: ad tempus guſtus internos tollendo & ſolatia ſenſitiua, vt maiora acquirant merita, & feruentius me quærãt, imperfectos vero in humeris ſolatij, vt paralyticum porto. *Simile.* Mater vnicum filium habens, non ideo illum odio proſequitur, quia aliquando ſubterfugit ſe ab illo, aut relinquit illum ſolum ambulare: nam amore maiori ſtatim amplectitur ipſum, & hoc facit vt baſes eius ſolidentur & ſecurius ſine caſu ambulet. Sic & ego cum hac muliere me habeo, & cum omni amico meo, quem ad tempus video relinquere, vt fortius in virtute ambulet, & maiori gaudio amplectar illum. Sol etiam ſi à ruſtico aut *Simile.* ſtulto videatur occidiſſe, dum nube obſcura & denſiſsima tegitur: tamen ſtatim nubis tollitur & ſol fulgentius reſplendere videtur quam antea. Etiam ſi ego ſol iuſtitiæ huic mulieri & vobis amici mei videar aliquando radios ſolatij aut guſtus ſenſualis aut gaudij interni auferre in oratione: aut neceſsitatibus veſtris, aut iuſtis precibus, nube poſita taciturnitatis aut auxilij non ſtatim collati: ne cito turbemini, ad vtilitatem veſtram facio. Neſcitis iuſticiam aut ſtulti, iã me vobis occidiſſe tanquam ſolem cogitantes: qđ ſtatim ſplẽdore & radijs meritorũ & auxiliorũ maioribus & luce ſolatij fulgẽtiore apparebo in auxilium veſtrum? Diſcite ab iſta muliere, à virtute incepta non deficere: nam *Simile.* fons aut fluuius magnus, aliquo obſtaculo ne fluat impeditus, dempto, fortius & vberius decurrit: ſic ego fons diuinus faciam cum electis meis, vberiores donorum riuos illis poſt ſilentium

aut

aut gustus carentiam tribuam: tantum ne deficiant in tribulatione.

O benigne Iesu, qui cum sis misericors & exorabilis, qui soles omnibus obuius esse & expositus ad subueniẽdum, adeo cõtempsisti hanc mulierem supplicem ac præanimi dolore vocife rantem: vt nec responso digneris, vt nos quantum valeant apud te improbæ preces, & orationes importunæ, doceres. Et quod magis doleo, credo te non respondere clamoribus nostris, in tem pore isto tantę afflictionis erga ecclesiam & tuos veros fideles: vt rationem huius doloris, & tuæ taciturnitatis, cum Ieremia in la- *Thren. 3.* mentis ploremus, atq; toto corde gementes dicamus: scrutemur vias nostras, & adinuentiones fallaces, quas contra Deum commisimus: quæramus illas radicitus ad contritionem & dolorem, & iam tandem reuertamur ad dominum vero cordis dolore & in ieiunio & planctu: quia auersi sumus ab illo, & mandata eius nõ custodiuimus. Nũc leuemus corda nostra, cum manibus mundis & operibus impollutis ad dominum in cœlos dicentes.

Nos inique egimus domine, contra te, iniquitatem fecimus, & peccauimus, super arenam maris peccata nostra atque scelera multiplicata sunt, vnde ad iracundiam clementiam tuam prouo cauimus, idcirco taces & petitionibus nostris non respondes auxilium præbendo, quia inexorabilis es ob nostra delicta. Vnde operuisti faciẽ tuã & oculos, ne nos videres, & aures obturasti ne exaudias: & hoc in furore tuo contra nos exercito, & percussisti nos fideles tuos, hęreticis & tãtis Mahumeticis paganis vt gladio vtens cõtra nos: occidisti nec pepercisti nobis hucusq;. Samech, multi ad te boni religiosi, & sacerdotes sancti, & laici deuoti, orant Deus, pro hac liberatione ab istis canibus, & vt respicias tẽ pla tua, suis pollutis manibus prophanata, quare illorum vota non exaudis Domine? Hei mihi Domine, quia ego solus ob ingratitudinem meam sufficiens causa eram vt non responderes nobis, & sic opposuisti nubem tibi densam & nigerrimam peccatorum nostrorum, & nos illam malis nostris composuimus du re, ne transeat oratio nostra ad aures tuas, vt exaudiatur, & liberes nos à tantis paganis, & prius à culpis nostris. Tamen & si om nium Hispanorum minimus sim, & qui magnã partem istius nubis densæ delictis meis coagulauí: oculos meos afflictos habebo (vt ibi ait Ieremias) & lacrymis torquebo & plorabo die ac no-

cte, donec reſpicis nos, & videas afflictionem noſtram de cælis: & pagani in ſua malitia & feritate confidentes à te funditus ſint deſtructi. Sufficiat iam, à natiuitate tua vſq; modo per tredecim menſes, illis vt gladio contra nos te fuiſſe vſum. In te & matre tua confido & in patre tuo æterno, qui paracliti auxiliũ mittet Regi noſtro Philippo iam verſus illos eunti, & eius militibus Hiſpanis, vt circa tempus mortis & paſsionis tuæ pagani moriantur & deſtructi ſint nolentes veram fidẽ poſsidere. Et nos populus tuus & oues paſcuæ tuæ reſurgamus in magnam laudem tuã & gratiam & vitæ & morum emendationem, & ſic eccleſia tua ſancta ſecura ab his canibus, ſeruiat tibi omni libertate. Fiat fiat domine mi, & reſponde eccleſiæ, ad te ſuſpiranti & clamanti.

*In Thr. 3. E. fol. 192.* Paſchaſius in hunc Threnorum locum, ait: adiutorium iuſte auferetur ab eis, qui & multa de præteritis aggregata mala, non plangunt, inſuper & noua veteribus addentes peccata, pium iudicem ad iracundiam prouocant, & quotidie delinquẽdo inexorabilem reddunt. Ponendo nubem obſcuram & tenebroſam, nempe malitiam & obſtinationem ſuam inter tenebroſas conſcientias ſuas & ſolem iuſtitiæ Chriſtum: & ſic non tranſit oratio noſtra ad miſericordem Ieſum: & etiam ſi audit non exaudit: tacet & non vult nobis reſpondere verbum, & merito. Dolendum eſt modo Chriſtum non reſpondentem nobis, neq; vota exaudientem videre, proh dolor tamen, quãdo anima tua à corpore exuta, corã illo præſentetur, ſi vnico mortali delicto inuenta fuerit. Heu, quomodo aliquod ſolatij verbum illi non reſpõdebit dicenti: vt quid maledictã & ad ignẽ à te Ieſu reijcis me? Non reſ-
*Matth. 25. D* pondebit ei verbũ. Quando te vidi eſurientem & non dedi tibi panem? Non reſpõdebit ei verbũ. Quãdo ſiti tuæ aquæ potũ nõ præbui? Et non reſpõdebit ei verbũ. Vni ex meis nõ dediſti, nec mihi: abi hinc maledicta ne loquaris. Dñe, miſerere mei, quia anima mea nõ ab vno dæmonio ſed à multis vexatur crudeliſsime & ab igne infernali edaci, libera me. Et nõ reſpõdebit ei verbũ ſolatij, nec auxiliũ dabit, neq; in ęternũ liberabit. O Ieſu quis adeo ſenſibus deſtitutus eſt, qui iſta non ſentit, & de culpis non dolet & vere confitetur, & peccare amplius renuit, vt ad tam infelicem ſtatum non perueniat, in quo Deus illi nil boni reſpondeat?

Nõ reſpõdebit tibi peccator, aliquod auxilij aut ſolatij verbũ in tuo iudicio, ſi in tẽpore vere pęnitere noluiſti, iudex ętern⁹ Chriſtus tamen

tamen loquetur ad te in ira sua (vt ait Dauid) & in furore suo cõ turbabit te: & irridebit te & subsannabit, dicẽs per Isaiam: dominus sicut vir prælior suscitando zelum contra te, & vociferans atq; clamans: tacui, quando ipse contra me verba execranda per iuria & blasphemias, & in proximos detractiones & ad malum inuitationes dixisti. Semper silui, neq; tibi verbum respondebã, valde patiens fui erga te: tamen modo væ tibi, ego loquar contra te & ipse tacebis, nec mihi poteris dicere, cur ista dico aut quare te in ignem mitto (vt ait Iob) sicut parturiens loquar, idest, quem admodum is quem tenet maximus & grauissimus dolor: dissipabo te, & absorbebo simul. Tremendæ sunt certe minæ istæ cõtra loquentes modo contra Deum, tamen ipse Deus adimplebit vere: & loquetur contra peccatores, & non respõdebit illis vllũ solatij verbum. Fœlices tamen, hic sua peccata in confessione vera loquentes, orantes & Deum coram hominibus confitentes & laudantes: Deus in fauorem illorum loquetur post mortem coram patre, illos confitendo, & illis verba gaudio plena respondebit dicens, Venite benedicti. Quia quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

*Psal. 2.*
*Isa. 42. C.*
*Iob. 9. B.*
*Matth. 10. D*
*Matt. 25. C.*

¶ Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Text.

QVis dubitat, quin ipsa mulier, videns Iesum tacentem, & filium patris nil illi respondentem, nec sibi propitium suo videri, accesserit ad sanctum Apostolorum collegium, dicens: deprecamini vos pro me Dei serui & discipuli dilecti, qui digni facti estis ab ipso, consortio & societate illius. Nam ego indigna sum exaudiri, vt gentilis vt canicula, vt peccatrix, vt mala mater, vt filiam habens à dæmonio vexatam. Scio multum valere vnius iusti orationem erga Deum, quanto magis multorũ: orate boni pro me responsione indigna, quãto magis ex auditione: amici Dei multum valent apud illum, etiam in hac vita existentes, quanto magis in patria. Discant exisio facto mulieris gentilis & caniculæ, canes impudentissimi & hæretici nostri temporis, honorem sanctis conferre, & in illis suffragia & merita multa cõcedere esse: & quod multum oratio illorum etiam in hac

etiam in hac vita existentiũ valet, quanto magis in cœlo regnantium. Ista tamen canicula, ouis facta, mordebit illos in Dei iudicio, tanquam Dei sanctos inhonorantes, & merita illorum tollentes: impudentissimi, falsarij & sanctos infamia respergentes: sancti vt amici Dei sunt implorandi, vt pro nobis intercedant. Et licet non sint adorandi latria, quia soli Deo debetur: tamen
*Ioan.12.D* venerandi sunt dulia. Dicit filius Dei, Si quis mihi ministrauerit honorificabit eum pater meus qui in cœlis est. Deus honorat
*Psalm.138.* sanctos suos, & vos maligni dicitis non esse orandos? Aliter Dauid dicens: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, ni-
*Ierc.15.A* mis confortatus est principatus eorum. Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: quod exponens Gregorius dicit: Quasi diceret, nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Vbi manifeste innuit Ieremias sanctos orare pro populo, vt certissime fit: & Ecclesia omnes sanctos inuocat.

*Iob.5.A* Voca ergo si quis est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere: quæ quidem verba quanuis Eliphaz Themanites ad Iob dixerit, non tamen ea Iob reprehendit, sed vt sanum
*Ibi.33.C.* consilium amici acceptauit. Et Eliu dixit: si fuerit angelus pro eo loquens vnum de similibus, vt annũtiet hominis æquitatem, miserebitur eius, scilicet Deus, & dicet: libera eum vt non descendat in corruptionem, inueniet in quo ei propitier. Imõ cum esset
*Exod.8.B* pessimus Pharao, dixit Mosi seruo Dei & Aaron: orate dominum vt auferat à me ranas, & à populo meo. Et postea dixit eis-
*9.F.* dem: Orate dominum vt desinant tonitrua Dei & grando: & nos non orabimus sanctos vt intercedant pro nobis ad Dominũ: vt auferat ranas loquaces & conscientia mala præditas, vos nempe hæreticos ab Ecclesia sua? Tolle Domine tam nociuas ranas à populo tuo meritis filij tui & sanctorũ. Orate sancti ad Deum qui vos elegit, vt desinant tonitrua errorum in Ecclesia, & grando peccatorum. Sufficit ad hoc consuetudo sancta Ecclesiæ Romanæ quæ nos docet sanctos inuocare: dies festos illorum celebrare, ieiunare vigilias illorum, & dicere: Sancte Petre ora pro nobis, & sic de alijs.

*Iacob.5.D* Apostolus Iacobus, etiam bonis viuentibus dicit: Orate pro inuicem, vt saluemini, & adducit orationem Eliæ: Chananæa nostra Deũ pro filia orauit, & Apostolos ad hoc induxit. Imo vult

Deus

Deus per ſanctos inuocari: quæſiui de eis virum (ait dominus per Ezechielem) qui interponeret ſepē, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſsiparem eam: & audi verbum tremēdum quod ſequitur, vtinam ne ſic in noſtris temporibus accidat, & nō inueni: & ſic effudi ſuper eos indignationem meam, in igne iræ meæ cōſumpſi eos: viā eorum in caput eorū reddidi, ait dominus Deus. Terribile eſt verbum iſtud, & valde in noſtro tempore verificatum: & magna eſt Dei clemētia quæ hominē bonum quærit in mundo, qui ſe orationibus & lacrymis opponat inter iram Dei & noſtra ſcelera, vt ne cadat ſuper nos indignatio eius. Et deplorandum eſt tempus noſtrū, cum dicat Deus, ſe non inuenire illum: tamē abſq; dubio multi ſunt in Eccleſia Dei boni. Hanc veritatem affirmat D. Auguſt. ſuper Ioannem: Beati martyres quorum memorias non inaniter celebramus. Et in feſto Petri & Pauli: quiſquis honorat martyrem, honorat Chriſtū: & qui ſpernit martyres ſpernit Chriſtum. Leo Papa de S. Laurētio dicit: cuius oratu & patrocinio, adiuuari nos ſine ceſſatione confidimus. Igitur ſancti Dei omnes, qui eſtis conſortes ciuium ſupernorum, & ſerui Dei in vita degentes, orate pro nobis ad dominum.

*Ezech. 22. C*

*Tract. 84.*

Quod ſancti viri etiam in mortali corpore exiſtentes, multū apud Deū valeant, & dona nobis obtinere poſsint quis dubitat? Nam & ſi verū eſt neminem poſſe de facultatibus meis eleemoſynam facere, niſi me tantum: verum nunquid ideo non potero diſtribuere pauperibus ſtipem, panē aut veſtem per miniſtrum meum? Nonne domeſticis poſſum committere, vt de meo dent, quoties opportunum fuerit? Si ego vilis homo cum ſim, mea vel per me metipſum vel per alios, aut etiam ad interceſsionem aliorū, alioqui non facturus, donare poſſum: an minus poterit omnipotens Deus quā ego homo? Paſsim obuium eſt in ſcripturis ſacris, Deū per apoſtolos ac alios ſanctos homines in hac vita ſtantes, cæcis dediſſe viſum: claudis greſſum, leproſis mūditiem, imo & mortuis vitam, infidelibus gratiam fidei, peccatoribus reconciliationem: ſiquidem per manus apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia magna in populo. Tāta donauit Dominus per morituros homines, longe à ſe peregrinantes: & nūc per eoſdem ſecum regnātes, aut ad interceſsionem eorū nihil donare poterit? Abſit à pijs auribus tale venenum. Cur igitur ſcriptura, per oſſa Eliſei donatam à Deo vitam defuncto commemorat; niſi vt ſciant

*Simile.*

*Actu. 5. C*

omnes

*4. Reg. 13. D Libr. 22. de Ciuit. ca. 8.* omnes magna munera Deum hominibus conferre ſanctorum ſuorum meritis & precibus? Diuus Auguſtinus teſtatur contuliſſe Deum innumera beneficia hominibus per Stephanum pro tomartyrem poſt mortem eius. Et in feſto D. Stephani ait: nam vt nouerit ſanctitas veſtra quantum valuerit oratio S. Stephani martyris: recurrite nobiſcũ ad illum adoleſcentẽ perſecutorem nomine Saulum: nam ſi ſanctus Stephanus ſic non oraſſet Eccleſia Paulum non haberet, ſed ideo erectus eſt Paulus: quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus. Quis hoc auderet dicere niſi D. Auguſt. ſcripſiſſet? Videtis quantum valeat oratio iuſti, etiã hic nobiſcum viuentis? Quid erit in cœlo exiſtentis? Abeant in Orcum contraria dicentes: quia ipſos impie ſentire, Concilium ſacrum Tridẽtinum (de inuocatione & veneratione & reliquijs ſanctorum, & ſacris imaginibus) decernit.

*Serm. 1. poſt medium.*

*Seſſi. 25. in principio.*

Ad noſtrum tamen inſtitutum reuertamur, nam humanitate forſan moti fuerunt diſcipuli & pro iſta miſera rogant, neſcio an ab ipſa ſubmiſi. Magnæ fiduciæ animũ parat interceſsio electorum: euge qui promeruit interceſſores habere apoſtolos. Sed nõ omnis qui interpellat apoſtolos habet illos propitios: ſed qui in virtutibus ipſorum pro viribus & poſſe eſt factus amicus, & vnius domini veſtigia adorat fide, & illa operibus ſequitur. Vt mulier iſta de finibus impiorum egreſſa, ecce fidem: clamans & plorans per montes & colles ſequitur Ieſum, ecce opera, & pro miſericordia venit ad illum. Egredere frater mi, de finibus peccantium, & illorum occaſionibus, & perge ad Ieſum operando bene, & de præteritis plorando. Ora ſanctos & ſanctas Dei, & bonos in terra viuentes, vt intercedant pro te ad Dominum, & ſacramentis frequenter & digne vtere: & abſque dubio à dæmonio & peccato vexante liber euades. Dimitte eam Domine, quia impedit clamore ſuo cõcionem tuam adeo vtiliſsimam: ſubindicantes ſe (ait D. Chryſoſt. in Gene.) iam non ferre poſſe illius moleſtiam. Dimitte eam, ſi non quia tam erumnoſa & dolenda eſt, ſi non quia preces eius rationabiles: ſaltim quia clamat poſt nos, & nobis efficitur moleſta, libera nos à clamore ſuo, defende nos ab improbitate mulieris. Ipſe non dixiſti nobis, quãdo nos orare docuiſti, illum amicum, ob improbitatem, alteri amico panes quotquot habet neceſſarios ſe daturũ, etiam ſi non ex eo quod amicus ſit? Da huic mulieri quod petit, etiam ſi amicus

*Homil. 38. Tom. 1.*

*Luc. 11. B.*

ſi amicus illius non ſis: ſaltim vt non ſit nobis ſuis clamoribus moleſta.

Pro eccleſia tamen de gentibus colligenda intercedimus domine, potiuſquam pro hac muliere, quę illius typum gerit: ſicut iſta Chananęa immunda erat & peſsima, & à fide vera & ab omni bono aliena, tamen audito nomine tuo, Ieſu noſter magiſter, omnia reliquit & venit ad te currens per aſpera loca, & clamoribus ſuam miſeriam fatendo, tuum auxilium improbe petit & importune, te Deum verum & perfectum hominem confitendo. Sic & eccleſia de gentibus collecta, immunda olim & omni vitiorum generi dedita, maligniſq; ſpiritibus deſeruiens: audito nomine tuo & potentia & bonitate à nobis apoſtolis & ſeruis tuis concionatoribus: relictis idolis, clamabit poſt te vocibus duris & ſonitu dolendo. Et cum primum, vnico Spiritus ſancti afflatu fuerit tacta, & ſui ignis ſcintilla incenſa, omnes labores, & preſſuras magnas libenter tolerabit, & vitia reprimet, & maxime clamabit ad te, dummodo miſericordiam tuam obtineat. Firmiter tenens, te Deum verum & hominem potentem illam ab omni miſeria, & peccato, & periculo, & tentatione, & perſecutore facillime defendere, atq; illi multa bona conferre.

In teſtimonium huius magnæ fidei, ab eccleſia exigentibus collecta futuræ, martyrio offeret millia millium ex familia ſua tui amore, clama eccleſia vocibus & operibus, fide & charitate ad dominum Deum tuum cum ad tui auxilium tales ac tantos habeas patronos & aduocatos, apoſtolos nempe Dei & columnas tuas, qui inceſſanter pro te Deũ orant dicentes: dimitte eã domine, & parce illi, libera eam à tempeſtatibus hæreſum: defende à paganorum contradictione, concede illi ſuos filios tibi fideliſsimos eſſe: & talem eccleſiam ſanctam regere coadunare, propagare & conſeruare digneris, dimitte illã quia clamat poſt nos, dicẽs magno deſiderio, & neceſsitate non minima: præcipue modo. Vos apoſtoli Dei, eſtis primi fundatores mei, vos eſtis ſeculi huius iuſti iudices: imo & iudices & teſtes contra filios qui receſſerunt à me per errores ſuos: ſed non erant filij mei boni, ſi fuiſſent in fide permanſiſſent, etiam ſi erant fideles ante errorem. Vos iuſti iudices contra fideles parum me virtutibus adiuuantes, in iſto tempore tantæ neceſsitatis, vtinam ne mihi impedimento ſint: vos vera mundi lumina, à luce vera, ſponſo nempe

meo

meo, vt tenebras errorum & peccatorum, à mundo abigat & ex pellat obtinete, multa bella hæreſum & vitiorum contra me in ſurrexerunt, præcipuè paucis abhinc annis: vos non eſtis (vt ego in hymno ad laudem veſtram cano) principes mei & duces triũphales belli, contra me inſurgentis? Vt quid non apprehenditis arma & ſcutum, obtinendo à Deo fidelibus meis virtutum arma, & fidei magnæ ſcutum, & exurgitis in adiutorium mihi? Cæleſtis aulæ eſtis milites, fides deuota ſanctorum, ſpes inuicta credentium, perfecta Chriſti charitas, in quibus paterna gloria exultat & cœlum repletur gaudio: præcorvos vt audiatis preces ſupplicum fidelium.

Conſiderate calamitatem meam apoſtoli ſancti hoc tempore contra me exortam, qui cœlum verbo clauditis ex Dei poteſtate dicentis: quod ligaueritis erit ligatum, & ſolutum peccatum quod ſolueritis: ſeraſque cæli ſoluitis, petite à Deo vt filios meos, à peccatis ſoluat omnibus: ſanate ægros in fide, & infirmos moribus, reddendo illis, precibus veſtris virtutes & merita, fidem & charitatem antiquam. Orate pro me Dei eccleſia vos ſancti apoſtoli ad dominum qui me ſibi elegit, & ſeipſum mor ti pro me tradidit: teſte concionatore meo ſupremo: & acquiſiuit me ſanguine ſuo. Domine, dimitte illam & adiuua, quia clamat poſt nos apoſtolos tuos, & eius fundatores primos: eccleſia plorat, & clamor eius aſcendit ad te abſque dubio Chriſte Ieſu, cum habeat apoſtolos intercedentes pro illa: & præcipue matrem tuam ſanctiſsimam aduocatam noſtram. Ne recorderis domine, peccata noſtra, ſed fidem eccleſiæ tuæ & pulchritudinem antiquam: modo autem ſimilia fecit quod Eſther: cum ſit regina mundi & ſponſa tua, confugit ad te ſponſum eius & regem angelorum, pauens periculum quod illi imminet ab omni mũdi parte: hinc ab hęreticis, illinc à paganis, & etiam à malis Chriſtianis, peccatis ſuis illam affligentibus.

*Matth.16.E*

*Ad Ephe.5. F.*

*Act.20. F.*

*Eſthe.14.A.*

Heu quomodo depoſuit veſtes regias cum Eſther charitatis & virtutũ. In multis fidelibus peccantibus: & fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit. Quia filij ſui vitiorum veſtibus induti ſunt, veſte nuptialem charitatis, hi odio & ira ſcindente deſtruẽtes, illi voluptatibus & immunditijs polluentes, alij furtis & rapinis ſanguinolentam reddentes. Cinere & ſtercore impleuit caput, videns tot immundos ſine mortis memoria viuẽtes: corpus

ſuum humiliauit ieiunijs, in bonis ſtaris qui in eccleſia manſerunt omnia autem loca in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit. O eccleſia Dei, quanta loca & templa, in quibus, ab hinc quinquaginta annis, lætari & gaudere ſolebas in ſacramentis & diuinis officijs, & in ſocietate ſponſi tui: crinium laceratione compleuiſti: quia vitiorum & errorum ſuperfluitate, polluerunt templa tua & loca ſancta: & multi fideles etiam ſi nõ errorum, tamen ſuperfluis & peccatorum immunditijs, in cauſam fuerunt vt laceres crines tuos. Deprecare igitur eccleſia ſancta apoſtolos Dei, & præcipue ipſum ſponſum tuum Chriſtum Dominum dicens cum Eſther ibi, Domine mi, qui rex noſter es ſolus, quia vnum Deum te adoramus laudamus & credimus, adiuua me ſolitariam, & in vno angulo fere Europæ: viduam & triſtem anguſtijs circundatam: & filij mei, multi à dæmonio & peccato valde vexantur: Domine mi & ſponſe, qui rex noſter es ſolus, nam ſine te quis reget me. Vide me ſolitariam & adiuua, ab omnibus fere derelictam. Nam cõſiderabam ad dexteram, vbi ſunt fideles mei, & videbam illos tam ſceleribus plenos & ſine virtutum armis, vt fere non eſſet ex illis qui virtute & recta operatione cognoſceret me vt matrem piam & ſic mihi ſeruiret. Quanuis abſolute multos habeam filios me diligentes & proviribus & poſſe defendentes. Aſpiciens tamen à ſiniſtris, illos qui à me fugerunt fide relicta: perijt fuga à me, quia ego non fugiſſem ab illis, ipſi fugerunt à me, & quod magis doleo poſt fugam, rariſsime aliquis ad me reuertitur, neque eſt qui requirat vitam meam gratiæ. Periculum meum Domine (dico ego eccleſia cum Eſther) in manibus meis eſt, quia omne malum contra me veniens, ex falſis filiorum meorum operationibus prouenit: vt eſt videre in omni natione quæ reliquit me, quia ex ſiniſtra operatione prouenit omne malum ſibi. Eduxiſti me de Ægypto & gentilitatis tenebris, lauaſti me vitæ lauacro: & nunc Domine, peccauimus in cõſpectu tuo, & idcirco tradidiſti multos ex fidelibus meis, in manus inimicorum, nempe dæmonum & vitiorum, & vtinam non hæreſum. Reſpice Domine, quia volunt tua mutare promiſſa certe, & claudere ora laudantium te: ne tradas ergo Domine ſceptrum tuum & filios tuos, his qui non ſunt fideles neq; poſſunt bonũ fatere quandiu in infidelitate permanent.

Dimitte eã Domine, quia clamat poſt nos iſta Chananea, im-

portunitate mulieris (ait D. Hiero.) carere cupientes: quia nō vt clementem, ſed vt durum medicum crebrius inclamabat. Vnde pudore commoti rogant, non tantum vt miſereatur calamitoſæ, quam vt improbam ablegaret aliquo reſponſo. Dimitte illā quia gentilis eſt & eius conſortium Iudæis non eſt honeſtum. Deinde, ipſe vis latere & neminem ſcire (vt ait Marcus) hæc mulier clamat poſt nos, quomodo clam eſſe poteris? Concede quod petit, ſaltim vt à clamoribus illius euadamus & concio tua non interrumpatur. Aut dimitte eam, quia ipſe reuera vt adamas illam interius attrahis, ita vt reuerti non valeat repulſa: ideo fac quod petit aut illam interius dimitte. D. Aug. tamen aſſerit, ipſam rogaſſe Apoſtolos vt pro illa intercederent, quod certe videtur ſonare verbum illorum, quia clamat poſt nos, ſcilicet orando vt pro illa orationem fundamus. Diſcant homines non peccare à ſanctis, & ſi peccauerunt (quod abſit) ſciant ex hac muliere etiam in peccato exiſtentes bona opera non omittere: ſanctos deprecare vt intercedant pro ipſis, vt à peccato cito euadant. Ne facias peccator, computationem perditorum: captus pro mille captus pro mille quingentis. Stulte, non ne facilius argentum quam aurum, debitor exiſtens: creditori ſolues, vt à vinculis euadas? Peccator, multiplicatione ſcelerum catenas duplicas, & difficiliorem conuerſionem tuam reddis: fac bonum etiam Dei inimicus exiſtens, & pete miſericordiam ſuam, & inuoca diuos vt iſta.

Mat. 7. C.

Simile.

Verum eſt opera quantumuis genere ſuo bona, in mortali facta, nullius prorſus meriti eſſe decongruo neque de condigno: vt doctiſsime oſtendit magiſter meus Soto, cum D. Thoma omnium ſcholaſticorum duce. Ratio eſt manifeſta: quia cum gratia ſit radix principium & cauſa merendi: gratia ſublata nullum opus rationem meriti habere poteſt. Cum Deus bonorum noſtrorum non egeat, ſua bonitate vult accipere opera noſtra tanquam meritoria, ſi amicitia illius decorata ſunt: & nos vt amici facimus illa, quia ipſe ſic ordinauit: tamen ab inimicis ſuis peccato conſtitutis, nullum opus in meritum vult recipere. Imo licet Deus, de ſua potentia abſoluta, poſſet peccatoribus gloriam conferre: qui non fuerunt eius filij per gratiam (quod quidem non tam affirmate, quam alij aſſero, ait magiſter Soto) dabit pro ſuo beneplacito, attamen non pro eorum dignitate: quia non poſ

4. D. 19. q. 1. ar. 5.

D. 16. q. 2. ar. 6.

ſunt

sunt fieri tali præmio digni, nisi amici sint Dei per gratiam. Vnde talia opera in mortali facta, nequaquam sunt, nec dici possunt merita de condigno, nec de congruo bonorum temporaliũ: cum omne meritum in Dei amicitia fundetur: & peccator, ait D. Augustinus non est dignus pane quo vescitur.

Certũ est quandoque Deum ad misericordiam moueri ex bonis operibus peccatoris, vt opem illi ferat ad conuersionem: quia ob opera bona homo assuescit virtutibus, & sic affectus inclinatur in earum officia. Et hoc est D. Thomam dicere, opera bona peccatoris esse dispositionem ad gratiam: non intelligit proxime, scilicet quod ex liberalitate sua Deus acceptet nonnunquã illa opera vt Adrianus & alij volunt, tanquã proximã dispositionem ad gratiam: sed vt dictum est, aliquo modo Deum mouent vt homini peccatori auxilium ad conuertendum conferat: cum videat etiam inimicum bene operantem: operamini quæ recta sunt etiam in peccato existentes, vt Deus, sua misericordia, corda vestra ad pœnitentiam inducat. Conducunt deinde ad euitandam transgressionem præcepti: cum per talia opera impleantur mandata, quantum ad eorum substantiam. Item ad euitanda alia peccata: qui operibus genere bonis operam dat, à prauis abstinet. Item valent ad mouendos homines iustos: qui eiusmodi peccatoribus per suas orationes mereantur de congruo bonum motum in Deum, ad quod potissime eleemosynæ seruiunt: iuxta verbum Christi, facite vobis amicos de mammona iniquitatis. *Luc. 16. B.*

Perpendant hinc peccatores non verentes diu in peccatis manere, quantam faciant operum suorum iacturam: quæ si in gratia illa fecissent, ad cumulum meritorum & gratiæ & postea gloriæ sibi valde conferrent. Certe valde doleret homo qui postquam magnos labores & sumptus, in domus ædificatione consumpsit, diceretur sibi, non habitabis in ea: plantasti vineam, vuas non colliges ex ea nec vinum bibes: non indues hanc vestem preciosam quam fecisti: seminasti & ex tali tritico non comedes. Omnia ista possunt dici peccatori bona in mortali operanti: imo audi Mosem populo illo rebelli & cui libet peccatori similia verba dicentẽ. Domũ ædifices, in cœlo ex parte bonorũ operum tuorũ, & nõ habites in ea, quia in mortali *Simile.* *Deu. 28. D.*

facta sunt: plantes vineam, & non vindemi eam. Denique omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo mortalis culpæ consumet. Tu tamen etiam cum hoc bene operari non desistas, vt sanctos inuites ad orandum pro te, & Deum prouoces ad tui miserendum, & ad cor tuum contritione mouendum. Vnde, etiam si huic mulieri dominus non respondit tanquam peccatrici, tamen Apostolis responsum dedit, repulsa muliere durius. Etiam si hoc fecit, quo magis ac magis admirabilem redderet barbaræ mulierculæ constantiam, modestiam & fidem: perfidiam Iudæorum confundentis: & tale nos facere docentis ad gloriam Amē.

# Homilia octaua.

Tex. ¶ Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.

QVID est hoc verbū patris, quid dicis pastor vniuersalis omnium? Quę est ista excusatio tua? Nūquid ideo te corpore velasti, vt tantum vnum angulum liberares? Ideo ad quęrendas venisti oues, vt solum vnicum gregem custodires, alijs lupis expositis? Omnem orbem derelictum esse vis, Pontum Asiam Europam & Aphricam, & reliquas nationes: itavt de Israel tantummodo cures? Terram desertam relinquere vis, de cœlo ad liberandam veniens? Non vides iniuriam patris tui in falsis gentiū simulacris: & dæmonum ceremonijs exercere? Prophetæ tui fideles, non vulgarunt te venturum fore ad gentes vocandas? Quid dicit cognatus tuus Dauid: vnde forsan hac de causa vt gentium miserearis ista mulier filium Dauid te vocat? Postula à me fili (ait pater tuus) & dabo tibi gentes, in hæreditatem tuam, & omnes gentes plaudite manibus. Quare repulis hæreditatem à patre tibi promissam, & nō vis vt gentes manibus & bonis operibus plaudant, illos recipiendo ad fidem? Nonne Magos stella vocasti? Vt quid hanc, ad te solam venientem reijcis? Venit Centurio & dicis, ego veniam & curabo puerum tuum, & solam hanc contemnis?

Psal. 2.

Matt. 2. A.

Ibid. 8. A.

Ezech. 34. Non ne ipse pastor es ille, de quo in Ezechiele dicitur, quod debe-

debebas oues requirere,& omnes vocas greges tuos dicens: vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ homines eſtis, & ego Dominus Deus veſter? Igitur omnes homines oues ſunt paſcuæ tuæ, quare gentes excludis? Non dixit per Eſaiam pater æternus ad te, parum eſt vt mihi ſis ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ? Imo multo plures & firmius gentes ſeruient tibi quam Iudæi, vt quid dicis te non eſſe miſſum niſi ad oues Iſrael, in hircos cito contra te conuertendas? Dixiſti, non veni vocare iuſtos ſed peccatores: igitur ad oues manſuetas venire quid magni eſt, quæ ſiluo commotæ paſtorem ſequuntur, & omnibus proſunt & nullis nocent? Non dixiſti, veni ſaluare quod perierat? Igitur ad lupos, & ad canes & ad gentes etiam veniſti: vt quid ergo dicis non eſſe miſſus niſi ad Iudæos? Primo, quia iſta mulier eſt de gente immunda, cum qua non licet communicare: ne Iudæi per omnia ſuperſtitioſi, anſam calūniādi me & non recipiendi verbum meum habeant: nam & ſic videre me nolunt quanto magis ſi cum primum iſta petiuit accepiſſet: ſtatim dixiſſent: bene nos facimus te non recipiendo nec doctrinam ſuam ſectando: quoniam legem noſtram, qua præcipitur à Chananæis abſtinere, frangis.

*Iſaiæ. 42. B.49.B.*

*Matt.9.B.*

*Luc.15.B.*

Non ſum miſſus à patre in mundum & ad mortem niſi propter oues, quia etiam ſi pretium ſufficiens in cruce ſoluam ad redimendas omnes creaturas tam bonas quam malas, quæ ſunt rationis capaces: & redemptione ſufficienti omnes homines, quantum eſt ex parte mea, redemerim, etiam lupis ſimiles & canibus, tamen redemptione efficaci, non niſi oues, ideſt homines manſuetos & bonos nemini nocentes & omnibus proficientes, & morte & paſsione mea pro vt decet vtentes. Mali vero homines lupis crudeliores, & canibus impudentiores, & hircis fœtidiores, etiam ſi ſufficienti pretio à me redempti ſunt, qui illo vti nolunt mihi per fidem non adhærentes, vt capiti membra, & ſi fide mihi iunguntur non tamen charitate. Et cum non ſint membra viuentia, merita mea tanquam à capite procedentia viuo ſibi non applicantur: vnde aliunde non habent quo ſoluant. Homines vero, qui mihi vt capiti fide & charitate iunguntur: accipiunt in ſe merita mea, quæ ego illis meritus ſum, & vt

caput corpori applico, quibus ſoluũt pro peccatis ſuis tãquã ex ſuo. Merẽtur etiã gloriã ſuis operibus, gratia mea & paſsione formatis: vnde ad huiuſmodi tanquam ad oues efficaciter ego veni, ſint ex gentibus ſint ex Iudæis aut Græcis, & vtiliter ad hos veni, etiam ſi ſufficiens pro omnibus pretium dedi. O beati, omnes vos qui ouibus huiuſmodi ſimiles eſtis, qui manſueti, qui nulli malum pro malo reddentes, qui omnibus bene facientes, & à paſtore diuino per culpam non recedentes. Si ad horam ob herbam viridem voluptatis aut alterius peccati receſsiſtis, ſtatim audito verbi Dei ſibilo, ſuo auxilio, ad bonorum gregem reuerſi eſtis, & ad Epiſcopum animarum veſtrarum: ſuis meritis vt decet vtentes, & iterum ab ipſo recedere timentes, & multum cauentes. Væ & iterum væ vobis peccatores qui eſtis lupis ſimiles & hœdis fœtidis: quid dicetis quando appareat Iudex, & ſtatuat vos à ſiniſtris & dicat: diſ-
*Matt. 25.* cedite maledicti, in ignem inferni: quia non fui miſſus efficaciter ad vos, veſtris demeritis? Venite vos ad me benedictæ
*c.D.* oues, quibus miſſus fui. Væ vobis piſcibus ſub aquis luxuriæ natantibus: ſub aquis ſulphureis pice nigriores ſoluetis delicias, cum non ſitis oues. Væ leone crudeliori homini proximum deuoranti: væ vrſo guloſiori, ipſe ieiunabit: væ apro & porco ſimili in volutabro luti ſe volutanti & ad vomitum
*2. Pe. 2. D.* reuertenti. Væ lupo immaniori pauperum facultates & ſudorem deuoranti, imo & furanti: quid facies quando multa debeas, & nil habeas vnde ſoluas? Non venit tibi Deus merito efficaci etiam ſi ſufficienti, ſi in tempore non reſipiſcis, & aliena reddis, & ab iniuſtis quieſcis contractibus. Væ doloſo vulpi ſimili væ canibus contra Deum & proximum ex iracundia, & ira & odio & mala conſuetudine latrantibus, non venit ad vos Deus, niſi in oues pœnitendo conuerſi fueritis in tempore: & hoc non ex defectu paſtoris, ſed veſtro. Væ leporibus ſimilibus, trepidantibus vbi non eſt timor, & camelos, magna nempe ſcelera, ſine aliquo metu deglutientibus: væ aſinis pigrioribus ad bonum operandum: væ equis calce pauperes, & vicinos percutientibus, væ Tauro ſimilibus cornu fratres veſtros ventilantibus: væ tandem omnibus vobis peccatores, qui oues non eſtis manſuetæ, ſed lupi crudeles, ſi in tempore Dei auxilio, feritatem non depoſueritis. Quibus omnibus dicit Dominus,

minus, non ſum miſſus niſi ad oues efficaciter. Peccator eſt Dei inimicus, angelorum æmulus, auis inconſtans, aquila per ſuperbiam alte volans: falco inſidians ſimplicium auium innocentiæ: accipiter vngulis vulnerans proximum: miluus ad viſcera putrefacta deſcendens: coruus niger procraſtinans pœnitentiam in malum ſuum, cadaueribus mortuis ſcilicet operibus immundis inſidens, vt alter quem miſit Noe: columba ſeducta laqueo capta à dæmone. Philomena decipiens: caladrius querulus: paſſer ſolitarius ſine Deo, in parietibus terrenis habitans. Regulus, pungentes incolens ſepes, vitiorum & voluptatum. Dum talis eſt homo, quomodo ouis manſueta erit ad quam Deus eſt miſſus? O Chriſti ouis, ſi nullum aliud bonum tibi futurum eſſet, niſi audire hoc verbum & in te adimpleri: quo Domino poteris ſoluere tantum beneficium? Scis quid dixerit, quando non ſum miſſus niſi ad oues dixit? Homo qui es in gratia mea & vt ouis innocens & ſine aliquo malo es, ad te miſit me pater meus & ad vtilitatem tuam: omnia quæ paſſus ſum à conceptione matris in vtero vſque ad emiſsionem ſpiritus mei in cruce: ad tui magnum commodum paſſus ſum illa. Ex conceptione mea, concipies virtutes, tibi natus ſum frigori expoſitus, quia inde in calore gratiæ natus es: tibi ſanguinem effudi in circuncisione & ſudore & in cruce vt maculas ſcelerum tuorum ablueres: gaudete oues meæ, quia propter vos & veſtram ſalutem natus ſum & mortuus, & ob veſtram gloriam reſurrexi. Heu tamen quam dolendum verbum iſtud eſt in auribus cordium hominum non viuentium manſuete & bene ſed crudeliter. Non ſum miſſus niſi ad oues: etiam ſi nil doloris in ſe includere videatur, quam terribile eſt, more crudelium animalium viuentibus. Attende homo, quam horrendum iſtud ſit verbum, contra peccatores ſimiles beſtijs & auibus prædictis viuentes: non ſum miſſus ad vos qui lupis ſimiles eſtis aut leonibus ò homines: quia niſi oues per gratiam facti fueritis, nil omnia quæ in vita paſſus ſum proderint vobis. Non ſum incarnatus vobis neque ad veſtram vtilitatem, quandiu ſic viuitis: quia ſancta deſideria nondum concepiſtis: non ſum natus ad vtilitatem veſtram, quia nondum in gratia nati eſtis, ſed peccatis dediti. Gen. 8. R.

Audite dolendum verbum, non ſum miſſus ad vos homines proterui feris crudeliſsimis ſimiles: incarnatio mea nil vobis proderit, neque natiuitas mortuis in peccato, neque circuncisio vt ſalui ſitis. Neque fuga AEgypti, vt à tenebris liberemini, neque itineris mea fatigatio, vt quieti ſitis in anima: neque ſudor ſanguineus cum agonia aliquid vobis proderit, vt abluti à peccatis mortis horã non timeatis: quia in ſordibus manere vultis iudiciũ nõ verentes. Ligatio mea abſolutionem non proderit vobis, neque flagella vt caſti ſitis neque corona ſpinarum vt humiles ſitis: neque ſanguis meus effuſus abluet vos, neque mors mea vitam cauſabit animabus veſtris. Vt quid domine, tantum malũ ſuper nos eueniet? Quia non eſtis oues meæ ad quas ego veni liberandas: ſed lupi & canes rabidi contra me & proximũ. Igitur arrige cordis aures homo. Et ſi lupus aut canis tuo peccato es effectus, in ouem manſuetam & mundam nulli nocentem & cunctis proficientem, ſanguinis Chriſti & ſacramentorum virtute, cito pœnitendo conuerſus ſis: vt Chriſtus ad vtilitatem tuam miſſus fuerit, & paſſus, alias væ tibi.

*Alia. 20. P* Attendite vobis animarum paſtores, & vniuerſo gregi (vt ait Paulus) in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit prælatos & Epiſcopos & parochos, regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine nõ auro, ſuo non alieno. Attendite vos eſſe miſſos à Deo, tanquam paſtores ad oues Dei: cauete ne aliqui ex vobis in lupos rapaces ſitis conuerſi non parcentes gregi: ſed oues ad malum inuitantes, & ex parte lupi infernalis veſtro exemplo effecti oues dilacerantes. Loquentes peruerſa vt decipiatis oues traditas vobis ad cuſtodiam. Væ & væ (ex verbo Domini ad Ezechielem facto) paſtoribus Iſrael & animarum prælatis: nõ omnibus ſed multis. Fili hominis, propheta de paſtoribus eccleſię, & dices eis: væ vobis, dñs dicit, ne iraſcamini cõtra me: malis paſtoribus & in lupos verſis dicit nõ bonis, & quę legitime faciũt ea ad quę miſsi ſunt à Deo. Væ paſtoribus paſcentibus voſmetipſos & non oues, cum ad hoc ſitis à Deo miſsi. Imo vt lupi oues proprias dilaceratis ad voluptates inuitantes, ad odiũ & rixas: certe nõ eſtis ad hoc miſsi à Deo. Felices paſtores qui officium ſuũ ita vt Deus vult exercent facti forma gregis ex animo & faciunt vere circa oues ea ad quæ miſsi ſunt: cum venerit princeps paſtorum Chriſtus, ad rationem, paſtores in lupos conuerſi, quomodo tam hor-

*Ezab. 34. A*

*1. Pe. 5. B.*

rendum

rendum iudiciũ ferre poteritis? Felices boni prælati, quibus corona immarcescibilis gloriæ seruatur. Pastores optime circa oues vigilantes gaudete, nam magna merces vobis reseruatur in cœlis: hoc satis patet ex hoc verbo Christi: quanti magnifaciat oues suas, satis ostendit dicens: fuisse missum à patre, ad tanta ferenda vsque ad mortem, ob salutem ouium suarum. 2.q.7.c.18 stes.

Damasus Papa, in Epistola ad Stephanum Archiepiscopum (vt est videre in decretis) adducit hunc locum Christi, ad ostendam mansuetudinem suam etiam erga oues illam accusantes, imo percutientes alapa: quibus inter opprobria & verbera mansuetissime respondebat. Et percutienti dixit, si male locutus sum, ouis in lupum versa, quando dixi me esse missum ad oues, bene alapa data est: si autem bene, quid me cędis lupe? Domine oues vocas, quæ sic te cędere & flagellare debent? Optimæ oues (imo malignæ) quæ in lupos contra te conuertuntus. Si oues sunt istæ quæ perierunt domus Israel & redemptione indigent: quare te pastorem suum ita feriunt verbo & calce, & mordent? Ego iudicio (vt per Ezechielem affirmo) & differentiam inter pecus & inter ouem & ouem pono: inter bonam & malam animam, ideo dico domus Israel, & quæ vere sunt Israelitæ opere bono. Nam malis ouibus ibi dico: non ne satis vobis erat pascua bona depasci, verba nempe mea & doctrinam, quin reliquas conculcaretis? Missus sum efficaciter ad oues me recte sequentes. Nota obiter quomodo cum esset Dei filius & patris sapientia, noluit parochum esse duorum gregum Iudaici & gentilis: & ante sacrum Concilium Tridentinum multi duas & quatuor Ecclesias habebant, nec illas videbant. Ioan. 28. D. Ezech. 34. E.F.

¶ Ad illa veniens adorauit eum dicẽs: Domine adiuua me. Text.

QVando ista mulier vidit se indignam Christi respõsione, & quod sic Apostolis suis intercessoribus Christi respõdit quasi nõ esse ouẽ affirmãs: nõ amisit spẽ, fidẽ in illo conceptã nõ contẽpsit, nec retro reuersa est tristis & desperata dicens, frustra domũ reliqui, vt ab homine isto medicinã quererẽ: qui nec mihi respondet

pondet, nec ſuis amicis petita concedit (vt ego & tu ſtatim facere mus modicę fidei) ſed vires acquirit eundoſpemque alit, & fidem confortat. Et omnes Chriſtum ſequentes rumpit fremens, & apoſtolos antecedit & venit coram Ieſu omnium paſtore diuino atque manſueto, & proſtrata ante pedes eius plorans ac gemens adorat eum tanquam Deum verum dicens: domine, adiuua me, alias hinc non tranſire relin quam te, quouſque mihi deſiderium concedas. O mira res & miranda huius mulieris fides & ſpes, in perſona mulieris Chananitidis (ait D. Hiero.) eccleſiæ fides patientia & humilitas prædicatur. Fides qua credidit ſanari poſſe filiam ſuam: patientia, qua toties contempta in precibus perſeuerat: humilitas qua ſe non ſolum canibus ſed catulis comparat, ô magna fides qua prius filium Dauid deinde dominum vocat, & tandem vt Deum adorat, ſemper in ſua petitione etiam repul ſa perſeuerando.

Quis homo adeo fortis in fide eſt, cui ſi talia contigiſſent, & poſt Dominum Ieſum clamans & plorans pro aliqua re obtinenda pergeret, & nec illi reſpondiſſet, nec apoſtolis pro ipſo orantibus verbum ſolatij dixiſſet, non eſſet reuerſus triſtis & ſine ſpe illam obtinendi? Dixiſſes certe: quare veni à domo mea? quis me decepit, hunc Ieſum miſericordem eſſe affirmans? Iſte eſt qui omnibus ſubuenit? Iſte qui infirmis ſalutem offert? Pœnitet me veniſſe poſt illum, pœnitet me clamaſſe, doleo filiam reliquiſſe & in illum credidiſſe. Vocaui & non reſpondit: ſecutus ſum illum gemens per lapides & colles, & fugit, & faciem ſuam ad me non eſt reuerſus: modo tamen diſcipulis reſpondens durius ſe habuit mecum, quam prius tacens. Reuertar in domum lugubrem meam, ad filiam dæmonio vexatam, triſtis & dolens & ſine ſalutis ſpe, antequam illum plus ſequar: habitabo cum hoſte in domo, potius quam iterum ei loquar. O mulier, imo confuſio hominum fidelium, quotidie iſta ſi non verbo opere dicentium: quando in oratione & virtute non perſeuerant, quia advotum non ſuccedit. Iſta mulier nil tale cogitauit, necdum dixit, aut fecit, ſed non cedens tot contradictionibus ſed è contra audentior eundo, quam ſua ſe fortuna gentilis ſinebat, de nouo velocius currit, omnes pertranſit, fortius clamat, ante apoſtolos pergit, dominum tranſire vltra non ſinit dicens: certe vnam de duobus mecum

facere

facere debes diuine magiſter, fili Dauid Deus & homo, aut adiuuare me, petita concedens, aut hinc non tranſibis: Domine, adiuua me in magna conſtitutam anguſtia. O mulieris audaciam & fidem, quis te illis dotauit Chananea? Certe qui fugit à me ipſe me trahit ad ſe: & qui non reſpondet mihi, præbet verbum quod loquor: & qui dixit ſe ad oues veniſſe ex canicula in ouem me conuertit, vt balatu audeam illi dicere: adiuua me paſtor bone. Iam enim ſum ouis nolens te in aliqua offendere, neque peccato te mordere: ſed etiam ſi nil reſpondeas mihi, imo ſi occideris me (vt dicam cum Iob) in te ſperabo. Non deſtitit mulier, quamuis repulſa, dolor & fides illam improbam ac moleſtam reddebant: vnde cum Abacuc dicebat, adiuua me, vſque quo Domine clamabo ad te, & non exaudies. Vſque quo vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis filiam meam à dæmonio? Adiuua me ſolitariam (vt dicebat Eſther) & cuius præter te nullus eſt auxiliator alius, & qui filiam meam liberare valeat. Adiuua me Domine, aut hinc non tranſibis. Petiui miſericordiam & tacuiſti, petierunt pro me Apoſtoli & nil à te mihi obtinuerunt: alia mulier iam in domum ſuam eſſet reuerſa miſera & plorans. Ego nolui reuerti, ſed coram te miſericordiæ fonte, me proſtrare, & dicere, adiuua me miſeram ipſe qui potens es: fac mecum ſignum in bonum (vt petebat pater tuus Dauid) tollendo à filia dæmonem, & à mea anima & ſua culpam: vt videant qui oderunt me dæmones & mali homines & peccata, & omnes confundantur videntes, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me: adiuua me adiutor in opportunitatibus.

*Iob. 13. C.*

*Hab. 1. A.*

*Eſther. 14. A.*

*Pſal. 85.*

Imploraui Domine, miſericordiam tuam, quaſi vt ipſe omnia faceres, me in otio permanente: dicendo miſerere mei eleemoſynam porrigendo ſalutarem, & tacuiſti, & viſus es nolle concedere: forſan quia miſericordiam tuam petendo, nil ex parte mea promittebam facere Apoſtolis dicentibus dimitte illam, dixiſti, me non eſſe ouem, ex parte mea paſtorē ſequentem. Iam ex hoc intellexi domine te ſemper paratum eſſe homini auxilium præbendi: tamen quia liberum illum feciſti, vis vt ex parte ſua bene auxilio tuo vtatur. Quia etiam ſi illum feciſti ſine ſuo adiutorio, non tamen vis ſine illo ſaluare (vt dixiſti D. Auguſtino)

tino) nam vis vt homo bonis operibus ſuis adiuuet etiam auxilium tuum: igitur Domine adiuua me, volentem iam meo paruo opere & bono vſu liberi arbitrij adiuuare te, & facere quod eſt in me. Adiuua me tuo auxilio volentem ex parte mea facere quidquid velis tuo auxilio fretam: da igitur quod iubes nempe auxilium ad faciendum, & iube quod vis, adiuua me & adiuuabo te & me: nam ex parte mea faciam pro viribus.

Diſcite iam fideles, ab iſta muliere, ex parte veſtra facere neceſſaria ad ſalutem, ſi vultis animam veſtram à dæmonio liberatam videre. Magno Dei auxilio iungite opera veſtra etſi exigua & ex parte ſua parui momenti, nolite omnia Deo relinquere, ad faciendum ad ſalutem animæ pertinentia. Timeo eſſe multos homines, ita Deo omnia relinquentes ad operandum, quæ ſunt neceſſaria ad illorum ſaluationem, & ipſi digito operationis aut boni vſus liberi arbitrij neque tangentes: ac ſi non rationales libera voluntate præditi à Deo creati eſſent, ſed brutis ſimiles, aut arboribus aut lapidibus. Relinque peccatum & diſce operari homo, & Deum te adiuuantem adiuuare. Si cœlum ingredi cupis. Certum eſt & de fide (vt ſupra diximus) vtrunque ad ſalutem hominis neceſſarium eſſe, & auxilium Dei, & bonum liberi arbitrij vſum à parte tua: ideo dic cum muliere iſta: Domine, adiuua me volentem operari, & auxilium tuum adiuuare. Voluit te Deus honorare ô homo, in hoc quod ſocium tuæ ſalutis fecit te ſibi, quia ex parte tua, ad hoc vt iuſtificeris, debes adiuuare Deum (vt ab ipſo decretum eſt circa adultos) fide ab ipſo data, & fiducia, in Deū, & Chriſtum dilectione, oratione ſupplici pœnitētia, & ſatisfactione. Omnia hæc ſimul cooperantur, in remiſsionē peccatorum ex parte hominis, qui debet Deo reddere quod contra debitum ſubtraxerat. Sanctiſsima Trinitas tollit peccatum & incommoda eius effectiue, miſericorditer condonando, ſimul & creando in anima chariſmata gratiarum, quibus euaneſcunt pereuntque peccata, & anima illuſtrata manet gratiæ lumine.

*Ve. 6. tex. visſanus fieri.*

*Simile.* Sicut ſole oriēte, & in aera lumen ſuum diffundente, mox euaneſcunt & pereunt tenebræ, quę ſunt in regione aeris, & non ſolum ſol tenebras tollit, verū etiam per lumen ſuū diffuſum deſtruit in aere, atq; abſorbet omnem fœtidam nebulam, caligino

ſumque

sumque vaporem, reddens aerē lucidum atque perspicuū, & salubrem, terram insuper velut viuificā & fœcundam: sic & Deus per lumen gratiæ cœlitus diffusum in animā, purificat corda nostra à maculis, sanctificat à profanitate, illuminat à caligine errorum: sanat, viuificat, fœcundat, procul eliminatis peccatorum incommodis: ecce quid Deus cum gratia nobis conferat. Christus vero secundum naturam humanam tollit peccata eorum quæ maculas, & incommoda: non quidem creando in anima quidquam (non enim creator est secundum formam seruilem) sed iudicialiter absoluendo, si quidem Dominus est & Iudex omnium quia filius hominis est, omni iudicio ei à patre traditio: item agendo apud diuinitatem, vt tollantur condonatione & gratia Dei, tanquam mediator, atque reconciliator & redemptor merito benedictæ passionis suæ, cuius officium est non offensam remittere, sed remissionem apud Deum, qui offensus erat procurare: interpellando, promerendo, & satisfaciendo. Et quia officium reconciliationis peregit in carne sua & sanguine suo: ideo & caro Christi & sanguis eius, velut instrumenta quædam, quibus fuit vsus reconcilians nos Deo patri suo, quodammodo dicuntur diluere & tollere peccatum. *Ioan. 5. E.*

Ecce tibi semel ordinem quo peccatum tollitur tibi à Deo & quomodo ipse debes adiuuare, gratia Dei diffusa in cordibus nostris est ipsa forma: iustificans hominem, sanctificans, & viuificans, in genere causæ formalis. Verbum autem Dei est velut magisterium erudiens peccatorem, vnde & quo prolapsus sit: qua via quibusque redire posset medijs, operans in remissione peccatorum, sicut sermo magistri operatur in institutione discipuli. Sacramenta vero sunt velut vasa seu instrumenta, quibus nobis recte vtentibus infallibiliter applicatur gratia Dei, qua fit remissio peccatorum: vnde ipsa sacramenta cooperantur in genere causæ instrumentalis. Præter hæc autem dicta, etiam cooperatur ad remissionem peccatorum, actio ipsius peccatoris diuina miseratione & gratia præuenti & adiuti cooperatur, dico, non quidem per modum efficientis aut promerentis: sed per modum præparantis materiam in quam infundenda venit gratia Dei remittens peccatum, aptando sese quo idoneus fiat ad recipiendum eam.

Præ-

Præparat autem se peccator & adiuuat ex parte sua, suscepto semine verbi Dei per fidem, amore & fiducia in Deum, & Christum mediatorem: & pœnitentia quæ non est sine detestatione peccati, bono q; motu mentis humiliter deprecantis pro venia, confessione insuper delicti perpetrati, voto deniq; siue proposito deinceps faciendi fructus dignos pœnitentiæ & non recidiuandi, & satisfaciendi integre. Vide quibus rebus peccator debes adiuuare tuam conuersionem, Dei auxilio in omnibus adiutus, vt ne otio vaces. Non tunca quia ista diximus necessario debere cooperari ex parte peccatoris ad remissionem peccatorum: statim cogites, igitur iustitia, ex nobis est, nostra est. Nequaquam sed à Deo, si non vis ignorare iustitiam Dei, & tuam quærens statuere vnde (vt Paulus ait) iustitiæ Dei non eris subiectus. Quemadmodum lutum se habet ad figulum informatione vasis: ita se habet impius ad iustificatorem Deum in opere iustificationis: lutum quantunlibet præparatum formam artis quam recipit, non ex se accipit, non etiam ex necessitate causæ materialiter operantis, sed ex voluntate figuli componentis.

Rom. 10. A.

Simile.

Ita & peccator quantunlibet se ad gratiam remittentem præparauerit: adiutorio Dei credendo, sperando, pœnitendo, diligendo, aut aliquo alio præparatus fuerit, non accipit gratiam talem neque ex se, aut propria virtute, neque ex necessitate, vllius alterius agentis: sed ex virtute & operatione Dei, intus abluētis, sanctificantis, & animam per gratiam desuper infusam iustificantis. Quam homo non magis efficit, aut creat in anima sua vllis suis operibus, quam laborator inscius artis figulinæ molliens & præparans lutum, inducit formam artis, qui tamen quoniam aptat materiam vasis formandis, ideo suo modo cooperari dicitur in opere artis. Ita & homo quia verbo Dei fide, pœnitentia, dilectione præparat sese, atque idoneum facit ad recipiendum in animam suam formam iustificationis seu iustitiæ quæ est ex Deo, nempe gratiam: ideo dicitur cooperari in remissionem suorum peccatorum & Deum aliquo modo adiuuare, sed in genere causæ materialis. Tamen hoc intelligere debes, de homine præuento, & adiuto beneficijs Dei: quia neque in præparatorijs istis actionibus quidquam valet humana infirmitas sine adiutorio miserentis Dei, dicente Paulo: non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed ex

Simile.

2. Cor. 3. B

Deo

Deo eſt omnis ſufficientia noſtra. Neque Paulus plantans in vobis verbum Dei, neque Apolo rigans lacrymis, dat gratiæ incrementum, ſed ſolus Deus. 1. Cor. 3. B.

Ex his neceſſario dictis (meo videri) vt homo intelligat ſe debere adiuuare Dei vocationem & auxilium ad hoc vt iuſtificetur, bono liberi arbitrij vſu, & his quæ poſſumus, vt dicat vere cum iſta muliere, domine adiuua me volentem adiuuare te: ad iuua me magnis, & ego minima quæ à me petis adijciam, adiuua me forma figule diuine, vt tuo adiutorio fretus lutum molle faciam & præparem: conſtat inquam grauiſsimam eſſe vnius delicti mortalis malitiam, ad quam tollendam ab anima & gratia illuſtranda cooperatur tota ſanctiſsima Trinitas: ſine quo talis iuſtificatio impoſsibiliter contingit. Cooperatur etiam humanitas filij Dei tanquam iudex & aduocata pro tali anima: operatur & paſsio eius & meritum: cooperatur & ſacramentum, & ſacerdos Dei vt miniſter, & verbum Dei monens ipſum peccatorem ad dolorem. Et cum his omnibus neceſſe eſt vt homo adiuuet ſuo modo iam dicto materiam diſponendo, vt tandem non reſiſtendo obtineat à Deo, ſine proprijs meritis gratiam optatam: quam non eſt veritus vnico periurio aut voluptate cõſenſa in anima, aut maledictione amittere. Non attendens inſanus homo quam precioſam perdat margaritam, tanta operantium multiplicatione, & tam cœleſtium & grauium recuperandam operatione.

Deſine iã peccator, ranę ſimilitudinẽ, & operare ex parte tua ſi vis à cœno delicti à Deo extrahi gratia ſua. Clamat rana à palude immunda, acſi vellet à tam polluto loco exire, & auxilium à tranſeunte petierit. Accede ad illam, quaſi extrahere volens: dic illi vt manum porrigat & liberabis illam à cæno: ſtatim tacet & luti ima petit, nil minus quam inde exire curans. O rana loquax, o fidelis te ipſum decipiens: in ſtercore tuo vt iumentum putridum iaces & in cæno voluptatis tot diebus, in Dei iniuriam & tuæ ipſius animæ non minimam perniciem. Tranſit Deus ergate quotidie inſpiratione, terrore, blanditia, concione: & clamas in eccleſia & in concione dicens, miſerere mei Deus, porrige mihi veniæ eleemoſynam, parce mihi. Veni à luto, porrige manum tuam adiuua me Deum tuum, auxilio meo conſenſum præbendo, delicta tua cõfitendo, ab omni occa- Simile.

ſione

sione egrediendo, integre omnia testituendo, ad recidiuum non redeūdo, & ego à tam putrido & horrendo cœno animam tuā liberabo. Alias quid tibi prodest loquacem esse, etiam in confes. sione, si ista quæ dixi facere renuis, & me adiuuare non vis, sed sta tim laudes meas taces, & post cōfessionem ad ima, & magis lutuosa opera descēdis? Dic mihi, adiuua me & adiuuabo, dum mo do ipse aliquid facias ex parte tua, & vitia & eorum causas radici tus euellas: meo auxilio.

Qui clamat adiuua me, se etiam cooperari innuit, & talem Do minus exaudit. Ego fideiussor existā, si ex te volueris facere quod decet, Deum adiutorem tibi fore, si tamen non vis illi manū ope rationis tuæ porrigere, quid mirū vt in peccati luto permaneas. *Exemplum* Similis cuidam pigro quadrigario, cuius cum quadriga euersa fuisset, & ipse sedens in luto à transeuntibus adiutorium petijsset: nobilis quidam manum extendit vt eum adiuuaret: sed cum nollet miser de luto surgere, nec ad subleuandum quadrigā manummittere sed differebat, recessit nobilis indignatus, dicens, ex quo miser non iuuas te, nec ego curo de te, & mansit in luto.

Cecidit anima tua, non quadriga, in peccati lutum, sedens per dies & menses in immunditia magna contra Deum: vt quid à trā seuntibus voluptatibus aut honoribus adiutorium petis, cum nobilis Deus quotidie manum extendit suam, & auxilium præ bet tibi, & tamē miser & miserabilis, nec à luto culpæ surgere vis, nec ad animā subleuādā à tam infelicissimo statu, manū porrige re & consensum dare ipsi Deo curas. Time ne nobilis Christus in dignatus recedat, & dicat, ex quo miser non iuuas te, nec ego cu ro de te, mane in tua obstinatione. Hoc ipsum videtur dicere in *Prou. 1. C.* prouerbijs: quia vocaui & renuistis audire obediendo, extendi manum meam & auxilium ad vos è luto extrahendum, & non fuit ex vobis qui aspiceret manum ideſt opus porrigendo, sed despexistis omne consilium meum in concione datum, & increpationes meas neglexistis: ne mireminisi ego in interitu vestro & morte & damnatione rideam & subsannem, ideſt, risu & sub sannatione dignos vos esse ostēdam: quia noluistis cum hac mu liere Chananæa, minimum opus vestrum magno auxilio meo iū gere. Samaritanæ adulteræ dixisti Domine, voca virum tuum, li berum nempe arbitrium (vt. D. Bernar. ait) consentientem mihi, & me adiuuantem, & aquam gratiæ tibi dabo: ego do virum ta-

lem,

lem, consentio voluntati tuæ in detestatione peccati, faciam ex parte mea quod ipse iubebis tuo auxilio adiuta, ideo adiuua me: & præbe mihi aquam gratiæ salutarem, & à filia Dæmonem tolle. Adiuua te homo (ait vulgo & bene) & Deus adiuuabit te: ecce modo signum euidens de hoc, nam ista mulier clamãdo, & plorando & dicendo miserere mei Domine fili Dauid, non fuit digna Christi responsione: & cum primum dixit adiuua me volentem aliquid ex parte mea facere, audiuit à Domino responsum, & nos audiamus illum dicentem: venite benedicti ad gloriam: Amen.

# Homilia Nona.

¶Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. *Tit.*

MVltis argumentis Christus concutit fidẽ istius mulieris, in præsagium multiplicis concussionis, & persecutionis Ecclesiæ subsecutæ in diuersis temporibus, Nescio tamen quando magis verificatum fuit hoc, quam in nostris deplorandis diebus, neq; memini me legisse tot fluctus contra Diui Petri nauiculam hæresum & errorum vnquam surrexisse, quam ab anno quingentesimo vsque ad hunc septuagesimum (vt dictum est supra cum de nauicula tractauimus) Deus virtutum adiuua Ecclesiam tuã. Et etiam signat improbationem quam debet habere verus fidelis in petitione digna atque perseuerantiam: ne cito à petitione desistat si continuo postulata non recipit. Non est bonum (ait summa veritas) panem filijs debitum, canibus dare. Canes ethnici sunt (ait D. Hieron.) propter idololatriam: qui esui sanguinis dediti, & cadaueribus mortuorum, feruntur in rabiem. Panem appello fructum Euangelicum, qui fide & charitate constat: & filios ipsos Iudæos qui de patre Deo gloriantur: canes tamẽ voco alienigenas, à cultu Dei alienos. Panis est salus, per doctrinã Euangelij & gratiam Dei parata: pinguis est panis Christi & præbebit delicias regibus. Vnde, ait Dominus, non est bonum *Gen. 49. C.*

à Iudæis ſubtrahere dona ſalutaria, quandiu ipſi, eſſe filiorum nomine indignos ſuis facinoribus, non fecerint: facient autem citò, quando me filium patris naturalem occident: & tunc panis dabitur canibus, nempe Gentilibus, qui fide Chriſti recepta, & opere, nullum mordentes, in filios fuerint conuerſi: vnde nunquam talis panis dabitur canibus, ſed iam filijs à Deo conſtitutis.

*Matt. 7. A. 4. A.* Nolite ſanctũ panem verbi Dei dare canibus (ait Dominus Ieſus) quia eſt panis filiorum: & nõ in ſolo pane corporali viuit homo, cum habeat etiam animã, ſed in verbo quod procedit ex ore Dei, audiendo illud & operatione animæ incorporãdo. Val dè veneratione dignũ eſt panis verbi Dei, cum dicat filius altiſſimi, ex ore Dei procedere: & magna eſt prædicatoris dignitas, cum ſit os Dei à quo procedit verbũ illius: iuxta illud Ieremiæ: *Iere. 15. D.* ſi ſeparaueris pretioſum à vili concionator, homines à vitijs abſterrendo, & ad virtutes inducendo, quaſi os meum eris. Tamen noli hominib⁹, cani ſimilibus, talẽ panem verbi Dei porrigere, quia eſt filiorũ. Domine, tu dixiſti: prædicate Euangeliũ omni creaturæ, id eſt, omni homini; inter omnes homines ſunt multi canes, & commiſti ipſis ouibus: quomodo verbi tui panem bonis dabimus, & non canibus inter bonos exiſtentibus? Deinde *Matt. 9. B.* ipſe dixiſti, medico non eſſe opus valentibus, ſed male habentibus: inter omnia medicamina à cœlo miſſa. verbũ Dei eſt (poſt ſacramenta) efficacius: igitur cum mali homines canes effecti, magis tali medicina indigeant, quam alij ouibus ſimiles: cur prohibes Domine, panem ſanctũ verbi tui huiuſmodi canibus dare, quo forſan ad contritionem moti in oues conuerſi erunt? Peccatoribus, verbum Dei audientibus, & contra illud non inſurgentibus, neq; contra illud proponentes: neq; tanquam canibus aduerſus illos latrantibus, ſed tacenter etiã ſi non deſiſtentibus à vitijs, non prohibeo dare panem verbi mei: quia ſi hodie non, forſan cras in oues ex canibus meo auxilio erunt conuerſi.

Tamen nolite ſanctum verbum meum panem Angelorum, *Caie. in Matth. 7. A. Simile.* & omne quod meum eſt canibus dare: hoc eſt (ait Caieta.) impugnatoribus veritatis. Canis enim, inter omnia animalia, habet vocem latratus ſui, ad ſolam obiectionẽ & aliorũ contradictionẽ, & terrorẽ: ne ergo detis tali voci, tale verbũ. Vnde hi, quorũ ſtudiũ ac officiũ eſt, clamare cõtra veritatẽ concionãtes, aut Dei

verbum

verbum proponentes: ad repellendũ tale verbum, ad impugnãdum, ad contradicendum, & non operandum, nec illi obediendum, canes sunt rabidi: quibus nullo modo sanctum Dei verbũ est dandum. Quod aperte hoc in Euangelio ostenditur, cum addit Dominus: tales canes conuersi dirumpent vos, & infamia aspergent: vnde maior offensa ab illis contra me, conculcando vos, erit patrata, quam seruitium vestrum verbũ illis proponendo: & verbum meum insuper dilaceratum erit. Itaque dando canibus rem incompetentem vsui canum, non obstante quod sit tantę excellentiæ, scilicet quod sit sancta: præbetur materia canibus conuertendi seipsos ad dirumpendũ vos. Experientia enim videmus canes vacantes sibi ipsis, seu occupati in alijs, si inuitãtur dãdo eis aliquid inutile ipsis, etiã virgam aureã: irritantur quandoque aduersus illos, qui virgam eis eiecerunt: quãuis hoc non semper eueniat, & ideo dicit ne forte. Sic & mali homines ob suã obstinationẽ, in canes rabidos versi, ad iactũ rei sãctę aut verbi Dei, cũ suis sceleribus dediti sint, & suis delictis implicati & attenti, materiam irritationis accipiunt: nulla habita ratione doni sancti aut verbi Dei tãquam sibi inutilis ob malitiã. Et sic conuersi ad iracundiam, & odium, dirumpunt suis verbis malignis, & aliquando operibus, sanctos Dei ministros & cõcionatores, morsu illos frangendo: quia nolunt veritates adeo apertas contra suas prauas & à se dilectas consuetudines audire. Huiusmodi canibus nolite sanctum consilium aut Dei verbum dare: ne maior iniuria mihi irrogetur, ex contemptu ab ipsis habito circa sanctũ, quam obsequium à vobis in cõfitendo me coram talibus hominibus. *Simile.*

Itaq; intentũ meum hoc est, per hanc metaphorã vobis notũ facere: sancta mysteria mea, vt secreta Trinitatis, incarnationis, aut venerandæ eucharistiæ & similia, non declaretis impugnatoribus veritatis. Et quia præuideo impossibile esse scriptoribus & prędicatoribus Euãgelij, occultare ista arcana & recondita mysteria canibus & malignis hominibus, & reuelare ouibus & bonis: cũ sint in vnica Ecclesiæ sagena, vt pisces & rubetę, vt flores & spinę, & farina & furfures, vt palea deniq; & granum simul, ideo dico non detis canibus: hoc est ex intentione non detis huiusmodi hominibus canibus effectis. Secus autem est quando ex necessitate, panduntur sancta canibus: quan-

do ſcilicet in communi docere aut prædicare oportet, & adſunt ibi aliqui impugnatores veritatis: vel quando neceſsitas impugnantium vrget, vt aperiamus eis occultiora ſancta. Tunc enim non agitur contra hoc præceptum: quia prohibetur in illo voluntaria, non neceſſaria datio ſancti canibus: & hic non canibus, ſed Eccleſiæ datur ſanctum, canibus aſtantibus: hæreticis & proteruis nempe.

Non eſt bonum ſumere panem filiorum & verbum Dei, & canibus rabidis vſurarijs & obſtinatis adulteris dare: ſi illos ſem per oppugnatores verbi Dei experimur. Sicut canis non fit ſanctior re ſancta, ſed illam profanat: & ſus non fit ornatior gemmis, ſed illarum puritatem conſpurcat: ſic & homines deploratæ malitiæ, & obſtinationi dediti, nõ ſolum doctrinam ſanam, & verbum Dei loquens ad cor irrident & ſubſannãt, & calumniantur, ſed deteriores inde fiunt: hoc Domino permittente, tãquam verbum ſuum irriſioni & opprobrio expoſitum videnti. Et ſic in talem incidunt rabiem vt perſequantur, & diſrumpere velint Dei miniſtros, tale ſanctum verbum proponentes. Tales canes fuerunt phariſæi contra Dominum Ieſum & Apoſtolos ſanctos: tales tyranni contra martyres Dei & confeſſores: tales & hodie obſtinati peccatores, contra Dei verbum concionatores. Nolite ſanctum dare canibus: ſanctum, panis eſt filiorũ (ait Diuus Hieron.) non debemus ergo tollere panem filiorum & dare eum canibus: quia canes ſunt, qui poſt fidem Chriſti reuertuntur ad vomitum peccatorum ſuorum: cauete ne conuerſi cõtra vos incipiant honorem veſtrum diſsipare, & verbum Dei aut corpus Chriſti conculcare.

*D. Chry. in imper. ho. 17 in Matt. 7. Simile.*

*In Matt. 7. A.*

Si ipſe veſtiarium tuum ſtudioſum, & clauicularium cellarij tui fidelem tibi requiris (vt ait Chry. vbi ſupra) quanto magis Deus talem requirit diſpenſatorem verbi ſui aut corporis ſacri, aut gratiarum ſuarum: qui bene tractando gratias eius faciat gratiores, non male diſpenſando reddat ingratas. Quia ſi canibus ſanctum præbes & malis hominibus ſuſcipientibus illud vt canibus ſine diſcretione, ſordidantibus illud: contra te inſurgent, & erunt nouiſsima illorum peiora prioribus: quia ſunt homines in impietate viuentes immedicabili (vt ait Chry. alibi) ſpemque omnino conuerſionis in melius non habentes, neque de tali conuerſione cogitantes, neq; occaſiones reſcindentes. Deinde pa-

*Homil. 24. in Mat. 7. A*

de panis filiorũ eſt corpus ſanctiſsimum filij Dei, fidelibus in ſacramento euchariſtiæ ex Chriſti inſtitutione communicatum: de hoc etiam dicit Chriſtus, non eſt bonum ſumere talem filiorum panem, imo & Angelorum, & hominum gratia Dei prædi torum: & mittere canibus & peccatoribus, & vſurarijs & detractoribus. Quis tam audax eſſet ſacerdos, qui hoſtiam conſecratam cani rabido proijcere non eſſet veritus? Quid de tali dixiſſes? Imo quid contra illum Domini inquiſitores cauſarent & merito, & quam acriter contra illum procederent? *Simile.*

Inquiſitor æternus, patris altiſsimi filius, contra te procedet, Angelis & Dæmonibus aduerſum te acclamãtibus, & teſtificãtibus, ſacerdos, abſq; cõſilio & ſine prudentia, & circa tantũ ſacramentũ reuerentia: qui nõ ſemel aut bis corpus Domini ſacratiſſimũ, Angelorum panem, cœleſte manna filiorum Dei, tua temeritate ſimul & imprudentia, auſus fuiſti canibus proijcere: nempe peccatoribus alienum honorem dilacerantibus, & vero Domino ante abſolutionem nõ reddẽtibus: neq; aliena reſtituẽtibus. Et canibus ad vomitum voluptatum ſuarum quoto anno reuerſis: neque peccandi cauſas & occaſiones reſcindentibus. Et blaſphemis audacibus Deum ipſum dentibus ſuis mordentibus morſu amariſsimo: ac ſi Chriſtus Dominus non dixiſſet, non eſt bonũ, graue malũ eſt, & delictũ, panẽ corporis mei filijs in gratia exiſtentibus reſeruatũ: mittere canibus immundis, & peccatoribus impudentiſsimis. Ac ſi tibi ſacerdos non dixiſſet ipſe panis cœleſtis: noli ſanctũ corpus meum dare canibus. Reſtituant prius honorẽ & facultates: cõſuetudinem iurandi omnino relinquant, ab omni voluptatis perpetrãdæ occaſione ceſſent, inimicos diligãt, & ſalutent: & tunc da illis panẽ hunc diuinum: alias vt quid corpus meum canibus ad dilacerandum tradis?

Scriptum eſt, in maleuolam animam nõ introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: quia Spiritus ſanctus effugit fictũ diſciplinę, & eum qui ficte audit correctiones Dei. Vnde, quando homo animam maleuolam habet & corpus peccato ſubditum, & cum hoc audet ſacramentum recipere: ſacramentũ recipit vere (ait Diuus Bonau. de præparatione ad miſſam) non tamen res ſacramenti: ideſt Chriſti gratiam & vnitatẽ charitatis eius. Comedit guſtu ſed non reficit mentem: deglutitur ſine ſui leſione, & nõ viuificat animã ſua iuſtificatione: vadit *Sap. 1. A.* *Tom. 2. ca. 4 fol. 195.*

ad ventrem, non tamen purificat mentẽ: neq; incorporat eã sibi neq; vnit, sed potius nauſea compellente, talem Chriſtus euomit velut cadauer putridum beſtijs deuorandum & auibus nigerrimis Orci: cum ſcilicet infœlicem animam eius tradit Sathanæ cruciãdam: ſicut de Iuda ſcriptum eſt, poſt buccellam in
Ioan. 13. C. troiuit in eum Sathanas. Quapropter, ſi talibus laqueatus es malis, caue ne pro aliqua cauſa aut neceſsitate, abſq; debita contritione: ac propoſito firmiſsimo pœnitendi, ac confeſsione præmiſſa, accedere ad altare præſumas. Quia horrendum eſt teſte Paulo incidere in manus Dei viuentis. Sed heu (ait Diuus Bo-
Ad Hebr. 10. F. nauen.) Quot ſunt hodie ſacerdotes miſeri, & ſuæ ſalutis improuidi, qui corpus Chriſti in altari, velut canes pecudum carnes ſic ipſi manducant: & inuoluti & contaminati abominationibus, de quibus fas non eſt dicere: ſceleratis manibus & pollutis labijs, & conſcientijs, cruẽtatis, conſecrare, & contingere oſculari & recipere, filium Dei & virginis Mariæ vnigenitum non verentur. Igitur quid mirum, ſi ſacerdos canis eſt, vt canibus corpus Chriſti dare nõ vereatur? De huiuſmodi canibus infra feria quarta Domin. in paſsione.

Reconciliamini Deo omnes qui ad panem filiorum accedere vultis: pœnitentiam agis, tuo videri, genibus flexis accedis ad ſacram buccellam, & rides & ſubſannas Dei patientiam: iterum & ſtatim ad ſordes, ſanguine Dei ablutas, non vereris reuertere? Si pœnitens es, pœniteat te: & ad priſtina mala non reuerraris. Et caue ſacerdos, quotidie pœnitens quotidie etiam peccans, & ad peccatorum occaſiones recurrens: ne irriſor & non pœnitens ſis à Deo inuentus: & conqueratur de te, tanquã cane in altari illum circundante, & illi verbis allatrante etiam pſalmorum: quia rabido ore recitas horas. Abſit vt aliquis huiuſmodi inter Dei miniſtros reperiatur: ſed omnes ad panem Angelorum digne accedãt, & prudenter & deuote, filijs in gratia exiſtentibus illum conferant: canibus recidiuantibus, & non pœnitentibus negantes: quo vſq; filij efficiantur Dei & amici: ad gloriam, Amen.

Homi-

# Homilia Decima.

¶ Non eſt bonum ſumere panem filiorũ & mittere canibus. Nempe verbum Dei, aut corpus eius, aut panem gratiæ. *Text.*

DOmine, aliqui ſunt canis ſimilitudines gerentes in bono, nam & aliquæ proprietates canibus inſunt laudandæ: & huiuſmodi hominibus, vt quid non dabimus filiorum panem? Si fidelis eſt mihi homo vt canis, qui hoſtibus pro domino ſuo ſe opponit (vt ait Plinius) & corpus eius mortuum non dimittit: volucres & feras à corpore abijcere comprobatur: homicidam domini ſui latratu & morſu prodit & inuadit, vt ſæpe contigit: tunc iam non canis, ſed filius eſt. Si mihi in omnibus es fidelis, ô homo, & pugnas pro me contra vitia propria, & tentationes inuadentes: & deinde contra omnes inimicos meos dimicas, contra blaſphemos, hæreticos, & adulteros: arguendo & obſecrando, ne mihi iniuriam irrogent: iam fidelis canis mihi es. Si corpus meum non dimittis, & reijcis à te peccato, ſed fructum illius in anima ſeruas, & conſideras illud quondam in cruce pendens, & in corde ſepelis illud per iugem memoriam: & à volucribus & feris tentationum & vitiorum defendis illud: & homicidam domini tui, diabolum nempè & peccatum in anima tua (tollendo gratiam, illum quo ad ſe & te interficientia) oſtendis & prodis per veram confeſsionem, & contra illa inuadis audacter: bonus canis es, & dignus vt pane corporis mei & gratiæ veſcaris: quia fidelis mihi es, & me ſequeris verè vt Tobiam canis eius. *Lib. 8. c. 40.* *Tob. 6. A.*

Si humilis fueris homo, vt canis, qui à domino percuſſus, non iraſcitur contra illum: ſi fugatur, non indignatur: nec ceſſabit applaudere quouſque pax ipſius reformetur. Habe hãc canis proprietatem, & panis filiorum dabitur tibi: eſto humilis & patiens, nec indignatus ſis contra Dominum tuum: quantuncunque contra te aduerſa immittat: & ſi culpa tua ab ipſo fugatus *simile.*

es: non quieſcas donec ad pacem & reconciliationem eius ſis per veram pœnitentiam reuerſus: gratus Dei beneficijs vt canis exiſtens. Non tamen eſt bonum mittere filiorum panem gratiæ aut corporis Chriſti homini ſimili cani: in hoc, quod ſit vorax ieiunia frangendo vt canis. Ne detis ſanctum corpus meum Dei miniſtri, homini mordaci detractione: famelico auare acquirendo: inuido de bonis aliorum dolenti: quæ omnia canis habet: nec immundo voluptatem exercendo. Canis inuidet illi, qui ſubintrat domum in qua ipſe eſt, ipſumque mordet lacerat atque fugat: ſed quod homo tali inuidia tabeſcat, hoc valde dolendum eſt. Vtinam ne aliqui Dei miniſtri, in eadem Eccleſia manentes, inuicem inuideant ſe, inuicem mordeant atque conſumant vt canes, nam hoc inter religioſos reperiri, ſacrilegum eſſet.

*Simile.* O maledicte detractor, tu ipſe es qui vere cani aſsimilaris: canis ad omnes latrat etiam ad notos de nocte, & ad benefactores, & amicos: ſic & ipſe detractor quia in nocte culpæ es, nemini à tua detractione parcis: non amicis, non conſanguineis, non benefactoribus & notis: vtinam murmur tuum contra Deum non inſurgat ex obiecto: ſufficiat tibi creaturas illius dilacerare. Canis inutiliter latrat ad lunam, ad vmbram, & molendinum: cum nullum iſtorum illi iniuriam fecit: ſic & ipſe infernalis detractor, non parcis lunæ ideſt viatoribus: nec vmbræ ideſt pauſantibus velut in vmbra in purgatorio, quia defunctis non parcis: ſed viuos ſepelis tuæ linguæ veneno, & ſepultos effodis: imo & multis viſione beatifica fruentibus tua detractione non parcis. O canis rabide à cuius capite (ſecundum Auicēnam) protenditur quædam vena ad linguam quæ ſaliuam intoxicat: vnde morſus illius venenoſus eſt. O detractor, à cuius ſuperbia deſcendit in linguam tuam venenum aſpidum, & ſub labijs tuis eſt: & ſic fit plena veneno mortifero, honores deni-
*Pſa.13.139* *Roma.3.b.* grando & multos tali veneno toxicando: ô canis rabide, ſepul-
*Iac.3.B.* chrum patens eſt guttur tuum.

Non eſt bonum ſumere panem filiorum & dare canibus. Domine, concionatores tui canes dicuntur ob proprietates canum illis conuenientes: eſt bonum ſumere aliquam partem panis & victus filiorum & mittere illis? Quia ſine hoc, quod tale ipſe affirmes, multi opere adimplent? Multi rectores popu-

lorum,

lorum, & iudices nil cogitant peius impensum, quam quod tuis concionatoribus fuerit datum: medicis stipendia præbent vt corpora medeantur: imo veterinarijs vt bestias curent: solus concionator stipendium ab illis non recipit: ac si non dictum fuisset à te veritas æterna loquente de illis: dignus est operarius mercede sua. Tamen cum multi illorum, *Luc.10. B.* ob scelera sua, stipendia darent, vt concionatores veritatem cõtra illos non declamassent: quid mirum vt mercedem illis negent? Sed quia iuxta canum proprietates, etiam sunt aliqui concionatores pane stipendij corporalis & spiritualis digni: alij vero indigni pane quo vescuntur: audi illas. Sunt enim aliqui canes camerarij dominam suam caudis adulantes, nil aliud facientes, neque domum custodientes: tales sunt aliqui concionatores, & confessionum auditores: adulatores falsi, verbum Dei adulterantes, & veritatem illius abnegantes: tan- *2.Cor.4. A* tum vt micas colligant de mensa dominorum, fauoremque captent: pro nihilo ducentes animas in culpis videre iacentes. Vnde verbum veritatis velatum proponunt (vt Iudæi veritatem æternam velabant) nec vitia arguere, nec peccata publica cõmittentes increpare, saltim in communi, audent: nec timent absoluere indignos, semper placebo Domino in ore eorum, nõ tamen Deo tales placent: nec sunt pane filiorum digni sed punitione, vt alibi diximus. *Mar.14. G.*

Alij sunt canes leporarij, prædam comedentes multoties, qui debebant Domino suo reseruare. Vtinã ne inter Dei ministros (prælatos & religiosos & concionatores) tales inueniantur: qui cum missi à Deo sint vt oues seruent à lupis, & àmorsibus Dæmonum & peccatorum vulpeculis pro viribus & posse (etiam vitæ corporalis dispendio) custodiant: & latratibus suis absterreant: faxit Deus ne ipsi prius oues dilacerent verbo & exẽplo ad malum inuitando. Si malo nostro, tales aliquando videritis oues sanguine Dei redemptæ, audite Paulum, & consiliũ eius adimplete: videte canes, ideſt obseruate vos à canibus, ideſt, à pastoribus in canes ad vos dilacerandum versos. Videte malos operarios: ideſt cauete, à male operãtibus, etiam si prelati sint: heu tamen quam male ouis, pastorem suum pestilentem fugere posit. Canes tamen qui huiusmodi sunt, & pastores oues dilacerantes, adeo indigni sunt pane gratiæ, vt nesciam, quod *Ad Phi. 3. A.*

genus hominum in republica fideli peſtilentius ſit. Sunt tamen alij canes qui dicuntur canes pecuarij, greges optime ſeruantes, lupos & vulpeculas ſuis latratibus & morſibus abſterrentes, & in fugam conuertentes: oues ſemper cuſtodientes & illis nullum nocumentum inferentes. Tales ſunt multi prælati, & innumeri concionatores ſacerdotes & religioſi: præcipue in noſtra florentiſsima Hiſpania, officium ſuum recte peragentes, animas omni cura & labore ſeruantes: ſuis continuis & indefeſſis latratibus lupos, ideſt Dæmones, vulpeculas, ideſt animas, delicto infectas, abſterrendo, & veritate arguendo illas & increpando: nemini niſi lupis nocentes, & ouibus in omnibus proficientes: fœlices qui huiuſmodi ſunt.

Verus concionator & ad cor loquens neceſſaria, & vtilitatem animabus præbens tria cum cane debet habere. Primum medicinã in lingua: lingua enim canis eſt medicinalis: extrahit enim morbũ à vulnere. Vnde veniebant canes & lingebant vulnera
Luc. 16. E. Lazari pauperis, ſic & lingua concionatoris medicinam infirmis cauſare debet, inuitãdo ad ſacramẽta, & omni vulneri remedia præbendo: cauſas morborum detegẽdo, recidiuũ impediendo.
Pſalm. 67. O Dñe (ait Dauid,) lingua canum tuorũ, ex inimicis ab ipſo: obſcurum eſt verbum hoc certe: prius dixit, vt intingatur pes tuus inſanguine. Qui prius erant inimici tui Dñe vt Paulus & Matthęus & alij, facti ſunt pes tuus prędicando te vſq; ad ſanguinẽ
Iſai. 52. B. & mortẽ: quã pulchri pedes ait Iſaias, aut ſpecioſi (teſte Paulo)
Ad Roma. 10. C. Euãgelizãtiũ pacẽ lingua canũ tuorũ, ideſt prędicatorũ, fit ſcilicet, ex inimicis peccatorũ, ſcilicet, & culpæ aduerſantibus, & tã tũbonũ ab ipſo Deo fit. Aut ex illis qui erãt aliquando inimici Dei, facti ſunt canes pro Dño latrantes contra hoſtes. Et vt ait Caſsiodorus: iſti enim canes pro Domino latrare non deſinunt, domũq; eius cautiſsima ſagacitate cuſtodiunt. Et (vt ait D. Gregorius in moralibus) qui dum Domino ſuo diurnis nocturniſq; vigilijs intenti clamauerunt, magnos (vt ita dicam) latratus prædicationis dederũt: quorum lingua ex inimicis prodijt, quia cõ-
Prou. 12. C. uerſos gentiles Dominus etiam prædicatores fecit, vnde Salomon ait: lingua ſapientium, ſanitas eſt.

Debet etiam habere morſionem in dentibus, contra obſtina-
Iere. 15. A. tos prædicator verus: vnde ait Dominus per Ieremiam, viſitabo ſuper obſtinatos peccatores per canes, ideſt, prędicatores ad lace-

ran-

randum illos increpatione dura, & terribili latratu. Denique debet habere concionator infaucibus latratum & clamorem ad pigros & ſedentes in culpis excitandos: & dormientes eleuandos dicens: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris: panemque voluptatis & mendacij ſic à Salo. appellatum contra Dei præceptum: quis maior dolor eſſe poteſt? Canis applaudet domeſticis, & latrat contra latrones: ſic & concionator, bonos obſecret & gaudia illis promittat cœleſtia: malos & latrones terreat vt reſipiſcant. Heu tamen quomodo timeo multos ex his canibus iam tacere veritatem, etiam ſi videant lupos rapientes oues. Contingit alicui diuiti canem habere fortem & ferocem ad domum cuſtodiendam: de nocte venit fur, & canis incipit latrare: tamen à fure aſtuto modico fruſto panis aut carnis cani oblato, placatur & tacet, & fur domum ſpoliat dum canis os rodit. Diues iſte Deus eſt in omnes qui inuocant illum: canis quem habet ad cuſtodiendam domum ſuam ideſt Eccleſiam, præcipuus eſt concionator, & confeſſor. Quod ſeruare à fure Dæmone aut peccato debent, non eſt aurum aut argentum, ſed anima ſanguine Dei redempta. Quæ infelicitas venit erga aliquos iſtorum canum, qui videntes Dæmonem accedentem ad furandum merita animarum & deuorandum illas, incipiãt tepide latrare, & impertinentia prædicare: ſolum quia Dæmonis conſilio in ora ipſorum os durum alicuius temporalis cõmodi eiectum eſt: aut ne eleemoſyna ſua fraudentur? Vnde intrat Dæmon & rapit & mactat & occidit: vt ipſi concionatores coram iudice ſoluant.

*Pſalm.* 126.

*Prou.* 20. *C.*

*Simile.*

Certe audiui ipſe à concionatore religioſo (dolente quia ita aperte veritates vt à me audiuit concionare non poterat) & à me interrogatus, vt quid & vos non ſic palam vitia arguitis? dixit quia cum viuere debeamus iſtorum ruſticorum eleemoſynis: ſi illorum vitia dure arguimus, vacui recedimus ab ipſis: & ſi eleemoſynas conſuetas ad cœnobium non adducimus, grauiter de ſegnitie à prælatis arguimur. Videte canes & Dei concionatores, quid facitis: & potius mori (quantomagis eleemoſynas amittere) eligite, quam veritatem nudam populo non proponere. Ideo breues fiunt eleemoſynę, quia Deo veritatem verbi ſui furripitis. Obſecro vos ò religionum prælati, per viſcera Chriſti, & ex parte Dei moneo: vt ad petenda ſtipendia,

verbi

verbi Dei declamatores ne ad populos mittatis, ſed ad dandam verbi Dei nudi eleemoſynam: & ſi aliquando miſeritis concionatorem dicite illi: prædica verbum Dei vt decet, etiam ſi vacuus redeas. Alias quid mirum vt vocem mutent velut pau
*Simile.* peres? Accede ad mendicum ſtipem in Eccleſiæ ianua petentem: & interroga: vt quid ſic loqueris mutata voce propria? Dicet, quia alias eleemoſynam non acciperem. Vt quid Dei concionator, in templo Dei verbum illius declamando, vocem mutas, & libere vitia non arguis, & nude non increpas malos? Timeo ne dicat, vt eleemoſynam capiam ab illis, dignitatem aut epiſcopatum vocem veritatis, in adulationem muto. Eſtote concionatores canes ſancti, lingua medicamina apponentes, fauce peccatores terrentes, & pigros excitantes. Dentibus obſtinatos dilacerantes, vt in ſanam mentem conuertantur: & dabitur vobis à Deo magna pars panis filiorum gratiæ & beatitudinis: alias væ canibus mutis non valentibus latrare, vt ait
*Iſai. 56. C.* Eſaias & nos alibi.

*Domin. 5. poſt Epi.* Non eſt bonum ſumere panem filiorum, corpus nempe meum & mittere canibus: ideſt, peccatoribus quotidie ad pec-
*Prou. 26. B.* catorum vomitum reuertentibus. Ait Salomon à Diuo Pe-
*2. Pe. 2. D.* tro citatus: ſi cut canis qui reuertitur ad vomitum, ſic imprudẽs
*Simile.* & peccator immundus, qui iterat ſtultitiam ſuam atque malitiam. Quam horrendum eſt videre canem iterum deuorantem immundiſsimum cibum à ſe euomitum, vt talem & nociuum, hoc de alio animali non legi. O immundiſsime omnium animaliũ peccator, comediſti peccatũ, imo & peccata, animę tuę infeli ci incorporando illa: velis nolis prauũ expertus es guſtũ, & male te habuit ſtomachus animæ tuæ cum tam nociuo edulio, tanquam illi inepto, magis dicã veneno. Amaricare fecit ventrẽ cõſcientiæ tuæ talis cibus: quia poteras plorando dicere, melius
*4. Reg. 4. G* quã filij pphetarũ Eliſeo: mors in olla, mors in cibo iſto: & qualis mors ſi ſcires. Infernũ timuiſti, auxilio Dei ad confeſſoris pedes tam execrandũ cibum confitendo euomuiſti: ſanus & ſine ſtomachi onere, & conſcientiæ remorſu, in Dei amicitia mãſit ſpiritus tuus. Canis immunde & rabide, quæ te dementia cepit, quis te faſcinauit non obedire veritati ſcripturę dicenti, ſtultum eſſe & cani ſimilẽ ad vomitum peccati reuertentẽ? Qua frõte auſus es peccata horrenda, cibos immundiſsimos, fortiter

ani-

animam tuam grauantes, & vt immundiſsimos euomitos iterum in animæ ſtomachum recipere contra Deum? Si ante vomitum illa ferre non valebas: quid modo ſentit anima tua, cum cibis ita pollutis & execrandis euomitis & iterum editis, & multoties deuoratis?

Horrendum eſt auribus quanto magis animæ de hoc agere, ſed neceſſarium maxime, vt terrorem huiuſmodi canibus immittamus: vt iam tandem ad vomitum ciborum talium reuertere vereantur. Quid tamen dicam, cum canis ſi euomitum cibum recomedit immundum, eſt ſemel euomitus, & cum hoc animal iudicatur ſordidũ. Fidelis, quid de te angeli ſentient, qui non ſemel aut bis ad peccata euomita reuerſus es, ſed à tẽpore quo peccare potuiſti vſque ad hanc horam: omnibus annis, quæ confitẽdo euomuiſti, peccando iterũ comediſti? Bene de te affirmat Petrus ſi tale officium cito non relinquis: melius tibi fuiſſe viam veritatis nõ agnoſcere, quam agnitam ſceleribus tuis quotidie polluere, & in tali mori ſtatu. Nolite cõfeſſores huiuſmodi canibus recidiuantibus ſanguinem meum in abſolutione neque panem corporis mei dare, & mittere quaſi proijentes in ſtercora: quouſque per menſes intelligatis, illos nõ fuiſſe ad vomitũ reuerſos, & ab omni peccandi occaſione cauere.

*Simile.*

*2. Pe. 2. D.*

Oſtulte iterans ſtultitiam tuam: quæ maior ſtultitia poteſt inueniri, quam recidiuo ſuo homo impudentiſsimus, nõ verea tur Deum maximum offendere: ſine quo nullus homo aut alia res ſubſiſtere poteſt & eſſe: & præter quem nil boni eſſe potuit vnquam? Panis filiorum delicatus eſt cibus: quia eſt panis viuus qui de cœlo deſcendit & dat vitam mundo: non eſt mittendus canibus, hominibus ſcilicet de prauatis, turpiter redeuntibus ad peccata quæ optime vomuerunt, & abſque rubore comedunt iterum. Vltimus panis filiorum (de quo forſan hic Chriſtus loquitur) miraculorum & mirabilium Dei eſt: quem Deus, dat filijs ſuis & aliquando alienis, faciendo inſolita naturæ & extra curſum eius communem. Vbi notandum eſt cum magiſtro Soto, in libro nunquam ſatis laudato de natura & gratia: quod influxus concurſuſque generalis Dei, quanuis ſit diuinæ maieſtati ſpontaneus, ac voluntarius, ad vniuerſalem pertinens prouidentiam: tamen quia in ipſa ſtatim rerum conditione, ita cum rerum natura concurrere pepigit, vt res ſineret (vt Ait Auguſt. de

*Lib. 1. cap. 2.*

*Lib. 3.*

de trinitate) ſuis motibus naturalibus agere, inter cauſas naturales annumeratur, quaſi ſit naturæ debitus. Quando aliquid vero fit extra hunc generalem naturæ concurſum dicitur miraculum, quod vere à nullo niſi à Deo aut ex eius licentia fieri contingit.

Ait ergo Dominus, non eſt bonum panem miraculorum & Dei mirabilium, qui filijs Iudæis reſeruatur, tanquam vnum colentibus Deum, illum canibus, ideſt gentilibus, idola colentibus, & Deum idololatria mordentibus dare. Expecta tamen pauliſper mulier, nam cito Iudæi canes facti erunt, & gentes filij: & tunc panem iſtum accipient. Nam (vt ait Chryſoſ. ſuper illud Pauli videte canes) videte canes Iudæos, qui non ſunt amplius filij: aliquando gentes canes vocabantur, nunc vero illi. Quam obrem? Quia ſicut gentes olim à Deo & à Chriſto alieni erant: ita & nunc Iudæi impudentes facti ſunt & famem patien tur vt canes ad mundi veſperam (teſte propheta) & ſine timore, imo abſque vlla verecundia Chriſtum negant: tace mulier Pauliſper nam theſaurũ ad Iudeos miſſum à patre: ipſi vt canes dilacerabunt & gentes vt filij colligent ſpolia. Contingit cani faccum aut peram auro plenam videre, & theſauro magno (et ſi raro hoc euenit) credens tamen in illo, panem aut carnem ad deuorandum eſſe incluſum, faccum dilacerat: qui non inueniens cibum, abijt aureis in terram proiectis & effuſis: tranſit viator & aurum recognoſcens gaudio magno colligit illud, & in theſauro ſuo, cuſtodia debita ſeruat & diues efficitur.

*Ad Phi. 3. ſer. 10. to. 4.*

*Pſalm. 58.*

*ſimile.*

Veni ego Dei filius ad viam huius vitæ, theſaurum diuinitatis humanitatis ſacco includens: & Iudæo populo, tanquam filio vnum Deum colenti, primum obtuli talem theſaurum, concionando illis, panem verbi Dei & miraculorum operando coram illis: non habent de peccato ſuo excuſationem, quia certe theſaurum diuinitatis (ſaltim maiores) ſi malitia & inuidia corda illorum infecta non haberent, in carnis pera incluſum recte agnouiſſent. Tamen vt canes rabidi & carnales, inuenientes me in via huius vitæ, cogitantes aliquid cibi aut honoris temporalis in me inuenire, me occidendo, ne concione mea lucra ſua illicita impedirent: dilacerauerunt faccum meum, & ſacram humanitatem, flagellis & clauis: & diuinitatis theſaurum inuenientes, apertis miraculis oſtenſum in paſſio-

passione & resurrectione mea : contempserunt, & illi credere noluerunt: quia tantum carnalia quærebant. Trãsiuit homo nobilis, populus gentilis, & videns fide thesaurum adeo magnum & totaureos meritorum, descendit ab equo superbiæ & idolatriæ, & accepit thesaurum diuinitatis meæ in corde suo fide & operatione debita colendo me: vnde dives magnus populus gentilis factus est, populo Iudaico famẽ patiente vt rabido cane. Nobis tamen Deus pater det panem verum, scilicet filium in gloria fruendum: Amen.

# Homilia Vndecima.

¶Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quę cadunt de mensa dominorum suorum. *Tex.*

ARgumento rhetorico tali arguo Domine, quod retorsio vocatur, ex verbis tuis sumpto: gaudeo Domine magnopere tale verbum à te audisse: nã spem obtinendi petita magnam in his verbis contulisti mihi. Victus es à me certe, & tuis verbis captus volens & sciens: illaqueatus es (si fas est dicere) verbis oris tui, & captus proprio sermone. Et probo sic ex verbis tuis, me fore exaudiendam à te: egò sum canicula tua, per te, ipse enim hoc affirmas, quando mihi tanquam cani panem filiorum non debere dari dicis: igitur es ipse Dominus meus: in mensa tamen tanti Domini, sedeant filij ad panem præcipuum miraculorum comedendum: tamen absq; dubio semper remanent, saltim micæ, ad canes alendos. Non enim esset honor diuiti, canes suos famelicos habenti: aut ad vicinos, vt alerent mittenti? Dominus dominantium es, ditissimus omnium Angelorum, imo & illorum creator: mensa tua opulentissima est, abundantiam ciborum, & alimentorum copiam magnam habes: vnde oculi omnium creaturarum ad te aspiciunt & in te sperãt & ipse illis das escam sibi congruentem & necessariam. Filijs da integrum panem: mihi tanquam caniculæ tuæ, micam mirabilium tuorum expectanti porrige: & cum illa gaudens & exaudita recedam. *Prou. 6. A.* *Psalm. 144*

Etiam

Etiam Domine, verum eſt, optime dicis, canicula ſum: & eō ipſo quod me canem vocas, iudicas me dignā, ſaltim micis quæ de menſa tanti & magnifici Domini inceſſanter, tanquam ex abundanti, à manibus filiorum, canibus cadunt. Scio Domine (vt ait Diuus Hiero.) me filiorum panem non mereri, nec integros poſſe vt caniculam rudē in fide venerandos panes & mirabilium tuorum capere cibos: agnoſco me indigniſsimā in menſa cum filijs, nec dum tecum pater omnium, ſedendi: quis canē in menſa cum Domino ſedentem vidit? Sed tamen caniculę, reſeruantur micæ cadentes in terram vt inde colligat illas: contenta ſum Domine, reliquijs catulorum. Ego colligo ex bonitate tua: quod per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinē. Cum ſis valde humilitatis amicus, & me videas non iraſcentem neque ſtomachatam aut iratam neque ad diffidentiam motam: cum audiam ex ore tuo, primum verbū quo caniculam rabidam vocas me ſed fateor ita eſſe, dicens, etiam Domine: dabis micas vt caniculæ, & illis confortata aſcendam tuo adiutorio ad panem filiorum. Humiliamini homines, ne iraſcamini in via huius vitæ, nec malum pro malo reddatis: qui ad panem angelorum guſtandum in cœlo peruenire vultis.

O mira rerum cōuerſio (ait Diuus Hiero.) Iſrael quondam filius, & nos canes ex ore Dei atteſtatū: pro diuerſitate fidei, ordo nominum commutatur: quia modo nos gentes filij ſumus & illi ſunt canes & rabidi, vt ait Dominus: circundederunt me canes multi. Quotidie etiam inter nos hoc contingere cernimus: quoſdam ex canibus & peccatoribus ſceleratis, Dei gratia, in filios Dei adoptiuos & amicos illius conuerſos videmus: alios ex filijs & valde deditis deuotioni, in canes rabidos & immundos verſos. Etiam Domine, canicula ſum, & indigna quæ panem accipiam (ait Theophylactus) hoc eſt virtutē, & ſignum magnū: ſed hoc quod eſt paruum quidem (quantum ad virtutem tuam attinet immenſam) mihi magnū erit, da illud vt cani. Sicut panē comedētes, nō magnificiunt ſi canibus micas dent cadentes: tamen canes magni pendunt illas, quia paſcuntur ex his: da filijs tuis panem, concede mihi cani, micas neceſſarias ad vitam meā ſpiritualem componendam. Et cum veniam ego canicula in nomine gentilitatis, fateor nos canes eſſe, & populum Iudaicum filium: da illi corticem literæ ſcripturæ ſanctæ, cum ipſa contentus

*Pſalm. 21.*

*Similes*

tus ſit: da nobis micam, ſpiritualem nempe intellectum, vt cuſto diamus mandata tua. Vnde erit, quod Iudæi famem patientur vt canes, tanquam corticem & literam ſolum comedentes, qua non ſaturati murmurabunt: ſed ſibi imputent, qui ianuam cordis ſui tuæ ſapientię clauſerunt: nos tamen medullis & ſpiritualibus ſcripturæ ſenſibus ſaturati, laudabimus nomen tuum fide & operibus in ſecula. Pſal. 58.

O mulier violenta (ait Orig. in diuerſos) Dominus dicit non licet, & tu dicis etiam Domine potes ſi velis? Oblita verecundia & intermiſſo pudore, conaris vincere Dominum? Etiam Domine, ſum quod dicis (ait) canem me vocas? Etiam Domine, canis ſum: cognoſco nomen meum, non nego officium, confiteri volo veritatem vt ipſe ſacerdos abſoluas me à delictis cum poſsis. Confundis me, ſed non recedam à te ſine adiutorio: quia ſi ego canis ſum, tu Dominus meus & diues: vnde ſequar te quaſi famelica canicula panem viuum de cœlo venientem, & multos panes dorum habentem. Da micam mihi & recedam nec amplius te perſequar: etiam ſi per vitam nunquam ſaltim animo, à ſequela tua recedam. Vt quid anima fidelis, non ſequeris veſtigia huius mulieris, confitendo te caniculam contra Dominū fuiſſe: & improbis precibus veniam peccatorum obtinere, vt ſic panem gratiæ tribuat tibi? Etiam Domine canis ſum: ſed alicuius Domini, ſed cum ipſe omnium creator ſis, igitur canicula tua ſum: non ergo licet tanto Domino vt canem ſuum non paſcat: nutrias ergo me ſi non vis pane, ſaltim micis. Et vt hoc non deneges mihi, ecce me iam catellā vocātem, & ſi circa ſenectutem ſim conſtituta: quia omnes dentes (ſcilicet peccata) quibus te antea momorderam, tuo auxilio iam deponere volo. Et ſic catella ſum iam dentibus carens, non canis rabida: vnde bene potes mittere micas auxilij tui in os meum: certe iam decreui vltra manum tuam non dilacerare culpis.

Depone iam peccatorum dentes anima dierum malorum inueterata: eſto iam tandem catella erga Dominum tuum: nemo enim rapiet te de manibus illius, ſi peccata quibus illas mordes vere confeſſus fueris: & vltra quaſi à facie colubri fugeris peccatum: ipſe Deus non micas ſed ſe ipſum tradet ori tuo & cordi & ab hoſtibus liberabit te vſque dum introducat te ad cœnam cœleſtem. Etiam Domine amplector reſponſum, & non ſolum Ioan. 10. E

filios Iudæos vocari admitto, sed & dominos: cum sint filij tanti domini. Non illis præripere volo suum delicatum miraculorum & fidei panem, quo vescuntur accũbentes in mensa patris: hoc tantum peto, quod nulli domini solent negare canibus, nempe micam potentiæ tuæ: negabis & hoc mihi, dominus dominorũ cũ sis? Vere est admiranda mulier ista: nec contradicit (ait Chry.) nec aliorum laudibus dolet: nec quia contemni videbatur: molestè tulit: non est bonum (ipse dicebat Deus) & illa vtique domine respondebat: quia si non est bonum dare canibus panem, est domino honorabile, micas porrigere catellæ. Deus filios vocat Iudæos, illa dominos, & se canem vocauit: vnde factum est, vt illa filia ex cane facta sit, & Iudæi ex filijs, & Dominis, ob superbiam suam canes sunt effecti: vt semper stet & impleatur verbũ Christi: qui se humiliat & vere vilitatem suam fatetur, certe à me exaltabitur, & è contra.

*Matt. 23. A.*

*Luc. 14. B*

Sequere anima fidelis huius caniculę vestigia: dole de culpis, geme de vexatione dęmonis per delicta, implora Dei misericordiam perseueranter: fugiendo in primis & præcipue occasiones te miseram & indigentem cõfitere, Deum bonum & potentem: pete auxilium à sanctis, & à bonis viris adhuc in vita de gentibus. Nec verbo nec opere Deo contradicas, etiam te infamanti, & caniculam rabidam per hominum ora vocanti, & te pane gratiæ indignam appellanti: corde & ore fatere esse verũ quicquid infamiæ & ignominiæ & contemptus contra te à quolibet dicatur, cum te iniuriam magno Deo irrogasse cognoscis. Gaude de proximi laudibus: dic corde & ore, etiam Domine omnes sunt filij tui, præter me caniculam rabidam insurgentem contra te: omnes digni sunt pane gratiæ tuæ, ego inferni doloribus: tamen non contristor quia filijs panem das, neque quia de me talia dicis, sed quia offendi te. Sed mea voluntas est iam in omnibus tuæ similis: & catella sum sine dentibus, nolens iam etiam vitæ dispendio verbo nec opere mordere te Deus meus. Et sic fac me ex canicula ouẽ: & ex peccatrice filiam te in omnibus sequẽtem. O vtinam à mea anima, deinde omnium, talia obtineam.

*Cen. 3. B.*

Etiam Domine, nolo me vt primos parentes excusare vt te accusem, vt ipsi fecerunt: nolo vti excusationibus friuolis, sed fateri me caniculam & pane gratiæ & corporis tui indignam: quia

ego

ego ſcio maius ſeruitium tibi fieri ab homine non poſſe, quam delicta ſua, vere & omnia & aperte ſacerdoti vicem tuam habenti confiteri, ſatisfaciendo, & in futurum cauendo. Quia honorem tuum quem à te tulit, quantum fuit in ſe peccando, & non obediendo tibi, & amorem potius miſeræ creaturę quã tibi imperator, applicando: non poteſt homo meliori modo tibi reddere illum, quam vere confitendo. Ideo dico etiam Domine, confiteor tibi omnipotens Deus, me fuiſſe caniculam cõtrate & ſic omni bono diuino indignam: tamẽ iam ſum catella nolens amplius peccare. Da corporis tui panem integrum filijs tuis ſemper mãdatis tuis ad hærentibus: da illis merita paſsionis tuę mihi vt caniculæ, iam catellæ, gutta ſanguinis tui flagello aut clauo effuſa ſat erit, & mica lacrymæ tuæ pro peccatoribus ab oculis tuis ſanctis emiſſę ſufficit, vt abluar à delictis meis.

Gentilis mulier ſum & cani ſimilis: non peto panem magni miraculi, quem filijs Iudæis reſeruatum habes, & tribuis prout vis: da micam mirabiliũ tuorũ & ſat mihi eſt vt filiã dæmon relinquat & animam ſuam & meã peccatum nõ poſsideat. Non peto panem miraculorum, quem filijs Iſrael in ſua liberatione AEgyptiaca per manus Moſi & Aaron diſtribuiſti. Non peto vt Aqua in ſanguinem conuertatur: ſed vt peccatum meum in gratiam conuertas: tollendo delictum & tuam amicitiam mihi infundendo. Nolo vt mittas cynifes & ranas: ſed vt tollas à filia dæmonem loquacem atque moleſtum & ab vtraque peccatum. Da filijs maris rubri diuiſionem, da mihi caniculæ guttam ſanguinis tui: qua diuiſum fiat peccatum meum à me. Da filijs manna de cœlo: da mihi gratiæ tuæ micam: da filijs aquam de petra: ad mihi cani auxilij tui & lacrymæ tuæ guttam. Non peto Domine, vt ſol ne moueatur contra Gabaon, & non ambulet luna contra vallem Aialon: hoc Iudæis tanquam filijs tempore Ioſue conceſsiſti: donec vlciſceretur gens ſe de inimicis ſuis. Peto tamen micam, vt tu verus Ioſue Pauliſper ſtes & adiuues me: radium auxilij tui ad me immittendo ſol iuſtitiæ, vt vlciſcar me de maligno filiam meam vexante: & de inimicis meis ſcilicet delictis meis & hominibus ad malum me inuitantibus. Nõ peto vt ſol retrocedat in ſignũ ſalutis Ezechię, ſed vt ipſe ſol iuſtitiæ, proſpere procedas & regnes, & filiæ meæ ſaluti conferas. *Ioſu. 10. G* *Iſai. 38. B.*

Etiã domine, canis sum & valde gaudenter amplector dictum & hoc quod me caniculam nominasti: quia eo ipso non eris miratus, si officium caniculæ accipiam: nec iratus eris, cum me importunam expertus sis. Canis (vt melius ipse nosti, qui illi naturam dedisti) est animal improbissimum atque importunum: percussus grauiter à Domino, non mordet illum: gaudet tamen micis & ossibus, Dominum inuenit odore. Si illi latranti, cito à Domino non respondetur: non ideo sequelam Domini statim relinquit, nec desinit quamuis percussus à Domino, micam aut os expectare ab illo. Si omnia ista ego feci ne mireris, cum tuo ore me caniculam vocasti. Importune secuta sum te Domine mi, á quo esse recepi, & victum in vita mea: & improbe sequor te, cum sis omne auxilium meum: vulnerasti me verbo tuo, me non ouem sed canem esse affirmante: non ideo diffidi, sed clamore magno aures tuas pulsaui. Percussisti me: sed non momordi te, responsione dura aut ira. Sed tacui latranti mihi & magna voce clamanti fili Dauid, Domine mi, miserere caniculæ tuæ, non respondisti verbum: nec ideo reuersa sum, sed importunis latratibus per montes & valles vlulans veni post te. Percussisti me in responsione ad discipulos, me non esse ouem dicens: fateor esse verum, alias non sic te offendissem. Dixisti me canem pane indignam, non ideo diffidentiam habui, sed te secuta sum vt canicula semper confidens, me saltim micam à te fore accepturam: ideo cum Dominus sis da micam caniculæ tuæ, quam sic appellasti vt illius proprietates habentem.

*Simile.*

Vtinam omnis fidelis filius tuus qui te in aliquo delicto offendit, à me disceret, sequi te per pœnitentiam: sicut in offensa non dubitauit cani rabido similis fieri contra te. Eia peccator Dominum tuum per odorem virtutum quære, vt canis leporem: opportune & importune curre post illum. Esto perseuerans in oratione & bono opere, etiam si videatur Deus non respondere tibi verbum, neque aliquod solatium à cœlo immittere. Percussus ab ipso aliqua infirmitate aut infamia: aliqua ve læsione: fatere te canem esse & Dominum tuum delictis tuis laceratsse, & sic omni supplicio dignum. Tantum ne impatientia aut ira Deum mordeas, aut odio lapidem quem contra te proiecit, nempe proximum, prosequaris: sed gaude de bono

no proximi tui, dole de culpa tua: nec recedas à virtute nec à facie Domini, donec salutem & gratiam perseuerantem obtineas. Audi D. Hieron. ad Damasum: & habetur in decretis in de pœnitentia: importuna in euangelio mulier tandem meruit audiri: & clauso cum seris ostio media licet nocte, ab amico amicus panes tres accepit: Deus ipse, qui nullius in se superari viribus potest, publicani precibus vincitur. Ninive ciuitas, quæ peccato perijt fletibus stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio? videlicet vt nullus peccator desperet, si quiescere agere peruerse voluerit, & improbis precibus ad Deum clamauerit vere sacramentis vtendo: quia magnus Deus paruum & humiliatũ peccatorem respicit. Et vt diues pastor & bonus, morbidam ouẽ nõ contemnit. Qui de cruce latronẽ in paradisum tulit & iam iam morti propinquum: quis iam seram pœnitentiam putabit & conuersionem veram, cum Deus fecerit homicidij pœnam, martyrium? Spera in domino, tamen fac bonitatem & vestigia huius mulieris sequere: Christus prodigum filium reuertentem lætus amplectitur: & nonaginta nouem pecudibus derelictis, vna ouicula quæ remansit errans lupis exposita, humeris boni pastoris aduehitur. Vbi vero peccator intelligens vulnus suum & delictũ tradit se medico diuino curandum: ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis, & perseuerantia.

*D. 1. ca. importuna. To. 2.* *Luc. 11. A. 18. c.* *Ionæ. 3. D* *Luc. 23. F.* *Luc. 15. F. Ibi. B.*

Etiam Domine, canicula sum, & sic importuna: Dominus meus ipse es & etiam amicus, da mihi tres panes, vnũ animæ meę. alium corpori filiæ vt à dæmone liberetur, & alium animæ vt à peccato salua sit: & sic vere amici erimus, & huius caniculæ importunitatem fugies. Et gaudeo te audire me caniculam esse, vt non abhorreas importunitatem meam: quia sicut canis fuste per cussus à domino suo, & per vnam ianuam reiectus: sine ira contra dominum, per aliam ianuam caudam suam mouens & amicitias diligens & quærens, sine mora humilis ingreditur. Percussisti me verbo tuo, expulisti me à te iustitiæ fuste, per ianuam rigoris tui & merito: cum canicula sim, teste verbo tuo, ne mireris, vt sine mora humilis, & contra te non irata', sed contra delicta mea & contra dæmonem, per aliam misericordiæ tuæ ianuam ingrediar: reconciliationem quærens, & micam pietatis tuæ desiderans. Canicula sum, dominus meus es & potens: miserere mei & adiuua me caniculam tuam.

*Luc. 11. A.* *Simile.*

Tex. ¶ O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.

O Mulier fortis & perseuerans in bono: ò. Non memini me legisse filium Dei lterum, o, dixisse in laudem alicuius homi-
Mar. 9. C. nis aut mulieris: nisi in nostro textu in fauorē huius caniculæ. Si dixit, ô generatio incredula Iudaica, quandiu apud vos ero? Quā diu vos patiar? Fuit exprobrantis non laudantis vt hic. O mulier à Deo digna laudari. O mulier, non possum amplius tuis precibus repugnare: magna est patientia tua qua tanta tulisti aduersa: magna humilitas qua te esse canem patienter audisti: magna perseuerantia, qua non es in domum tristis reuersa: magna charitas, qua alios laudare libenter es perpessa. Tamen magna est fides tua formata & operibus adiuncta, quia magnum quid in me quem solum hominem videbas credidisti: & magna fides tua quia perstitisti exprobrata, nec conturbata: magna, quia clamore magno, à magno magna petisti perseuerantia
Gen. 12. A. magna. Magna fuit fides serui mei Abrahæ, qui egressus fuit de terra sua & de cognatione in terram quam illi monstraui. tamen illi promisi magna & egressum iussi ego: tamen magna est fides tua, qua à finibus tuis egressa es fide ducta, sine mea iussione, imo sine mea respōsione me secuta es: nō inuitata, sed infamata nō do nū audiens acceptura, sed in omnibus reprehensa & contēpta, & cum hoc perseuerans? Magna fides fuit reguli super salutem
Ioan. 4. G. pueri sui: tamen aliquo modo dubitauit, credens me non esse vbique cum dicebat: descende prius quam moriatur filius meus: ip-
Matt. 8. A. sa tamē nil dixisti nisi miserere mei omnia potens vbique consistens: o mulier, quam magna est fides tua. Centurio magnam habuit fidem, tamen dixit dic verbo & sanabitur puer meus: sed tu nil dixisti vt dicam, sed miserere mei, & hoc perseueranter.

O mulier, quis iam poterit patientiæ tuæ humilitati, perseuerātiæ, & fidei repugnare? Magna est fides tua, qua aliquo modo cogis me: ideo fiat: ecce verbū quo cœlum creaui & terram: fiat anima tua ex terra cœlum, ex peccatrice iusta, ex damnata beata, & filia à dæmone liberata. Ait Chrysostomus: hæc vox illi affinis est qua dictum est, fiat cœlum & factum est. Fiat tibi sicut

vis

vis, quia magna est fides tua: magna fuit Magdalenę fides, magnę & lacrymæ illius: sed illi respondi sine interrogatione & peperci sine petitione. Et tibi petenti non respondi verbum: illam ab omnibus detractoribus defendi, cum tamen pro te orantibus asperum responsum dedi: illi perseueranti, sine hoc quod canem illam vocassem, non dixi magna est fides tua, sed fides tua te sal uam fecit: vade in pace: & tibi dico ò mulier, magna est fides tua fiat tibi sicut vis. Accipe clauem potentiæ meæ, sapientiæ & bonitatis, vtere illa prout vis, ad salutem animæ tuæ & filiæ: fiat om ne quod vis, cum velis bonum sine admistione contrarij. Velimus & nos bona, & animæ necessaria, & à culpa liberari, & pro tinus exaudiemur in necessarijs. *Luc. 7. G.*

## ¶ Et sanata est filia eius ex illa hora.

QVIA ipse dixit fiat & factum est. Ex quo admonemur (ait D. Chry. in Ioanem) quod etiã si simus beneficio indi gni: assidua efflagitatione, oratione & petitione, eo digni efficiamur. In Marco legimus, Dominum dixisse: propter hunc sermonem vade, exijt demonium à filia tua: & cum abijsset in domum suam, inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exijsse: fatigauerat dæmon ingrediendo puellam, quæ illo egresso, quiescebat in lecto. Non est quies animæ à dæmonio per culpam agitatæ, aut à stimulis peccatorum, donec peccata exeant: etiam si omnia gaudia mundi quæras & tibi contingant. Confitere peccata vere, & à Deo misericordiã fide & opere pete: & audies à domino, aut à sacerdote locum illius habente in confessione, fiat tibi sicut vis: ego te absoluo. Et tunc anima tua à vinculis ferreis soluta & à dæmonis vexatione, super conscientiæ lectum in pace quiescet: quando in pace in idipsum Deum, dormit & requiescit cum sit pax multa diligentibus dominum. Anteavero impossibilis est quies aut requies animę in lecto malę cõscientiæ prostratæ: cũ à dęmone & à culpa sit vexata. Peccata vexant conscientiam, etiam si non sequatur in corpore tormentum. Quæ nam conscientia est sic cruentata & culpis deprauata, vt cum videat miseram animam suam, â dæmone occupatam, & à Deo separatam: & quod peccatum inter Deum & illam parietem diuisionis durissimum posuit: deiecit illam ab innocẽtiæ & *Hom. 21. in Ioan. 2. Mar. 7. D. Psal. 4. & 118.*

Dei amicitiæ arce, ad ima demergit & obscęna: sociat dæmonibus, excludit ab angelis, separat à Dei regno, iungit tetro inferna li: quod inquieta non sit & vehementer crucietur? Non potest anima tanto malo quiescere: vtinam omnis anima sic vexata dęmone expulso, & rupto culpæ pariete, misericordiam Dei obtineat, & ouis Dei fiat: vt in hac vita, in lecto conscientiæ per Dei gratiam quiescat: donec in pace diuina in æternum gaudeat: Amen.

# Feriæ Quartæ Dominicæ Secundæ Quadrag. Homilia Prima.

*Text.* ¶ Ascendens Iesus Ierosolymã, assumpsit Duodecim discipulos suos secreto.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

ASSVMPSIT Iesus corpus humanum ex te virgo impolluta, descendens ad nos: vt ad montem cœlestem, & ciuitatem Ierusalem, perduceret homines, veros discipulos eius, & qui operantur quæ credunt. Nemo fideliũ imo angelorũ tam fideliter Deo in omnibus obtemperauit, vt ipsa Dei mater & spiritus Sancti discipula: quæ sic in ascensu Ierusalem filium es secuta: vt præter filium, nemini tam grauis pars laborum & tormentorum vt tibi contigit. Virgo sancta, audi filium tuum dicentem: ecce mater mea, ascendimus Ierosolymam, ad multa patiendum ego corpore, & ambo spiritu, dum modo pacem anima homo obtineat, veniant super nos omnia à patre meo præfinita. Ego tradar gentibus à discipulo venditus: & doloris gladius animam tuam pertransibit. O nos homines, qui toties filium tuũ nostris vendidimus malis, Deipara benedicta, & morte eum condemnauimus, & malignis operibus, quantum ex nobis fuit illu-
*Eccle. 2. C.* sius: quid faciemus, cum inspicerem cæperit Deus, & iudicare voluerit nos? filij, iam meus filius ascendit, non solum Ierusalem

sed

sed in crucem, vt vos ad pacem ascendatis cœlestem. Iam traditus fuit, vt vos à traditione & peccati captione sitis liberi: morti adiudicatus fuit, vt vos viuatis: tantum nolite filium meum amplius aliqua illudere culpa. Omnia ista virgo sancta sine gratia nobis contingere nequeunt: vt obtineas illum dicamus, Aue.

## ¶ Ascendens Iesus Ierosolymam.

*Tex. A. 33. M. 2 D. 16. die. 11. Martij.*

IN hoc sancto Euangelio frater mi, duo satis inter se diuersa & inuicem repugnantia reperies, & maxime dissona nec simul esse valentia: alterum dolorum & pœnarum infamię & mortis, quę omnia natura nostra abhorret, in prima Euangelij parte videre licebit, & homines huius seculi proviribus illa fugiunt: alterum delitiarum honorum atque principatuum, quod valde mortales appetunt, in secunda parte videbimus. Primum ab apostolis & martyribus & omnibus sanctis, cum duce suo Christo, optatum & amplexatum vt illum sequerentur, & postea ipso fruerentur: secundum à malis quæsitum, vnde à Christo exules essent & ipso priuarentur, boni secundū fugiunt, mali primum detestantur. Vnde verum est, bonos laboribus & ieiunijs in cœlum tendere, malos fictis honoribus & ambitionibus, ad infamiam inferni perpetuam pergere. Elige quod vis ô homo, aut primum laboris & doloris cito transeuntis pro Christo in hac vita acceptum, vt honore æterno præditus sis & infamia perpetua careas: aut secundum honoris caduci eligere, vt opprobrio sine fine sis respersus. Elige cum Christo & sanctis viris primam Euangelij partem, vt in cœlo fruaris secunda.

Quid tamen est hoc ecclesia sancta, vt toties Christi passionē & illius tormenta ad nostram deducas memoriam, & dolores quos nostri amore passus est, sæpe nobis repetas? Iam ista fere verba non proposuisti nobis in Dominica quinquagesimæ? Vt quid & modo illa iterum renouare libet? Non satis erit in hebdomada sancta, dominicam passionem toties canere & plorare, & Ieremiæ lamentis illam intimare? Christus multoties passionem suam discipulis innotuit: sancti euangelistæ scripserunt, & ego sponsa sine macula ipsius patientis, iterum atque iterum canere non iubebo? Et ego vermiculus terræ, Dei adiutorio fretus & ecclesiæ sanctæ consilio (vt peccata tua feruenter deplores ô homo) concionare Domini mei tormenta non verebor? Nam

si audire non vales patienter pœnas quas Dei filius passus fuit amore tui: illas pati quomodo valebis? Imo quomodo tormenta tuis culpis digna ferre poteris, si non ad pœnitentiam veram cito confugeris, qui Domini passionem repetitam fastidiose audis? Infelix homo est & miser erit, qui libenter non audit Domini sui Iesu labores & tormenta, etiam multoties repetita.

Audi ô homo (ait ecclesia) feruenter & dolêter, ea quę tui amore Dominus passus est, vt beatitudinem magnam esse cogites tibi expectantem: cum audias talibus doloribus illam Dominum illius emisse animæ tuæ, si culpa tua non amittis illam. Considera deinde Dei amorem, vt valde illum redames. Attende tibi quam grauis malitia peccati sit, & debitum tam stupendum, quod sanguine Dei ablutum fuit & Christi morte solutum: vt caueas à facie illius plusquam à colubri imo inferni. Nil apud me, scripturæ sacræ terror, quem de cruciabus perpetuis ponit, nec sanctorum intimatio, sic tormenta infernalia aggrauat, vt legere attente, aut considerationi debita tormenta, quæ Deus & homo Christus Iesus in carne passus est, vt homines ad illa non descenderent, nec experientia discerent.

O passio Christi domini mei, quã vtilissima est memoria tua homini de te intimo corde & dolore debito cogitanti, ad omnia sibi necessaria, præcipue vt ad verã pœnitentiam magno animo Dei adiutorio insurgat & pro nihilo omnẽ laborẽ ieiuniũ & dolorẽ ducat, dũ modo duci suo Christo aliquo modo assimiletur, & culparũ maculas ab anima sua ablutas videat. Vnde ecclesia sancta à spiritu diuino instructa, vt nos Christi milites ad ieiuniũ & pœntẽitiã inuitaret, passionẽ Domini coram oculis nostris in Dominica ante quadragesimam proposuit: & cum in omni bono opere perseuerantia opus sit, alias væ his qui perdiderunt sustinẽtiam (ait Salomon) & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas: & quid facient cum Dominus ad iudicandum illos venerit? Quid facies coram Domino, qui in hoc quadragenario ieiunare cæpisti, & vsque hodie non sustinuisti? Quid facies qui confessus es, & iam Deum offendisti? Ad hanc ieiunij & pœnitentiæ veræ laboris & satisfactionis perseuerantiam, nil magis conducibile quam Christi passio est: ideo iterum sancta ecclesia, illius memoriam cordibus nostris renouat, & merito. Salus spiritualis, post peccati ægritudinẽ omni peccanti, stat in hoc

Eccli. 2. C.

vt ve-

vt veram habeat contritionem,& integram faciat confeſsionem perfectamque perficiat ſatisfactionem: cum emendatione morum & vitæ, &peccati deteſtatione,& omnium occaſionum fuga. Ad quæ omnia perfecte agenda, nil ſub cœlo magis hominem inuitat quam Chriſti Domini paſsio: vt decet cogitata,& coram animi oculis repræſentata, & intimis medullis amplexata: quia medicina eſt tam generalis, quæ ad omnia iſta prouocat diuine. Peccaui & malum coram domini mei aſpectu, inuere cunde feci,& opus mihi eſt ad gratiæ ſalutē primus contritionis gradus,vt cor meum valde triſte conſtituatur:ob iniurias contra tantū dñm à me irrogatas:hūc dolorē pro delictis gratis&voluntarie aſsūptū,quomodo paſsio Chriſti docet?Ofrater mi,vt quid cogitas petras ſciſſas fuiſſe, & velū templi à ſummo vſque deorſum,in diuiſione animæ Chriſti à corpore ſuo ſacrato per mortē in cruce:niſi vt ſcias nil efficacius eſſe ad hocvt cor tuū dolore ſcindatur(quia cōtra talē Dñm delictū perpetraſti)nec efficacius ad corda ſcindēda dura contritione debita nil reperiri quā Chriſtū mori videre?& omnia oſſa illius cernere cōcuſſa & ita adinuicē diſtēta,vt facili negotio quilibet ad crucē accedens poterat illa ſingulatim dinumerare,vt ipſemet fatetur dicēs: dinumerauerūt oſſa mea:hoc eſt faciliter poterāt dinumerare, quia foderunt manus meas & pedes clauis, & ſic os ab oſſe ſeparauerūt. Eſt ne aliquod hominis cor adeo adamātinū: quod talia audiēs nō ſcindatur ad peccatorum dolorem, tanti agni ſanguine emollitum? *Matt.27.f* *Pſal.21.*

Quia de ſaxis iſta numeraſti in paſsione dominica ſic ſe habitis, & quia oſſa domini ſic ſunt concuſſa interſe & diſtenta: iam cor meum,& ſi ſilicis natura eſt compoſitum ob peccati diuturnitatem,deſiderat præ dolore peccati commiſsi& contritione ſcindi & in minutas conuerti partes: tamen confeſsionem integram in quo paſsio Domini me docet? Si monumenta aperta ſunt veterana, & mortuos antiquos & recentes oculis hominum patentes reddiderunt in morte vitæ fontalis Chriſti Ieſu: quis erit adeo obſtinatus peccator, qui differat iam per horam, nec dum diem , confeſsionem legitimam omnium ſcelerum ſuorum coram ſacerdote faciendam: & illi non oſtendat omnia delicta mortua, miſeram animam occidentia? In illo facto aperte oſtendebatur, paſsionem Chriſti in ſacramento pœnitentiæ cōmunicatam eſſe tantę efficacię peccatori vere cōfitenti, & delicta *Matt.27.f*

licta ſua ſacerdoti digne oſtendenti, cum legitimo in futurum ca nendi propoſito: vt cum primum oſtenderit illa, ſtatim anima re ſurgat advitæ gratiam, vt digna ſit in ſanctam Ieruſalem cœleſtẽ pergere, collato abſolutionis ſacerdotalis beneficio. Vides quan tæ virtutis ſit Dominica paſsio? Quis non conteretur de culpis? Quis non confitetur vere?

Sed quia contritio ſufficiens eſſe non poteſt, neque confeſsio legitima peccatorum, ſine perfecta & integra ſatisfactione: cum nunquam peccatum dimittatur, ſine ablati reſtitutione, hanc ſatisfactionem in quo Chriſti paſsio fideles docet? Omnis do lor & tormentum, flagellum & crux & ipſa filij Dei mors hoc præcipue docent: cum omnia quæ paſſus ſit, ob honorem patris & noſtram ſatisfactionem pertulit, nempe vt legitimam Deo, & deinde proximo ſatisfactionem perficiamus, vnicuique quod ſuum eſt reddendo, honorem Deo & laudem quam peccato fu rati ſumus: & proximo famam ablatam & facultates male par tas à nobis: tota Chriſti paſsio hoc nos docet. Tamen cum ſatisfa ctio conſtet ex tribus (poſtquam vnicuique propriũ dedimus) nempe ex ieiunio, eleemoſyna & oratione: quid melius & aper tius quam dominica paſsio hoc mortales docet? Si ieiunis vacare nõ vales: leua oculos tuos & vide fontem viuum in crucis lecto duro atque ſtricto in eſcam fel accipientem morti iam propin quum: poſt tot ieiunia in vita à ſe habita, & in ſiti ſua aceto pota
*Pſal. 68.* tum, vt ipſe conqueritur: & dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti potauerunt me aceto. Et non potuiſti, imo quod peius eſt noluiſti, vt Deo pro delictis & vitiorum comeſſationibus à te ha bitis ſatisfaceres: per quindecim dies vſque hodie ieiunare?

Orationem tibi valde neceſſariam ad ſatisfactionẽ, & vitę cor rectionem, & animi humiliationem, docet Dei filius in ſua paſsio ne vſque ad agoniam & ſanguineum ſudorem orans: & diſcipu los ad orationẽ magno deſiderio inuitans, & in cruce cũ clamore
*Ad Heb. 5. c.* & lacrymis (teſte Paulo) orans pro tranſgreſſoribus ſuis. Vt ipſe in cruce pœnitentię exiſtens, pro anima tua lacrymis & gemiti bus Deũ depreceris, quia Dei mandata tranſgredi nõ eſt veritus: & pro omnibus legẽ Dei trãſgrediẽtibus, vt ſic exauditus ſis à pa tre pro reuerentia & dignitate filij, vt digna fiat ſatisfactio tua. Magna pars ſatisfactionis eleemoſyna in Dei amicitia data eſt, tam corporalis quam ſpiritualis: & illam docuit diuinus magiſ

ter

ter in ſua paſsione, quãdo carnificibus veſtes ſuas & flagellis ſca pulas,& nobis omnem ſanguinem ſuum in eleemoſynam dedit: & parum ſanguinis & aquæ in corde & latere, lanceæ vulneri reſeruauit. Vt diſcas ſanguinem putridum prius effundere, nempe aliena reddere proprijs Dominis: deinde ex propria ſubſtantia eleemoſynam pauperibus porrigere. Prius tamen omnem culpę ſanguinem ab anima ſe effundere oportet:& ſic his tribus ſatisfactionis partibus vt decet Deo & proximo ſatisfacies. Ieiunio, vt amplius famam & honorem Dei & proximi nec iſtius facultates auferas:& ab omni vitio animam tuam abſtineas. Oratione optime ſatisfacies & à paſsione dominica diſces: quando ore Deum in omnibus laudaueris ſine blaſphemia, & de proximo ſemper bene fueris locutus:tunc eleemoſyna tua à Deo accepta erit,quãdo illi honorem ſuum vere pœnitendo,& proximo omne debitum recte ſatisfaciendo reddere curaueris.

Ne igitur moleſte feras,multoties de paſsione Domini tã animæ tuæ proficua atque neceſſaria audire,cum Deus hoc iubeat & eccleſia ſæpe repetat:ſed totis viribus cum Ieſu aſcendere de labore in laborem cura, vt de virtute in præmium & de gratia in cœleſtem Ieruſalem peruenias. Bonorum eſt, & diſcipulorum fidelium cum Ieſu bonis operibus & laboribus & Ieiunijs in pacem animi quota hora aſcendere:malorum autem & perditorũ cum lucifero de abyſſo in abyſſum, & de vitio in vitium in profundum malorum deſcendere, & in bellum infernale, vbi nulla pax & ordo reperitur, ſed pugna & horror. Boni deſcendentes cum Ieſu per humilitatis gradus & aliarum virtutum, continuo meritis & gratia aſcendunt ad maiora cœleſtia præmia capiendum:peccatores vero aſcendunt ſuperbiendo,quia ſuperbia eorum qui te oderunt Domine aſcendit ſemper,vt maiori ruina,cũ angelis apoſtaticis ad maiora tormenta ruant. *Pſal. 73.*

Domine mi Ieſu,toties ad Ieruſalem aſcendens & aliquando tanto ſanguinis tui & vitæ diſpendio,vt nos ad pacem ſupernam deducas: quis aſcendet in montem Domini tecum,mõtem Dei, & pinguem & omnibus reſperſum floribus & gaudio magno plenum,nempe in cœleſtem beatitudinem? Aut quis ſtabit in loco ſancto(vt cum Dauid interrogem te) beatus & fœlix in gloria perenni? Omons diuine,in quo beneplacitum fuit Deo meo habitare,ſanctis & electis viſionem ſuam & eſſentiam communi *Pſal. 14. 23.*

cando

cando. Ob hoc dicitur in illo habitare qui vbique eſt Deus. O fœlix qui in tali monte ſtabit, ſecurus de caſu erit. Quis aſcendet me cum in montem Dei? Non diues vt diues nec ſapiens in ſapientia ſua, ſed innocens manibus & operibus mundis, & mundo corde
Matt. 5. A. quia beati tales ſunt quoniam ipſi Deū videbūt. Qui ingredi debet illuc, ſine macula ingredi debet & iuſtitiam operari: & loqui veritatē in corde, ita vt opus interius fides & intentio operi bono exteriori non mētiatur: hoc dixit Dñs in ſpiritu & veritate & nō
Ioan. 4. D. faciat dolum in lingua ſua, nec proximo malum neque audiat libenter opprobrium illorum. Et nil ſua refert vt diues ſit qui malignus eſt ad nihilum ductus eſt in conſpectu eius: cum cito pauper & nudus & miſerabilis erit.

Vnum ex præcipuis rebus, quā maxime habere oportet hominē mecum aſcendere in cœlū & montem ſanctū cupientem: vt non accipiat in vanū animam ſuam eſt. Ille accepit in vanū animam, qui ad finem ad quem creata eſt pro viribus & poſſe quātū in ſe eſt non deducit, omnia neſſaria media virtutum accipiendo: & ſacris remedijs à Deo datis recte vtendo vt ad Deum perueniat: alias manebit vt nux vana aut auellana medulla carens. Quia ſunt aliqui ita animam ſuam tractantes vt gladiū in vagina poſitum & in angulo domus proiectū, omnem ſolicitudinē circa corpora exhibētes: ac ſi anima infelix nō eſſet ex genere rega
2. Pe. 1. A. li, & angelorum: diuinæ conſors naturæ, imo & aliquo modo ex genere Dei, cum ſpiritualis ſit & ad ſuam imaginem & ſimilitudinem creata, & illo apta nata frui. Et corpus ex genere terreno & brutali cum ſit, honoratur & paſcitur: anima vero cōculcatur, & fame laborat, vnde finem ſuum obtinere non valet. O fœlix qui has pſalmorum iſtorum proprietates habebit, vt in montem ſanctum aſcendere cum Chriſto valeat & in pace æterna Dei viſione frui. Eſto innocens ò homo, & mundo corde, & neali cui malum irroges: & quære media neceſſaria ad finē ſupernaturalem obtinendum, ne animam tuam in vanum acceperis. O infelix opera polluta habens, & cor immundum, & velut fruſtra animam ſuam habens, in vanum illam accipiens: talis non valebit in montem domini cum Chriſto aſcendere, ſed cum ma
Mat. 26. C. ligno in vallem triſtitiæ, ideſt gehennam, deſcendere: bonum erat ei cum Iuda, natum nō fuiſſe, qui talis eſt.

Aſſum

## ¶ Assumpsit duodecim discipulos secreto.

OMnis salus hominū (vt ait. D. Tho. in catena) in Christi morte posita est: nec est aliquid propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quam propter mortem ipsius: ideo duodecim apostolis in secreto mortis suæ annuntiauit mysterium: quia semper pretiosior thesaurus, in melioribus includitur vasis. Si alij audissent passionem Christi futuram: viri forsan turbarentur ob infirmitatem fidei: mulieres autem ob mollitiem naturæ suæ ad lacrymas excitarentur, & vtrunque Deus cauere voluit: & ideo secreto dixit discipulis suis, quia perfectis, mortem & passionem suam. Quare tamen Domine, hanc doctrinam tuam, cum sancta & vera sit, secreto doces, cum ipse interrogatus de illa, in nocte qua traditus es & in agonia factus, à pontifice Caipha, dixisti illi ego palam locutus sum mundo, & in occulto nihil locutus sum? Vt quid modo in secreto doces passionem tuam, alijs ansam præbens in angulis concionandi euangelicam doctrinam, & in abscondito? Ego semper docui veritatem & publice: & bene scio futuros esse homines qui doctrinā veneno mistā in domorū angulis docturi sunt tēpore maledicti Lutheri: volētes animas decipere & à vera fide auertere, & cū falsa sit & erronea in secreto ab ipsis hereticis diuulgata erit, tanquā indignavt publice dicatur: quo vsq; iā cōmuniter recipiatur tam execrandū venenum, vt in Germania.

*Simile.*

*Ioan. 18. D*

Cauete fratres mei, illos qui sic in absconditō docēt, & in angulis domus ianuis clausis, doctrinā quā nolūt palā & publice cōcionare. Araneæ, & rubetæ atq; serpentes, in angulis nascūtur, & in speluncis degūt: sic multa mala oriuntur animabus, ex doctrina angulari & in abscōdito edocta, quod nostro malo non minimo, potius experiētia scimus quā in libris legimus paucis abhinc annis. Cauete à tam venenosis aspidibus. Quādo hominē pauperē aut Ægyptiū ad teveniētē vides catenam auream portantē magni valoris ad visum, & tamē illā minimo pretio vendentem, & anxie deprecantēvt emas, est possibile, quin statim animę tuę cadat suspicio, catenā aurichalci esse, aut furto sublatā? Est ne aliquis adeo stultus qui statim illā emat, & nō prius ad argētariū artificē pergat vt illā tangat, & dicat an aurea sit & vera? Fratres obseruate eos qui ita ambulant & cauete à docentibus in absconditō: & quando videris doctorem verbum Dei omni auro precio

*Simile.*

*Simile.*

fius,

sius,& super millia auri & argenti,secreto velle tibi illud tradere absque arbitris & gratis,imo ipse se offert ad docendum, ne audias illum fuge vt pestem: reuera est furtiuum & pernicioſum aut aurichalcum & ſuſpicioſum. Vade ſtatim ad argẽtarium verbi Dei,nempe ad tuum catholicum prælatum, aut concionatorẽ fidelem Deo & eccleſiæ, aut præcipue ad patres ſanctæ inquiſitionis:& oſtende illis catenam talis doctrinæ ne ſis deceptus in re adeo graui,& poſtea punitus ſis vt hæreticus.

*Simile.* Si granum tritici non naſcitur: aut quia terra ſterilis eſt, & in ſalſuginem verſa,aut quia triticum vanum:terra in qua falſi interpretes verbi Dei tale granum ſeminare volunt,pro maiori parte eſt anima magis deuota,& quæ maiori cura virtutibus vacat, & magis cœlum deſiderat:igitur granum verbi quod ſeminant,vanum eſt & falſum,vnde fructum bonum reddere non valet. Talis falſus interpres aſsimilatur Pantheræ (vt dicitur in ſumma de exemplis ac ſimilitudinibus rerum) quam propter pulchritudinem exterioris pellis,vel varietatem colorum, & odorem quem ex ore emittit,omnia animalia ſolicitantur videre: ſed toruitate capitis deterrentur,vnde ipſa caput occultat, & dum ei animal appropinquat,ipſum accipit & manducat. Ita propter apparentiam exterioris ſanctitatis,dignitatis aut doctrinæ, & varia ſpiritualia opera,quæ hypocrita aut hæreticus exterius oſtendit:& propter famam doctrinæ,quæ eſt vt oris odor, multæ deuotæ & ſimplices perſonæ deſiderant eum videre,& cupiunt audire & ei adhærere. Quibus ipſe caput malitiæ veneni aut erroris à principio abſcondit:væ tamen illi adhærentibus familiariter, ſtatim decipiendo illos capit & manducat, & ſibi incorporat, hoc eſt corrumpendo aſsimilat. Cauete homines toruitatem illius:& no lite nouitatum amici fieri, & in ſecreto doctrinam audire ſuſpectam.

*Lib.5. cap. 72.§. 2.*

*Simile.*

Homo,qui Deo operibus bonis placere deſideras, & fidei veræ & ſanctæ eccleſiæ Romanæ firmiter adhærere cupis,conclude talem deceptorem tali enthymemate:ſi verum eſt quod doces vtile atq; catholicum,exeat in publicum, veniat ad lucem talis lucerna,ne ponas illam in abſcondito (vt iubet Dei filius) vt omnes illuminentur ab illa,ſi tamen falſum & ſuſpicioſum eſt tale verbum à te edoctum:falſus igitur & ipſe es, dignuſque punitione graui. Iam magiſter veritatis Chriſtus Dominus docuit nos

*Matt.5.B.*
*Luc.11.F.*

ab huius

ab huiusmodi impostoribus cauere, dicens: tunc, quando ve- *Matt.24.B.*
niant falsi concionatores & prophetæ in angulis & absconditò verbum meum docentes veneno mistum: si quis illorum vobis dixerit fideles mei, ecce hic est Christ⁹ in hac doctrina, aut illic in sola fide: nolite credere quia sunt Antichristi mẽbra. Si dixerint in deserto virtutum est, quia non sunt necessaria opera: nolite credere quia hæreticum est, nam opera ad salutem necessaria sunt. Si dixerint ecce in penetralibus est Christus, & in angulis, venite ad audiendum sermonem eius in absconditò: mentiuntur, nolite credere, nam ego palam locutus sum mundo.

Hæc dicta sint ob nostrum temporum infortunium, quando scintillæ errorum, etiã vsq; ad nostram Deo & Ecclesiæ fidelissimam Hispaniã per aera ab alijs nationibus volitantes, peruenerunt, & hoc modo in secreto & absconditò ianuis clausis ab infelicibus autoribus earun introductæ sunt. Vt vnus illorum publice dũ ad iustum supplicium duceretur admonuit, vt omnes à concionibus absconditis, & in angulis domorũ furtim prædicatis, maxime cauerent: quia iam in sanam redierat mentẽ miser, cui Deus donum concionandi dedisse videbatur. Gratias tamen Deo maximo possibiles reddamus verbo & seruitio, & regem Ferdinandum & Elizabeth & eorum successores magno honore prosequamur: quibus Deus tanquam instrumento vsus est ad sanctum inquisitionis officium (quod mereri à nobis non potuit) de cœlo ad nos trãsmittendum, cuius adiutorio repente tales scintillæ extinctæ fuerunt, & autores falsarum dogmatum pœnas debitas dederunt. Sub cuius diuini officij iugo (post Dei & summi pontificis correctionem & Ecclesiæ) colla mea dicta & scripta & memetipsum submitto libenter, & vsque ad mortem confiteor me illud defendere pro posse: vt commissarius (etsi indignus) tam sancti officij.

Animaduertat tamen tam lector quam auditor, ob ista à nobis (contra docentes falsa in absconditò) dicta, non esse intentionem nostram, damnare pios & catholicos Dei ministros, tam sacerdotes quam religiosos: qui zelo Dei & animarum salutis incensi, vbicunque reperiãtur coram paucis aut multis in Dei laudem & proximi vtilitatem fere semper loquuntur, male loquẽtes corrigendo, & omnes ad bonum inuitando: sicut peccatores contra Deum fere semper verba sua proferũt, sic isti in Dei fauo

rem & honorem. Non ideò vocandi ſunt ſermones angulares, ſed ſunt verba ædificantia proximũ, & meritoria erga proferen-
Matt.12.C. tem. Quia cum Deus affirmet nos reddituros fore rationem de omni verbo otioſo quod locuti fuerimus: quid debemus loqui, niſi verbum proximo vtile, & nobis meritorium? Quid cogitas filium Dei fuiſſe locutum in Bethania quando apud Martham hoſpitabatur, poſt prandium, niſi verba ædificantia? Iam audi-
Ioan.4. ſti quam mirifica verba vnicæ mulieri & adulteræ, & in agro iuxta fontem Samariæ dixerit, quibus ipſam conuertit: non tamen ideò vocandus eſt ille ſermo angularis.

Matt. 18.C. Deus promittit nobis, dicens: vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, auxilio ſpecialiter vt ſi fuerint duo de me loquẽtes vtilia ſibi, erimus tres: ſi tamen fuerint tres, erimus quatuor: quis tale amittet priuilegium?
Simile. Quis poſſet Regem Philippũ grauiſsimum, ex ipſius iuſſu, multoties in conſortium & confabulationem ſuam adducere, & in magnã vtilitatem, & tali potentia non vteretur? Nullus, vt quid ergo cum filius Dei nobis facultatem cõferat, illum ad noſtram ſocietatem adducendi, in magnum commodum animarum noſtrarum: tantum vt in nomine ipſius congregati ſimus, aut vnanimes in oratione, aut loquendo verba ad cœlum tendentia, tale amittemus priuilegium? Igitur loqui de Chriſto vbicunque ſit verba fidelia, & proximo ædificatoria & loquenti meritoria, ſine ceremonijs, & obſeruatione, & apertis ianuis, & quæ digna ſunt, vt publicè & coram omni populo dicantur, non cauendo hunc aut illum: hoc in tantum non prohibetur, quin eſt valdè neceſſarium ad correctionem peierantium & maledicentium, & ad obuiandum, honorem Dei tollere dictis, aut factis volen-
Matt. 10.C. tibus quantum eſt in ſe. Chriſtus etiam dixit: quod dico vobis in tenebris & ſecreto dicite, vos poſtea in lumine & publicè: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Ac ſi dixiſſet, ſemper loquimini verba quæ poſsint dici ſuper tecta, & in luce & publicè coram omnibus, etiam ſi in tenebris & in aure & ſecreto, & vni homini aut duobus dicatis.

Quare tamen Domine, paſsionem tuam ſecreto reuelas diſcipulis? Vt ipſi aperte ſciãt me omnia futura agnoſcere, & ex conſequenti, me Deum eſſe: voluntariè tamen me pro hominum ſalute pati velle: cum ſciant mala ſuper me vẽtura, & nihilominus,

nus illa fugere nolim. Alias si prius à me non essent prænoniti ante meam passionem, grauissimum passi essent scãdalum de mea diuinitate dubitantes: quando repente vt hominum vilissimũ me pati & tractari vidissent. Etiam præuisi, scandalũ passi sunt oẽs in nocte qua traditus sum, & ego illud prædixi dicens: omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte lugubri: *Matt.26.C.* quanto magis si non prænonuissem. Dico illis secreto mysteria passionis meę: quia non sunt reuelanda indignis, & qui non possunt tantam ignominiam sine scandalo & dubitatione audire Deum fuisse passum. Nos prædicamus (ait Paulus) Chri- *1. Cor.1.D.* stum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam: nobis tamen vere credentibus & operantibus Dei virtutem & sapientiam. Quia vt ait ibi Diuus Thomas, prædicatio crucis Christi *Lecti.3.* aliquid continet, quod secundum humanam sapientiam impossibile videtur: puta quod Deus moriatur: quod omnipotens violentorum manibus ad illudendum & flagellandum subijciatur: & quod non refugiat confusiones & ignominias cum facillime posset. Modo tamen post passionem Domini, omni creaturæ, mortem illius annunciauerunt Apostoli.

Præuidens etiam Iesus ex passione sua animos discipulorum perturbandos, prædicit illis passionem & pœnã, & etiam resurrectionis gloriam: vt cum morientem cernerent, resurrecturum non dubitarent. Et cũ essent sacerdotes Apostoli, dicit illis hoc secreto: monens omnes audientes cõfessionem de sigillo illius, & secreto magno habendo circa illud: nam res magni momenti est. Alias quis auderet hominis auribus secreta cordis patefacere, nisi sciret, etiam pro seruanda vita propria, sacerdotem non debere in confessione audita alicui manifestare? Cum sigillum, theologice loquendo sit duplex, scilicet confessionis & secreti: sigillum secreti, ne amici arcana reuelemus, confessionis secundum D. Thom. nil aliud est quã debitum celãdi peccata in cõ- *In ad.ad.3.* fessione audita, & omnia alia per quæ potest peccatum vel pec- *p.q.11.ar.1.* cator deprehendi, siue sacerdos absoluat siue non. Hoc autem *& 3. in cor.* debitum cõsurgit non solũ iure humano, sed etiam diuino, ex ipso sacramẽto cõfessionis in quantũ sacramentũ est: quia in omni sacramẽto ea quę interius fiunt, debent exterius significari: & sic confessio est signum contritionis. Et cum peccator cõfitetur & manifestat peccatum suum Deus tegit illud iuxta illud: beati

*Psalm.31.* quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. O magnum ſolatium, vnde hoc debet per ſacerdotē, qui eſt Dei miniſter, ſignificari: vt ſicut Deus celat & tegit, ita & ſacerdos: quia miniſter debet ſe conformari ei cuius eſt miniſter. Et ideo ſi ſacerdos reuelaret, ſignificaret quod Deus peccata confeſſa reuelaret, quod eſt falſum: & ſic ſacrilegum contra ſacramē tum pœnitentiæ. Ideo celatio ſiue occultatio peccati dicitur de eſſentia ſacramenti, non quod ſit materia vel forma: ſed conſequitur naturaliter ex ipſa natura ſacramenti, cuius eſt exterius ſignificari, quod interius agitur. Quia Deus (vt ait ibi D. Tho.) peccatum illius qui ſe ſibi ſubijcit per pœnitentiam tegit, & ſacerdos celare illud tenetur.

Vnde tanquam ſacramenti violator, ſacerdos qui quocunque caſu, & quocunque præcepto humano aduenient, reuelaret audita in confeſsione: grauiſsime peccaret. Imo tenetur potius mori quam Deum offendere, & tanto ſacramento irreuerentiā facere: etiam pro conſeruatione totius reipublicæ, & poſſet licite iurare ſe nil ſcire. Pœna reuelanti confeſsionem ſecūdum antiqua iura eſt depoſitio, & per totam vitam ignominioſa peregrinatio: vt eſt videre in decretis de pœnitentia ex Diuuo Auguſt. de vera & falſa pœnitentia: capite qui. vult. in fine. Vbi dicitur, caueat ſacerdos, ne peccata pœnitentium alijs manifeſtet: quod ſi fecerit deponatur. Et capite ſequente, ſacerdos ante omnia caueat, ne de ijs qui ei confitentur peccata ſua, alicui recitet: ſi hoc fecerit, deponatur & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat. Tamen ſecundū decretalem omnis vtriuſque ſexus de pœnitentijs & remiſsionibus ex concilio generali: eſt depoſitio, & detruſio in monaſterium, ad perpetuam agendam pœnitentiam, ibi dicitur, caueat autem ſacerdos omnino ne verbo aut ſigno, aut aliquo quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque vlla expreſsione perſonæ, caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare: non ſolum à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum: & merito nam grauiſsimum ſcelus eſt.

*De pœni. D. 6. & cap. ſacerdos.*

*Cap.12.*

Quare Domine ſecreto dicis diſcipulis te moriendum fore, & de in

& deinde resurgere? Quia vt ait Isaias, à finibus terræ laudes audi uimus tuas, & gloriã vt iusti Dei: quomodo te fore moriendum affirmas, & resurgere, & hoc in secreto? Ibi responsum meum inuenietis: secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi: præuaricantes, præuaricati sunt. Domine mi, si est vnicum secretum, vt quid bis secretum meum mihi dicis? Si duplex, vt quid secretum vocas & non secreta? Væ mihi, qui talia passurus sum ob hominum salutem, & ipsi præuaricatores semper manent. Secretum meum mihi reseruatum est: & duo sunt secreta quæ hic secreto reuelo: tamen quia in vnico supposito & in me vnico Christo adimplenda sunt, ideo vnum dico secretum & bis illud repeto. Quia Deus & homo sum in vnico supposito diuino, mortalis & immortalis, quod maius secretũ? Secretum meũ mihi, væ mihi quia pati debeo cum sim Deus. Quod secretum maius inueniri potuit, nec mysterium excellentius, nec altius sacramentum in mundo contingere valuit, quã me Deum mori? Hoc est primum secretum meum mihi, quod hodie secreto dico vobis: væ mihi. Et non est magnum secretum etiam, vt homo sua propria virtute resurgat? Ecce duo secreta: & quia in me vno sunt adimplẽda, voco secretum meum mihi reseruatum, & dico væ mihi, quomodo crucior & coarctor vsque dum perficiatur vtrumque secretum in me, moriendo, & resurgendo. Et etiam dico væ mihi, quia doleo, ingratitudinem hominum considerans: vnde addo, præuaricantes, præuaricati sunt, & quotidie in anima moriuntur morte mea abutentes, & resurgere pœnitendo nolunt, resurrectionem meam contemnẽtes væ illis nam mihi iam non est væ. Beati qui morte mea resurgent, ad gloriam vtinam & nos etiam: Amen.

*Isai.24. C.*

*Luc.12.F.*

# Homilia Secunda.

¶ Ecce ascendimus Ierosolymam. *Tex.*

Ecce, attentionem deposcit, & hic non minimam nec vulgarem nec de re communi: quia si oportet aures arrigere quoties Euangelista ecce dicit: quanto magis hic necessarium erit, autore generis huma-

ni, & Euangeliſtarum doctore, & angelorum creatore, ecce dicente? Ecce, oculos mentis aperite, nam rẽ grandem vobis oſtendere volo, & ſecretum grauiſsimum reuelare, & myſterium huc uſq; non auditum intimare, & ſacramentum non viſum, & arcanum incognitum & ſtupendum pateſacere. Nẽpe me Deum & hominem debere pati ab hominibus: caſtiſsimum virginem, flagellari: humillimũ, ſpinis vulnerari: honorẽ angelorum, imo & patris cœleſtis, à vilibus ſcurris illudi: facié ab angelis deſide-
1. Pet. 1. C. ratiſsimam conſpui: deniq; & vitam fontalem morti tradi: ſed ne turbetur cor veſtrum neq; formidet, neque contriſtetur valde: quia tertia die reſurgam ſanus & incolumis. Ecce rem grandem & magna conſideratione dignam, vnde non quæcunque & perfunctoria attentio vobis neceſſaria eſt. Quod dicit ecce (ait Diuus Thomas in catena aurea) conſtantiæ ſermo eſt, vt memoriam huiuſmodi verbi in cordibus recondant, tam diſcipuli quam omnes homines futuri: quia multum intereſt vt talia à Chriſto pro nobis paſſa ne obliuioni tradamus. Ecce aſcendimus, vt videatis quia voluntarie ad mortem vado: vt cum audieritis: me in cruce pendentem & ipſe Ioannes videris, ne cadat ſuper vos ſuſpitio nec veniat tentatio me ſolum hominem eſſe, cum ſim etiam Deus, quia etſi poſſe mori hominis eſt:
Ad Phil. 1 D. velle tamen mori hominis non eſt, niſi ſancti dicentis cupio diſſolui & eſſe in cœlo.

Ser. 5. To. 3. Qui futura prædicere poſſum (vt ait D. Chry. de quinta feria paraſceue) & illa cauere potuiſſem ſi magis mori noluiſſem: tamen pati volo, qui ſponte locum vbi paſſurus ſum aſcendo.
Ioan. 10. D. Mors inuitis imperat, volentibus ſeruit, vt alibi dixi: poteſtatem habeo ponendi animam meam, ideſt vitam, & iterum ſumendi eam: nemo tollit eam à me inuite: ſi nemo, vtique neque mors. Hoc de morte ſua Chriſtus diſcipulis non prædixit ſtatim, incipiens prædicationem ſuam, ne ſcandalizati recederent ab illo: neque in ipſo tempore paſsionis, ne turbati cogitarent illum inuoluntarie pati: ſed ante paſsionem & poſtquam virtutem & potentiam eius miraculis cognouerunt. Non enim minus ſolidauit apoſtolorum fidem, quod ita præſcius & voluntarius cum vitare potuiſſet, ad paſsionem acceſsit: quam quod poſt mortem reſurrexit ab inferis. Vt repertum eſt in authenticis & fide dignis apoſtolorum hiſtorijs, cum per orbem peragran-

ragrantes prędicarent, & coram regibus & prę-sidibus mundi sisterentur: quando ab ipsis tyrannis in vilipensionem Iesu objiciebatur mors illius & crux: ipsi Apostoli potissimũ respondebant, dicentes: Dominus noster Iesus, non ignarus, sed prę-scius: non improuide, sed prę-cognite: non inuitus, sed voluntarius: nõ vt deuitare nequiens, sed potens: non timens, sed audens: nõ pauidus, sed securus: terrens volentes illum ligare & in terram prosternens, non territus: præueniens, non præuentus: ad locũ passionis accesit: proditorem sciuit, se permisit ligari, flagellari, & hæc omnia prius nobis dixit, vt hic patet. Ioan. 18. B.

Hęc sic se habere vt ostendamus, vnũ pro omnibus, Apostolum Andræam in mediũ adducamus: qui (vt refert D. Antoninus) ad quem cum Egeas dixisset, hæc vana Iesus Christus vester prædicans, crucis patibulo est affixus. Andręas ad eum pro restauratione nostra, non pro culpa sua voluntariè patibulũ suscepit crucis. Et Egeas: cum Iesus fuerit à discipulo suo proditus & à Iudæis captus, & à militibus ad crucẽ ductus: quomodo tu sponte dicis eum crucem subijsse? Tunc Andręas pluribus rationibus ostendit voluntariè nõ coactè passum esse: tum quia passionem præsciens, discipulis prænuntiauit, vt in nostro Euangelio: tum quia proditorem sciuit, nec vitauit: tum quia locum ad quem proditorem suum ad capiendum venturum sciebat, elegit: quibus omnibus ego præsens adfui, ait D. Andræas. P. P. hist. tit. 6. c. 9.

Ecce ascendimus ad opprobria & mortem omnes simul, & non dico ascendite: cum vos & non ego Deũ offendistis, & alij homines, qui in causam estis dolorũ meorũ. Sed dico ascẽdimus: quia etsi culpam non commisi, primus volo in pœnis, vestri amore, esse vt dicam in nocte qua traditus ero: surgite homines à culpis, & eamus omnes ad labores, & ego primus ad sudorem sanguineũ. O diuine dux & animarum pastor, qui cum absq; macula sis, & peccatum non feceris, primus in laboribus es repertus vsque ad mortem: pro ouibus tuis errantibus, & militibus auersis. Ioan. 14. D.

Fœlix pater familias, & fœlicior pastor animarũ, qui primus in ieiunijs & laboriosis pœnitentiæ operibus reperitur, & in omni virtutum opere: & in culpis, nec vltimus aut non peccans: talis audacter filijs aut subditis dicere poterit: ascendamus ad ieiunium, ad orationem & pœnitentiam veram. Parcite inimicis, estote honesti, & occasiones fugite, ipse prius hæc om-

nia facit. Heu me miſerum, quomodo timeo, multos tam parentes quam prælatos non audere, filios & ſubditos opera pœnitentiæ iubere, quia impœnitentes ipſi ſunt: nec dicere aſcendamus ad labores, vt ipſi non teneantur aſcendere. Tamen quid dicemus de illis, qui alligant onera grauia & importabilia ſuper humeros ſubditorum: & ipſi, vt ait veritas antiqua, digito operationis tangere nolunt? Diuus Paulus bene poterat diſcipulo dicere: labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu: quia & ipſe in labore & ærumna fuit, vt ſcripſit ad Corinth. ſed ſi luxui & delitijs & otio comeſſationibus & ludis vacans eſt paſtor, habebit os ad dicendum ouibus: ſint lumbi veſtri caſtitate præcincti? Laborate in virtutibus: ieiunate, & abſtinete à ludis? Si talia dixerit facite illa oues, ſecundum opera eius nolite facere ex conſilio Chriſti: væ tamen ouibus quibus talis contingit paſtor. Ecce aſcēdimus Ieroſolymam & ibi multa abhinc diebus quin decim patiar: crebro hoc ipſum (ait Diuus Hieronymus) diſcipulis dixerat: ſed quia multis interim in medio diſputatis, poterat à memoria labi: ideo iturus in Ieruſalem, & ſecum Apoſtolos ducturus, ad tentationem eos parat, ne cum venerit perſecutio, & crucis ignominia, ſcandalizentur: & ne turbentur dum paſsio veniat.

*Matt. 23. A*
*2. Ad Tim. 2. A.*
*2. Ad Cori. 11 F.*
*Matt. 23. A*

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, ad magnos perferendos labores: vt ſciat omnis fidelis, deſiderans in pacificam ciuitatem cœleſtem æternaliter quieſcendo aſcendere: illum oportere prius labores & dolores in hac lacrymarum valle ſubire, & tormenta aſpera pati. Et fictam & diabolicam eſſe doctrinam docentium: in hac vita non eſſe ieiunandum, plorandum, laborandum, & multa alia pati, & reprobari à multis malis hominibus. Sicut ad oculum patet, quacunque via in Ieruſalem pergere volueritis, aſcendere vos oportet: quia in Sionitica arce ſita eſt & in monte ſublimi. Ita, quicunque in cœleſtem Ieruſalem peruenire & aſcendere deſiderat: illum decet, quacunque pergat via, labores & dolores perferre: & qui aliter docet Anathema ſit. Ecce ego cum Dei filius ſim, ex itinere me fatigatum aſpicitis, aſcendentem ſudore plenum ad ciuitatem: famem paſſus ſum, infamiam & dolorem: & modo aſcendo vbi flagella patiar virgo cum ſim, & illuſionem ſapientia patris. Et ipſe homo, vermiculus cum ſis, & quotidie

vitijs

vitijs deditus, audes cogitare te eleuandum fore in cœlum, ſine flagellis cum ſis inhoneſtus, ſine pœnitentia cum ſis proteruus? Falleris certe.

Cum ſim Deus de Deo & cœli Dominus, priuſquam ad patris dexterã ſediſſem, triginta tribus annis in laboribus fui, & doloribus: quia pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea, imo à Natiuitate exaltatus miraculis, humiliatus in flagelis, conturbatus in ſpinis vſque dum in cruce fui tribus horis, clauis trabalibus tribus, in cruce confoſſus pendens, & ſic oportuit me pati, & ita intrare in gloriam, non alienam, ſed meam, ſuppoſita patris voluntate me pati volentis: & ad corporis mei glorificationem merendam via paſsionis. Etiam ſi gratia vnionis ad verbum, & aliarum viarum, & quia anima ab inſtanti creationis ſuę erat beata: mihi talis corporis glorificatio contigiſſet. Et ipſe homo putredo & vermis cum ſis & innumeris defectibus atque peccatis ſubditus, alienus ab omni virtute, exulâ patria in valle lacrymarum & in mundo maligno exiſtens, poſitus vt laboribus vaces & pœnis ad meliorem ſtatum reſurgas: cuius peccato, ego altiſsimi filius tanta paſſus ſum: credis tibi cœlum patere in grato, cum non ſit tuum, & quod poteris ingredi quando volueris in illud & cũ Angelis inquieta pace, & viſione beatifica perpetuo quieſcere: ſine hoc quod in virtute labores, & contra vitia inſurgas, & peccandi occaſiones euellas, & vera pœnitentia ad pacem animi aſcendas? *Pſalm.77.* *Luc.24. E.*

Toto aberras cœlo, & Dæmon hanc deceptionem in anima ſeminauit tua, & certe mentita erit talis iniquitas tibi: vt in iudicio videbis, ſi in tempore non aduerteris hoc. Vt quid cogitas Deum iuſsiſſe in lege ambulantem per viam dicens: ſi in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis inſuper incubantem: non tenebis eam cum filijs, ſed abire patieris, captos tenẽs filios, vt bene ſit tibi, & longo viuas tempore? Scito quod gaudere in ſeculo & hic paradiſum habere, & cum hoc cœlum ingredi, & cũ ſanctis habitare: neſcio cui hucuſq; contigit. Matrem pullorum, ideſt, vitam preſentem cũ ſuis fallacijs, auolare patere homo, in mundo peregrine, non ſectando gaudia fugitiua illius: ſed implumes tene pullos ęternæ beatitudinis, laborãdo hic & ſola expectatione contentus. Heu quã multi volentes matrẽ veterem & vetulam inutilẽ, vitã hãc *Deut.22. A*

caducam & ficto gaudio ornatã ſimul tenere cum pullis & gaudijs cœli frui, & matrem & filios amiſerunt: quia difficile eſt interim gaudere cum ſeculo, & in æternum regnare cum Chriſto. Sine abire vitam hanc cum ſuis gaudiorum alis, vt pullos præmiorum cœleſtium obtineas, & bene tibi erit: & longo, imo perpetuo, viuas tempore in cœlo, vbi non eſt labor neque mors aut vllus dolor. Omitte luxum mundi ſi vis gaudium cœli.

Ecce aſcẽdimus & ad labores pergimus ego Deus & diſcipuli mei, ante glorificationem, & vilis homuncio gulæ & vitijs deditus in otio continuo exiſtens, cogitat glorificandũ eſſe in gloria? Vultis vos homines maiorem dignitatem quã ego habere?

*Matth.10.C* Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, dixi diſcipulis meis: poſt quam illis odium parentum in illos & mortem à fratribus futuram & alia tormenta non minima prænuntiabam. Neque oportet vt ſeruus ſit ſuper Dominum ſuum: igitur ſi me Dominum

*Ioan.13.B.* & magiſtrum vocatis fideles: ſum etenim (vt poſt ablutionem pedum dixi diſcipulis) benedicitis: tamen quare male cogitatis & opere peruerſo adimpletis, volẽtes eſſe ſuper me, in hoc quod ego tanta paſſus ſum veſtri amore Deus & creator veſter, abſque culpa: & vos diſcipuli fide, & opere non addiſcentes, & ſerui (& vtinam non Dæmonis aut peccati) onerati cum ſitis peccatis, non vultis pro animabus veſtris, aliquem ſubire laborem? Vocant me homines Beelzebub patrem veſtrum, & libenter patior cum ſim Angelorum decus: & vos domeſtici mei minimam iniuriam ferre ſine vindicta non vultis? Laboribus vacate ſi cœlum vultis. Ideo Dominus in mundo noluit proſperari (dicit Diuus. Tho. in cate. ex Rabano) ſed grauia pati & labori aſſiduo vacare: vt oſtenderet nobis viam ad cœlum ducentem. Si ille qui peccato cadere non potuit, tanta, quia fideiuſſor effectus eſt, tolerauit opprobria & ſuſtinuit labores, antequam ad cœlum ſuum aſcenderet: quid nos cogitamus faciendum, qui per delectationem & gaudia vana in malorum foueam cecidimus, ſi labores renuimus, & pœnitentiã fugimus? A maritudine amariſſima oportet nos à peccatis reſurgere: & ad pacem ſupernam & Ieruſalem cœleſtem aſcendere.

Dices forſan: ipſe Deus eras & faciliter multa pati poteras in humanitate aſſumpta. Et etiam homo nobilis valdeque delicatus eram & ſum, & complexionis valde teneræ atque ſenſibi-

ſibilis: & per conſequẽs valde ſentiebã labores, & cũ hoc multa paſſus ſum. Tamẽ vt nõ ſic ſubterfugias, aperi oculos & vide tot patriarchas ſanctos labores multos patiẽtes: vide chorũ Apoſtolorũ glorioſum flagellatũ traductũ illuſum & morti traditũ. Cõſidera prophetarũ laudabilem numerũ, alapis percuſſum, ſerra & gladio & lapidibus occiſum. Attende candidatum martyrũ exercitũ tot tormẽtis traditũ, & videbis innumeros qui per diuerſa tormẽtorũ genera, meã paſſionẽ nõ laceſſentibus præcordiorũ mentibus gaudenter imitabãtur. Alij ferro perẽpti: alij flámis exuſti: alij flagris verberati: alij vectibus perforati: alij cruciati patibulo: alij demerſi pelagi periculo: alij viui excoriati. Alij vinculis mancipati: alij linguis priuati: alij lapidibus obruti: alij frigore & nuditate afflicti: alij fame & ſiti cruciati: alij vero truncatis manibus, ſiue cæteris cæſis membris ſpectaculum contumeliæ in populis nudi propter nomen Domini portantes: & alij ludibria & verba experti ſunt: & alia quæ in Apoſtolo ad Hebræos legiſti: & de ſeptem Machabęis fratribus cum matre. *Ad Hebr.* 11. *G.*

Ecce (dicat Chriſtus) aſcendimus Ieroſolymam laboribus & tormentis ego & omnes ſancti, ſolennem proceſsionem facientes: vexillum præcedit, ego omnium dux ſum, & primus in omni laboris genere. Quia (vt Thomas bene colligit) dolores quos ego paſſus ſum, omnes exceſſerunt dolores, quos homines pati poſſunt in hac vita. Et ibi licet tibi videre ratione cõplexionis meæ magis quam alterum hominem, me tormenta ſenſiſſe: quia melior proportionatus erã. Deinde ſequũtur me Apoſtoli & martyres & etiam confeſſores: qui ieiunantes plorantes & orãtes, per varios caſus & tot rerum diſcrimina, me ſecuti ſunt & in montẽ pacis tetẽderunt. Vt quid vos homines nolẽtes laborare & pœnitentiam agere, nec mecum in tali proceſsione pergere, neque cum ſanctis: vane ſperatis in ciuitatem cœleſtem aſcendere? Legite omnem ſanctorum legendam, & ſi aliquem illorum ſine laboribus in cœlum aſcendiſſe inueneritis, credite & vos otio vacantes, etiam illuc fore aſcenſuros: ſi non inuenietis, aſcendite laborando. Ante quam ſacer Baptiſta in ſinum Abrahæ ab Angelis reportaretur, conſidera victum & veſtitum illius: eremum & pœnitentiam prædicationis laborem, carcerẽ & famem vſq; ad decollationẽ. Antequã Iacobus patronus dignisſimus noſtræ fideliſsimæ Hiſpaniæ in cœlum aſcenderet, 2. *Mach.* 7. P. 3. *q.* 46. *art.* 6.

poſt

poſt varios labores, audi ſcripturam dicentem de illo: occidit au-
Act.12. A tem Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio. Deficiet me-
tẽpus enarrandi de Petro Apoſtolorum principe, de Paulo cõcio
natore regio ſupremo: Romæ vno die mortem accipientibus al
tero per crucẽ altero per enſem in cœlum aſcẽdente. Beatus vir
Pſalm.83. (ait Dauid) cuius eſt auxilium abs te, Domine, dux es primus in
laboribus repertus: nam talis aſcenſiones per labores & virtutũ
opera in corde ſuo diſpoſuit, quandiu eſt in hac lacrymarum
valle: in loco quem poſuit illum Adam peccando, vt laborare-
tur vt ipſe. Et ipſe exulem miſiſti, vt in ſudore quærat & labore
panem gratiæ: vt fecerunt omnes ſancti tuo auxilio freti.

Si à me Dei filio & à ſanctis meis ò homo, dedignaris edi-
ſcere labores quibus in cœlum aſcendas: diſce à brutis anima
tibus, quæ cum præfinitum & limitatum vitæ tempus habeant,
non ſine labore vitam degere vides, & curis & doloribus ſuos fœ
tus in ſuũ perducere ſtatũ. Lupus muſcipula capitur, & illũ, &
vulpem & leporem canes perſequuntur, canes fuſte percutiun-
tur. Et ante quam boui parum fœni in cibum detur de nocte,
priùs terram aratro ſcindit, & glebas rumpit labore: & ipſe ho-
mo æternus cum ſis à parte poſt & fine careas: credis gloria ęter
na frui, & cibum cœleſtem ſine labore aliquo obtinere? Fal-
leris certe, & mentita erit iniquitatis tibi. Ecce aſcendimus
ad labores boni & ſancti cum ſimus: mali, & peccatores, quo-
modo otio & voluptati vacantes cœlum videbitis? Non tolli-
tur iſta deceptio à vobis, quia me & ſanctos labores pati mag-
nos vidiſtis? Neque etiam quia bruta animalia ſine labore non
ſunt? Conſiderate res artificiales, ſi ſenſu non caruiſſent, quan
to labore ad ſuam peruenirent perfectionem, ſi capaces pœ-
næ fuiſſent. Ante quam lignum vt in magno & precioſo ædi-
ficio dignum ſit collocari, quanta credis illud pati? Scindi-
tur à radice ſua à qua fontem vitalem accipiebat, vnde conti-
nuo areſcit: dolatur ſecuri, pollitur aſcia, & decorticatur dola-
bra, pingitur, & alia multa patitur: & hoc vt ædificio cras rui-
turo collocetur. Audite hæc qui obliuiſcimini Deum, & labo-
rare non vultis.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam cœleſtem: vbi ſunt taberna-
cula glorioſa & ædificia valde ſumptuoſa perpetua: in quibus
beneplacitum fuit Deo habitare cum ſanctis electis eius oſ-
tenden-

tendendo ſe ipſis per claram viſionem. Cupis ò homo, in domo illa magna pulchritudine decorata collocari, & non vt lignum inſenſibile in tam ingenti ædificio poni, ſed vt Angelus Dei? Sed vt amicus & Dei filius per adoptionem, ad Deum perpetuo laudandum, & illo fruendum? Aſcende per labores ad talem ſtatum, & ſaltim quæ de ligno diximus fiant in te. Primum animã tuam ſcinde ab omni culpæ & voluptatis radice, à qua ſuccum venenoſum, & viriditatem caducam recipis: cauſas delinquendi omnes tollendo: etiam ſi ſecuri oporteat fieri: eruendo oculũ aut pedem ſcindendo: hoc eſt rem quantumcunque à te dilectã ſeparando à conſortio tuo. Dola deinde illam ſuperflua tollendo, aliena veris Dominis reddendo, propria pauperibus largiendo: vt ſic virtutibus & meritis animam decorare & pingere valeas. Etiam ſi Apoſtolus meus affirmat in arca teſtamẽti ex omni parte auro circundata, vrnam auream fuiſſe & manna, etiam virgam continere dixit: vt ſcias in hac vita tibi laborandum eſſe etiam diuiti, & auro circundato: & etiam ſi ex parte tua habeas manna corporis mei in cibum & dulcedinem illius: non deerit tibi virga correctionis, & tentationis & doloris, ſed indigebis aſcenſione laborum ſi ad cœleſtem Ieruſalem aſcendere deſideras. Non tamen terreat te laborũ virga, & pœnitentiæ, & crux: cum ibi in tuum auxilium ſit manna gratiæ & corporis mei, & vrna aurea meriti & charitatis. *Matth. 6. 18. B.* *Heb. 9. 2.*

Si lignum fari ſciret ſimul & intelligere, & accederes ad illud, & interrogares, quod duorum eligere vis arbor? Sine labore & dolatione & ſciſsione, & ſine ſecuris ictu, igni reſeruari dũ in ariditatem venias: aut cum his laboribus ad imaginẽ crucifixi deuenire, in templo Dei collocandam, & ab omnibus adorandam? Certe ſi capax eſſet & rationis particeps, ſecundum eligeret primum deteſtãs. Quare igitur ipſe homo rationalis cum ſis, ad cœleſte templum creatus potius vis ardoribus ſempiternis reſeruari: quam parum laboris reſtituendo aut pœnitendo, aut occaſiones fugiendo in hac vita pro Chriſto & animæ tuæ ſalute pati? Quia exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ tuæ, ideo roſis & voluptatibus te coronari vis, cum illis peſſimis de quibus in ſapientia legimus, & non breuem & momentaneum laborem per ferre cum ſanctis? *Simile.* *Sapi. 2. A.*

O hominis ſiniſtra electio, vidiſti partem ligni ex arbore nu *Simile.*

cis

cis corticibus & ſuperfluitatibus plenam? Vidiſti illam in terra conculcatam, ad nihil niſi ad ignem aptam, & in periculo concremandi? Accedit ſapiens ſculptor, & artifex prudens, & tollit ſuperflua, & dolat illam ſecuri & aſcia: ſculpit & pingit imaginem crucifixi ab omnibus adoratione latria veneratam: aut imaginem virginis hyperduliæ adoratione honoratam. Pars arboris arida, homo ſine gratia, peccator ſuperfluis plene interrenis & imis iacens inutilis, in magno comburendi igne infernali periculo: committe animam tuam Ieſu artifici ſummo, fine illam ab ipſo dolari & ſuperflua tolli. Patere aliquos labores, ex his quos in Dæmonis ſeruitio inceſſanter pati non dubitas: plora, geme, reſtitue, confitere: & certe ſculpta erit in anima tua imago ipſius Dei crucifixi per gratiam & poſtea imaginem Dei per lumen gloriæ recipies, ita vt ab omnibus cœli
Luc.16.F. colis magnum accipias honorem. Infelix diues auare epulo aride, lignum igni reſeruatum: quia in hac vita laborare renuiſti, neque ſuperflua reſcindere voluiſti: ignis inferni deuorat te vſq; ad conſumptionem. O Lazare ſerue Dei, quia ad horam vulnera & famem patienter paſſus es & à Deo dolari voluiſti: es modo coronatus in cœlo, & imago Deo valde accepta. Reſtitue diues, quæ illicitis acquiſiuiſti contractibus, alias ignis deuorabit te: patienter eſto pauper, in laboribus tuis, vt in cœleſti ædificio collocatus ſis.

Time homo, ignem, quoties male viuendo nil laboris aut ad
*Simile.* uerſitatis tibi contingit: quercum dolare & cortices dolabra tollere, quando vidiſti, ſi igni reſeruatur? Anima quæ in delitijs viuis, & vitijs, & cum hoc omnia ad libitum tibi contingũt: timore magno concuti deberes: & magna tuæ ſalutis æternæ dubitatione. Anima quæ in cœleſti ædificio collocanda eſt, in hac vita debet dolari, & adaptari: quia in inferno, etiam ſi valde cruciatur, non tamen poteſt ad perfectionem imaginis Deo dignæ peruenire. In cœlo non auditur ſecuris ſonus, non doloris aut gemitus ictus: quia non erit amplius beato do-
Apo.21.A lor aut luctus nec fletus. Quia iam in hac vita hæc omnia paſſus eſt: & in cœlo abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, hoc eſt amplius non plorabunt. Verum eſt (vt Eccleſia in hymno ſuæ dedicationis canit) quod vrbs illa Beata Ieruſalem cœleſtis, dicta pacis viſio, conſtruitur in cœlis viuis ex

uis ex lapidibus, ideſt animabus gratia viuentibus: & angelis eſt coronata, cuius plateæ ex auro charitatis puriſsimo ſunt & etiam muri: & portæ nitent margaritis adytis patentibus: tamen virtute ſanguinis Chriſti, & operum in gratia factorum illuc introducitur. Et talis eſt homo qui ob Chriſti nomen, hic in mundo premitur & aſcia politur: nam tunſionibus & preſſuris atque laboribus hic fiunt expoliti lapides viui, vt in cœlo coaptentur ſuis locis & manſionibus per manum artificis ſacri. Hic diſponuntur in mundo, tanquam permanſuri in ſacris ædificijs: gloria & honor Deo ſit in æternum & vltra, dicent omnes tales lapides.

Si ad ædificandum templum materiale Salomonis ſcriptum eſt, in illa domo cum ædificaretur, malleus, & ſecuris, & omne ferramentum nõ ſunt audita: etiam ſi ędificata fuit de lapidibus dolatis atque perfectis: quia in agro dolati fuerunt. Quanto magis ad conſtruendam illam cœleſtem domum & templum Dei viui, ex lapidibus perfectis, ſcilicet, ex ſpiritibus gratia viuentibus: malleus doloris nec ſecuris pœnitentiæ, neque aliquod aliud ferramentum tribulationis illic audiri debet? Hic in agro huius mundi, dolari debes frater mi, ſi in tam ſpecioſa domo deſideras collocari: hic labores pati, & pœnalia opera. Quoniam (vt dixit vnus lapis viuus Paulus nẽpe) per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, & in ædificium cœleſte: qui hic laborare renuerit, in cœlo panem Angelorum per beatificam viſionẽ, non manducabit: beati qui labores manuũ ſuarum, hic per gratiam comedent & in cœlo per gloriam. Amen. 3. Re. 6. A. Act. 14. D.

# Homilia Tertia.

¶ Ecce aſcendimus Ieroſolymam. *Tex.*

O Eleſtem fideles, ad cuius aſcenſum laborãdum vobis eſt: nam væ illi cui nil controuerſiæ aut laboris in vita contingit? In medium adducamus vnum pro multis exemplum quod Diuo Ambroſio contigit (vt eſt videre in Diuo Antonino) cum Beatus Ambroſius Romã pergeret: & in quadã villa Thuſciæ *p. 2. hiſt. ti. 9 cap. 7. §. 2.*

ſciæ apud quendam hominem nimis locupletẽ hoſpitatus fuiſſet: illum ſuper ſtatu ſuo ſolicite requiſiuit. Cui ille: ſtatus meus Domine, ſemper fœlix & glorioſus fuit: diuitijs infinitis abundo: ſeruos & famulos complures habeo: copioſam familiam filiorum, & nepotum poſsideo, & omnia ſemper ad votum habui, nec mihi aliquid aduerſum contigit quod me contriſtaret: promptuaria ſemper plena, eructantia ex hoc vino in illud oleũ, vt optime pingit Dauid. Ambroſius talia audiens, ait his qui ſecum erant: ſurgite, & hinc quam citiſsime fugiamus, quia Dominus non eſt in loco iſto: feſtinate, nec in fugiendo moram facite, ne nos diuina vltio apprehendat: & in peccatis iſtorũ pariter inuoluat. At cum fugiſſent, & aliquantulum proceſsiſſent, ſubito terra ſe aperuit, & diuitem infœlicem cum omnibus pertinentibus ad eum abſorbuit, ita vt nullum veſtigium remaneret, niſi quædam fouea profundiſsima. Quod cernens D. Ambroſius dixit ſuis: ecce fratres quam miſericorditer Deus punit, cum hic aduerſa tribuit: & quam ſeuere iraſcitur, cum ſemper proſpera elargitur: perijt memoria eius cum ſonitu, vt Dathan.

*Pſalm.143.*

*Simile.* Quando per viam inter quercus deambulo aut tranſeo ad aliquem locum, & oculos eleuo: illam quam ſine læſione video, neque ligno fuſte aut lapide percuſſam: ſtatim iudico abſque fructu fuiſſe, ſolis ornatam folijs, idem de arbore nucis dico. Nam fructibus abundans, percutitur & dilaceratur, vt fructus tollant ab illa pueri & iuuenes. Homo, qui es arbori euerſæ ſimilis, in via huius vitæ es, & inter ſcorpiones & tot pericula: & tamen ſi ne aliquo labore, aut lapidis ictu es infamięque percuſsione, aut paupertatis & perſecutionis vulnere carens? Quomodo timeo, te ſine bonorum operum fructu eſſe: niſi mea me fallit opinio, & vtinam fallat in hoc. Gaude anima nullius mali non confeſsi iam, tibi conſcia: quando iniurijs es laceſsita, infamijs percuſſa, infirmitate lacerata, in ieiunijs & ęrumnis continuo Dei amore exiſtens, ſine ira atque querela: Gaude & iterum in Domino gaude: quia eſt magnum & fere euidẽs ſignum te fructus vberrimos bonorum operum habere, glandeſque virtutum & nuces Chriſto dulciſsimas: cum Dæmones & mali homines totis viribus, velint à te fructum auferre meritorum.

*Simile.* Aliquando arbor quæ anno præterito fructum nõ dedit, hoc anno præbet: & contingit artifici lignum modo reprobare vt ineptum

ineptum & inutile, quod postea dolatum & sculptum ab ipso co aptatur optime alicui loco. O vtinam omnes nos hic astantes, qui anno præterito infructuosi fuimus: hoc anno fructus bono rum operũ Deo placidos reddamus. Et vtinã lignum hic addens ædificio cœlesti iuxta præsentem iustitiam ineptum, & ab artifice supremo reprobatum: respiciat te Deus, & à te superflua tollat, & dolet laboribus, vt aptum sis regno Dei. Ecce ascendimus Ierosolymam per labores ego & Apostoli mei & sancti, & etiam res artificiales suo modo ad perfectionem patiendo perueniunt: eia homines ascendite ad labores mecum, aut cum sanctis, aut cum artificialibus rebus, vel saltim considerate res naturales quanto suo modo subeãt labores, ante quam ad perfectionis gradum ascendant & attingant vltimum punctum: & inter omnia naturalia poma, & vuas, & triticum in mediũ adducamus. Prius quam poma dulcedinem suam & perfectionem sortita sint, per duritiam & acerbitatem transeunt: mille periculis exposita & laboribus gelu & frigori: à flore vsque ad fructum maturum. imo & omnes cibi naturales ab imperfecto & labore, ad quietem & perfectionem perueniunt. Docentes vos, si ad dulcedinem gloriæ, & beatorum perfectionem peruenire cupitis: labores & dolores & acerbitates subire non recusetis: qui aliter in cœlum peruenire cogitat, toto cœlo ipso aberrat. Antequam vua matura sit, & licor eius dulcissimus in perfectionem veniat, vt bibi possit à te vermicule terræ: ignoras etiam si negligentissimus sis, quanta prius patiatur incommoda, quantos que, suo modo, perferat labores? Putatur vitis, & foditur terra sua: exit propago & crescit in gemmam, & deinde fit acerba vua, multis periculis naturalibus exposita: nempe gelu, nebulæ aut grandini, furibus porcis & canibus. Et si ab omnibus his liberatur, non tamen à scindentibus illam à vite, à calcantibus in torcular, donec in dolio in vinũ coctum vertatur. Et vt ipse in cœlo sis vinũ quod Deus bibere gaudeat, & ipse torrẽte voluptatis suæ animã tuã potet & inebriet vino diuinitatis suæ, cogitas nullaboris frigoris aut tẽtationis aut bestiarũ incursus te fore patiẽdũ? deceptus es à propria malitia: nam ecce (ait Christus) ascendimus.

*Similc.*

*Similc.*

*Similc.*

Consideratione debita aliquando cogitasti, quanta granũ tritici patiatur incommoda, antequam ex illo panis cõficiatur, quẽ rusticus comedat aut subulus? Prius proijcitur in terram ab agri-

cola seminatione: à bestijs conculcatur, à glebis cooperitur ab aratro percutitur, & in terra sepelitur. Intus debet mori & formam suam amittere, si fructum reddere debet & nasci: alias (te ste veritate) nisi mortuum fuerit nullum fructum afferet. Deinde metu rumpendo nascitur terram, ne gelu vrat illud, & si non ne aqua deficiat, aut nebula inuadente medulla careat. Si granum accipit, timet lapides & grandines multoties (ob nostra scelera) fata destruentes. Si omnia ista euadit, non tamen messoris falcem, non triturationem in area & bestiarum conculcationem. Denique inter duas teritur molas vt furfures à farina separentur: & tandem igne edaci in panem conuertitur, quem miser peccator indignus illo vesci comedit, & sic in mensam tuam ingrate coram te ponatur. Homo, arrige cordis aures, quia si panis mundus effectus non fueris, mensa summi Dei dignus, absque dubio in æternum peribis, vua fellis & venenum dæmonibus factus, & ipsi erunt tibi rubetæ. Igitur vt talis panis fias, tanto regi & mensæ cœlesti dignus, quantos labores prius, frigora & metus oporteat te subire tu ipse iudica. Oportet vt prius in terram vilitatis tuæ proiectus fis, ab humilitate cordis & mortis memoria: sine dubio statim a bestijs, imo ab hominibus feris crudelioribus, conculcari debes, dictis suis & factis. Aratro pœnitentiæ cooperi peccata, & terra humilitatis bona opera: ne ab auravana corrumpantur, aut aues cœli comedant illa, si non cooperiuntur. Mori te mundo oportet si Deo nasci cupis, alias nullum fructum boni operis Deo & animæ tuæ afferes: multa tibi ferenda sunt à gelu hyeme & frigore peccatoris, & à tentationibus: lapidatus eris detractionibus. Et aliquando gaudij interni & solatij cœlestis aqua non pluet super te, etiam bonum existentem: vt magis Dei auxilium quæras, & maiora acquiras merita. Tandem mortis falce resecandus es, & in iudicio Dei inter duas molas eius, nempe iustitiam & misericordiam conteri & incerni, vt farina alba bona operatione & gratia decorata anima tua inueniatur, sine aliquo furfure delicti: vt sic charitatis igne panis mundus fiat anima tua ex virtutum farina & lacrymarum aqua confectus Deo & mensæ eius dignus.

Ioan. 12. D

Ecce ascendimus Ierosolymam, & videte homines otio vacantes tota die in Dei Ecclesia, si ascendere in cœnam agni vultis, quã tã vos oporteat pati, ante panis perfectionem. O Ignati martyr

tyr glorioſe, quam recte iſta intelligebas, quando ad beſtias immanes & leones rugientes ad eſcam damnatus, ſenex venerabilis, & Antiochenus Epiſcopus tertius à Petro, gaudenter venie-bas Romam, & epiſtolam ad fideles Romanos in hunc modum ſcribebas. O Romani, qui veram Chriſti fidem operibus iunctam habetis, vnde neceſſario iam ſcietis quanta nos oporteat ſubire tormenta ad capitis noſtri ſimilationem ante quã ad cœnam cœleſtem peruenire ſimus digni. Deprecor vos vt ne mihi impedimento ſitis, ad deuorandum me leones: ſinite me vt beſtiarum eſca ſim, per quam poſſum Deum promereri: triticum enim Dei ſum, ſed me conteri opus eſt ad panem: quæ molæ magis aptæ erunt ad hoc, quam leonum mandibulæ? Dentibus beſtiarum molar, vt poſsim panis Dei mundus inueniri. Quis talia noſtris dolendis temporibus cum iſto ſancto deſiderat? Omnes fere luxus amplectuntur, otio vacant & ludis, & dæmonũ dẽtibus teruntur de vitio in vitiũ, quo vſq; in gehennę inteſtina proijciantur ſi non reſipiſcant. Quanta iſtemet D. Ignatius fatebatur ſe velle pati vt Chriſtum mereretur adipiſci, alibi diximus, cum dicto D. Auguſt. in manuali poſito, de tormentis quæ ſubire deſiderabat vt dignus eſſet in cœleſti Ieruſalem Deo frui: & D. Bonauentura ſæpius dicebat: nolo Domine mi Ieſu, in hac vita ſine vulnere viuere, cũ te in cruce ſic videam vulneratum: ò ſancti fœlices. *Epiſt. 11. & eſt vlt.*

Regnũ cœlorum (ait Chriſtus) vim patitur, & violenti rapiũt illud: quia (vt ait Caie, ibi) vere regnum cœlorum vim patitur: quia tanta eſt excellentia, vt nullam habeat habilitatem ad hoc quod acquiri poſsit ab hominibus: naturaliter, bene autem gratia Dei adiutis: nam illi dicuntur violenti qui ſibi violentiam faciunt contra conſuetudines prauas: & illud dicitur proprie vim pati, quod patitur illud ad quod nullam habet habilitatem: ſicut corpus cœleſte non eſt habile, quod poſsit acquiri ab homine. Et quia de facto acquiritur regnum cœlorum ab homine Dei auxilio, ideo dicitur quod vim patitur: & violenti, proculdubio fide & operibus, rapiunt illud. Non ex merito naturæ aut actionum, ſed ex vi ſpiritus habentis poteſtatem ſuper regnum cœlorum potius rapiant quam iure acquirant: videant deſides & otio vacantes quid de illis erit. Regnum cœlorum ò homo (vt ait D. Auguſt. in manuali) venale eſt, tamẽ *Matt. 11.* *cap. 16.*

aliud non quærit pretium nisi te ipsum: tantum valet quantū es, te da & habebis illud, sed te sanctum & bonum in commutatione dare debes, alias malum & peccatorem Deus abhorret: & nil extra te dabis quod valeat ad emendum illud. Quid turbaris de pretio, cum Christus tradiderit se vt acquireret illud tibi, si totum te illi tradis? Quo ascendis Domine, quot sunt necessarij tanti labores? Ierosolymam: Quia Adam à pace animi peccando descendit ego illius fideiussor labore & passione ad Ierusalem ascendere debeo: vt morte mea hominibus pacem obtineam & reconciliationem cum patre meo. Vt scias in pace fieri totalis ascensio mea, ob hoc ascendere vt pacem habeas trinam, cum Deo tecum & proximo. Videte quam magna res sit in illa cœlesti Ierusalem habitare perpetuo, cum ego Dei filius tantos subeam labores vt vos conciues illius regni faciam. Et omnia quæ diximus necessaria ad ascensum, etiam si malis difficillima sunt, quia soli sine Dei auxilio per gratiam, ea perferunt, bonis tamen & perfectis tanquā Deo adiutis facillima nunquid adhæret tibi Deus sedes iniquitatis, ideſt qui sedet in iniquitate ad ascendendum tecum in Ierusalem per labores adhærebit tibi, cum dicat præcepta tua grauia esse? Fallitur certe, nam laborem in præcepto fingis: cum reuera iugum sit suaue tecum portanti, & onus leue: quia ipse adiuuas illum: latum mandatum tuum nimis?

*Psal.93.*

*Matt.11.d*

*Psal.118.*

Cum Christus pro nobis tanta in Ierusalem asceſu passus sit vt nos ad pacē cœlestē ascendamus, & interim nil boni fere facimus, quid nobis faciendum restat? Dixit Deus Abrahæ: tolle filium tuum quem diligis Isaac & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum. Hanc figuram interpretemur modo cum D. Antonio de Padua. Abrahā fidelis (ait Deus) qui pater multorum operum esse debebas: tolle filium, ideſt corpus quod sic vane diligis, quod arridet quando ad libitum illi omnia eueniunt, & gaudet cum desideria sua adimplet. Tamen risum talem reputauit errorem (vt ait Salomon in sua concione) & gaudio tali dixi, quid frustra deciperis hominem? Tolle igitur (ait Deus) carnem tuam quam ita diligis, & tam affectuose nutris: ac si non esset scriptum, qui delicate à pueritia nutrit seruū suum ideſt, corpus: postea sentiet eum contumacem & contra spiritum rebellantem: tolle tolle & crucifige eum, semel & bis. Et si dixerit Pilatus, carnalis nempe affectus: quid enim malefecit

*Do. in quin qua. fol 58.*

*Eccle.2.A.*

*Prou.29.C*

cit

cit caro, vt crucifigi iciunijs & pœnitentia debeat? Deum contempſit, & proximum ſcandalizauit, & proprio ſpiritui mortem induxit. Vide ſi digna eſt patibulo ſuſpendi, quæ vt ipſa gauderet iterum Chriſtum crucifixit: vt ipſa voluptati vacaret, illum iterum flagellauit. Offer igitur corpus in holocauſtum domino, pœnitentia & labore illud crucifigendo: & hoc in monte viſionis, qui eſt Ieruſalem, patiendo ibi aliqua ex his quę Chriſtus paſſus eſt, vt ipſe inuitat dicens: ecce aſcendimus, eia aſcendamus ad labores. Et offer illud in altari, ideſt, in conſideratione paſſionis Chriſti in pœnitentiæ cruce, & in holocauſtum: quod dicitur ab holon quod eſt totum, & cauma quod eſt incenſio, quaſi totum incenſum. Quia totum animal ſine alicuius partis reſeruatione Deo offerebatur in ſacrificio holocauſti incenſum: & ſic igne charitatis totum corpus tuū incende & cruci trade, vt Chriſtus totum ſe obtulit morti.

Sicut corpus humanum conſtat ex quatuor elemētis igne aere, aqua & terra: ignis viuit in oculis, aer in ore, aqua in lumbis terra in pedibus & manibus: ſic in corpore peccatoris peccato ſeruientis, ignis viuit in oculis per curioſitatē: & concupiſcententiā: aer in ore per loquacitatem: aqua in lūbis, per voluptatem: terra in manibus & pedibus, per auaritiā & crudelitatē. Contra primū facies Chriſti fuit velata, vt ſic melius percuſſa: cōtra ſecundū fel le potatus tacens: contra tertium flagellatus & lancea per foſſus, vt à te educeret voluptatis humorē: contra auaritiam, clauis affixus: igitur tolle corpus tuum & aſcende cū Chriſto in Ieruſalem & ibi, offer illud Deo, totum pœnitentiæ tradendo, corpus miſerum aggrauans animā. In Ieruſalē aſcendit Ieſus, quia in pace & ad pacē componendā inter patrē & nos miſeros rebellantes, fit totalis aſcēſio eius ad labores & crucē: pax ipſe erat & ad Ieruſalē pacis viſionē aſcendebat, vt nos pacificos faceret & ad pacē ſupernā deduceret: ſed trahe nos poſt te dñe, vt nos curramus poſt te vir tutū curſu, nō metuentes labores. Tamē quid magni pax eſt dñe? Quid aſcēſus eius? Quid aſcenſionis fructus? Multus per omnem modū: Cū pax ſit, quā Deus nobis bello ſuo & morte acquiſiuit: nēpe animi tranquillitas & cū Deo amicitia, & ſubiectio ſenſualitatis rationi, in licitis & honeſtis: & ratio Deo ſubdita, & proximi dilectio.

*Simile.*

*Sapi. 9. C.*

Non tamen ad omnem pacem aſcendere debemus, ad quā ſi

aſcendimus in profundum deſcendimus. Nã eſt pax (ſi fas eſt illã ſic appellare & non potius bellum crudele) quæ vtilius in diſcordiam verteretur: & iſta eſt pax animæ ad corpus: quando illa nobili genere nata, iſti infami & terreno deſeruit, & morem gerit & iuſſa illius incunctanter adimplet. O deteſtanda pax qua homo cõtra Deum bellum gerit, & ſeipſum in illa occidit & perdit: talis pax eſt vt illa quæ inter homines iniquos reperitur: qui ad mala patranda & Deo iniuriam irrogandã pacis fœdera interſeſe com
Luc. 23. E ponunt vt Herodes & Pilatus: & male concorditer ſentiunt, & fa
Prou. 1. B. ciunt contra veritatis regulas, & contra Dei mandata. Habent enim marſupium vnum commune, vt Deum honore ſuo (quantum in ſe eſt) ſpolient, & proximos, fama & facultatibus priuent. O pax horrenda talis, & quæ cum vitijs & corpore habetur: quã iuſtum eſſet & vt in bellum verteretur. Pax vero ad quam eſt ordinandus aſcenſus, & quam Chriſtus nobis ſui ſanguinis diſpendio acquiſiuit, eſt corporis ad animam non ècontra: omnino expedit animam corpori in nullo condeſcendere in fœderibus iniuſtæ pacis: ſed corpus cum anima in lege Dei concordare: & anima cum Deo, & hac via aſcenditur ad pacem ſupernam, ad quã inuitat nos diuinus dux noſter dicens: ecce aſcendimus ad pacẽ vobis componendã vitæ iactura in Ieruſalem: aſcendite & vos ad talem pacem animi, etiam quocunque labore oblato.

Text. ¶ Et filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis.

VT quid multoties domine, filiũ hominis appellas te? Et quid per hoc intelligis? Eſt ne quod aliqui affirmant, te filium virginis hoc verbo ſignificare atque vocare? Tamen ſi mea non eſſet tam tenuis opinio, dicerem forſan (ſalua ſanctorum ſententia) quoties Chriſtus in euangelio vocat ſe filium hominis: vocare ſe velle ex magna ſua humilitate hominem infimæ claſsis & abiectum: vnde frequenter Ezechiel à domino dicitur filius hominis: acſi diceret fili hominis ideſt homo abiecte: & hoc ne magnitudo reuelationum illum extolleret, & myſteria recondita illi à Domino oſtenſa, in elationem illum inducerent. In ſcriptura homo perditionis ideſt perditus ſignificatur: & quod filius hominis

nis significet hominem abiectum, aperte videtur Dauid insinuare dicens: quid est homo quod memor es eius domine? Homo vanitati similis factus non est? Quid boni in illo vides vt illius memoriam habeas, ad multa beneficia illi tribuenda? Et quod hominis nobilis & ingenui memor sis, transeat, etiã si magna res est: tamen quid est filius hominis, id est, quiuis & abiectus homo, quia reputas eum, & mentionem illius facis? Vnde forsan Christus humilitatis gratia, & vt nos de genere sine virtute non gloriari doceret: vocat se filium hominis, non ostentans quam communem cum patre habebat Dei æqualitatem, sed hominem atque ex abiectissimis vnum se faciens: vnde forsan antiqui hoc intelligentes, filium virginis interpretantur, quia ipse hominẽ se abiectum vocat, ego sum vermis & non homo. *Psal. 8.* *Psal. 21.*

Ecce ascendimus vt tradar & patiar & moriar. O verbũ nõ flagitiosi peccatoris, sed optimi redẽptoris. Malefactor dicit amicis, ecce ducor ad mortẽ inuitus, nõ dicit ecce vado: dñs tamen dicit ecce ascendo, acsi dixisset ascendo gaudens ad moriendum pro vobis. Vnde Remigius duo dicit se pro nobis facere velle Christus his verbis: & mori, & velle libenter mori & tradi amore nostri: & sic ad duo inter alia tenemur: vt morti suæ seruiamus non moriẽdo per culpã, & volũtarie subire labores nõ recusemus: ego filius Dei tradarait. Reuera, si cor nostrũ adeo lapideũ non esset, hoc solum ad eius per cõtritionẽ sciscionem causa sufficiẽs esset: audire ipsum filium Dei sua numerare flagella, suam narrare ligationem, illusionem & crucem. Et cor meum, & si durum, non minus tormenta Christi in passione habita & in euangelo scripta mouent, dum ab ore suo illa enarrare audio: quam legere illum patientem ipsa de facto. Agne mansuete, non sat tibi est pro hominum flagitijs vt flagitiosum ligari: quin ore tuo hoc prius affirmes dicens ego tradar? sufficiat te flagellari pro voluptatum amatoribus plusquam Dei: sine hoc quod flagella tua numeres dicens, tradar ad flagellandum. Vtinam & cum hoc ab hominibus obtineam, flagitia abhorrere penitus.

Meminit tamen Christus prius de traditione sua & captione, tanquam de initio dolorum suorum, & corã ipsomet Iuda sacerdote & Apostolo qui erat illũ traditurus: vt sic videns Christum futura scientem facti pœniteret: & à malo desisteret, tantum Dominum omnia scientem timens. Et hac de causa & etiam vt

illum infamia non respergeret nomẽ Iudę subticuit: vt si à nobis valuisset obtinere, etiam malorum hominum famam custodire, quanto magis innocentes non infamare. Mentionem tamen hominum, quibus tradendus erat, facit, nempe principum & pharisæorum, vt dolorem super dolorem sibi adderet & omni homini illum vere diligenti: dum traditus à discipulo, hominibus in dignitate constitutis, & illis qui maiora contulerat beneficia offeratur ligatus, vt ad libitum contra illum inuidia tabescentes & odio debacchẽtur. Nescio quam siniſtra sors mundum à sua creatione occupauit, vt hi qui Deo magis obedire ob maiora beneficia accepta tenebantur, fere semper maiora scelera contra ipsum ausi sunt perpetrare: vt hic patet, & in Lucifero, Adam Salomone & alijs quorum non est numerus.

*Hom.* 35. Tradetur principibus sacerdotum: & quando videris (ait D. Chryſ. in imperfecto) scripturas prophetarum, euangelij & apostolorũ, traditas esse in manus falsorum sacerdotum & scribarũ dicentium & non operantium, prædicantium & scandalum præbentium, tunc intelliges, quia verbum veritatis traditum est principibus iniquis & phariſæis in malo diuisis. Et quando videris dominum meum Iesum datum in altaris sacramento, homini peccãdi causas radicitus tollere nolenti, sed tanquam cani ad vomitum quotidie redeũti, plora & dole vehementer, quia dominus angelorum traditur Iudæo peruerso. Cum dicas quibus tradendus es Domine, vt quid etiam non dicis à quo? quia (vt dictum est) nolo Iudam infamare, & quia nondum decreuit me tradere: & etiam si sciam hominem contra me peccaturum, diligo & honoro illum quam diu amicus est. Et etiam Iudam non nomino, quia non solum ab illo tradendus sum, sed à multis: quos in sequenti ponemus homilia. Interim vos homines, discite à me duce labores perferre, ascendere ad perfectionem exemplo omnium creaturarum, vt sic ad cœlestem Ierusalem peruenire digni sitis per gloriam Amen.

Homilia

# Homilia Quarta.

¶Et condemnabunt eum morte, & tradēt eum gentibus ad illudendum. Tex.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

CVM esset cor Dauid regis, versum ab Absalon, & merito quia occiderat filium suum Amnon, nolebat illum videre neque homicidium illi parcere. Venit tamen mulier Thecuitis ad illum, & cecidit coram eo super terrā & adorauit, & dixit serua me rex. Quid causæ habes? Heu mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus: & ex duobus filijs meis vnus alterū occidit, & iustitia tua viuū suspēdere vult, serua me rex. Nemo tanget filium tuum, vade in domum tuam. Quia infra hanc figuram fusius in septima homilia cogito explanare, ideo summatim dico. Cor patris æterni auersum est à nobis homicidis animarum nostrarum, imo filium eius crucifigentibus sceleribus nostris. Auertit faciem suam à nobis nec videre vult tam audaces creaturas, cōtra benignitatem suam. Ingredere virgo sancta, quæ olim quasi vidua eras filium tuum crucifixum plorans, & dic patri æterno, serua me rex in exulibus meis fidelibus. Quid causæ habes virgo sancta? Occiderunt peccatores filium meum culpis & tuum quantum ad ipsos attinet: & damnati sunt inferni patibulo, parce illis cū iam filius meus resurrexit & sedet gloriosus ad dexterā tuam. Verum est quia morte condemnarunt illum peccando, & tradiderunt desiderijs suis ad illudendum, & voluptatibus suis flagellauerunt: tamē iam dolent de tam immanibus delictis, ideo serua me rex in illis, parcendo ipsis. Nemo tanget illos si vere pœnitent miserorum aduocata: fac cum hominibus vt quiescāt agere peruerse: & ego parco, vade secura in domum tuam & in sedē supremam tibi datam in hac gloria mea. O homines, obtineam à vobis ego Dei mater vt vltra filio meo ne illudatis, neque culpis in vobis occidatis, & à patre impetrabo vt amore filij, gratiam Paracliti ad vos immittat vt ab omni malo vos custodiat. 2. Re. 14 A

Fac virgo,& nos humiliter proſtrati ſalutationem angelicam dicemus. Aue.

Ecce homines(ait Deus homo) quomodo amore veſtri aſcendo Ieroſolymā ad multa patiendū ob veſtram redemptionē : & vt vos libenter opera pœnitentiæ & crucis,ad pacem animæ obtinendam ferati:quis veſtrū non dolet vehementer de peccatis ſuis,quorū cauſa me tradendū ad tanta ſupplicia affirmo? A quo traditus eris domine? Primo traditus ſum à patre meo : quia non haberet poteſtatem Iudas aduerſum me vllam, nec ad tradendū (vt dixi Pilato) nec carnifices ad flagellādū,nec iudex ad crucē me damnandum:niſi data fuiſſet illis à patre meo,à quo traditus ſum ob ſcelera veſtra:propterea qui me tradidit, maius peccatū habet,Domine mi,ſi Iudas nō haberet poteſtatem tradēdite principibus ſacerdotum, niſi datam habuiſſet à patre tuo, quod eſt delictum eius? Et ſi eſt,vt quid affirmas fuiſſe peccatum illius maius:quia à patre habuit poteſtatem? Pilato dixi hoc, vt ſciret me diuina permiſsione,non ſua poteſtate illi traditum fuiſſe : non tamē ob hoc glorieris Pilate, quia non eſt vera poteſtas quā in me exerces,ſed tyrannis & latrocinium,tamen etiā ſi permittitur tibi poteſtate tua abuti,noli inde gloriari ipſe & omnis iudex ſimilia faciens,quia non relinquet dominus virgam peccatorum iudicum,diu ſuper ſortem iuſtorum exerceri, nec iudices impunitos. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum,qui ſecat in ea? Aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe(ait Dominus per Iſaiam) & exaltabitur baculus quiutique lignum eſt: ſic malus Iudex abutens poteſtate,contra Deum eleuatur: & perſecutor quo Deus contra amicum ſuum vtitur.

Ioan. 19.B

Pſal. 124.

Iſai. 10. D

Simile.

Sicut latro nil iuris habet in hominem,tamē poteſt eum ex inſidijs occidere:ſic tu Pilate, nil habes in me poteſtatis, niſi quantum permiſerit pater : & Iudas & Iudæi qui me tradiderunt tibi, maius peccatum habent quā tu qui etiam peccas , quia ipſi me innocentem comprehenderunt, & falſo accuſarunt , & ex inuidia faciunt hoc : tu ex timore, ſed tamen non ſine peccato. Peccas igitur damnans me innocentem:grauius tamen Iudas & Iudæi tradentes me tibi damnandum . Quod pater meus me tradidit , dicat Paulus ad Romanos: qui proprio filio ſuo non pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit illum flagellis illuſioni & cruci,

Rom. 8. F.

cruci: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Quid dubitas deuenia peccatorum tuorum (si vere doles de illis & confiteris à patre cœlesti danda: qui filium vnigenitum suum morti tradidit, vt tibi veniam daret? Qui maius dedit tibi inimico, non dabit minus pœnitenti? Intret in hunc Pauli locum angelicus illius cõmentator & dicat sua sapientia & dexteritate: proprio filio non adoptiuo, vt hæretici mentiuntur, sed naturali & coæterno: vt simus in vero filio eius Iesu (ait Ioannes) pater æternus non pepercit, ideſt eum à pœna non exemit, neq; à flagellis aut cruce: nã culpa in eo non fuit quæ parci potuisset. Non tamẽ Deus pater filio suo nõ pepercit, vt ei aliquid boni accresceret inde, cum sit per omnia Deus perfectus: sed propter nostrã vtilitatem eum flagellis & cruci subiecit, & pro nobis tradidit: ideſt passioni exposuit illũ pro expiatione peccatorum nostrorũ: filiũ pro seruis puniendis iustum pro iniustis: & dominus posuit in eum (ait Isaias) iniquitates omnium nostrum, vt morte sua solueret. Sic Deus pater dilexit te ò homo.

D. Tho. lec. 6.

1. Ioã. 5. D

Isai. 53. B.

Tradidit pater filium pro nobis in mortem, cum incarnari & pati statuendo: & humanæ eius voluntati inspirando charitatis affectum, qua passionem spontaneus subiret. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, & quale donum morti traditum, vt nos à seculo nequam erepti essemus. Quare nos omnes cum Paulo verbo & opere non dicimus, quis nos separabit à tua charitate & amore pater æterne, qui talem ac tantum filium pro nobis morti crucis tradidisti? Ne vltra, tribulatio anguſtia aut tentatio, fames nec nuditas aut infamia: imo gladius aut persecutio aut mors, separare possint nos à tua amicitia & gratia pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui adiuuas nos in omni tribulatione nostra. Ego filius hominis, etiam tradar hominibus ad mortem à me ipso spontaneus ob salutem vestram. Audite Paulum dicentem: Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. In fide viuo filij Dei (ait ad Galatas idem) operando bona, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me & (vt ait D. Th. in hoc loco) filius tradidit se, & pater tradidit filiũ, & etiã Iudas: & totũ vna res est, sed nõ vna intẽtio. Quia pater ex charitate, filius obediẽtia simul & cũ charitate, Iudas vero proditorie & ex cupiditate. Tradidit ergo filius Dei in mortẽ animã suã (ait Isaias) & cũ sceleratis reputatus

Ad Rom. 8. F.

Ephe. 5. B.

Ad Gala. 2 D.

Lect. 6.

Isa. 53. D.

tatus eſt: vt nos cum angelis ſanctis & cum Deo gratia & gloria viuamus.

*Mat.26.B.* Deinde à diſcipulo traditus eſt dicente: quid vultis mihi dare Iudæi, in concilio contra Ieſum congregati, & ego eum vobis tradam libenter? Quam commutationem recipies miſer ſacerdos, *Mat.16.D* pro tanto domino? Quid proderit tibi etiam totum mundum accipi in eius emptione, cum anima tua detrimentum æternum recipere debeat? O vtinam & hodie multi Iudæ ſimiles non reperirentur inter nos fideles: qui minori pretio triginta argẽteorum, nempe ob gaudium voluptatis caducę, aut vindictæ aut periurij verbum, filium æterni patris, non ſemel ſed multoties venderent faxit Deus ne altaris miniſtri talia cogitent, vt oſculo aut voluptate filium hominis tradant: alias diffuſa erunt viſcera eorum vt *Actu.1.C.* fuerunt Iudæ.

Deinde traditus fuit à Iudæis Pilato iniquiſsima inuidia: vt ipſemet fatetur Pilatus dicens: gens tua & pontifices, quibus magna beneficia impendiſti, tradiderunt te mihi: etiam ſi ſcio per inuidiam tradidiſſe te, & per malitiam. Cum ipſi Iudæi non poterant exequi ſententiam de morte Ieſu, tradiderunt gẽtibus eum, curiæ ſcilicet gentilium in qua præſidebat Pilatus: qui deinde ip*Mar.13.B* ſe iniuſtiſsima ſententia Iudæis tradidit Ieſum flagellis cæſum (vt ait Marcus) vt crucifigeretur. Iſtæ traditiones ſignantur in illis verbis ſacri canonis: nam (vt ait D. Bonauen. in expoſitione *To.2.fo.213* miſſæ) hæc dona vbi dicitur, ſignatur à patre traditio gratis accipe pater hæc munera: vbi filij traditio intelligitur & venditio: hæc ſancta ſacrificia à Iuda & Pilato & Iudæis tradita ad ſacrificium crucis aut primum à patre donatus, ſecũdo à Iuda munere vẽditus, deinde ipſe filius in ſacrificiũ datus. Dicamus igitur omnes plorantes & flentes peccata noſtra, cũ eccleſia in hebdomada ſancta: reſpice quæſumus domine ſancte pater, ſuper hanc modicam familiam chriſtianam, & in magnas redactam anguſtias: reſpice & miſerere illius, & pacifica & coaduna illam & in orbem vniuerſum dilata vt olim: pro qua dominus & pater noſter Ieſus Chriſtus, non dubitauit manibus tradi no centium, & crucis ſubire tormentum. O vtinam exaudias nos Domine & cito.

(?)

ET

## ¶Et condemnabunt eum morte. Tex.

QVis tale verbū ſine gemitu cordis audire valet à vita quæ dat omnibus vitam ſine qua viuere impoſsibile eſt, ſed ne ceſſe mori, & dicat: certe me morti adiudicabūt in peccato mortui homines, qui à me vitam acceperunt, & ſine mea conſeruatione per inſtans viuere non valent, ſed in nihilum tenderet. O ingratitudo magna mortalium, vitam fontalem morte dānare audientium. Et condemnabunt me iniuſte falſis teſtibus, ſine aliquo delicto: ſed tantum, quia fideiuſſor hominis peccantis factus ſum: omnes nemine dempto mortem meam ſitient: hoc eſt condemnare: ſimul omnes me damnare, dicentes, crucifige tolle, cito, moriatur, non viuat: morte turpiſsima condemnemus eum, *Sap. 2. D.* nempe crucis vt eſt in ſapientia. Et condemnabunt, qui domine? ſacerdotes Dei, & pontifices magni & literati, & iudices & maiores, & qui maiora à me receperunt beneficia, vt modo fit. Eum. Quem eum mi Ieſu? me filium altiſsimi, angelorum gaudium, beatorū vitam, viuorum gratiam, mortuorum reſurrectionem, & iudicem omnium hominum tam mortuorum quam viuentium. Et ad quid damnabunt? Ad flagella, aut alapam? Ad hæc, & etiam inſuper ad mortem omni opprobrio vilipenſione & ignominia plenam: nempe ad mortem crucis. O hominū peruicaciam & ſcelus.

Graue delictum fuit filium Dei morte affici ab hominibus ſemel in cruce: tamen attende tibi homo, non verens quoties tibi occaſio offertur delinquēdi, ſcelus perpetrare, ne & ipſe ſis vnus ex illis hominibus facinoroſis Chriſtum crucifigentibus: cū Chriſtum regnantem in cœlo, cui mors vltra non dominabitur, quātum in te eſt, morte condemnes. Faciens peccato tuo, ne ſit vita animæ tuæ per gratiam. Si vitam alicuius tolleres, non ne homicida eſſes iudicatus, & ſuſpendio dignus? Occidiſti gratiam, fecisti tuo ſcelere Deum in anima tua non viuere per amicitiam, igitur homicida, & ſuſpendio æterno dignus es: qđ Paulus affirmare videtur ad Hebræos dicens, rurſum crucifigentes ſibi met ipſis filium Dei, & oſtentui habentes, cum talem ac tantam vitam non verētur peccatis ſuis occidere, & à ſe peccatis reijcere. Sicut tunc ſacerdotes (ait Chry. in imperfecto) vel propter vanam gloriam, vel ob auaritiam condemnauerunt Chriſtum morte, cogitantes ac intra *Simile.* *Heb. 6. B.* *Hom. 35.*

ac intra se dicentes: si hic viuit nos sacerdotes esse non possumus secundum legē, nec solennia illa lucra percipere: quia aperte nostram populo ostendit auaritiam in suis concionibus, & reuelat corda nostra ambitione infecta. Ita & nunc impij sacerdotes, & scribæ, verbum veritatis dignum iudicant interire, & vt non viuat in concionibus: rogitantes atque intra se dicentes: si verbum Dei, vt decet calore & veritate prolatum, viuit, & regnat, quomodo nos sacerdotes volētes voluptati vacare, & ambitioni: viuemus, & sacerdotalia lucra percipiemus? Impediamus proviribus & posse, ne viuat, & in ecclesijs nostris non declametur, quis sacerdos modo inter nos, talia audiet contra verbum Dei facere? Vtinam ne, quo ad plurimum, ipsi, qui salutem & vitam, tanquā Dei ministri pro concionibus obtinendis ad cibum ouium suarū dare debebant, magis verbum Dei contemnant, & audire negligant, ob hoc solum, quia ostendit maculosam vitam illorū: & consuetudinibus prauis resistit, vnde nec ipsi volunt audire, nec alios sinunt. Et concedat omnipotens, ne sint aliqui verbi Dei præcones, ita desiderijs suis secularibus dediti: qui adulterēt Dei verbū, & verum sensum illius occidāt, ne contra sua propria facta prædicent: & sic tradant veritatis verbum peruersis expositionibus suis ad suam propriā vindictā extortis, & in suorum desideriorum lenamen: ad illudendum & crucifigendum illud, disputātes aut cōcionantes illud sine Dei timore, nec illud operandi cogitatione. Quam multi infelices, quondam Dei ministri, nostris calamitosis diebus in alijs dolendis nationibus (ô fœlix Hispania si grata fueris & tua bona noris) sicut tunc sacerdotes & scribæ Christū Messiā esse agnoscētes, & inuidia & odio obcæcati, verū filium Dei esse non intelligentes (alias opera quæ ipse faciebat testimonium perhibebant de illo verum esse Deum) quasi hominem maleficum gentibus tradiderūt nō agnoscētibus illū, & sic crucifixerunt. Ita & miseri sacerdotes & religiosi fidē abnegātes cū Deum verū prius agnouissent per fidē, & etiā per scientiam & scripturas quas legebant, interpretabātur, & intelligebant: suis corruptis moribus hoc exigentibus: & quia voluptatum amatores magis quā Dei erant, ipsum Deum tradiderūt popularibus, & rudis hominibus, & gentibus imperitis (quod grauissime dolendum est & cogitatu horrendū) ad illudendum & crucifigendum sacrum Dei verbum, ad sua nociua desideria torquendo.

Ioan. 10. E

Multi

Multi illorum verbo veritatis illudunt, male edocti à pseudoprophetis, & crucifigunt quasi menda cium: tamen etiam si ignorassent veritati se illudere & occidere, non essent absque culpa. Quoniam fides quam habebant ante errorem, contrarium illos docebat, & veritatem ostendebat, & à multis poterant bonis & fidelibus illam inuenire: sicut nec gentiles, Christum occidentes, excusati sunt, etiam si sapientes legis illum sibi tradiderunt. O Hispania nostra, Deus tibi mittat auxilium suũ sanctũ de cœlo semper, vt libera sis à tanto malo vt modo es, & semper magis: vt sua gratia te defendat, & fidelium sapientium in te viuentium, Deum & ecclesiam & pontificem diligentium auxilio. Reuera fidelissimos filios literarum habes, & virtute præditos, & magnos concionatores: hodie magis quam multo tempore retro vt damnum aliarum nationum aliquo modo per te recuperet sancta Romana ecclesia: vtinam omnia desiderabilia sua quæ hostis arripuit, cito reaccipiat lætanter: & omne quod pulchrum erat visu in ecclesiæ tabernaculo effusum quasi ignem. Nullus ab ista hora fidelis, Christum dominũ suo peccato morti damnet, perviscera ipsius Iesu iam semel in cruce sui amore defuncti manentis: quia valde vulnerant cor meum verba Hugonis de sancto Victore, in persona ipsius filij Dei sic vnicuique nostrũ, dicentis: ò homo, serua animã tuam omni custodia & vigilãtia: ego pro illa mortuus sum in duro atque stricto crucis lecto. Si illam occideris peccato & amiseris, ego iterum mori non possum, neque mors vltra mihi dominabitur (vt ait Apostolus) volo tamẽ ne iniuriam hanc magnã mihi irroges: quia si animam tuã morte mea invitã restitutam, voluntarie peccando amiseris, quãtum in te est iterum me crucifigis: iterum me mori compellis.

*Thre. 1. D. 2. B.*

*Ad Ro. 6. B*

¶ Et tradent eum gentibus ad illudendũ. *Luc.*

TE Deum angelorum decus & beatorũ honorẽ, & patris sapiẽtiam & mundi creatorẽ, homines debent illusioni exponere? Etiam ego dico & ita erit, ò hominũ audacia, o peccatorũ nostrorũ malitia & scelerum grauitas, qua Dei filius ad illusionem perductus est: domine mi, quando & quoties, & à quibus illudendus es honor patris diuini? Prima illusio qua confusus ero in nocte tristi, posita est à Luca dicẽte: & viri qui tenebant Iesum: illudebant ei, cædentes: & velauerunt eũ, & percutiebant faciem eius.

*Luc. 22. C. 23. B.*

Secunda

Mat.27.D secunda, quãdo Herodes ſpernet me, cũ exercitu ſuo: & illudet in duto veſte alba mihi patris ſapientiæ. Tertia illuſio mihi irrogata erit, quando poſt ſpinas & tribulos capiti meo affixos, & arundinẽ in dextera mea poſitam: genuflexo ante me illudent mihi dicentes, aue rex Iudæorum, percutientes arundine caput meũ & faciem conſpuentes. Vltima erit, quando me in cruce exiſtente ſummi ſacerdotes illudant mihi, ad alterutrum cum ſcribis dicentes alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt ſaluum facere, ſed quia ad longũ, Dei auxilio, in paſsionis proceſſu iſtas illuſiones, Chriſto irrogatas tractatas, tibi videre licebit, accipe in hunc locum quæ tibi placuerint ibi.

Mat.13.C

Quare tamen Domine, ad paſsionẽ tuam in particulari deſcẽdens, illuſionis prius, quam flagellorum aut crucis memoriam facis? Quia præcipuum dolorum meorum & initium omnis afflictionis meæ illuſio erit, & vt omnes homines, illã memoria retineatis, cauentes magnopere ne peccatis veſtris me illuſioni exponatis. Homini ingenuo & nobili, clariſque parentibus orto, alia maior iniuria & ignominia irrogari non poteſt, quã illuſio: & cum mihi filio Dei nobilitas infinita ex parte patris inſit, ex parteque matris ex ſtirpe regia Dauid deſcendam: valde anxiatur cor meum dum talis illuſionis recordatur: & cum ſit in memoria mea prima, illius mentionem antequam aliorum tormentorum facio: ô illuſio contra me ventura dolorum meorum initium. O peccati grauitas quam magna eſt, cum oporteat vt Dei illuſione deleatur, & Chriſti opprobrio ſoluatur. Vti

Gal.6.B. nam iam quieſcerent homines (poſt quam Dei filius illuſus fuit, ob ſuum amorem) Deo peccatis illudẽdi: etiam ſi Deus non irrideatur, teſte Paulo, percutientes caput illius peccato, & faciem

Pſal. 93. eius velantes ſua conſideratione: nam ita effrẽnate legem Dei trãſgrediuntur ac ſi dixiſſent, non videt Dominus nec intelligit Deus Iacob ſcelera noſtra. Vnde cum Herode ſtultum illum iudicant, & quaſi neſcientem illorum delicta nec opera ſua conſiderare. Et inde ſequitur, vt arundine vacua, fide nuda ſine charitate, illudant Deo ipſi, & crucifigere non vereantur ſuis malis: imo poſt crucifixionem mouentes capita, quaſi Dei iudicium nihilo pendentes, non verentur Deum irriſioni exponere.

Iſai.28.D Propter hoc (ait Dñs in Iſaia) audite verbum domini viri illuſores,

res, qui dominamini super populum meũ, illum ad malũ inuitando & mihi illusionem irrogando: & dixistis, faciem meam velando, percussimus fœdus cum morte: non moriemur, quousque nos mori velimus, & non veniet illa hora: & cum inferno fecimus pactum, vt non absorbeat nos neque torqueat: flagellũ inundans iudicij Dei cum transierit per omnes. Non veniet super nos: spem nostram mendacium posuimus: quia in re quæ semper mentitur, nempe vitio aut facultatibus. Audite verbum Domini viri illusores, & ad vos in tempore reuertimini, quia certe moriemini & cito, & delebitur fœdus vestrum cum morte cul pæ quod feciſtis, & morte æterna puniti eritis: quia non stabit pactum vestrum cum inferno à vobis factum: quiescite iam ab illusione animæ vestræ irrogata. Audite verba dolenda à Diuo Anselmo prolata de hac Christi illusione. O mi Iesu, illudendũ Herodi te illusum misit Pilatus iniustus, illusumq; recepit: nudum in conspectu eius & derisorum astare te iussit, nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnẽ tuam diuellere ex virgine sumptam: plagas plagis liuores liuoribus crudeliter infligens. Et nunc nolite illudere Christo Domino in cœlo regnanti homines (ait ibi Isaias) ne forte constringãtur vincula vestra, *Ibi. F.* & obstinatione difficiliora vobis reddantur: consummationem enim seculi & abbreuiationem vniuscuiusque hominis vitæ, audiui à Domino Deo exercituum, super vniuersam terram: quia nos sumus in quos seculorum fines deuenerũt (ait Paulus) filioli (ait Ioannes) nouissima hora est. Et hoc patet ex Apostoli Iudæ dicto in sua epistola: quoniam in nouissimis temporibus venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Quando ab orbe redempto, tot pagani illusores vt hodie fuerunt? Quando tot hæretici venerunt simul, Ecclesiæ illudere valentes: & secundum desideria sua ambulantes, in immunditijs & impietatibus, vt nostro deplorando tempore? Quãdo inter nos fideles, tãtos illusores & irrisores reperti sunt vt hodie cernimus? De his fidelibus magis conqueritur Deus in lamentis Ieremiæ, quam de paganis dicens: factus sum in derisum omni populo meo: non alieno, canticum eorum tota die. Glossa interli. Vox Christi aut Ieremiæ, vterque enim à populo est derisus: tamen præcipue dolet Christus: quod populus eius fidelis derideatur illi suis sceleribus, & canticũ sit eius tota die in illũ

*1. Cor. 10. C*
*1 Ioa. 2. c. F*
*Thr. 3. B.*

Prou.3.D. pſallentes, & parabolam irriſionis contra eum dicentes. Abominatio eſt Domini omnis illuſor(ait Salomon)tamen ipſe de-
Sap.6.A. ludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam. Audite hoc viri illuſores, & timete Dei iudicium: horrende & cito apparebit contra vos, ingrati cum ſitis Deo: cum audiatis illum dicentem, certè illuſus ero ab irriſoribus, quod nõ minor dolor cordi meo eſt, quam ipſum illudi, legere.

Iudi.16.F. Quis non dolet de Sanſone à Dalila tradito Philiſthæis, & ab ipſis illuſo, & illum molere facientibus? O Sanſoni fortitudinem tradens fortiſsime fili Dei, à Synagoga es captus, & gentibus ad illudendum traditus: quis non dolet vicem tuam, & cauet à delictis, videns te de domo vnius illuſoris ad aliam, ad illudendum mitti? Ne inueniatur iam inter nos Chriſtianos, aliquis Dei illuſor, verbo aut facto, cum audiamus ab ore ipſius, ſe fuiſſe irriſum, vt nos in cœlo magnũ habeamus honorem: alias à dæmonibus occiſus, & in inferno illuſus perpetuò abſque du-
4.Reg.2.D. bio eris. Audi quid Eliſeo contigerit: aſcendens in Bethel per viam, poſtquam aquas ſanauit in Iericho, & ab eis tulit mortẽ & ſterilitatem: pueri parui (viperarum genimina, vt hodie inter nos ſunt in vſu) egreſsi ſunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcẽde calue, aſcende calue. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſsiq́ue ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Mirabile dictu, & factum ſtupendum, tamen verum: abijt inde in montem Carmeli, & inde reuerſus eſt in Samariam.

Quis Eliſeus eſt, cum Dei mei ſalus interpretetur, niſi filius Dei ſalus omnium: qui dicitur ſalus Dei patris, quia vnius eſſentiæ cum illo? Et quia miſſus fuit à patre, ad ſalutem dandam plebi eius in remiſsionem peccatorum, per viſcera miſericordiæ
Luc.1.G. 2.E. ſuæ (teſte Zacharia) vnde Simeon etiam dixit: Iam dimitte me ab hoc ſeculo Domine, quando beneplacitum tibi fuerit: quia iam oculi mei viderunt ſalutare tuum, id eſt, ſalutem à te miſſam. Venit in Bethel, quæ domus Dei eſt ſiue diſciplinæ: quando factus vir, accedit ad homines docendos, ſæpè aſcendens per viam Ieruſalem. Tamẽ in feria ſexta Paraſceues, maledicti pueri centum annorum, cum in cruce penderet, ſterilitatem terræ maledictæ, id eſt, animæ peccatricis, tollens morte ſua, & aquas vitiorum ſanguine ſuo ſanans: non contenti coram Pilato di-

xiſſe

xisse tolle tolle, ascendat caluus iste in crucem spinis coronatus & non Barabbas: dixerunt, vah qui destruis templum Dei illudentes ei: ascende calue, hoc est nude & inter caluaria crucifixe, pilis capitis & barbæ euulsis. Maledicti pueri cētum annorum, qui sic sacræ frontis caluitiem sacro Eliseo obijcere non veremini: beati tamen pueri qui per contrarium istorum, à Dauid admoniti dicente, pueri, laudate Dominum, Christum laudatis verbo & opere dicentes: benedictus qui venit in nomine Domini. Ascendit siquiden in crucem caluus noster nuditati pro peccatoribus expositus, & reuelata facie ac discooperta fronte purgationē faciens peccatorum: probrosæ & austeræ mortis ignominiam tam non erubuit, quam nec pœnam exhorruit, vt nos ab opprobrio eriperet sempiterno & gloriæ restitueret: lauans nos à peccatis, non vt aqua diluens in se retinens sordes: sed veluti solis radius desiccans immūda suo calore, in se tamē retinendo suam puritatem. Est Dei sapientia vbiq; attingens ob munditiam suam: & tamen cum tanta pro illo populo pateretur derisus est ab illo: qui cōsiderās ex cruce illorum obstinationem, orauit pro transgressoribus nescientibus quid facerent. Et alijs in malitia perstantibus, maledixit in nomine Domini, contra quos egressi sunt duo vrsi desaltu Italo & Romano nempe Titus & Vespasianus, qui dilacerauerūt millia milliū Iudæorum post quadraginta duos annos à morte Christi, & sic dicitur dilacerasse quadraginta duos pueros. *Matt.27.E*

*Psal.112.*

*Simile.*

Vrsus etiam spiritus malignus est, qui deuorat omnes Christi irrisores Iudæos & falsos fideles: quia etsi debilis est dæmō vt vrsus in tentationis initio, fortissime tamē dilacerat in peccato iam existentem, & fortiter retinet ne dilabatur è manibus suis. Sed non est qui hanc iniuriam illusionis sic vindicet vt ipsemet pater æternus, vnde plorans Ierusalem dicebat cum Ieremia: vrsus insidians factus est mihi dominus, leo in abscōdito: similiter & omnis peccator plangere potest si non pœnitet cito. Vt ait glossa ibi, plangitur iuste ab omni peccatore, quod pius & clemens Dominus, peccatis exigentibus, leo sit, vel vrsus contra illum ad dilacerandum: quia non dubitauit illudere illi. Pœnitentiam agite cito & veram, vt veniam & gloriam obtineatis. Amen. *Thren.3.B.*

# Homilia Quinta.

*Tex.* ¶Et flagellandum.

Lagella memoror dolore cordis mei nõ minimo: quia magnæ ignominiæ eſt talis dolor: & homo nobilis nil magis quã flagellari ſentit. Et quia multa flagella mihi manent quia fideiuſſor peccatoris factus ſum: & quia ad delendas voluptates tanta patior flagella, & nihilominus multi homines contra mea flagella voluptatum amatores magis quam Dei reperti erũt teſte Paulo. Vnde dicebam in flagella paratus ſum, & ad alia quinq; millia perferenda, dummodo ab hominibus honeſtatem obtinerem, & vt delitias abhorrerent: tamen dolor meus, quem in flagellatione paſſus ſum, in conſpectu meo eſt ſemper: quia innumeros video adulteros & fornicarios interfideles. Flagellis filij Dei innocentis, pater æternus piorum afflictiones & flagella ſanctificat vt leuius ferant, & vtilius & magis meritorie: & tali filij flagellatione declarauit, qua conditione adoptiui per gratiã in hoc mundo tractari debeant. Si proprio & naturali filio ſuo non pepercit benignus pater, ſed ad noſtram ſalutem illum flagellari paſſus eſt: proculdubio patietur filios adoptiuos varia cruce & flagellis affligi. Quem Dominus diligit corripit (ait ſapiens) & quaſi pater in filio complacet ſibi, ideo diſciplinã Domini ne abijcias, nec deijcias cum ab eo corriperis. Addit & Paulus, flagellat autem omnem filium quem recipit ad ſe, & ad ſuã beatitudinem.

*Pſalm.31.* *1.Tim.3.A* *Pſalm.37.* *Prou.3.B.* *Heb.12.B.*

*Pſalm.128.* Flagellatus ero ò homo, ob tuam vnius horæ voluptatem, & ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores, flagellorũ liuoribus & plagis: tamen iam tunc ſemel flagellatus fui: quod multipliciter doleo hoc eſt, quia prolongauerunt iniquitatem ſuam inhoneſti, in eodem voluptatis cæno permanentes & voluta bro luti. Prolongarent flagella contra dorſum meum, dummodo de voluptate reſcinderent: lumbos meos peccata veſtra vulnerauerunt, vt ſeruum igne ſignatis, & omnia libenter paſſus ſum vt delitias ab horreretis, & tamen prolongaſtis iniquitates veſtras? Certe ad alia multa flagella paratus ſum, ſi opus eſſet, dum-

dūmodo honeſtatem diligerent homines, & caſtitatis diſcipuli fierent. Heu tamen, quia fui flagellatus tota die & caſtigatio mea in matutinis, vt per Dauid affirmo. Domine mi, potē veſtis illuſionem flagellatus es, ante horam ſextam morte damnatus es & circa horam nonam exclamans ſpiritum emiſiſti, quomodo dicis te tota die flagellatum fuiſſe? Ad ſummum, per horam flagellis es cæſus: vt quid per diem totum dicis? Et fui flagellatus tota die: quia omnis vita mea, non fuit niſi flagellum contra me: & quod magis ſentio, quia à multis per totam vitam ſuam flagellis voluptatum ſuarum percuſſus ſum, etiam ſi caſtigatio illa in atrio Pilati facta fuit matutina: fuit velut pueri caſtigatio & correctio in ſchola. O benigne Ieſu dira quinque millia & plus flagella, caſtigationem pueri vocas? Etiam, quia præ amore hominum tam crudelis flagellatio, viſa eſt mihi caſtigatio leuis: & pro patri honore reddendo libenter illam ſuſtinui, & iam flagellorum meorum oblitus ſum, vt illa tibi exprobrem, ſi illis bene vſus es homo, præcipue ad caſtitatem ſeruandam. *Pſalm. 27. Ioa. 19. A.C*

Caſtigationem pueri & ad horam, etiam volo nominare, quia etſi dorſum meum vnicum vulnus præ flagellorum multitudine fuit & crudelitate: tamen in collatione iniuriæ quam mihi adulter irrogat, vxorem à marito tollendo, & illam ad voluptatem inducendo, aut omnis fornicator animam ſuam delicijs cruentando & polluendo: caſtigatio fuit leuis flagellatio mea. Quia iſti peccatores fabricant ſupra dorſum meū lente & per annos, prolongantes iniquitatem ſuam atque voluptatem. Non tamen eritis impuniti, quia maligni ſpiritus multa tormenta fabricabunt ſupra dorſa veſtra inhoneſta, & prolongabunt pœnas: & Dominus iuſtus concidet ceruices veſtras, & eritis ſicut fœnum tectorum quod priuſquam ad fructū perueniat exareſcet. Hoc eſt, priuſquam euellatur exaruit, ideſt antequam ad maturitatem veniat vt euellatur aut falce metatur, ſine fructu exaruit: ſic & vos ante fructum bonorum operum decidetis à vita, quia voluptate Deum flagellaſtis. Pater mi, ego pro hominibus flagellatus ſum, & ipſi tota die & tota vita ſua delitijs ſuis me flagellare non ceſſant: peto vt ſi ad pœnitentiam in vita non confugerint, & voluptates non reliquerint: fiat habitatio eorum deſerta & conſ- *Pſalm. 128. Pſalm. 68.*

cientia ſua ab omni bono deſeratur, & domum cœli non inhabitem: & in tabernaculis eorum, & habitationibus ſuis non ſit qui inhabitet: ſed deſtruantur & ſale reſpergantur, vbi voluptatibus fuerunt dediti, me iterum flagellando. Vt quid tanta mala venient contra homines fili, quos tantis flagellis rede miſti? Quoniam me quem tu percuſsiſti tradendo illorum amore illuſioni & flagellis, & cruci, perſecuti ſunt peccatis ſuis: quia ſuper vulnerum dolorem meorum, ipſi abſque vllo timore, addiderunt, alium maiorem. Super flagellorum cicatrices, addiderunt voluptates ſuas, maiorem dolorem animæ meæ cauſantes, quã dorſo meo flagella ſi modo pœnæ capax eſſem. Iam videtis homines, abſque ſimilitudine maiorem eſſe dolorem, quem homo recipit ex innouatione vulneris alio vulnere cauſata, quam exprima inflictione.

*Simile.*

*Text.* ¶Et crucifigendum.

O Domine mi, quis ſine magno cordis dolore, & peccatorũ contritione, tale verbum audire ab ore tuo prolatum poterit: ero cruci nudus affixus? Ero vltimo & terribili crucis ſupplicio mortuus? Vt quid tamen Domine, potius hoc genus mortis, adeo infame, quam aliud elegiſti: cum ſcriptum ſit, maledictus *Deu. 21. D.* à Deo eſt, qui pendet in ligno? Cum ingenuus & nobilis ſis, elige decapitationẽ vt Ioãnes & Paulus. Non, ſed patri meo *Phil. 2. A.* obediens ero vſq; ad mortẽ, & mortẽ crucis: quia ipſe ſic ordinauit, vt homines magis intelligant amorem illius: & grauitatem culpæ: & pœnarum infernalium horrorem, & gaudiorum cœleſtium magnitudinem, quæ omnia conſideratione indigent. Deinde crucifixus ero, vt inter cœlum & terram poſitus, verum mediatorem inter patrem & vos homines me eſſe oſtendam: ſuper quem cecidit patris iuſtitia ex rigore ſoluenda, & peccata veſtra morte mea diluenda: ſi illa morte, fide & charitate vſi *Ioan. 3. B.* fueritis. Et etiam crucifigi volui, vt ſicut Moſes exaltauit ſerpentem cuius aſpectu homines, à morſu ſerpentium liberati eſſent: ita qui me crucifixum, & mortem meam, fide & charitate, viderit, ab omni venenoſi dæmonis morſu & ab omni peccato defenſus erit.

Item, quia malignus, hominem primum ratione arboris vetitę

titæ occidit & vicit: volo ego in arbore crucis hanc iniuriam vindicare: dæmonem in illa superando & vincendo, & prædam auferendo. Iuxta illud Ecclesiæ, qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, vt qui in ligno vincebat, dæmon, hominem nempè, in ligno quoque crucis vinceretur à Christo, & per Christum Dominũ nostrum. Etiam crucifigi volui, vt saltim ex ipsa forma corporis mei in cruce existẽtis, discant homines quid à me expectandum sit. Manus meas extendere volui, vt omnes sciant me paratum esse, ad auxilium cadentibus dandum vt resurgant, etiam sanguinis mei dispendio: nec recedam, aut fugiam ab indigente & me inuocante, nam ideò & pedes affixos esse volui. Extendi manum dexteram ad bona vobis prębenda: extendi sinistram, ad mala auferenda. Iam de hoc audisti in sermone Ionæ, ideò reuertamur ad illos qui non verentur Christum iterum, quantum est in se peccatis suis crucifigere in Dei iniuriam, & sui magnum detrimentum.

Sic Petrus Apostolus perterruit miseros Iudæos, qui Christum crucifixerunt, dicens: notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quod in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, stat iste homo coram vobis sanus à claudicatione sua: quẽ vos maligni crucifixistis in ligno, & quẽ Deus suscitauit à mortuis. Qui videntes Petri constantiam, & audaciam, ad arguendũ illos de tanto scelere: admirabantur, timebant & dicebant, viri fratres quid faciemus? Agite pœnitentiã de tam graui delicto, si non vultis in ętternum damnari. Et modo quod sit tepiditas mea adeò intensa, & duritia vestra tam extensa, vt dicam vobis, audite fideles, & scitote, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi & sanguinis eius virtute in sacramẽto applicati, animę vestrę sanę factæ sunt anno præterito ab omni claudicatione sua: qua, vt fideles credebatis, vt pagani operati estis. Tamen secundum duritiam vestram, & consuetudinem prauam, audacia maligna: non estis veriti iterum crucifigere Iesum Saluatorem vestrum: Christum vnctum & floridum vestris sceleribus & facinoribus, cum Deus pater iam illum suscitauit à mortuis. Et nemo vestrũ videns constantiam meam ad arguẽdum hoc (cum sim idiota & sine literis) consurgit admiratione plenus, & dolens de culpis suis, dicẽs: vir frater noster, quid faciã, vt à tãto scelere liber sim, quo Christũ Dominum crucifixi? Fac vera pœni-

*Actu 4. B.*

tentiam & cito, & Deus ipse parcet tibi: alias vt, Christi crucifixor, grauiter punitus eris. Est aliquis qui non pœniteat? Ergo Iudæis Deum crucifigentibus obstinatior, & illis rebellior.

Act. 2. F. Quia cum Petrus in facie sua dixisset Iudæis antea: certissime sciat omnis domus Israel, quia Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum (inquantum hominem, nam inquantũ Deum non fecit sed ab æterno genauit) quẽ vos crucifixistis: & his auditis compuncti sunt corde Iudæi cum essent durissimi & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: quid faciemus viri fratres? Petrus autẽ ad illos pœnitentiã agite & hoc verbo, circiter tria millia animæ conuersæ fuerunt & baptizatæ. Et quot sint tot concionatores prudentes, & quæ docent facientes: & nõ possint, ex millibus Christum crucifigentibus suis delictis, decem ad veram pœnitentiam sine recidiuo adducere? Igitur clare constat, vos illis Iudæis duriores & consuetudine obstinatiores esse. Cor nostrum tristitia non minima torquere debebamus, Christum audientes pro nobis fore cruci affigendum, & deinde oculis fidei iam in crucis patibulo positum fuisse: tamen reuera plus de culpis nostris, Dei filium in tantam crucis ignominiam adducentibus, dolere debebamus, tãquam de caulis talia merẽtibus. Quod Christus ipse docuit in via caluariani loci, mulieres ipsum lamentando & plangendo sequentes tanquam molliores hominibus & de eorum malitia dolẽtes, dicens cõuersus ad illas: quando à cruce fuit exoneratus & Cyrenço tradita, antea enim non valebat tanto pondere pressus huc aut illuc faLuc. 23. D. ciem conuertere nedum loqui. Filiæ Ierusalem, ciuitatis sanguinolentæ & Deum morti adiudicantis, nolite flere super me flagellatum & ad crucem damnatum: & cum hoc iustum & innocentem & pro vestris & aliorum sceleribus soluentem tãto pretio & sanguinis dispendio: quod non rapui, nec furatus sum, qui peccare non possum, modo exoluo. Super vos ipsas flete & super filios vestros, nempe actus peccaminosos, & super filios vestros peccatores, & super maritos ad talem me perducentes statum, & causam crucis meæ, potius quam ipsam, plorate.

Simile. Nunquã malefactorẽ ad flagella aut furcam damnatũ ploretis, quia punitur: delicta nõ debẽt manere impunita, alias væ rei publicæ: & punitio iusta & bona est, vt quid illã plorare debetis? Lacrymas cordis effundite super delicta & scelera quę ab ipso fu

reaut

re aut homicida aut internuntia perpetrata ſunt: quibus ad tale ſupplicium vehitur, tanquam Dei iniuriæ, & irriſiones. Et quia in Deum peccauit, & in rempublicam, quam ſuo grauauit delicto: pœna bona eſt etiam infernalis, quæ culpã corrigere curat. Ideo filiæ Ieruſalem, lacrymas pro me effundere vobis veto, nõ vt me innocẽtem non plangatis, ad crucem ſine delicto, iudicatum & ad macellum vt agnum tollentem peccata, non tamen illa habentem eductum. Quia video vos compaſsione ductas, videntes me, qui tanta bona hominibus contuli & nil mali, tam ignominioſe flagellatum: ad crucis opprobrium crudele deduci, & tam aſpere correctum hominem tam benefaciẽtem omnibus, imo omnium creatorem. Tamẽ nolo vt me flagitioſum reputetis, & tanquam his pœnis dignum ploretis, cum peccatũ non fecerim, nec dolus inuẽtus ſit in ore meo: flete ſuper ſcelera veſtra & parentum veſtrorum filiorum & maritorum, quibus flagellatus ſic ad crucifigendum vehor trahorque: mala adeo grauiſſima pœnæ quæ patior, peccata veſtra, non mea, meruere. Flete ſuper filios veſtros, opera nempẽ mala, quæ conſenſu concepiſtis, & opere peperiſtis: quoniam cito venient dies huius ciuitatis deſtructionis, & dies vniuſcuiuſque rationis, in quibus dicent Angeli: beatæ animæ ſteriles, & quæ non genuerunt tales filios & talia opera mala, & hubera quæ non lactauerunt conſuetudine & occaſione talia delicta. Ideo plãgite peccata veſtra me ad crucifigendum deducentia: quia ſi in me viridi ligno ſecus decurſus aquarum, donorum Dei & gratiarum eius, plantato in medio paradiſi vt arbore vitæ, hæc faciunt homines: tanto que ſanguinis mei honoris & vitæ diſpendio, fructus meritorum à me tollere curant, flagellis & ſpinis: de te aride homo, ſine virtutis & gratiæ viriditate, quomodo Dæmones in hora mortis tuæ tollent fructus peccatorum? Quid tunc de te fiet? Ad crucifigendum aſcendo pro delictis veſtris. *Pſalm. 1.*

A quercu fructifico aut arbore nucis, fuſte & lapide fructus capiuntur, & pyrorum rami ſi fructus habent ſcinduntur: tamen lignum ſine fructu cito areſcit & igni reſeruatur, ſic à me filio Dei & omnibus qui pie in me viuere volunt & fructus bonorum operum reddere: fuſte & flagellis, alapa & infamia fructus operum homines accipiẽt & colligent. O peccatores infructiferæ arbores, quæ non facitis fructum bonum ſanorum operum: *Simile.*

quam citō in ariditatem venti, excisi eritis: mortis securi ad rādicem humidi radicalis vestri posita, & deinde in ignem & flammas edaces inferni & iniuriæ Dei vindicatrices iniecti. vbi soluatis ingratitudinem vestram, qua contra me, lignum vitę in ligno crucis amore vestri pendens, vsi fuistis. Ad Ierusalem ascendo homines, vbi cito in ligno ad solis ardorem manebo, ob salutem vestram pendens & sitiens, nudus & infamia plenus: est ne aliquis inter vos tam mihi fidelis vt me sequatur, & vt hac crucis meæ consideratione, & mei pendentis cogitatione, maligno ad peccatum inuitanti, respondeat viriliter non consentiēdo: vt dux ille bonus Vrias seruus meus fidelis, regi respondit Dauid?

2. Reg. 11. A.B. Audite factum consideratione dignum: postquam Dauid dormiuit cum Bethsabee vxore aliena, misit ad Ioab ducem suum dicens, mitte ad me Vriam Hethæum, volens peccatum suum celare. Quem misit Ioab: & postquam de bello interrogauit, dixit illi vade in domum tuam, & laua pedes tuos: qui tamen noluit, sed dormiuit ante portam domus regiæ cum alijs seruis, & non descendit ad domum suam. Nuntiatumque est Dauid: nō iuit Vrias in domum suam. Et ait Dauid ad Vriam, nunquid nō devia longinqua venisti, & de labore belli? Quare non descendisti in domum tuā? Et ait Vrias ad Dauid: arca Dei & Israel, & Iuda habitāt in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui mei Domini super faciē terræ manent: & ego ingrediar domū meā, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea. Per salutē tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.

O ducis Vriæ fortitudinē, & Deo fidelitatem: ò exemplum imitatione dignum. Postquam malignus Dæmon in peccatum ruit, omnes nos in Dei iniuriam inducere pro viribus & posse conatur. Et primū quod à nobis obtinere nititur, vt à bello contra inimicos vitia & infernalem potestatem habentes nos separet. Et nō est dubium, quin in hoc quadragesimali tempore, magis ad hoc sis inuitatus à Dæmone frater: quia est tēpus belli contra eum, vnde totis viribus curat vt Christi passionem conculces ludis & litibus, voluptatibus & odijs: & te etiā mulier, magis persecutus erit, vt fidem marito frāgas, & Deo scapulas auertas. Dicetque vnicuiq; vestrum, postquā de bello cōtra ipsum habito veniſtis precipue si fortes estis in illo vt Vrias, & victoriā in tentatione habetis. Vade in domū tuā & vbi delectari solebas ludis

aut

aut voluptatibus: lauapedes delitiarum aqua. Noli frater mi, acquiescere insanis consilijs eius, sed esto fortis cum Vria, perviscera Dei: & mane cum seruis fidelibus & bonis regis cœlestis, ante portam domus regiæ: considerans te cito ad sepeliendum per portam Ecclesiæ domus regiæ ingressurum. Et cogita quanta Deus, in domo regia & cœlesti, bona habeat tibi vincenti. Si tamen iterum ad peccandum inuitauerit malignus dicens: nunquid non de via venisti? Laborasti, ieiunasti, quare non parum saltim lætaris? Quare non descendisti in domum vbi lætari & voluptati vacare consueuisti? Dæmoni aut homini talia suadenti, lacrymis & cordis gemitibus respõde ò homo, à Deo dux constitute cum Vria sancto: arca Dei, virgo nempe sancta, adeo tristis fuit in Dominica passione, & Ecclesia luto cooperitur: & serui Domini mei veri fideles, in casulis habitãtes in montibus & in speluncis ieiunantes plorantes dolentes pœnitentes bellũ fortissimum contra te Dæmon & vitia gerentes fuerunt: & sunt modo multi habitantes in papilionibus & in cellulis cœnobiorum, & ego in delitijs gaudebo? Non talia faciam.

Tamen quod mihi magis alas & ansam confert ad resistendum, & vitio non consentiendum, est Dominum meum Ioab, Iesum Dei filium ducem Angelorum aliquando super faciem terræ caluariane fuisse ante crucifixionem nudum: & deinde in lecto crucis affixum (vt hic ipse fatetur in textu nostro) interim seruis eius & discipulis sanctis profugis & exulibus famelicis & mœrentibus. Et ego debebam esse adeo insanus & sensibus destitutus: qui videns Dominum meum illusum flagellatum, sine domo cruci affixum inter caluarias malefactorum felle potatum & à transeuntibus irrisum: ingrediar domum non meam sed alienam, vt dormiam non cum vxore mea, sed proximi, aut cum filia aliena? Vrias noluit ad propriam accedere pulchrã & quam non viderat diu: & ego ad vxorem fratris fætidam in Dei iniuriã, & animæ meę mortẽ accedam? Non faciam: non ingrediar domum ludi, nullo modo peccato consentiam. Beatus hęc faciens. Dñs meus ob delicta mea ieiunus in cruce suspensus mã sit, famelicus & sitibundus, & ad ieiuniorum fractionem inuitas me & ad cibum voluptatis? Non comedam vetita, non bibam aquam mendacem per salutem tuam Dæmon: non consentiam tibi leno, (dicat mulier) per salutem tuam, etiam si sciam lapidi-

Dan.13. Mar.6. pidibus obrui prius: & cum Susanna morte damnari, absque peccato, volo prius, quam viuere culpabiliter cum Herodiade. Fœlix homo aut mulier, talia adimplendo dicens: dux tuus Iesus in cruce olim affixus, vires dabit tibi homo, seu mulier, vt victor euadas: & potius amore tanti Domini, in bello contra vitia & Dæmones vitam corporis cum Vria amittas, quam peccato cõtra Dominum pro te crucifixum cõmittas. Ipse soluet ieiunia tua suis admiscendo: & pro voluptate qua in hac vita carere voluisti, vt Deo seruires, torrente voluptatis cœlestis potabit te perpetuo Dominus: ego fideiussor (etsi vermis terræ vilis) existã, Deus absque dubio retribuet.

Domine, si ascendis in Ierusalem & ibi affirmas te fore crucifigendum: elige locum mundum ad certamen contra dæmonem in cruce fiendum. Elige plateam Ierusalem, aut montem oliuarum, si in campo mori vis, denotans esse bellum contra malignum, & victoriam in salutem omnium in te credentium & recte operantium à te fiẽdam. Quis vnquam hucusque locum certaminis elegit fœtidum & caluarijs plenum? In caluario loco certe erit duellum & in cruce ibi affixus ero: quia peccata Ierusalem, maiorem fœtorem contra patrem & me, à se emittunt: quam omnia corpora & cadauera mortuorum hominum in vno loco congregata. Vide homo qui non times quotidie peccare: quotidie pessimum odorem (quantum est in te) ad nares Christi Iesu emittis. Deinde in tali loco volo crucifigi, quia cum peccata sint pessimi odoris contra Deum patrem, per cadauera Caluarij signata, & per scelera ibi crucifigentum & dã natorum, volo sanguinis mei purissimi & mortis meæ suauissimo odore, & vulnerum meorum redolentia, tam horrendum auferre odorem, & tam pessimum tollere fætorem ne contra patrẽ meum ascendat amplius. Si homo ingratus noluerit deinceps, peccatum velut sulphur igne concupiscentiæ accensum, versus cœlum dirigere infœtorem.

*simile.* Quemadmodum mulier in loco fætido aut mali odoris, thus aut aliquid aliud odoriferum igni applicatum ponit, ne fętor nares intrantis magni Dñi offendat: sic & ego altissimi Dei filius, videns grauissimum fœtorem ex peccatis hominum contra patrem meum ascendentem, volui meipsum thus diuinum igni charitatis applicare, & in crucem ascendere inter corpora damnato

natorum peccata fœtida significantia. Quis vltra tam audax erit homo, qui non vereatur contra sanguinem meum effusum talem culpæ fœtorem suscitare: in patris mei iniuriam & mortis meæ vilipensionem? Morior ego & crucifixus, & in tali loco, vt fœtorem culpæ, mortis meæ odore obruam & destruam ne patrem meum offendat: & audes illũ rursus excitare homo? Caue ab infernali fœtore tibi minante. Deinde elegi talem locum damnatorum ad moriendum in cruce, quia aduersarius meus genus humanum occiderat per culpam, & vicerat ad malum: ego tamen in vitam reducam illud moriendo, & suscitabo ad gratiã: vnde elegi mori inter mortuos, quanuis liber à morte peccati. Laudate pueri, & senes Dominum Iesum, laudate verbis & ope P*salm.*114 ribus nomen eius & virtutem & bonitatem: & sit nomen eius benedictum in secula, à solis ortu & occasu. Quis sicut Dominus Deus noster Iesus, qui in altis habitat, se beatis in præmium dando, & cum hoc humilia & vilia in terra reptantia (corda nostra nempe) respexit incarnando, patiendo, laborando & moriẽdo? Quid fecit Dauid, iste Iesus in cruce moriendo. Eleuatus est à terra in crucem, vt suscitaret à terra & à terrenis desiderijs, inopem virtute & gratia, ad cœlum & cœlestia. Et infœtore caluariano inter corpora fœtentia mori voluit, vt de stercore peccatorum, & vitiorum fœtore, pauperem meritorum, & non spiritu, scilicet peccatorem, erigeret ad virtutum odorem: vt tandẽ collocet eum cum principibus Angelis scilicet, & cũ principibus populi sui, nempe hominibus beatis Laudate omnes Dominũ, talem locum eligentem ad mortem, vt ex infimis & ipsa sordicie, nos ad munditiem & puritatem erigeret: sit nomen eius benedictum in secula: à nobis in gloria. Amen.

# Homilia Sexta.

¶Et crucifigendum. *Tex.*

QVis fidelis reperitur, qui audiens Christum dicentẽ (in Ecclesiæ repræsentatione) certe debeo crucifigi extra Ierusalem in monte caluariano, vt vos homines à culpæ fœtore liberem, & gratia viuatis: qui non do-

doleat ſe peccaſſe: & cordis gemitibus filium Dei, fruſtra, circa multos, crucifixum deploret? Si Dauid plorabat Saulem & Ionatham in bello occiſo, dicens: conſidera Iſrael pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati: inclyti Iſrael, ſuper montes tuos interfecti ſunt: quomodo ceciderunt fortes? Nolite annunciare in Geth, neque in compitis (ideſt in biuio aut triuio) Aſcalonis: ne forte lætentur filiæ Philiſthijm, ne exultent filiæ incircunciſorum. Montes Gelboe nec ros nec pluuia veniant ſuper vos: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo. Sagitta Ionathæ nunquam redijt retrorſum, & gladius Saul non eſt reuerſus inanis. Saul & Ionathas amabiles, & decori valde in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi: aquilis velociores, leonibus fortiores. Filiæ Iſrael, ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelſis tuis occiſus eſt: doleo ſuper te frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum.

a. Re. 1. C. D

Semel hanc lamentationem ſuper Chriſtum Ieſum dicentem, fore crucifigendum pro nobis diſcantare decreui: quia valde dolendam eſſe cenſeo, & multum veritati conſonam. Vt iam homines intelligant quomodo filium Dei crucifixum plangere debeant: & vehementer peccata abhorrere, quæ illum ad crucem adduxerunt. Si Dauid perſecutorem ſuum Saulem mortuum in bello, ſic plangebat: fidelis, manu fortis, quod Dauid interpretatur, & ipſe vt credis, debebas manu ideſt operatione fortis eſſe & bonus: quę freneſis venit ſuper cor tuũ, vt per annũ non ſis memor mortis filij Dei amici tui, tibi perſequenti illum, parcentis, & tui amore ab inimicis eius & tuis peccatis in cruce pendentis? Plora ſuper Saul & Chriſti diuinitatẽ in cœlo ſemper regnantem & tui amore contẽptam à vermibus terrę in mundo, humanitati iunctam: defle Ionatham, ideſt humanitatẽ tot opprobrijs & cruci expoſitã. Nõ tãtũ ipſe plores ſuper Chriſtũ Deum & hominẽ à culpis cauendo, ſed & alios inuita dicẽs: conſidera Iſrael, populenempe fidelis, aptus cũ ſis natus, ad Dei viſionem ex parte ipſius Chriſti: pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati. Pro humanitate Chriſti occiſa in excelſo mõte Caluariano: & pro diuinitate vilipenſioni tradita & quãtum fuit ex parte hominum morti tradita etiam ſi nil leſionis pati po

ti potuit aut doloris aut infamię. Heu quomodo ceciderũt fortes duæ naturæ in Chriſto ſimul: annuntiate in inferno & intergẽtes vt triſtentur Dæmones de tali facto: & lætentur incircunciſi volentes ad fidem venire Chriſti. Mons caluariane, nõ opus eſt vt ros & pluuia veniant ſuper te, vt fructiferus ſis: poſt quã tanto ſanguine filij Dei es reſperſus. Filiæ Iſrael, mulieres quæ molles eſtis ad fletum & ad peccatorũ dolorem, animę magis molliores ad dolendum de culpis, quibus Chriſtus occiſus fuit: omitto animas lapidibus duriores, ſilice obſtinatiores, quę nec verbo Dei in ſanã redeunt mentẽ, nec Chriſti paſsione conteruntur & molliũtur ad peccatorum contritionem & veram confeſsionẽ. Sed vos animæ quæ ſi in culpam cecidiſtis, cito dolorem concipitis verum, Dei adiutorio: ſuper Saul & filij Dei diuinitatem tantis opprobrijs expoſitam, flete cordis dolore: cuius gladius & iuſtitia non eſt reuerſus inanis quoties punire voluit. Flete illum quo ad diuinitatem qua veſtiebat vos coccino charitatis in delicijs & bonis operibus: & prębebat ornamenta aurea, dona nempe cœleſtia, cultui veſtro. Lamentum etiam ſumite terreni homines ſuper Ionatham, ideſt Chriſti humanitatem in numeris tormentis ob ſcelera veſtra expoſitam. Sagitta Ionathæ, verbum nempe illius, nunquam redijt retrorſum, quia ſemper pro veritate, etiam honoris ſui diſpendio & vitæ iactura, vltra proceſsit? O diuinitas, anima & corpus in Chriſto amabiles, & decoræ valde in vita veſtra: quomodo etiam in morte non fuiſtis diuiſæ, quia ſemper diuinitas animæ in limbo & corpori in ſepulchro, iuncta mãſit. Quod ſemel (teſte Damaſceno) aſſumpſit, nunquam dimiſit: neque commiſtionem paſſæ ſunt duæ naturæ nec diuiſionem (vt canit Eccleſia) quia nec vna eſt altera, neque vnquã ſeparata ad inuicẽ. O duæ naturæ aquilis velociores, leonibus fortiores.

Quomodo ceciderunt fortes duæ naturę in prælio, in Chriſto exiſtentes, etiam ſi diuina nil paſſa fuerit; tamen nihilominus, per idiomatum communicationem dicimus filiũ Dei fuiſſe crucifixũ & mortuum, ſicut hominem reſurgentem & peccatis parcentem: tamen Ionathas ideſt filius Dei, inquãtum homo, in excelſo monte Caluario occiſus eſt & in prælio cõtra Dęmonẽ ibi habito. Doleo ſuper te frater mi Ionatha, frater quia eiuſdẽ naturæ mecum, doleo quia mala quę paſſus fuiſti & crucẽ, peccata

mea

mea meruere: & homines ingratitudini deditos, quotidie magis inuenio. O frater mi decore nimis sine aliqua peccati macula: & dignus amari plusquam mulieres solent diligere aut diligi. Vtinam à me deinde ab omnibus obtineam, vt te diligamus plusquam mater vnicum amat filium: cum ipse in cruce suspensus es (vt affirmas in nostro textu) ad nos, doloribus, filios per gratiam pariendum. Quare Domine mi, testaris prius verbis te talia passurum, quam opere patiaris illa? Vt sciatis, non minorem, sed forsan aliquando maiorem, iniuriam mihi homines verbis suis irrogare: quam ipsis operibus malis & factis. Sicut contigit in passione mea: in qua non minorem dolorem in verbis & illusionibus sustinui, quam in flagellis & spinis. Vnde cauete à blas-

*Thre.* 3. D. phemijs & à verbis immundis, & ad malũ inuitantibus. Vt quid creditis Ieremiã in threnis dixisse de me: dabit percutienti se alapa maxillam, & saturabitur opprobrijs: & non dixit, saturabitur flagellis, aut alapis siue irrisionib⁹ aut cruce? Certe quia maiorẽ dolorem & infamiam mihi in verbis irrogare debebant Iudæi quam in factis, dixit me saturatum fore opprobrijs. Quia verbera tuli semel & crucem: opprobria quotidie audio à vobis fideles, in blasphemijs & alijs execrandis dictis. Flagella in scapulis

*Simile.* manent, verba amarulenta cor meum diuinum vulnerant. Quis homo sanguinem in oculo habens, & sui nominis curam, non plus de verbo iniurioso aut contumelioso dolet quam de vulnere in capite?

Nolite me iam in cœlo regnãtem opprobrijs lacessere & peccatis iterum crucifigere: alias qui talia non fuerit veritus facere,

*Gen.* 40. *C.* expectet supplicium pistoris regis Pharaonis. Post mortis somnium, corã me eris præsentatus, & dices: Domine, ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum: & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, aueſque comedere ex eo. Respõdebo ego Ioseph verus accrescens iudex omnium & dicam tibi, hæc est infelix tibi interpretatio somni. In carcere peccati somniasti, quã do omne mundi gaudium tibi in somnium fuit conuersum: tria canistra super caput tuum, tria vitia mundum destruentia, superbia auaritia & luxuria sunt: & aues infernales desuper volan-

*Baruch.* 3. *B.* tes habuisti in consortio tuo. Quia (vt ait Baruch) in auibus cœli ludunt mali, in Dæmonibus nempe, & illuduntur ab eis. Quid

ergo

ergo erit de me modo poſt ſomniũ mortis Ieſu? Hæc eſt interpretatio ſomni: tres adhuc dies ſunt iam tibi præteriti, pueritiæ dies, iuuentutis & ſenectutis: & poſt tres virtutes theologales à te fœdatas, poſt tres partes pœnitentiæ à te violatas, & poſt illa tria tẽpora à te male expenſa: quia à me receſsiſti peccando & non timuiſti ſceleribus tuis iterum me crucifigere: Rex cœli abſtulit caput tuum à te, tollẽs me ab anima tua per gratiam, quia peccaſti, ac ſuſpendet te in cruce inferni quia me crucifixiſti. Et deuorabunt te aues tetrales inferni morſu amariſsimo (vt dixit Moſes) beſtiarum dentes immittam in te, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium: & lacerabunt volucres carnes tuas ſine conſumptione vt perpetuo crucieris: & merito quia me iterum crucifigere tuis culpis non es veritus. *Deu. 23. d.*

## ¶ Et tertia die reſurget. *Tex.*

ECCE alterum ſecretum ſecretorum hominem ſua propria virtute reſurgere: acſi dixiſſet: non turbetur cor veſtrum neque formidet, neque ſitis abſorpti triſtitia audiẽtes talia & tã gra uia tormenta, quæ affirmo me aliquando illa fore paſſurum: ſi grauiſsima ſunt, cito tamen ſunt tranſitura, & poſt tormenta venient gaudia, & poſt lamentationem lætitia, & poſt flagella ſalus, & poſt tempeſtatem dolorum, tranquillitas honorũ, & poſt nubilum veniet ſerenum. Tribus horis clauis affixus in cruce manebo, & poſtea in æternum ad dexteram patris ſedebo. Tribus diebus ero inventre terræ defunctus, & tertia die reſurgam ad vitam cui mors vltra non dominabitur: per horam flagella patiar, & perpetuo abſque vllo dolore in cœlo regnabo. Ne contriſtemini ſicut cæteri qui ſpem reſurrectionis non habent quamuis (vt ait Caietan.) ignominioſa & acerba ſit tam paſsio mea quam mors, conſtantes eſtote & fortes in tam duro bello: cum tamen non longa ſpe ſed breuiſsima expectatione vtentes, per trium nempe dierum tempus expectantes, me reſurgentem videbitis. Vt ſciat omnis fidelis mecum ad horam ieiunare, & laborare, & infamias & opprobria libenter mei amore ferre volẽs, quam parum tempus in huiuſmodi laboribus conſumet: & quã perpetuam accipiet mercedem & fine carentem in cœlis. Argentum amore mei pauperi dediſti? Diuitias æternas acquires. Per horã te reſpergi infamia libenter tuliſti? A Deo & ab angelis eius *Ioan. 14. A.D.*

honorat' eris in cœlesti gloria sine fine. Quadraginta diebus ieiu nasti vt decet? Pane cœlesti & angelorum super mensam meam in gloria mea cibatus eris, nempe visione mea dotatus perenniter. Per horã noluisti tentationi acquiescere, sed illi laborando viriliter restitisti? Veni vbi perpetuo gaudens ab omni tentatione securus sis, viuus gratia & resurgens in gloriam continuam.

*Simile.* Sicut peccator, ad horam peccato consentiendo, gaudet ficta lætitia, & perpetuis se abdicat cruciatibus: & animam suam tormentis æternis obligat, qui ieiunium Ecclesiæ frangit per diem aut voluptati consentit, si ante mortem ad tabulam sacræ pœnitentiæ Dei auxilio non confugerit: sic paruo tempore & paruo dolore in Dei gratia passo, magnam mercedem iustus acquirit, & disciplina vnius horæ multum gaudium, & morte vnius instantis in Dei amore accepta, resurrectionem sine fine mere-

*P.P. tit. 7. cap. 7. §. 7. exẽplũ notabile.* tur. Memini me legisse in historia D. Antonini, Decio imperante, cuius proconsuli, in ciuitate Troade oblati sunt tres homines Christum colentes, Andreas, Paulus, & Nicomachus: qui cum Christianos se esse libere profiterentur: iussit proconsul Nicomachum torqueri. Cumque nimium torqueretur, & iam prope esset vt emitteret spiritum, exclamauit dicens: ego nunquam fui christianus, quid me torquetis adeo dure? Ego dæmonibus sacrificiũ offeram, nolite torquere me. Tunc cito deponi iussus cum sacrificasset dijs, à dæmonio arreptus est: & elisus in terram comedens linguam suam dentibus, expirauit, & in æternum damnatus est. Puella autem quædam tali spectaculo adens, nomine Dionysia decem & septem annorum: cum tam horrendum factum vidisset, exclamauit voce magna dicens: ò te infelicissimum hominum, qui propter vnius horæ spatium, in quo noluisti Christi amore tormenta pati, perpetuam, & inenarrabilem pœnam tibi acquisisti: interrogata autem, es ne tu Christiana? Vt quid talia causaes dicere? Christiana sum, & ideo hunc infelicem plango: qui noluit per modicum tempus tormenta tolerare, vt perpetuã requiem inueniret. Quæ benedicta Dionysia dum audiret Paulum & Andream flagellis cæsos per pedes extra ciuitatem vt lapidarentur extractos: de manibus custodum euadens cucurrit ad eos: iactauitque se super eorum corpora dicens: cõcidar & ego vobiscum beati famuli Dei ne ab hac colluctatione vestra inueniar aliena: & sic gladio interfecta fuit per modicum tempus, &

per

perpetuo cum Christo regnat. Veni modo ad homines nostri tẽ poris Dionysia, iuuencula sancta, argue & increpa non vnum Nicomachum sed innumeros homines, qui nolunt ad horam nõ grauia tormenta, sed tentationem leuem perferre: quin statim dicant dæmoni consensu, noli me torquere hac tentatione, depone me ab illa, ego faciã quod vis ac si non essem christianus: ego dæmonio & vitio offeram sacrificium laudis, Deo contempto & mandato eius transgresso. O quam cito à tentatione malignus cessat, cum videt te iam, sine illa horrenda patrare scelera, & Deum conculcare & dæmonem honorare. Veni sacra Dionysia, exclamans voce magna, veni de cœlo & perterre fac talem peccatorem: antequam perdurans in suo detestando sacrificio, & in sua obstinatione, à dæmone arreptus comedat linguam suam, non confitendo in tempore & expiret à vita, & in terram elisus per sepulturam carceri mancipetur æterno.

Veni beata mulier, quę tam libẽter ad horam voluisti perferre mortem & tormenta, vt in cœlo cum Christo resurgẽs in ęternũ regina maneas: & clamore magno dic cuilibet peccatori hic astanti, & dæmoni magis quã Deo animam suam in sacrificium danti, O te infeliciſsimũ hominum, qui propter vnius horæ spatium, quo tentationis laborem, & bellum contra vitia noluisti, sine consensu perferre, perpetuam & inenarrabilem tibi pœnam acquisisti: si cito ad pœnitentiam cõfugere dissimulas. Ovos beati omnes, qui cum Christo domino & cum omnibus sanctis eius, illusiones, flagella, ieiunia, opprobria tentationes sine consensu, & tandem mori potius elegistis, quam Deum in aliquo offendere: certe ex parte Christi dico vobis, quoniam cito erit resurrectio vestra, ad gaudia sine fine, ad cibos sine fame, ad consortium Dei angelorumque societatem: & denique ad requiẽ æternam, & fœlicitatem perpetuam. Tertia die resurgam: ne tristes videã vos discipuli mei, nã ego tormenta patiar & vobis resurrectionẽ acquiram: passione mea ostẽdo quãta sint sustinenda pro veritate & pro Dei amore, & pro honore illi reddẽdo: resurrectio nevero quid in Trinitate sanctissima sperare debeatis. Quia (vt ait Tho. ex August. in catena) vna enim mors saluatoris secundum corpus duabus mortibus nostris salus fuit: & vna eius resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit, corporis nempe & animæ.

Boni, tres tantum dies remanent vobis ad laborem, ad ieiunia ad illusiones & flagella patiendum: & deinde æternitas ad Deo fruendum in resurrectione viuorum. Peccatores, gaudete coronate vos rosis ante quam marcescant: & tu iuuenis (ait Salomō) lætare in adolescentia tua, & in bono caduco & ficto sit cor tuū, in diebus iuuentutis tuę, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: quia exiguum & cum tędio est tempus vitæ tuæ. Surge miser, ironice ista dico quia illa ipse facis: scito quod pro omnibus his, adducet te dominus in iudicium, & cito: & mille anni, quanto magis breue tempus vitæ tuæ, in delitijs consumati, vnica hora tibi videbuntur. Quid dixisses de homine gaudente, per horam in theatro personā agente regiam, & ab omnibus honorato, seruis vallato: si certo certius sciret scena siue comœdia finita, infamia per totam vitā esse respergēdum, & in paupertate & dolore viuēdum? Tu ipse peccator, es talis stultus qui in scena huius vitæ vis ad horam voluptati vacare, aut vindictam sumere, aut periurium dicere, aut ex facultatibus alienis multos habere seruos, & honorari: cum tamen ex fidevera scias, comœdia vitæ finita & cito, magis quam cupis: personam gaudij à te esse abstrahendam, & infamiæ perpetuæ, luctui, & planctui, tristitiæ & paupertati, imo & morti, tradendam animam tuam, æternæ. Quis non gauderet per horam laborare: vt per reliquū vitæ tempus, sine labore aliquo esset? Labora per vitæ tuæ horam, ieiuna, tentationi resiste: & absque dubio in tempore perpetuo post hanc vitam labore & dolore carebis. Quid times tormenta pro Christo pati, illusiones & flagella, cum sit resurrectio, & cito, nempe die tertio? Post tres dies, pistor (vt diximus) Pharaonis, de carcere eductus ad patibulum fuit. Pincerna vero regis, quia vidit tres propagines in vite, & gemmas & flores & vuas maturas: post alios tres dies, restitutus est in officium suum de carcere, vt regi poculum daret. Omnis homo in carcere huius vitę est, atque in carcere corporis sui, vnde dicebat Dauid, educ domine de custodia & carcere huius corporis animā meam, tamen ad confitendū nomini tuo sine eius impedimēto: aut non per mortem, sed fac vt corpus istud ne animæ impediat laudem tuam & seruitium, hoc est dicere, educ de custodia animam meam, id est libera animam, à carcere corporis ne culpæ catenis sit capta. Tamen mali, per tres dies tantum gauisi sunt

*Eccl. 11. D*

*Simile.*

*Simile.*

*Gen. 40. b. d*

*Psal 141.*

ficte

ficte in carcere huius corporis, vnde ad patibulum inferni deducuntur: boni vitem cum tribus palmitibus videntes, ideſt fidem trinitatis & vnius Dei credentes,& cum hoc cogitationes bonas & verba ſana,& opera matura habentes: poſt tres dies,ideſt,cito reſurgent & à carcere corporis ad ſeruiendum regi cœlorum in cœlum aſcendent. Gaudete & exultate iuſti, tribus tantum diebus laborabitis :timete mali,tribus diebus otio & ludo & voluptati vacabitis: & cito ſoluetis triſtitia æterna gaudium momentaneum veſtrum.

Quis gauderet in carcere, etiam omni gaudij cauſa oblata: ſi poſt tres dies ad ſuſpendium educendus eſſet? Quis contriſtatus eſſet,ſi ſciret poſt tres dies è carcere ad regnum eſſe egrediẽdum? Salomonis eſt ſimilitudo imo ſpiritus ſancti. Quod de carcere corporis huius cateniſque mundi maligni, interdum quis egrediatur ad regnum cœleſte,quis dubitat? Ideo quid triſtitiæ, niſi culpæ tali poteſt euenire? Tamen alius natus in regno & in gaudijs mundi nutritus, inopia, & dolore æterno cito conſumatur: audi & time quid ſpiritus dicat tibi. Tertia die reſurgam: ideo volui vitam meam corporalem adeo precioſiſsimam illuſionibus & flagellis,imo&morti,exponere(ait Chriſtus) quia cito reſurgere debebam. Sicut optimus mercator & prudens mille aureos periculo per mare per terras pauperiem fugiens exponit: vt centum lucretur, & habeat mille & centum. Sic & ego rem tanti pretij, vt eſt vita mea, morti dedi ad horam:vt reſurgens tertia die,vitam meam & multorum ſimul haberem. Mori mundo non renuas, ſi multa merita in cœlum lucrari deſideras: vtinam & ipſe faciam & ſtatim.

*Simile.*

*Eccle. 4. D.*

*Simile.*

Ad tria fere reducuntur, quæ de Chriſto ſcripta erant & ab ipſo adimplenda: quid faciendum in vita,ſcilicet Eccleſiam plantare verbo & exemplo mundum illuſtrando doctrina: deinde quid patiendum vſque ad crucem,vt eſſet ſalus omnium,ſicut in primo fuit lux denique omnes reparare, quod in ſua reſurrectione adimpleuit, vt canit eccleſia:qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit:quæ omnia miro artificio Simeon in ſuo breui cantico claudit:de quo alibi. Modo tamen de Chriſti traditione, illuſione & flagellatione & cruce vſque ad paſsionis hiſtoriam differamus tractatum: non tamẽ operationem rectam & compaſsionem. Sed aſcendamus de virtute

*Luc. 2. E.*

in virtutem ad Ieruſalem & animi pacem: ne amplius Chriſtum culpis tradamus, ne verbis illudamus, ne voluptate flagellemus, ne odio crucifigamus: vt ſic cum illo hic gratia & poſtea gloria, magnis meritis reſurgamus, Amen.

# Homilia ſeptima.

Text. Matt. 20.c

¶Tunc acceſsit ad eum mater filiorum Zebedęi cum filijs ſuis, adorans, & petēs aliquid ab eo. Qui dixit ei: quid vis? Ait illi: dic vt ſedeāt hi duo filij mei vnus ad dexterā tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondēs autem Ieſus, dixit: neſcitis quid petatis.

## ¶SALVTATIO AD VIRGINEM.

AD obtinendum à rege beneficium, aut vt dimittat ſupplicium, in tota curia regia, magis idoneus interceſſor non reperitur, quam regina. Vt quid ſi prudens eſt, ſi pulchra & valde amabilis regi. Quis auſus fuit ad regem Aſſuerum valde iratum intrare, niſi regina Eſther, roſeo colore vultum perfuſa? Quis niſi illa placauit illum? quando nos fideles magis Dei beneficio indiguimus, quā modo? Quando Deus viſus eſt ſuppliciū nobis minare terribilius quā noſtro tempore: in quo tot flagellis & paganis vtitur cōtra nos? In tota curia cœleſti, quis ita auſus erit accedere ad filiū Dei valde cōtra nos iratū (& merito quia peccauimus illi & ad iracūdiā prouocauimus bonitatē eius) ſicut Regina poli ſanctiſsima virgo Maria, roſeo & aureo charitatis colore, ſuper omnes cœlicolas, perfuſa? Accede iā, ſoror iſtius matris, virgo ſancta ad filiū tuū: ne nobis cū filijs tuis, ne ad iracundiā maiorem filiū tuū inuitemus ſed cū filijs tuis & ſanctis operationibus, quibus filio Dei magna exhibuiſti obſequia; adora illum & pete aliquid nobis. Quid vis

Eſthe. 15. E.C.

mater

mater mea? Fili, vt filij mei fideles omnes ſedeant ad dexteram tuam in iudicio, vt oues benedicendę, & non ad ſiniſtram cũ hœdis. Optime ſcis petere benedicta parẽs: tamẽ obtine à fidelibus tuis, vt calicem pœnitentiæ iam tandem bibere velint & à vitijs quieſcere: quod ſine gratia fieri nobis non valet, quam à patre filij calice, vt paraclitus mihi ad dicendũ & nobis omnibus ad pœnitentię calicẽ bibendum præſtet: non dubites obtinere dicentibus, Auc.

## ¶ Tunc.

*Text.*

QVID tunc? Quando tunc? Et quid contigit tunc? O rerum viciſsitudinem, ò homines ſolum veſtra quærentes, nõ quę Ieſu, neque ad illũ pertinentia. O mũde totus (ait D. Ioannes.) es in maligno poſitus delicias & honores ſemper anhelans, nil tamen de cœleſtibus curans, ò Ieſu libera nos. Iterũ à preſenti ſeculo nequam. O hominum ſiniſtram ſortem, triſtia & pœnitentiã abhorrentiũ ſemper, conducibilia cum ſint: gaudia ficta, & delicatos cibos, honores per fas & nefas, & voluptates vetitas, omni ſtudio, & diligentia: omni ſumptu etiamque animarum & Dei honoris diſpendio, ſemper quærentium. Quid habes (forſan dicetis mihi) vt ſic tam lamentanda proferas verba, & ita de hominibus conqueras opportune importune quia tunc tantum, ex euangelio poſuiſti? Quid vidiſti? O paſsio domini mei Ieſu Chriſti, ab hominibus oblita: o illuſiones & irriſiones filij altiſſimi obliuioni apud corda hominum traditæ, ò flagella dorſum agni immaculati dilacerantia, ab adulteris & fornicarijs ſuis delicijs conculcata. O ſanguis vnigeniti à patre, clauis in cruce effuſus, iam coopertus iaces coram multis hominibus, ſuis ſceleribus: honores mundi & non tuum quærentibus: ambitioni totaliter deditis. Hei mihi, quis vidit olim Eccleſiam, & Domini paſsionem in tanta veneratione habitam: nunc autem oblitam, ſpretam, conculcatam, & in terram ab hominibus proſtratam: dum nil aliud quam honores proprios in Dei iniuriam quærunt. Quid dicis?

*Ad Phi. 2c. 1. Ioan. 5. D. gal. 5. 4*

Tunc, ò tunc: tunc quando filius Dei tactus dolore cordis intrinſecus (nam ſi tale illi, ſcriptura dicit, contigiſſe, in deletione & deſtructione mundi maligni, quid dubitas in enarratione ſuę paſsionis ſenſiſſe?) & forſan dicens: heu quomodo coarctor

*Gen. 6. 8.*

& afflictioné magna torqueor: vſque dum iſta quę à me dico cer
Luc. 21. F. te eſſe patienda, finem habeant & perficiãtur (vt alibi dixit) tunc quando, forſan, lacrymis perfuſus, & oppido lapſus, fatigatuſq; ex itinere, ſudore madens: neſcio an famelicus & ſitiens decimo quarto die ante executionem horum dolorum dicebat diſcipulis ſuis magna triſtitia preſsis, verba magis dolenda, quam hucuſque ab orbe condito audita fuerunt ab aliquo homine aut angelo prolata: & homines tunc honorem & gaudia petunt & quærunt? O ambitio mundi omnia ambiens & circundans, & fere ne mini parcens. Tunc, quando dominus affirmat ſe à Iuda tradendum, à gentibus illudendum, flagellandum, à miniſtris equorum & crucifigendum pro hominum delictis, audent homines honores quærere, dignitates petere? Et mulier adeo ſancta virginis matris ſoror, inducta à filijs Dei apoſtolis & cognatis, quærit quietem, & ſedes honoris à Deo petit, tunc, quando Chriſtus fatetur in ſede ſtricta & dura & valde opprobrioſa, nempe crucis affigẽdum fore clauis? O munde immunde, quid erit de te, totus in maloigne concupiſcentiæ poſitus, totus ambitione plenus & honoris cupiditate feruens: ſi talis mater & tales filij, poſt dolenda de paſsione Chriſti ab ipſomet audita, honorem & dignitatem quærunt?

O munde vt quid de paſsione Domini nil cogitans, gaudere deſideras? De flagellis eius non conſiderans, voluptates inceſſanter proviribus contra Dei mandatum quæris? De crucis opprobrio non ruminans: cathedras & honores per fas & nefas, habendas curas? Ludis vacas, illuſionis Dei oblitus cum ſis? Certe totus in maloigne poſitus es, ieiunia frangẽdo abſinthij & fellis & paupertatis Dei non recordatus, ô homines totalis perditio veſtra ſtat in hoc, quod in hac lacrymarum valle vbi Chriſtus cœlorum rex in laboribus & paupertatibus & illuſionibus, & ieiunijs, & flagellis, in frigore & nuditate vſque ad mortem crucis fuit: vultis vos regnare, epulari, ludere & voluptatibus vacare, dominari in populo, & vocari ab omnibus rabbi, omnem pœnitentiæ crucem abhorrentes, quos vt inimicos crucis Chriſti po-
Ad Phil. 3. teſt D. Paulus deplorare. Tunc, quando Deus ſibi fel promittit,
D. accedit mulier pro melle filijs petendo? Quando ſibi flagella & crucem prænuntiat, ſedes & honorem quærunt conſanguinei: & obliti fellis Chriſti ſibi dulcia quærunt? Vtinam ne ſic multis hodie

hodie contingeret, gaudia ſine præuia triſtitia volentibus: dulcia ſine contritionis amaritudine: flores ſine ſpinis, triticum ſine ſeminationis labore: vinum dulcedinis ſine foſſione atque putatione cupientibus. Viſibiles mundi delectationes fictas & honores citò tranſeuntes vt vapor ad modicum parens, teſte Iacobo, vita veſtra cum ſit, habita obliuione futurorum gaudiorum, quæ Deus diligentibus ſe & in hac vita pœnitentibus & laborantibus, & timentibus honorari promiſit tanto quæritis deſiderio? *Iaco. 4.*

¶ Acceſsit mater filiorum Zebedæi ad eũ cum filijs ſuis. *Text.*

Iſta mater (ait Chryſoſt. in imperfecto) eſt Salome ſoror virginis, vere pacifica, ſecundum interpretationem, quæ filios genuit pacis, Iacobum luctatorem Hiſpaniæ fideliſsimæ patronum, & Ioannem in quo eſt gratia, quem diligebat Ieſus noſtra redemptio & amor. Acceſsit ad Ieſum pacificum, & pacem inter patrem & nos componere volentem, vera pacifica mulier: acceſsit ad illum quia ipſe per carnis aſſumptionem dignatus eſt accedere ad nos. Cum filijs ſanctis acceſsit pacifica mulier ad Ieſum: quia fœliciſsima erit anima, quæ poſt corporis expoliationem, pace dotata: cum ſanctis operibus ad tribunal Ieſu dignata fuerit accedere. O fœlix anima Iacobum ſecum portans luctatorem, & quæ viriliter contra vitia in vita pugnauit, non deſerens Ioannem, gratiam Dei nempe, quanto gaudio ad Ieſum accedet: quam inenarrabili lætitia, audiet à Domino: euge pacifica anima & fidelis, quam bene comitata ad me accedis, cum filijs operum tuorum: intra in gaudium Domini tui, in beatorum conſortium æternum. *Hom. 35.* *Mat. 25. B*

Quam infelix eſt anima illa, fonte lacrymarum magno deflẽda, quę egreſſa fuerit à corpore horrenda tremenda & ipſa & in bello peccati contra Dominum inuenta: quid dicet Iudici Ieſu cum acceſſerit ad illam interroganti? Vbi ſunt filij tui Iacobus & Ioannes? Vbi ſunt bona opera tua, quibus comitata oportebat vt ad me venires? Vbi eſt fortitudo Iacobi qua contra dæmones & vitia dimicaſti? Vbi eſt gratia Ioannis, qua decorata eſſe debebas? Vbi eſt pax Dei, qua ornata decebat vt venires? Vide

quid facias homo, nam certe cito coram Christo ad rationem dandam apparebis in pace gratiæ, aut in bello culpæ: & velis aut non cum filijs tuis ibis ideſt operibus. Si bonos filios portaueris, cum filio Dei perpetuo in cœlo manebis: ſi tamen peſſimos & opera maligna, cum filijs perditionis damnatus eris: vide vt viues.

## ¶ Adorans & petens aliquid ab eo.

Fer.

CONfuſio mortalium, accedentium ad Chriſti templa tali irreuerentia, vt ad proprias domos: & in templo vt in plateis exiſtentium, tamen quid mirũ cum non ſint Salomæ ſimiles in animæ pace, nec tales habeant filios vt Iacobum & Ioãnem, fortitudinem nempe & gratiam. Adorauit & petijt aliquid, quia (vt ait Lyra) non petit primo in ſpeciali & determinate, ſed tantũ in generali vt conceſſione facta in genere, minus poſſet poſtea ſibi denegari in ſpeciali. Veni in templum pacifico animo, adducte cũ bonorum operationum filios, accede ad Ieſum ſaluatorem toto corde, adora illum, magna reuerentia ſacra in templo peracta tractans & magno ſilentio audiens diuina: & ſic pete iuſta & abſque dubio incunctanter aut ſuo loco accipies & tempore, quæ deſideras. Cum tamen video hanc virginis matris ſororem ad pedes Ieſu proſtratam adorantem illum & ab ipſo aliquid petentem: in mentem mihi venit ſoror eius ſanctiſma peccatorum aduocata. Quomodo abſque dubio credo illam pro nobis ad filium inceſſanter beneficia & peccatorum veniam petere, & à patre æterno vt mortem filij vtriuſq; quam peccando cauſauimus remittat nobis antequã iuſtitia ſua homicidas in morte nos inueniat & ſuſpendio tradat. Vt illa mulier à Ioab introducta ad Dauid pro venia Abſaloni obtinenda: quam figuram in ſalutatione homiliæ quartæ tetigimus, & ad
2. Re. 14. hunc locum fuſius tractandam (quia vtiliſsimam meo videri)
A. B. diſtulimus: literam textus vide ibi, applicationem tamen audi, vt deuotio erga virginem cordi tuo fixius inhæreat, & culpæ grauitatem abhorreas, & Dei iuſtitiam pertimeſcas.

Cũ videat eccleſia cor regis cœleſtis, verſum eſſe à nobis filijs ſceleratis, & merito contra nobis iratum, quia omnia quæ hic filius altiſsimi in hoc euangelio affirmat, ſe à Iudæis & gentibus

fuiſſe

fuisse passurum, à nobis fidelibus quotidie patitur. Ab illis semel traditus: à nobis quotidie gratis blasphemantibus nomen illius) venditus. Ab illis ter aut quater illusus: à nobis millies in die irrisus, nostris verbis & delictis semel flagellatus, à militibus à nobis ob nostras voluptates quotahora. Denique iterum atque iterum filium Dei crucifiximus, quantum est ex parte nostra, & in animabus nostris occidimus: expellentes illum ne per gratiam in illis viuat & regnet. Vnde (vt regi Assuero dixit Mamudian) regis æterni iusta est contra nos indignatio, & merito exactores suos ad nos comprehendendum & iustitiam suam ad nos puniendum (& si non iuxta debitum) misit. Ecclesia igitur, vt pia mater, cupiens nos filios eius à terribili Dei iustitia liberare, intromittit mulierem sanctissimam in aduocatam miserorum, virginem prudentissimam, & dicit illi, vt Ioab Thecuiti. Lugere te simula virgo sancta, quæ iam flere non potes: simula te esse vt quando filium illusum, & flagellatũ in cruce mori vidisti: & in repræsentatione dolorum nostrorũ induerete veste lugubri: vt sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum, mundum scilicet istum. Et cum semper sis coram rege supremo, loquere ad eum pro filio meo genere humano morti adiudicato ob scelera sua: non est opus vt ego Ecclesia ponam verba in ore tuo, cum ipsa doceas me de multis, tantum oro vt te esse matrem Dei & miseri hominis ostendas: quia post Deum vnica spes nostra es: vt sumat per te preces pater, qui te nobis in aduocatam dedit post filium: vt in salue regina doceo. *Esther. 1.*

Iam accedit mater filiorum, Dei nempe mater, & hominis peccatoris parens, quia ex genere ipsius & aduocata. Iam odorat veneratione magna dicens serua me rex. Quid causæ habes virgo, cum sis super choros angelorum exaltata? Domine, mihi ancillæ tuæ duo erant filij, Christus Dominus, & homo peccator: rixati sunt aduersum se in agro Caluariano, non ex parte filij tui sed ex parte hominis peccatoris insurgentis contra illum fuit rixa: & cum omnes dixissent tolle, tolle, crucifige, neque fuit qui eos prohibuisset: percussit filius meus genus nempe humanum filium tuũ & meum clauis & cruce me astante ibi & interfecit illum. Qui iam propria virtute surrexit & sedet hic ad dexterã tuã: tamen peccator malignus quotidie

tidie non eſt veritus iterum culpis occidere illum quantum eſt ex parte ſua: pro quo modo intercedo pater æterne.

Cum videam eccleſiam Dei adeo affligtam tam paucos filios habentem & multos ex ipſis in peccatis viuentes: intelligo te mi ſiſſe iuſtitiam tuam ad captandum peccatorem & puniendum, vt interficiat illum pro vita fratris ſui Chriſti filij quem interfecit. Serua me rex, & ne ſinas iuſtitiam tuam executioni mandari nec deleas de terra hæreditatem tuam: quia dæmones & hæretici cupiunt extinguere ſcintillam fidei quæ relicta eſt in eccleſia. Et tantum eſt virgo, vt iuſtitia mea vadat contra peccatorem? O Domine mi ignis inferni, & dæmonum viſio, & tenebræ horribiles, & omnia diaboli flagella: quid terroris habent, cum hoc quod iuſtitia tua contra peccatorem egrediatur? Egreſſa fuit contra filium tuum & meum, cum eſſet fideiuſſor non debitor: & illuſioni & flagellis diris, & cruci ignominioſæ, ſine appellatione, coram me tradidit: quanto magis dura contra peccatorem faciet? Serua me rex. O vtinam audiat virgo à rege regum: viuit Dominus quia non cadet de capillis filij tui, generis nempe humani, ſuper terram. Ego parco homini peccatori, cum iam filius meus ſedeat me cum glorioſus: tantum ipſa aduocata peccatorum, obtine ab hominibus ne iterum crucifigant filium meum. Homines, cum à iuſtitia Dei contra vos digne veniente liberaui, & locum pœnitentiæ obtinui, & veniam tanti ſceleris vt eſt Chriſtum crucifigere: ne vltra filium meum offendatis. Quis non dicit, fiat virgo fiat? Opere fiat iam.

Tex. ¶ Quid vis?

NON venit hoc nec dicitur de ignorantia (ait D. Hieron.) ſed ex eius perſona dicitur, qui flagellandus & crucifigendus erat: & ipſe vt omnia ſciens prædixerat talia ſe paſſurum: ſed vt alibi dixit, quis me tetigit? Et de Lazaro, vbi poſuiſtis eum? Adam vbi eſt? Hæc omnia ſciebat qui patris ſapientia erat: ſed interrogabat vt ex proprio ore audiret quod ipſe non ignorabat, vt inde vtilia nobis educeret: & ſic interrogat hanc mulierem, vt ex verbo ſuo conuincatur qui illam ad petendum induxit.

Luc. 8. F. Joan. 11. E Gen. 3. B.

Dic-

¶Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. *Text.*

VNde opinionem regni (ait D. Hiero.) habet iſta mulier, mater filiorum Zebedæi? Dominus dicit tãta paſſurus, & ignominiam paſsionis timentibus diſcipulis nuntiat: & ipſa gloriã poſtulat triumphantis? Putauit poſt reſurrectionem illico regnaturum Chriſtum in Ieruſalem, & quod in ſecundo aduentu promittitur, eſſe complendum in primo: & ſic præſentia petit immemor futurorum. Vt ſedeant filij tui vis bona mulier, cum dicat Chriſtus, ſe illuſum, columnæ ligatum ſtandum fore ad flagella, & deinde in cruce? Sedes collaterales petis filijs tuis honoris, cũ ſedem crucis duram eligat Chriſtus? Audiſti à filio Dei concionante malos à ſiniſtris fore collocandos in iudicio maledictioni reſeruatos & igni, & petis vni filiorum ſiniſtram ſedem? Petis ne illi maledictionem? *Mat. 25. c.*

¶Neſcitis quid petatis. *Tex.*

MAter poſtulat (ait Hiero.) & dominus diſcipulis loquitur, intelligens preces eius ex filiorum deſcendere voluntate: ac ſi dixiſſet Chriſtus, nolo te contriſtari bona mulier, quia ſoror matris meæ, & ſic matertera mea: & quia ſenex, & maxime deſidero, vt ſenes ab omnibus honore proſequantur, quia turpe eſt & fidelibus, ſenes inhonorãtibus opprobrioſum, quod quidam gentilis deveneratione ſenum affirmat: cum hodie à pueris contemnantur imo irriſioni dantur. Credebãt hoc grande nefas (ait Iuuenalis) & morte piandum, & interitu dignum, ſi iuuenis vetulo, tranſeunti aut accedenti, non aſſurrexerit, & ſi barbato cuicũque, etiam pauperi puer quantumuis diues non aſſurrexiſſet: tã venerabile hoc erat præcedere quatuor annis. Et modo iam iſta reuerentia inter pueros & iuuenes fideles, erga ſenes deſtructa eſt nec in vſu illam reperies, caueant tamen effrontes iuuenes & pueri inuerecundi, ne inueniant in morte vrſos illos dilacerantes, vt diximus de quadraginta duobus pueris Eliſeum irridentibus, à duobus vrſis dilaceratis. Deinde diſcãt hinc omnes matres *Reg. 4. 2. d*

quid

quid filijs ſuis deſiderent & quibus medijs. Quia ſi iſtæ matri ſanctæ dexteram Chriſti petenti & ſiniſtram, ita filius Dei reſpondit: quid parentibus noſtri temporis per fas & nefas filijs honorem acquirentibus & dignitatem dixiſſet? Stulti eſtis in petitionibus & ſolicitudinibus veſtris. Iſta mulier non ſentit vt aliæ matres, quæ corpus natorum ſuorum amāt (ait Chryſoſt. in imperfecto) animam autem contemnunt: deſiderant illos valere in ſeculo iſto, & nil curant quid paſſuri ſint in alio. Honores illos hic habere videant, & tamen de inferni infamia æterna, nec verbum vllum, nec cogitatio: diuites hic ſint, & nil ad parentes noſtri temporis vt cum epulone poſt hanc fugacem vitam, igne ſine aquæ gutta torti ſint perpetuo. Crudeles parentes, magis quā lupi, miſeris filijs veſtris.

*Simile.* Perditionem illorum cum magno pretio comparatis, & ſalutem nec dono accipere vultis: ſi filios pauperes videtis, aut corpore infirmos, multum contriſtamini, & ſuſpiria emittitis: ſi tamen illos peccantes, propter vos, peierantes, inobedientes & blaſphemantes, maledicentes, adulterantes, ludentes ac detrahentes: non ſolum illos non arguitis, & de miſeris animabus ſuis peccato infirmis, ſanguine Chriſti redemptis, non doletis, nec contriſtamini, cum ſancta Monica D. Auguſtini matre: ſed gaudetis & ridetis cum illis, etiam peccantibus: cum illa inceſta Herodiade, de ſaltatione filiæ gaudente & animam occidente *Mar. 6. C.* & caput Ioannis à corpore tollente. Iam vbi reperitur parens filios peccantes & inſolentes arguens, cum omni imperio & virtute? Vbi eſt mater, filias diſtractas & conſortia ſibi nociua quærentes, corrigens vt decet, ne in maiora mala prolapſas aliquando videat? De corporis valetudine & morbo corporali in filijs aut filiabus exiſtente? Valde triſtantur & plorant: & videntes illos dæmoniacos in anima & à Deo per charitatem alienos freneticos & ægros in ſpiritu, nec de hoc cogitant, nec dum dolent. Vt quid hoc, niſi vt oſtendant ſe corporum tantum parentes eſſe & non animarum? Quid contra tales patres & matres modo diceret Ieſus? Neſcitis miſeri, quid filijs aut filiabus petatis, aut vtilia illis deſiderare.

O filij Zebedæi conſanguinei mei, concupiſcentia carnalis vere omnem ſpiritualem conſiderationem excludit: non audiſtis me in hac vita non regnum ſed crucem mihi manere, non hono-

honorem, sed illusionem, non decus sed flagella? Vt quid vos sedes honoris ambitiose petitis serui cũ sitis, si domino vestro tormenta & cruciatus manent? Deinde non audistis me dicentem (vt notat Chry. in imperfecto) cũ venerit filius hominis in maiestate sua, nõ veniet in mundo regnaturus: sed iudicaturus viuos & mortuos & seculum per ignẽ: Et ponã oues ad dexterã, hœdos autem ad sinistrã: & dicã his qui à sinistra sunt, discedite à me maledicti in ignem æternum? Quo modo vos ambitione cæci, alterũ ex vobis maledictũ ad infernũ cum hœdis mitti ob dignitatẽ nõ timetis? Vocaui vos vocatione sancta ad partẽ dexterã gratię & gloriæ, de sinistra mũdi, culpæ & inferni: & hoc stabit mihi illusio flagellatio & crux (vt paulo ante audistis) & vos dolorũ meorũ obliti, & bonorũ vestrorũ inimici, vt paruo tẽpore in mũdo regnetis: non dubitatis in sinistrã maledictionis effrenate tendere? Ad maledictionem? Ad regni expulsionem? Nescitis quid petatis: petite hic labores, vt ambo ad dexterã sitis collocati: sequimini vestigia mea in tristibus, si gaudia vera quæritis. *Mat. 25. C*

Quam innumeri non verentur sinistram maledictionis in iudicio suo coram Christo petere & Quærere: dummodo in hac miseriarum valle ad honores anhelent: & ad horam in primis cathedris dignitatum & diuitiarum sedeant, & primos recubitus possideant, & in dextera diuitiarum per instans iuste vel iniuste sint collocati: vnde dicitur cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius. Salomon, omnes homines non habent cor ad sinistram tendens, denotantes in hoc proni esse ad malum ab adolescẽtia sua & à natura corrupta? Quomodo dicis cor sapientis in dextera illius esse? Quia sapiens & vir bonus non ponit cor suum & amorem in honoribus & huius mundi caducis dignitatibus: Quia esset in sinistra illud habere, & in periculo ad sinistram Dei in iudicio poni: sed in dextera cor suum habet, quia in virtutibus & meritis omnem amorem suum collocat vt ad dexteram audire mereatur, veni benedicte. O stulte, in sinistris huius mundi habens cor, o peccator caduca diligens nociua anhelans: sinistra maledictionis manet tibi, si illis dignitatibus non fueris vsus vt decet: de abscondit is Dei, vis ventrem adimplere? *Eccl. 10. A*

*Psal. 161*

O dæmõ fere semper hominibus pernicioſa & nocina, per mulierẽ curasti faciẽda: si Adã ẽ paradiso à te fuit ex pulſ⁹ ad exiliũ & labo- *Genes. 3. D*

laborem, propria illius coniuge ad tãtum ſcelus abuſus es: ſi ſanctum Dauid in adulterium & homicidium proſtraſti Bethſabee
2. Re. 11. A. pulchritudine vſus es: ſi Sãſonem ad molendum oculis orbatum
Ind. 16. E. admolam irriſum & illuſum adduxiſti, nonne Dalila fuit infelix internuntia? Modo tamen non vereris ſanctam Salome matrem tanquam inſtrumentum accipere (ex parte ſua ſana intentione motam, & quantum eſt in te ad illius filios deſtruendos & à tanta dignitate cœleſti ob terrenam deijciendos.) In tantam filiorum ſuorum, & apoſtolorum meorum perniciem vti? Matris meæ digniſsimæ non times tangere ſororem, & inducere vt tam nociua filijs petat?

*Simile.* O homines, qua audacia & temeritate inhoneſtis mulieribus & mundanis, abuſus erit malignus ad vos deſtruendum, & ad vos ſacerdotes & monachi, à tanta dignitate in ima & vitiorum ſtercora deijciendum, & ad terrena proſtrandum (cum parum, de virtute & oratione, de votis adimplendis, & horis deuotione magna recitãdis & cauſis peccandi reſcindendis ſolliciti ſitis) ſi duos ſanctos gigantes magna virtute, & dignitate apoſtolatus præditos filij Dei cognatos, Iacobum & Ioannẽ nempe: ſua propria matre & ſancta & deuota & Chriſtum per omnia ſequente, & virginis Mariæ ſorore, & matronæ ſanctiſsimæ Annæ filia, tãquam inſtrumento vſus eſt, ad veneno dignitatis temporalis, & honoris mundani, filios proprios deijciendos vulnerandos, & interficiendos, ſi talem non habuiſſent Patronum dicentem, o cõ ſanguinei mei, neſcitis quid petitis, alias vt à colubro, à tali petitione caueretis. Simulate dæmon vtitur matre, à vobis introducta, vt vos perdat. Ideo per mulierem res agitur, quia magnum dæmonis inſtrumentũ (vt diximus) mulier eſt, ad homines deſtruẽdos perpetuo: videns forſan diabolus, quia per vos ipſos aduerſus vos agere non valebat, contulit ſe ad conſueta mulierum arma: vt ſicut multos homines per mulierem meritis ſpoliauit, & à virtute & gratia deiecit; ita & vos à regno Dei per ſedes terrenas autore muliere proſtrare conatur. Quia & ſi mater eſt, tamen mulier eſt vt dixit eremi pater tranſiens matrem per fluminẽ & ſi affectus eius dulcis eſt erga vos filios ſuos, quaſi matris, intellectus tamẽ eius nociuus eſt, & petitio à ratione abſona quaſi mulieris, cauete homines à mulieris affectu, & deſiderio: quia ab ipſa omnis perditio hominum initiũ ſumpſit.

Deo

Deo tamen immensas agamus gratias, & eius matri obsequia possibilia reddamus, aut saltim quo valemus frequentemur officio: quia si per vnam mulierem, virum primum seduxit Diabolus, vnde nobis tanta promanauerunt mala: per vnam nihilominus mulierem, virginem nempe matrē datus est nobis filius & puer natus qui omnia restaurauit: & non sine magno gratiarum fœnore: quia plus abundauit gratia Christi quam Adæ delictū. *Ad Rom. 5. D.* Vnde iam non poterat (vt tibi ait Chrysos.) per mulierem perditio introire in sanctos, ex quo de muliere, & huius sorore salus cunctorum Christo filio eius mediante processit: Saltim sic debebat esse. Nescitis petere, cum mundi honores petatis, nam matri vestræ nolo ista dicere verba, quia (vt ait glos.) si impetrare simplicitas non debet, non tamen confundi meretur: & vos matrem informastis de petitione huiusmodi facienda, quando me fore resurrecturum audistis post mortem: de me dulcia tantum colligere volentes & delectabilia, infamias & labores abhorrentes, sedem gloriæ petitis & quæritis, quam nondum meruistis labore, meę cruci iuncto. Nescitis quid petatis cum delectet vos culmen honoris, quos nondum exercuit via laboris. Laborate prius, si quiescere optatis: seminate opera bona si metere vultis merita: pretiosa non inueniuntur passim: dic de margaritis: state pugnantes contra vitia viriliter in terra, si sedere cum Angelis desideratis in cœlo. Quia sedere ad dexteram meam aut sinistram petere, magna præsumptio est: etiam post multos labores in mundo à vobis perpessos: quia virtualiter petitis honorē patris mei, & sanctissimæ virginis matris.

Quia si ego ad dexterā patris sedebo, ipse pater debet in mea esse sinistra, cum ipse dixerit sede à dextris meis (etiam si bene *Psalm. 109.* scio per dexterā illius, potiora bona sua quibus me ditabit intelligi) igitur cū mater mea vt regina astare debeat à dextris meis, *Psalm. 44.* vt ait Dauid, meis præcipuis gaudens bonis: vultis petitione vestra inconsiderata (etiam si non intentione vestra) sedem patris mei & matris tollere, & illas obtinere? O ambitio omni malo peior, non sat tibi fuit Angelos è cœlo cadere & Adam è paradiso facere: quin & discipulos meos dilectos tangeres atque infice re curares? Innumeri homines manent tibi ambitio, quos ineſca re hamo tuo valebis: sine discipulos & consanguineos meos, ad prædicandum contra te electos à me, ad gloriam & nos. Amen.

# Homilia Octaua.

*Text.* ¶Nescitis quid petatis.

VItis scire discipuli mei, quam odiosa res sit mihi ambitio? Potius mortem eligam, quam in dignitate constitui velim: ipse Ioannes scribes, quia me cognoscente, quia venturi essent vt raperent me, & facerent regem: fugi iterum in montem solus. Tamen in nocte qua traditus ero vobis præsentibus, sudore sanguineo madidus tristis & afflictus, sciens omnia tormenta quæ ventura erunt super me, & mortem ipsam: procedam Iudæ duci latronum, & falsis militibus eius obuiam, vt me ligent, tradant, & occidant: vt ipsemet chartis mandabis Ioannes. Fugi dignitatem, morti vltro me offerã, vt sciatis vos petere, & discat omnis terrenus homo, potius mortem eligere, quam dignitates mundi ambitione inuestigare. Bene hoc intellexit Gaufredus, Prior Clareuallensis, qui electus Episcopus Tornacensis: & ab Eugenio Papa, & ab Abbate S. Bernardo cogeretur onus subire, omnino renuit: sed prostratus in modum crucis, ad pedes S. Bernardi dixit: monachus fugitiuus, si me eijcitis, esse potero, Episcopus verò nunquam ero. Vnde post mortem apparens cuidã monacho sibi charo, dicenti illi, quomodo est tibi? dixit, bene: sed reuelatum est mihi à sanctissima Trinitate, quod si in Episcopum promotus essem, in numero reproborum fuissem: sed cum essem ex electis, Deus in causam fuit, vt nõ reciperem dignitatẽ mihi pernicioſam, & nociuam. Audi, & time homo, ambitione magna seculi dignitates per fas & nefas procurans, & considera quãtos ardẽtes sunt in rogo inferni quondã dignitate sublimatos, qui ob malum dignitatũ vsum damnati sunt: nescitis petere.

*Ioan.6.B.*

*Ibi.18.A.*

*Exemplum.*

P.P. *hist. tit.6.c.16.* Sic D. Marcus vnus ex quatuor Euãgelistis, discipulus D. Petri dicitur secũdum D. Hiero. vt refert S. Antoninus in historia sua, digitũ amputasse: vt sacerdotio reprobus haberetur, scilicet, in noua lege: quod egit ex magna humilitate, familiari consilio Spiritus sancti: nã secũdum communẽ legem hoc omnino prohibetur, vt in canonibus Apostolorum legitur, & habetur in decretis: si quis abscinderit semetipsum, id est, si quis amputauerit sibi virilia (aut quodlibet membrum) non fiat clericus, quia sui

*Cap.22. & hab. D.55.c. ſi quis.*

fui eſt homicida & Dei conditioni inimicus. Vnde ait magiſter Soto in de Iuſtitia & Iure: neq; vero Marci factum qui, vt eius habet hiſtoria, pollicem ſibi ex nimia humilitate reſecauit, ne in uitus ſacris initiaretur, laude dignum eſt, niſi reuelatione aliqua protegatur. Et alibi ait, ad id autem quod de beato Marco allatũ eſt, ſi res ita habuit: Hieronymus nõ prorſ9 affirmat, ſed ait dici tur: neceſſe eſt fateri diuina id reuelatione feciſſe: quempiam ſe tali fine mẽbro mutilare, delictũ eſſet, vt ex cõcilio Niceno Canone ſi quis à medicis: vt habetur in decretis innoteſcit. Pręualuit tamen (ait D. Antoninus ibi) Petri autoritas: & vt creditur digitus fuit ſibi diuinitus reſtitutus: & ſic ordinatus. Si ergo tantus ſanctus ſacerdotalem dignitatem verebatur accipere, ob reuerentiam magnam ſibi habitam: quæ temeritas, imo inſania, inuaſit mortalium animos, & quæ damnabilis ambitio, vt ſine literis ſine virtute ſtatim & repente ſacerdotes fieri volunt, & deinde alias dignitates ambire? Neſcitis quid petatis homines dignitates appetendo, & honores in mundo volendo: nam penula, qua homo à pluuiarum infortunio defenditur: non debet ſuperbire quia ſuper omnes alias veſtes locum habet, & videtur illis præeſſe. Non ideo ſuperponitur alijs, quia charior à portante habeatur, ſed potius vt ſola deturpetur & portet pondus diei & pluuiam & niuem & grandinem ferat: vnde aliæ veſtes magis dilectæ ſeruentur, penulæ diſpendio.

*Lib. 5. q. 2. ar. 1.*

*Ibi. li. 10. q. 2. ar. 2. ad. 3.*

*Cap. 1. & hab. 55. A*

*Simile.*

Audite hæc, qui alijs pręeſſe totis viribus cõtenditis nil aliud vultis, quam penulam eſſe ventis & tentationibus, & lupis infernalibus expoſitam: vt alij fideles Deo chariores ſeruentur à tentationibus, & dæmonis morſibus, & omnia cadant ſuper vos, & ſoli deturpemini. Ne ſuperbias homo, in dignitate conſtitute, quia ſi male officiũ peragis, te & alios deſtruis: ſi bene in magno es periculo cõſtitutus, quia omnes alios cooperire debes, & omnia tela cõtra te nequiſsimi hoſtis ſpiritualia & ignita, nõ aqua aut grando, cadere debent: vt ne glorieris in tali dignitate, ſed potius Deo ſeruiendo humilieris. Quia ad vtilitatem ſubditorũ poſitus es, magno tuæ ſalutis periculo, & vitæ diſpendio: cũ ſuper te cadere debet grando iudicij Dei, exquirentis à te rationẽ omnium ſubditorum, neſcis quid petis. Scriptum eſt & ſic erit, quantũ glorificauit ſe in dignitate ſua, & in delicijs fuit, ille ambitioſus homo: dęmones & inferni carnifices, ait vox de cœlo, tã

*Apoc. 18. B.*

tum date illi tormentum & luctum. Quia in corde ſuo dicit: ideo regina anima præpoſita alijs, & vidua non ſum, etiã ſi Chriſto per gratiam careo, & luctum non videbo poſt mortem: quia valde gaudeo in dignitate mea: ideo in vna die mortis tuę venięt omnes plagæ contra te: mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis eſt Deus qui iudicabit tuã animã. Neſcis quid petas qui dominari in populo anhelas: vide quanto te periculo exponas cum dignitatem acquiras optatam: & lege totam Diſtinctionem quadrageſimam in decretis: vt timeas in dignitate conſtitute, & vt à facie colubri fugias illam appetere ſi nõ habes. Ex Diu. Hieron. in epiſtola ad Heliodorum dicitur, capite, non eſt facile ſtare in loco Petri & Pauli, ſcilicet tenere cathedrã regnantium cum Chriſto: quia hinc dicitur, non ſanctorũ filij ſunt, qui tenent loca ſanctorum: ſed qui exercent opera eorum. Sed qui præſunt non ex locorum vel generis dignitate, ſed morũ nobilitate innoteſcere debent: multa tenentur facere bona. Quia ait ibidem Diuus Grego. Anaſtaſio presbytero, nõ loca vel ordines creatori noſtro nos proximos faciunt: ſed nos aut merita bona ei coniungunt, aut mala diſiungunt. Time in dignitate conſtitute, quia (vt ait Chryſo. in Matthęum) homo Chriſtianus ſæpe citer cadit in peccatum propter duas cauſas: aut propter magnitudinem peccati, aut ob altitudinem dignitatis: vide quid petas cum dominari petis vermicule. Martyr Dei & põtifex ſummus Bonifacius dicit in eadẽ diſtinctione notabile dictum tale: ſi papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens deprehenditur, inutilis & remiſſus in ſuis operibus, & inſuper à bono taciturnus, quod magis officit ſibi, & omnibus: nihilominus, innumerabiles populos cateruatim ſecum ducit primo mancipio gehennę, cum ipſo plagis multis in æternũ vapulaturus. Nihilominus nemo audeat illum redarguere: quia ipſe eſt cunctos iudicaturus, & à nemine niſi à Domino iudicandus. Audi Diuũ Auguſti. ad Valerium: nihil eſt in hac vita, & maxime in hoc tempore, difficilius & laborioſius & periculoſius, epiſcopi, & presbyteri aut diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius ſi eo modo militetur quo noſter imperator Ieſus præcipit. Quis autem ſit modus recte animas gubernandi, nec à pueritia, nec ab adoleſcentia mea didici: & eo tempore quo diſcere cœperã, vis mihi facta eſt merito peccatorum meorum. Nam quid aliud exiſtimem neſcio, neque in alio

*Diſt.40.*

*Li.6.regis epiſt.39.ſeu cap.193.*

*Homi.40. in Matth.21*

*Epiſt 148. hab.ibi cap. Ante omnia.*

alio video Deum mihi magis iratum ob scelera mea præterita, nisi in hoc: vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram. Et cum indignus essem poni ad remum, positus sim ad gubernaculum & animarum regimẽ. O diuine Augustine hæreticorum mallee & Ecclesiæ lumen si talia de te affirmas, quid ego & alij multi facimus.

Nescis quid quæras, stultus es in dignitate petẽda homo: sine literis imo literate, sine magna prouia virtute, imo & cũ illa: cũ audias magnũ ex quatuor Ecclesiæ doctoribus vnũ, hęreticorũ malleum, vitiorum impugnatorem Augustinum, talia ex corde dicentem, & se indignum Ecclesiæ subditum esse, quanto magis gubernatorem & (vt cõcludamus cũ illa distinctione) audi aliũ non minus prudentem doctorem, & grauissimum concionatorem Diuũ Chrysost. Constantinopolitanũ meritissimũ episcopum dicentem in Matthæum. Multi sacerdotes, multi episcopi multi parochi, & pauci sacerdotes, pauci episcopi & parochi. Si pauci quomodo multi? Si multi quomodo pauci, episcope sancte? Quomodo? Multi in nomine & dignitate, & pauci in opere & bonitate. Nõ omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos: qui bene sederit super cathedram, honorẽ accipit cathedræ: qui male sederit, iniuriam facit cathedræ, imo & Deo, & ipse damnationem acquirit: ideoq; malus sacerdos, de sacerdotio suo & dignitate crimen acquirit, non dignitatem: in iudicio enim tuo sedes homo. Idem alibi in eodem capite multi sacerdotes, terribiliter minatur nescientibus quid petant dum dignitatẽ inquirunt: quicunq; desiderauerit primatum in terra, inueniet cõfusionẽ in cœlo: nec de primatu tractãs, inter seruos Christi computabitur. Nec vnusquisq; eorum festinet quomodo alijs maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur: quoniã non qui maior fuerit in honore inter homines, ille est iustior: sed qui fuerit iustior ille maior. Audistis quid sancti isti dicant, contra vermiculos dignitates seculares aut Ecclesiasticas appetentes?

*Homi. 45. in Matth. 23*

*Homi. 35. in Matth. 20.*

Si talia contra laicos dominari affectantes dicunt, si contra nos sacerdotes dignitates anhelantes tã dura affirmant: quid cõtra mundo iã mortuos & in sua cellula sepultos, & habitu funeratos, tãquã sindone inuolutos, dicerent religiosos: si illos in deserto sanctæ religionis, de prioratu & abbatia, ministratione aut guardiania, aut de prouincialis aut generalis prælatia dispu-

tantes viderent & magna ſiti omnibus vijs procurantes? Dice-
*Simile* rent eſſe monſtrum in natura, mortuum videre à ſepulchro re-
ſurgentem & magno deſiderio dignitatem petentem: cum eſſet
mortuus & ſindone inuolutus. Neſcitis quid petatis religioſi,
cum dignitates religionum quæratis: & ob Dei ſeruitium &
obedientiam, fere inuiti illas recipere debeatis, & dolenter. Si
magiſter Chriſtus dicit duobus conſanguineis ſuis ſanctis & à
Spiritu ſancto inſtruẽdis Iacobo nẽpe & Ioãni, Apoſtolis Dei
& ab ipſo electis, neſcitis quid petatis, quando ſedes quæruntur & dignitates in terra: quãto maiori cauſa mihi idiotæ & imperfectiſsimo, & tibi ſacerdos diſtracte, & tibi monache ambitioſe diceret: eſtis ſtultiſsimi in dignitate aut prælatia quærenda, cum indigniſitis poni ad remum nauis cum galeotis, vt quid inuaſit cor veſtrum tam dira cupido, & nociua ambitio, vt iudicetis vos dignos poni in eccleſię gubernaculo, aut religionis dignitate. Digniſsimi eſtis vt confuſionem coram iudice cęleſti inueniatis, qui non eſtis veriti primatus quærere in terra, idiotæ & imperfecti cum ſitis: perfectus potius fugit quam quærit dignitatem. Et eo ipſo quod aliquis illam petit aut quærit, illa ſe indignum iudicat, etiam ſi omnia neceſſaria ad illam perfecte poſsideat.

Aliter de dignitate quærenda, & accipienda ille benedictus Edimundus ſentiebat Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui (vt re-
*Par. 3. hiſt. ti. 19. c. 10 § 4.* fert D. Antoninus) vacante ſede illa Cantuarienſi epiſcopali, in Archiepiſcopum canonicè dictæ eccleſiæ eſt electus: & tamen electionem non acceptauit, clamitans ſe indignum, ac dicens: ego ſum vermis & non homo nec tanti meriti, aut tantæ literaturæ ſum vt creditis: & mundus in hoc deceptus eſt, & vos erratis. Dixerunt tamen illi multi: certe mortaliter peccas niſi obedias: nam talis poſſet poni loco tui per quem eccleſia Cantuarienſis læſionem non modicam poſſet pati. Quis debet in epiſcopum eligi niſi tu & tibi ſimilis, ſanctus prius prudens & quietus? Victus tandẽ precibus & non minus ratione cõuictus aſſenſum prębuit, dicẽs: nouit ille qui nihil ignorat, quod niſi crederẽ me peccaturũ mortaliter: electioni de me factę nullaten⁹ aſſenti rẽt: cũ tamẽ paſtor in Dei eccleſia factus, in omnibus, magis ac magis virtutibus emicuit. Neſcis quid petas homo dignitatẽ in Dei eccleſia quærẽs, cũ partibus Edimũdi careas, & ipſe recuſa-

bat

bat accipere ſanctus cum eſſet, & tu pro viribus illã petis. Ecce Gigantes gemũt ſub aquis, & qui habitant cum eis (ait Iob) & vos miſeri terreni homũculi, ſine ſciẽtia & virtute creditis poſſe ſub tãtorum periculorũ aquis, natare vſq; ad portum mortis ſecuri & ſine culpæ ſuffocatiõe? Sancti illi Gigãtes proceri virtute & ſciẽtia inſigniti ſub aquis dignitatũ gemebãt, orabãt, & plorabant, & valdè dolebant, ob periculũ imminẽs ſuis animabus ob regimen animarũ quas regebant: & qui habitabant cum eis ſubditi, & ſi boni, & à tam ſanctis prælatis gubernati, etiã gemebant bonis operibus vacãdo, & flebant mittẽtes ſemina ſua virtutum & meritorũ, vt ſi poſſent ad portum beatitudinis ſaluis meritorũ mercibus tãdẽ peruenire. Et vos homines imperfecti, & qui non dũ virtutem à limine ſalutaſtis: non veremini homines ſceleratos, & proteruos, ſine oratione, ſine virtute, blaſphemos adulteros, ſine pœnitentia & lachrymis, ſub regimine veſtro accipere, vt contra fluctus magnos tentationũ & periculorũ procellas contra vos inſurgentes, credatis animas veſtras & ſubditorum ad portũ beatitudinis ſecuras & bonas educere poſſe? Iob. c. 26. a.

Neſcitis quid petatis: eſt ne aliquis inter vos (aut in mundo vniuerſo) qui auderet mari furẽte fluctibus, per tres aut quatuor leucas, ſiue paraſangas, quantũuis optimus natator eſſet, contra fluctus natare vſque ad portum: & cũ hoc ſecũ ferre quatuor aut quinq; homines, etiã natare ſcientes, ab auribus eius & pedibus & manibus ipſum trahentes, & retardantes? Nullus eſſet tam audax qui ſimilia facere auderet. Non? Ecce omnis homo qui dignitatem quæris in Dei Eccleſia, hoc opus & multo grauius apprehẽdis. Quid mare feruens fluctibus, cũ mundo furente procellis? Quid maris fluctus, cum mundi periculis & tentationibus? Quid ad portum maris, per diſtãtiam dictam, cum quatuor aut quinque hominibus prenſis, peruenire natando: cum hoc quod te oporteat ad beatitudinis oram & portum cum quingẽtis, aut mille hominibus peccatoribus & ſceleratis, & ſuper mũdi aquas & voluptates, natare ſcientibus parũ aut nihil, illas contemnendo, ſed potius quotidie illis ſe ſubdendo? *ſimile.*

Quid petis miſer? Vnus tantũ homo ſuffocatus, imò & puer, ſi arripiat magni natatoris pedes aut manum in fluuio natantis, in magno ſuffocandi periculo ipſum conſtituit: & credis te officium natandi & regendi ignorantem, cum tot in ſceleribus

ſuis, ſuffocatis & te apprehendentibus & retardantibus: ſecure poſſe ad portum gloriæ gratia viuum peruenire? Time miſer, qui neſcis quid petas: ſi gigantes ſub iſtis regiminis aquis gemuerunt: quid ipſe Zachęe ſtatura puſillus & virtute & ſcien
Nv.II. 8.C tia minimus facies? Perfectiſsimus vir Moſes ſub iſtis aquis gemuit, videns populum flentem ſibi à Deo commiſſum ad portandum ad terram promiſſam: & illi intoleranda res viſa eſt, & dixit ad Dominum: cur afflixiſti ſeruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Quid habes Moſes? Quare im poſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego cõcepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam: vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iuraſti patribus eorum? Non poſſum ſolus ſuſtinere hunc populum, quia grauis mihi eſt: & non poſſum natare à tantis apprehenſus: ſin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis: hæc Moſes.

Homo dignitatem cupiens, es tantæ fortitudinis & virtutis vt Moſes? Ab aquis vitiorum es omnino abſtractus? Quid facies quando videas omnem populum tibi commiſſum flentem ob terrena deſideria, & nil de terra promiſſa cœleſti curantem & pro nihilo habentem terram deſiderabilem? Intoleranda res tibi erit viſa. Vt quid omnis qui in dignitate conſtitutus es homo, & ſub ditione tua animas gubernandas habes, non clamas ad Dominum dicens: cur afflixiſti ſeruum tuum? Quid habes vt conqueſtus ita ſis? Quid? Impoſuiſti pondus & delicta vniuerſi populi huius ſuper me debilem: ac ſi ego illos concepiſſem, ac genuiſſem? Vt quid Domine debeo illos portare in ſinu meo & corde acſi nutrix illorum eſſem? Quia ipſe non timuiſti paſtor illorum fieri: & eo ipſo quod illorum prælatus factus es, teneris illos in terram promiſſam & cœleſtem deferre: quam ſanguine meo tuis ouibus emi, & pro qua iuraui illis dare. Domine, non poſſum ſolus ſuſtinere has animas, & tantum pondus, quia graue mihi eſt ad portandum: & à tot apprehenſis, quo pacto ad portum ſalutis me & illos deducam? Certe ſolus ſine gratia mea non valebis talia perficere, quia graue eſt onus: & melius tibi fuiſſet, occidi gladio, quam malam tantorũ rationem coram me iudice dare. Pete à me vt inuenias gratiam

meam

meam & auxilium, ne tantis affectus sis malis: & exemplo tuo caueat omnis homo dignitatem appetere.

Fortis columna tremit si super illam domus constituatur & fabricetur: & tu virgula arundinea, credis magnum populum & hominibus sceleratis plenum, & eorum delicta posse facillime fulciri? Nescis quid petas, quando dignitatem petis. Si rex Philippus dixisset tibi, quantumuis magnus esses musicus: tempera mihi citharam istam centum fides habentem ita vt concorditer sonum debitum emittant omnes: & decem millia aureorum tibi donabo: caue tamen ne vna dissona reperiatur, alias suspendio traditus eris, eligeres tantum periculum? Auderes illud petere & tanto te exponere damno? Minime. Nescitis quid petatis episcopi, prælati, parochi, religionum præpositi: cuilibet vestrum dixit Dominus, dabo tibi præmium magnum in cœlo, si omnes oues quas sub cura tua pastorali habes bene temperatus fueris & moderatus: ita vt omnes sonitum compositum bene reddant, & nulla anima dissonet à virtute: & tamen dissonantem statim pro posse ad harmoniam per pœnitentiam reddas. Tamen admoneo te, ne tua negligentia aut in curia, aliqua ouium tuarum à gratiæ sonitu discrepet in toto cõ centu: quam pro viribus ad me non reduxeris, arguendo & obsecrando: alias in musicam cœlestem nõ introibis, sed ad locum vbi nullus reperitur ordo ibis, sed horror sempiternus. Vidisti quomodo stultus repertus sis, talem dignitatem inquirens, & anhelans? *Simile.* *Simile.*

Audi hoc vt magis timeas in sacra scriptura positum: nam cuilibet animarum pastori dicit Dominus, illud quod vir quidam de filijs prophetarum dixit Achab regi: custodi virum istum, quem libet tui gregis tibi commissum, omni custodia ne peccet tua culpa & desidia: qui si lapsus fuerit in delictum, ob in curiam tuam: erit anima tua damnata pro anima eius. Et implebitur in te illud quod Ezechieli dixi, ipse impius subditus tuus in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram, & de anima tua. Nescitis quid petatis, qui dignitatem mundi anhelatis: quia debetis esse Ecclesiæ meæ ædificatores & lapides forani sine nodo: & in quantũ artifices estis, debetis nodosos lapides & peccatores habentes torturas ferro correctionis dolare, vt digni habiti sint ædificio cœlesti: alioquin *3. Reg. 20. G* *E Zech. 3. D.* *simile.*

Homil. 40. in Matth. 21 vitijs manentibus, Christiani Christianis concordare nō posſūt (vt ait D. Chry. in imperfecto) vnde putas lites in Eccleſia, inimicitias, altercationes inuicē: niſi propter auaritiam, inuidiam, aut ſuperbiā & vanos honores? Sicut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, & ponit foris in facie ędificij, pluuijs & grādinibus ſicut honori expoſitos: cęteros autem lapides nodoſos & inæquales qualeſcunq; deniq; mittit intus: ſic omnis prælatus Eccleſię & religionis debebat eligi qui eſſet melior in populo: magis ſapiēs, magis deuotus & humilis & orationi inſtans. Sciat tamen quicunque ſic electus fuerit: quia ſi honorem dignitatis recipit: etiam pluuiam & labores illi pati neceſſum eſſe.

Simile. Sicut forani lapides, nullum debent habere nodum, aut angulum aut maculam aut rugam alias totum ædificium deturpant: ſic & prælati cuiuſcunque ſint conditionis, nullam debent habere culpę maculam, nec ſceleris rugam, nec voluptatis nodum, neque in verbo nec in cogitatu, nec dum in facto, neq; in opinione: quia ipſi ſunt Eccleſiæ pulchritudo & virtus: qui ſi mali & depra-

Simile. uati fuerint, totam ſanctam deturpant Eccleſiam. Sicut lapides intus in pariete exiſtentes ædificij, nemo aſpicit, ſed eos qui foris ſunt conſiderant omnes: ſic ſecularium hominum vitia, neq; ſicut ſacerdotum & prælatorum conſiderantur ab hominibus, neque ſic Eccleſiæ nocent. Quanuis populus ſit ſecularis & indiſciplinatus: ſi Dei miniſtri & qui in dignitate cōſtituti ſunt boni fuerint & deuoti, tota Eccleſia ſpecioſa & pulchra videtur.

Simile. Quia ſicut forani lapides intraneos intraſe tenent, & conſtringūt: ſic totus populus bonorum ſacerdotū & prælatorū meritis & exemplo corrigitur & Dei auxilio ſaluatur: ſi tamen clerus cū prælatis depranatus eſt, corruet ſeculare ędificiū. O lapis Chriſte Ieſu, à Iudæis ędificātibus, imo potius deſtructibus, reprobate, & à patre cœleſti electe in caput anguli & Eccleſiæ, prouide Eccleſiæ tuæ, ſanctos & prudentes & ſine crimine prælatos.

Neſcitis quid petatis: omnis qui alijs præeſſe debet dignita-

Simile. te: & virtute etiam ſuperare debet: ſicut paſtor oues irrationales intellectu, & ſolertia, ſic & prælatus ſubditos ſuperare debet

1. Reg. 10. D ſciētia & bonitate. Vt quid igitur in ſacro eloquio legimus, Saulem in regem electū, altiorē fuiſſe vniuerſo populo ab humero & ſurſum, & non erat ſimilis illi in omni populo, vt de illo dixit Samuel: niſi vt ſcias ſi dignitatem deſideras altiorē te eſſe debere con-

re contemplatione virtute & scientia subditis omnibus? Es magis orationi vacans? Es lectioni continuæ deditus? Es charitate incensus? Es ab omni peccandi occasione alienus? Vide, te multis indigere vt dignum prælatum omnes experiantur. Sicut in domo fratris maioris filij Iob mortui sunt: sic & subditi tui in culpa mortui erūt: si ipse frater maior ideſt prælatus suus peccator fueris, & malum illis exemplum præbueris. Quid ipse iudicasses de homine sic perdito, qui se fideiussorem constituisset, & ad soluendum se obligaret, omnia quę lusores huius populi perderēt: & quæ gulosi & ebriosi comederent & biberent: & quæ litigantes cōsumpsissent in suis litibus? Irrisione fuisse dignum. Nescis quid peris & ipse irrisus eris, dignitatem quærens, nā eo ipso dicis: Domine, ego soluam, quæ lusores mea culpa amittent: & quæ peccatores cuiuscunque generis mea incuria committent. Intrat pauper in hospitio & petit multa cibaria cum argentum non habeat: hospes tamen rigidissimus rationem exactam ab illo petit: vide quid post prandium faciet? Quid post vitam hāc facietis coram me iudice grauissimo præsentati, homines in hospitio huius vitæ multos quærentes honores, & magnas petentes dignitates: cum pauperes sitis, & nullam fere virtutem qua soluatis habetis? Nescitis petere.

*Iob. 1. D. Exemplum. Simile. Simile.*

Mirabile visu est in Diuo Antonino quanta fecerit Diuus Ambrosius vt electionem episcopatus Mediolanēsis effugeret. Cum esset dissensio & non modica seditio inter catholicos & Arrianos orta, de eligendo episcopo, & illuc Ambrosius, vt iudex secularis, causa sedan dæseditionis perrexit: & statim vox infantis intonuit dicens: Ambrosium episcopum: cuius voci omnes vnanimiter consenserunt, Ambrosium episcopum acclamātes Mediolanēsem. Quo ille cognito, vt eos ab hoc terroribus amoueret: Ecclesiā exiēs tribunal suū cōscēdit: & cōtra cōsuetudinē suā tormēta personis adhiberi iussit, vt crudelis habit⁹ repudiaretur. Quod cū faceret, populus nihilominus acclamabat: peccatū tuū super nos. Tunc ille turbat⁹ domū redijt, & philosophiā profiteri voluit: & publicas meretrices ad se ingredi fecit, non vt cū eis inquinaretur, sed vt populū, his visis, ab eius electione reuocaret: semper tamē populus clamabat, peccatū tuū super nos. Fugā media nocte petijt, cūq; Ticinū pergere se putaret: mane ad portā ciuitatis Mediolanēsis, quæ dicitur Romana inuenitur: &

*P 2 Tit. 10. ca. 7. ante. §.*

sic

ſic in epiſcopali ſede ſublimatus fuit. Vide quanta fecit ſanctus vir Ambroſius, vt fugeret dignitatem, quam ipſe virtute & ſcientia, quam ſcis, præditus, pro viribus quæris idiota.

Quid tamen dicam de aliquarum matrum temeritate, in quærendis filijs ſuis paruulis non ſolum ſcientia & ſagacitate carentibus verum etiam ætate, dignitatibus & honoribus. Si matri filiorum Zebedæi & filijs ſuis Deus dicit neſcitis quid petatis: quid diceret tibi mater tanta cura dignitates filio tuo paruulo & ignaro quærenti? Non ſolũ diceret tibi, neſcis quid petas: ſed affirmaret, gladium quo ſpiritualiter occidatur filius tuus paruulus petis, & venenũ quo interficiatur. Quid in te peccauit puer filius tuus, vt ita perſequaris illum, & occidere totis vijs deſideres, & damnationem eius anheles: quando ſpiritualem dignitatem illi petis. Quid in filio tuo adhuc paruulo inueniſti, vt tanto honore dignus eſſet, & onus dignitatis ſubiret ſub quo gemebant (vt diximus) gigantes, & magni ſancti & viri perfecti ætate ſapientia & virtute? Qualis ſcientia? Quę prudentia? Quæ virtus in illo relucet? Erit ſapiens (forſan dicis) filius meus: erit bonus diſpenſator & prudens. Quando hæc omnia habeat, debes timere illũ in dignitate videre: & antequam alicuius iſtorum capax ſit, in Dei iniuriam, & Eccleſiæ detrimentum, & animæ tuæ & filij perniciem & damnationem, iam illi ſedem ſpiritualem petis? Crudelis tu quoque mater vt Medea, iſta in corpore filios ſuos occidens, tu vero in anima: cum gladium illis petas quo multi ociſi fuerunt. Dic mihi bona mulier, audebis ipſa parum panni, aut corij puero incipienti cum ſutore viuere cõmittere, vt inde tibi veſtem aut calceos faciat? Minime. Vide quia erit bonus ſutor poſt aliquos annos, quia bene ſuere incipit. Tunc quando ſit bonus ſutor, committam illi pannum meum aut corium. Quid igitur de te mulier, ſancta mater Eccleſia iudicabit, quæ parum panni aut corij puero committere non vis: & filio ignaro & ſine ætate & ſcientia, dignitatem & animarum curam audacter petis? Doctoratus gradus non confertur ſtudere incipienti, ſed iam multo ſtudio laboreque indefeſſo prouecto ætate & prudẽtia: & animarum regimen puero filio tuo quæris? Stulta es in petendo. Pete à Deo filijs tuis multa merita, vt habeant magnam gloriam, Amen.

*Simile.*

Homi-

# Homilia Nona.

¶ Poteſtis bibere calicem quẽ ego bibiturus ſum? *Tex.*

PEr calicem (ait Diuus Hiero.) in ſcripturis diuinis paſsionem intelligimus: iuxta illud Domini inter oliuas dicentis: Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calixiſte. Et Petro dixit, calicem quem dedit mihi pater non vis vt bibam illum? Eſt donũ patris mihi collatum pro honore ſuo mori: & vis tale donum ipſe impedire? Quid retribuam Domino (dicebat Dauid) pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam: ideſt, calice paſsionis Chriſti (quæ eſt mea ſalus talis paſsio) fide & charitate vtar, & nomen Domini inuocabo. Aut calicẽ ſalutarẽ accipiã, libenter pro Deo mori eligam, ad ſalutem animæ meæ, inuocando nomen Domini: vnde ſtatim infert: precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Acſi dixiſſet: calicem quem accipere debeo, eſt mors ſanctorum, valde precioſa coram Domino. Vnde Lyra ait, poteſtis ſuſtinere mortem ignominioſam & crudelem: quam ego paſſurus ſum, & per quam debeo venire ad regnum, nõ temporalem, vtcreditis, ſed ęternum? Ecce qua via itur in cœlum, non luxu & voluptate. *Matt.26.D.* *Ioan.18.C.* *Pſalm.115.*

Nunquid neſciebat Dominus, quia paſsionem eius (ait Chry. in imper.) poterant imitari? Sed ideo eis dicit, vt Domino interrogante, & eis reſpõdentibus, omnes nos audiamus: quia nemo poteſt cum Chriſto regnare in cœlo, qui paſsionem eius non fuerit imitatus in terra, aut illa in ſacramentis vſus fuerit. Si cõmortui ſumus cum Chriſto (ait Diuus Paulus) & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi negauerimus, & ille negabit nos. Quia ſi commortui ſumus (vt ait ibi Diuus Tho.) per pœnitentiam nos macerando: qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs: & conuiuemus: ideſt ſicut ipſe reſurrexit, ita & nos. Si ſuſtinebimus patienter afflictiones & opprobria, & calicem paſsionis biberimus in hac vita: cõregnabimus: ideſt ſimul cum ipſo perueniemus ad regnum. Quia beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: ipſorum eſt regnum cœlorum certe. Tamen prius calicem paſsionis bibere *Homi.35.* *2.Tim.2.B.* *Gala.5.D.* *Matt.5.A.*

bere debet, qui voluerit gaudiũ reſurrectionis obtinere: ſic Chriſto & omnibus ſanctis contigit.

Omnia quæ deſiderat homo, in morte obtinebit, ſi in vita Chriſtum patientem viderit & crucifixum oculis fidei & deinde ipſi in laboribus & calicis potionibus ſe conformando, quod tali ſcripturæ oſtendo exemplo: quando Elias debuit aſſumi de
4.Reg.2.B. mũdo, dixit Eliſeo ſocio ſuo, pete à me quod vis antequã tollar à te. Dixitque Eliſeus: obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus in miráculis. Rẽ difficilem poſtulaſti (dixit Elias) attamen ſi videris me quãdo tollar à te, erit tibi quod petiſti: ſi autem non videris non erit. Et ecce currus igneus in quo aſcendit Elias perturbinem in cœlum: Eliſeus autem videbat & clamabat: pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga eius, & ſic obtinuit quod poſtulauit. Elias qui Deus meus interpretatur, quis niſi tu Deus meus Ieſu, erit? Noſter es, vt creator: noſter vt frater ſpirituali copula incarnationis, noſter vt amicus magno vinculo redemptionis: quia ſanguine & paſſionis calice nos à Dæmonis captiuitate liberaſti. Quis Eliſeus eſt, niſi quilibet fidelis, vt diſcipulus verũ Chriſtum ſequens? Quia ſalutem animæ à Chriſto recipit, ſi opere & veritate doctrinam eius ſequitur. Quilibet fidelis audiuit à Chriſto in virtute & ſi non formaliter, antequam moreretur: pete à me fidelis quod vis antequã morte tollar à te, & ſim in cœlũ per aſcẽſionẽ aſcenſurus: & antequã ipſe morieris, & à vita exierit anima tua, & à corpore per mortem: quia conſummato vitæ præſentis tempore, certe tollar à te & à præſentia tua, quantum ad effectum donorum gratiarum & meritorum, quia iam nõ eſt tunc merendi locus, nec tempus ſacramentis meis & paſſione vtendi: ideo niſi viuus impetraueris, mortuus, impoſsibile eſt. Quid igitur petis à me fidelis ante quam tollar à te, per mortem tuam: & locum merendi non habeas? Pete quod vis.

*Luc.16.E.* Deus meus & redemptor, petat diues epulo diuitias, & filius
15.C.12.B. prodigus ſubſtantiam ſuam & portionem delitiarum huius vitæ: petat ille alter à te vt diuidat cum illo hæreditatem ſuus frater: petat iſta mulier dignitates & honores filijs ſuis: ego vnam petij & hanc peto & tuo auxilio vſque ad mortem requiram: hoc enixe obſecro à te, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. Ideſt Spiritus ſanctus ob paſſionis tuæ merita, duplex donum mihi concedat, gratiam perſeuerantem in hoc ſeculo ne

quam

quam, & gloriam in futura peto à te vt mihi concedas, ante quã moriar, & à me sis ablatus: cum non concedas tunc tempus merendi, pœnitendi, & gemendi. Respondit verus Elias, Christus Dominus noster tali fideli tale duplex donum diuinum petenti, Rem difficilem postulasti, quantum ex parte tua est, imo impossibilem & supra vires tuas. Alta petis homo, nec non & viribus tuis imparia: tamen omnia facillima sunt apud me & non est impossibile omne verbum, quia omnia quæcunque volui feci in cœlo & in terra. Ex parte mea facillima res est, si tu fidelis ex parte tua aliquid facere volueris. Quid faciam Domine? Vt videas me quando tollar à te. Si oculis fidei & charitatis, videris me in curru igneo crucis morientem, igne charitatis accensum: & tuleris crucem meam & me secutus fueris recte operando, & calicem passionis & laboris mei biberis, quem ego bibi: & si non vsque ad fæces vt ego: quia ego amarissimum calicem in curru crucis potaui, & à te solum peto vt videas illum calicem fide & charitate, & aliquod sorbunculum bibas pœnitentiæ, dolendo de culpis, satisfaciendo, & confitendo: & si talia in vita feceris, videbis me vt decet, & in morte accipies quod petis.

Ecce currum crucis igne charitatis ignitum Christum Dominum exultantem & per turbinem & aerem eleuantem, vbi pallium corporis sui diuinitati iunctũ reliquit: & in aere dimisit suspensum in cruce. Eia homo quis vere dicere poterit ex vobis cum Eliseo, magno cordis clamore & vero: pater mi, quia Deus meus, pater mi, quia homo perfectus, pater mi, quia creator, pater mi, quia redemptor: pater mi, da mihi gratiã, pater mi, da mihi gloriam: & concede duplicem spiritũ quem mihi promisisti. Currus Israel crux nempe sancta, qua vt in curru debemus tuis meritis in cœlum euehi, iam videris à me per dolorem, quem de Christi passione & de peccatis meis cõcepi: & bibere volui in vita de calice tuo. Currus Israel adiuua me, auriga eius Christe Iesu, ecce video te fide mei amore patientem, & iam resurgentẽ & in cœlum ascendentem, & ad dexteram patris sedentẽ. Video te fide, confiteor te operibus, adiuua me solitariũ in hac mortis hora: concede mihi duplicem spiritum. Dedisti gratiã confer gloriã, quã videnti te fide & operibus promisisti. Absq; vllo dubio, quia calicẽ passionis meę bibisti, & me in cruce exilientem fide & operibus vidisti: accipies pallium humanitatis meæ diuini-

tati

tati coniũctæ,& pallium charitatis quo multitudinem peccatorum cooperias, & duplicem ſpiritum gratiæ & gloriæ: & ſic ſedebis ad dexteram diuinitatis meæ illa fruendo iuxta meritorũ
*Ioan.10.B.* gradus:& ad ſiniſtram humanitatis:quia ingredieris ad illam & egredieris ad iſtam & in vtraque paſcua gaudioſa inuenies: ad ſiniſtram per gratiã in hac vita: & ad dexterã per gloriam in alia.

Poteſtis bibere calicem paſsionis meæ homines credendo & operando,patiendo & laborando:& me in cruce videndo, & ſimiliafaciendo vt ſpiritum duplicem recipiatis? Si ego princeps Angelorum,tanta afflictione plangebam in cruce, & in illo curru igneo charitate incenſus,quis me flente non plorat? Quis fidelium me dolente non dolet? Quis mecum non contriſtatur & gemit? Quis guttam pœnitentiæ bibere recuſat, cum videat me calicem doloris & paſsionis vſque ad fundum bibentem? Quis nõ vltra humilia de ſe ſentit,videns me regum regem, pro geminato diademate coronam ſpinarum geſtãtem in capite ? Quis miles non ſequitur ducem ſuum etiam per aſpera loca ? Quis non
1.*Reg.14.B* bibit amaram aquam cum illo ? Dixit armiger Ionathæ ad illũ, fac omnia quæ placẽt animo tuo:perge quo cupis,& ero tecum vbicunque volueris:etiam per eminentes petras &quaſi in modum dentium ſcopulos: & fidelis meus non me ſequetur in potione amara paſsionis meæ bibendo, & de ſuis peccatis dolendo? Poteſtis bibere calicem doloris? Cito bibitur quod calici infunditur,& labor huius vitæ cito tranſit:dulce eſt quod in calice bibitur,& dulciſsimum eſt præmium quod datur vere pœnitenti,& citiſsime confertur:ideo omnem dolorem meum & paſsionem acerbam,calicem voco,quia cito trãſeuntem & magna vtilia adducentem ſecum.Sic omnis labor huius vitæ & omnis peccatoris pœnitentia,ſi amore mei recipiatur:& velociſsime tranſit,& magna ſecum adducit merita . Bibite modo parum doloris mecum,vt cito ad dulcedinem gloriæ perducamini vt mihi contigit Domino veſtro . Quia quod liquidum eſt, cito dilabitur:& omnis vitæ paſsio velociter fluit:quod homo aut mundus aut Dæmon cõtra te facere poſſunt,aut malum tibi inferre, momentanei temporis eſt:non enim perdurabilis eſt mundi actio, aut hominis cito morientis, etiam vulnera & mortem inferentis:bibe igitur homo,aliquid ex pœnis quas bibi, vt mecum in æternum viuas.

Bibi-

Bibite calicem pœnitentiæ pro delictis proprijs peccatores, cũ ego pro veſtris vt fideiuſſor amariſsimum calicem vſq; ad fœces bibi. Ideo dico quẽ ego bibiturus ſum: ſi ego innocens bibi, quis peccator potare recuſabit? Si ego creator homo factus, totũ amaritudinis calicem exhauſi, plorãdo gemendo, fideiuſſor cum eſſem abſq; culpa: quis homo qui aliquando Deum offendit erit tam effrons, qui aliquod ſorbunculum doloris & veræ pœnitentiæ bibere renuet? Quis infirmus in magno moriendi periculo conſtitutus, non bibet potionem amaram, ſaltim aliquam particulam illius: ſi medicum vidiſſet prius guſtantem? Tu infirmus es ò homo, in magno damnandi periculo poſitus ob tuam culpã in Deum commiſſam. Cupis viuere gratia? Deſideras gloriæ vitam? Bibe calicem pœnitentiæ: præcipue cum videas me diuinũ medicum & ſanum, prius calicem paſsionis bibentem ob tuam ſalutem. Bibi iuxta Crucem vinũ myrrhatum & felle miſtum. Quo nil deterius aut amarius quicquam Iudæi maligni habere poterant: vt tu bibas pauliſper pœnitentiæ vinum paſsione mea & dolore Crucis miſtum, & dubitas facere? Volumus iam domine, calicem pœnitentiæ bibere, cum cito tranſiturum affirmes & nobis vtilem, & prius ipſe bibiſti: quanta ſorbũcula habet? Tria tantum. Poteſtis peccatores ex calice iſto pœnitentiæ primũ ſorbunculum contritionis bibere de peccatis verum dolorem & grauem concipiẽdo in corde veſtro: quia me Deum verum offendiſtis, cum propoſito in futurum cauendi? Domine labor eſt certe, me deteſtari voluptates, quas pluſquã te dilexi: & me odio habere quod prius ſic amaui: tamen amore tui triſtis vſq; ad mortem aliquando mei amore in horto exiſtentis, & quia nõ poſſum aliter ſaluus fieri, poſſum bibere hoc ſorbũculum tuo adiutorio & volo: & ſic grauiter me peccaſſe vehemẽter doleo. Accipe igitur ſecundum ſorbunculum huius calicis: & confitere legitime omnia peccata tua, cogitatione, & opere, verbo aut omiſsione à te perpetrata coram ſacerdote claues habente ligandi & ſoluendi. Domine amarum eſt hoc: & quis poterit bibere talem potionem, vt ego quæ inter te & me eſt, & quæ in corde cõcepi & dæmones nec Angeli ſciunt, ſed ipſe ſolus, auribus ſacerdotis reuelẽ, & vni homini nota faciam? Tamẽ quia ipſe iubes: & ſacerdos ad talem tenetur ſigillum: & tam vtilis mihi eſt confeſsio, ſine qua in re vel voto ſalus mihi contingere peccanti non valet, adiu-

*ſimile.*

*Marc. 15. C.*
*Matt. 27. D*

ua me, quia poſſum & volo hanc calicis portionem ebibere tuo auxilio vt ſalutē animæ obtineam. Inſuper ad plenariā ſalutem animæ tuæ recipiendam, reſtat tibi tertius & vltimus ſorbunculus, nempe reſtitutionis: ſine quo nec primus contritionis verus eſſe poteſt, nec ſecundus confeſsionis legitimus. Potes bibere hanc pœnitentiæ & calicis portionē? Vis ſanus fieri? Vis aliena reddere dominis ſuis? Vis cui honor debetur honorem dare cui facultates & ipſas reddere? O domine mi, nō poſſum hoc ſorbunculum bibere, quia nimis amarum. Modo debebam infamare me dicendo me fuiſſe mentitum, quādo honorem tuli alienum: vt reddam illum vero domino? Modo in paupertate manere debebam ſine domo aut prædio aut argento: vt dominis proprijs facultates à me male partas redderem? Amariſsima eſt potio iſta, in cuius potione omnis fere hominis animus ſiſtit, & vltra bibere non vult. Vnde credo, ex tribus partibus fidelium damnatorum, duas eſſe: quia aliena reddere nolunt, nec honorem neq; facultates. Et cum non dimittatur peccatum (teſte D. Auguſtino) ſine ablati reſtitutione: ſagena eſt qua multos dæmon in profundum inferni deiecit reſtitutionis defectus.

*Exodi. 8. C.* In tertio ſigno defecerunt magi Pharaonis: & fere deficit om-
*Gene. 34. D.* nis mundus in tertio ſorbūculo ſatisfactionis. Hemor & Sichem filius eius & omnes ſubditi illorum, primum & ſecūdum diem dolorem ex circunciſione bene potuerunt ſuſtinere: tamen ecce (ait ſacra ſcriptura) die tertio quando grauiſsimus vulnerum dolor eſt, arreptis duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs, omnes maſculos interfecerunt, Hemor & Sichem pariter necauerunt. Iam ſcio te dolorem circunciſionis primi diei, id eſt cōtritionis de peccatis tuliſſe, neſcio an perfecte, cum non ſit vera contritio, ſine legitimo ſatisfaciendi propoſito: iam primum ſorbunculum bibiſti. Venit & ſecundus dies doloris ex confeſsione cauſati, & tuliſti illum, & confeſſus es ſcelera tua. Quid tamen profuit miſeris, veram ſatisfactionem perficere nolētibus? Ecce die tertio, & in parte pœnitētiæ tertia, nempe in ſatisfactione honoris aut rerum alienarum, quando grauiſsimus vulnerum dolor eſt: & magis peccata ſentiunt: & valde dolēt, nec talem dolorem pati poſſunt, nec vere reſtituere curant, duobus gladijs interfecti manent: culpæ & pœnæ ſcilicet: & gladio carentiæ viſionis diuinæ, & gladio ignis animas ſuas perpetuo comburentis.

¶ Dicunt

¶ Dicunt ei, Possumus. Text.

DVlce bellũ in expertis, & desiderabile nescientibus: expertis tamen terror est: sic inexpertis leuis videtur tentatio passionis & mortis. Si Dominus fortis & potens in prælio, cum in tentationẽ passionis veniſſet, in agonia positus dicebat, sudore sanguineo madidus, tristis & pauẽs, pater, durum mihi videtur hoc bellum passionis & mortis, & in scapulis virgineis & sine culpa tanta flagella pati asperũ mihi est & graue: si possibile est trãseat à me calix iste passionis & mortis. Bibat illum infirmus peccator, ego innocens agnus quid commerui, aut quid morbi habeo vt potionem adeo amaram bibere debeam? Quomodo vos milites eius, nondum veram fortitudinem sortiti: audetis ita absolute dicere possumus? Homines & fragiles & dignitatem mundi anhelantes, dicitis possumus amaritudinem mortis bibere? Nescitis qualis sit tentatio mortis, & ad vltimam vitæ horam peruenire & illius horrorem, ideo dicitis possumus: alias timore cõcuti diceretis, nescimus, aut tuo auxilio possumus. *Matt. 26. D*

Sicut inexperti (ait Lira) propriæ fragilitatis hoc dicũt, quod per effectum patuit: cum in passione Christi fugerunt timore perterriti: quam multi in confessione dixerunt possumus, quod postea adimplere noluerunt. Potes honorem quem furasti reddere vero domino? Possum. Restituisti? Minime; sicut facultates alienas dixi semel & decies confessori me posse satisfacere, quas tamen adhuc iniuste retineo. Iuste damnatus eris: Potes occasiones satis probabiles delinquendi rescindere: alias nõ impendam tibi absolutionis beneficium? Possum. Fugisti illas? Minime. In periculo damnationis viuis. Potes consuetudinem iurandi, & maledicẽdi, & iudendi & detrahendi, abnegare, & radicitus euellere? Possum. Feciſti post tot confessiones? Non. Nolo igitur absoluere te quousq; opere adimpleas.

¶ Calicem quidem meum bibetis. Text.

CErte responsio vestra omni redargutione digna erat, cum affirmare non vereamini vos calicẽ mortis bibere posse mei amore; cum nec me captari ferre poteritis videre sine fuga: & melius quam antea possem vobis dicere, nescitis quid respondeatis:

tamen quia velim homines diſcant, aliquid mali in proximo vi
dentes ſine redargutione tranſire, nec malum pro malo reddere.
1.Reg.10.D. Et vt Saul diſsimulare ſe audire aliquid in ſubditis & ſeruis. Et
quia bono animo & fideli intentione hi duo conſanguinei mei,
tale dederunt reſponſum, non redarguo illos: ſed potius vires il-
lis conferam vt perficiam vere, quod inconſiderate promittunt.
Peccatores qui noluiſtis calicem meum temperatum & miſtum
paſsioni meæ bibere, aliena reſtituendo, conſuetudines malas
reſcindendo, occaſiones fugiendo: etiam ſi ſemel & bis confeſſo
ri dixiſtis poſſumus hæc facere, & mihi mentiti eſtis: ne amplius
animarum veſtrarum ſitis irriſores, ſed cito honorem alienum
& facultates male acquiſitas reddite veris dominis, & prauas cõ-
ſuetudines & peccandi occaſiones radicitus euellite: alias calicẽ
Pſalm.10. inferni amariſsimum certe bibetis. Audite Dauid dicentem,
Pluet ſuper peccatores laqueos pœnarum culpis reſpondentes:
ignis contra ardorem ſuæ libidinis: & ſulphur, vt puniat malum
famæ odorem quem vicinis & proximis dederunt: & ſpiritus
procellarum & aer magnus contra ſuperbiam ſuam. Et tantum
eſt malum, & tam amariſsima potio peccatoribus futura Dauid?
Non eſt totus hic poſitus calix dolorum ſuorum hoc quod dixi-
mus: ſed pars calicis eorum: & pars doloris, & pars tormẽtorum.
Bibe calicem pœnitentiæ cito in vita homo, ſi non, calicem in-
fernalem bibes.

Iſai.51.P Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem, qui bibiſti de manu do-
mini calicem iræ eius: vſq; ad fundum calicis ſoporis bibiſti, &
potaſti vſque ad fœces (ait Iſaias) non eſt qui ſuſtẽtet eam ex om
nibus filijs quos genuit. Surge anima à culpis Dei auxilio vten-
do: expergiſcere & age pœnitentiam, bibendo tria ſorbuncula
illius: vnde dico eleuare contritione, eleuare confeſsione, conſur
ge ſatisfactione: quæ bibiſti de manu Domini ob ſcelera tua ca-
licem iræ eius in hac vita ob conſcientiæ remorſus. Et quia no-
mine calicis in Scriptura (ait Damaſus hic) ſere ſignificatur quic
quid voluntate diuina obuenit hominibus, ſiue bonũ illud fue-
rit ſiue malum. Vnde ſenſus eſt: quæ voluntate Domini duriſ-
ſima quæque perpeſſa es, anima in culpa ſedens, peccata tua me
ruere: & caue à calice iræ eius æterno, ne vſque ad fœces inferni
bibas: & non erit qui ſuſtentet te in bono, ex omnibus operibus
quæ genuiſti.

¶Sede-

¶ Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Tex.

NOn eſt meum, hoc eſt, regnum cælorum (ait gloſſa) non eſt dantis ſed accipientis: nõ enim perſonarũ acceptio eſt apud Deum: quicũq; dignus eſt accipit: non paratum eſt perſonæ, ſed vitæ. Vel non eſt meum dare ſuperbis & imperfectis, quod vos adhuc eſtis; ſed humilibus & perfectis quibus paratum eſt, & vos poſtea eritis. Igitur ſi vos illud vultis, nolite eſſe quod eſtis, nempe ſuperbi & ambitione percuſsi: eſtote quod non eſtis ſcilicet humiles. Vnde Lyra: non dabitur vobis in ſtatu quo modo eſtis, nondum humiliati. Et non eſt meum dare vobis, vt conſanguineis meis: ne alijs anſam præbeãt in Eccleſia dignitates eccleſiaſticas conferre cognatis: qui hæreditate nõ virtute & bonitate, dixerunt, poſsideamus ſanctuarium Dei, & præbẽdas eccleſiæ. *Pſalmo. 82.* Vnde forſan Ioſeph iuſtus epiſcopatũ Iudæ infelicis & locum miniſterij ſui non accepit, quia Chriſti conſanguineus. Sed quia hoc Euangelium (Deo adiuuante & D. Iacobo deprecãte in ſuo feſto) iterum ad manus veniet, & quæ ſequũtur etiam alibi: nos interim, bonis operibus, in Dei gratia factis, curemus vt in gloria ſedeamus. Amen. *Actu. 1. D.*

# FERIAE SEXTAE
## Dominicæ ſecundæ
### Quadrageſimæ
## Homilia Prima.

¶ Dixit Ieſus diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam. Tex. *Matt. 21 B.*

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

DIlectauit pater æternus vineam electam, Virginē perfectam, quam omnium virtutū ſepe circūdedit. Virtute Spiritus ſancti ex illa proceſsit botrus pinguiſsimus, ex terra benedicta nobis promiſſus, Dei nēpe filius: qui in torculari Crucis depreſſus, fontē omniū donorū ad Eccleſiam ſuam & corda noſtra irrigātem emiſit. Turrim magnæ fidei, in vinea iſta ſanctiſsima ædificauit: & beata quæ ſic credidit angelo nuntianti Chriſti Incarnationem, & diuini palmitis emanationem ex illa, ideo ſic euenit, quoad humanitatem. O vinea ſancta, quàm dolendum torcular in corde tuo foſſum fuit, quādo vua ſanctiſsima filij tui in Crucis torculari fuit preſſa & eodem prælo cor tuum virgineū fuit tortum. Homo, cum habeas talem agricolam qui te plantauit, Deum nempe, & virginem in adiutorium tibi: quando cogitas te fructus gratitudinis redditurum magno Deo, & tibi benefactori? Vinea electa, & virgo poſt partū, obtine à patre amore botri pinguiſsimi filij tui, vt Spiritus ſanctus qui creatione nos plantauit, & ſanguine Chriſti irrigauit corda noſtra: omni virtute nos muniat, vt grati ſimus Deo & fructus bonorum operum debitos cito reddamus, quod ſine gratia fieri non poteſt: vt impetres dicamus. Aue.

*Nume. 13. E*

*Luc. 1. E.*

**Tex.** ¶ Dixit Ieſus diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum parabolam hanc.

*M. 33. M. 2. D. 27. die Martis, ante paſſionem.*

ALiam parabolam audite, ſi dicta non eſtis compuncti, cum audiatis vos filios eſſe, dicentes lingua & fide, imus domine, ad operandum in vinea tua, & tamen noluiſtis ire: vnde publicani & meretrices pœnitentiam agentes, præcedent vos in regno Dei: ſicut inter fideles continget. Audite aliam parabolam: ac ſi dicat (ait Chryſoſt.) iterum vos vulnero, vt aliquando ſentiatis dolorem: nam aſpera medicina citius ſanat: vbi tamen ſanabilis morbus eſt: quia vbi crudeſcit deterius fit. Vt quid aſpera verba mea, & increpationes duræ, vulnera peccatorum veſtrorum, nō curauerunt? Quia computruerunt & corruptæ ſunt cicatrices delictorum veſtrorū à facie inſipientiæ, & obſtinatione callu erūt.

*Homil. 40. in imper. Simile.*

*Pſalm. 37.*

Valde vtilis eſt audientibus parabola aut ſimilitudo, cum dominus

minus omniũ multipharia multisq; modis illa vsus fuerit in cocionibus suis. Et inter omnes quas proposuit, ista meo iudicio est terribilis: quæ non solum corda Iudæorũ dura, sed etiam fideliũ adamantina & Deo ingratissima, tãtis beneficijs acceptis, grauiter percutit. Accipite ô homines, aliam parabolã, post quã audistis vos fideles credentes & non recte operantes esse illi filio (dicenti eo domine, in vineam ad laborãdum & non eunti) similes: credo domine, sed operari nolo. Audite aliam parabolam ita grauissimam & æque obscuram, qua tacite (vt ait Chrysost.) Iudæis ostendat prouidẽtiam Dei semper illis mirifice affuisse: illos ecõtra cædi & morti seruorum Dei vigilasse & sitiuisse, & nihil à Deo, quod ad illorũ salutem attineret, fuisse prætermissum: ipsos tamẽ semper omnia quæ potuerũt mala cõtra Dei ministros: insuper & contra ipsum hæredem Deique filium facere, & factũros fore: vnde supplicij terribile eis minatur, & gẽtium vocationem apertius denotat, quam in postremis ideo posuit, vt maiora cõmississe agnoscãt Iudæi, quam vt veniam consequi mereãtur. Et merito, quia cũ tantam curam Deus eorum semper habuerit, illi ecõtra ingratissimi, publicanis & scortis peiores effecti sunt. Quis fidelis peccator & Deo ingratus existẽs, talia de populo Iudaico audiens non perhorrescit, & corde pauet: cũ videat se beneficijs Dei vallatum: & tamen verbo & malitia percutit Dei ministros à Deo missos in auxiliũ suum, & vtilitatem: alios concionibus adiuuãtes illum, alios sacramẽtis, ipse autem vt canis rabidus contra seruos & dominum suis delictis conuertitur? Timeat qui huiusmodi est hanc parabolã audire, & in se cito reuertatur: Si non vult ad statum peruenire in quo à Deo derelinquatur, & publicanis & meretricibus peior constituatur. Non solum enim hac similitudine terribili obstinatos percutit Iudæos, qua tacite recẽset & ob oculos ponit insignẽ illorũ ingratitudinẽ: simul & malitiã: sed insuper terret nos fideles, qui tot Dei beneficijs, puocati vt Iudæi, imo multo maioribus: nõ solũ non resipiscimus, vt illi noluerũt: verũ etiã, vt ipsi, prophetas alios post alios qui missi sunt, vt ad illorũ prædicationẽ aliquando ad nos reuerteremur fructus dño debitos reddendo, crudeliter trucidamus. Et modo multi fideles contemnunt cõcionatores, verbis detractorijs trucidantes illos, & verba illorum maledictis denigrando: & virtutem mouendi corda annihilando & tollendo, prout possunt.

quod est peius, vt Iudæi nec hoc contenti, Dei filium interfecerunt eiectũ è vinea: quo verbo locũ vbi crucifigendus erat obiter ipsis indicauit: sic & multi Christiani hodie ab anima Christum culpis eiectũ grauissimis, quãtum in se est illũ crucifigũt, cum extra vineam animæ suæ infamatum reijciunt. Timeãt qui huiusmodi sunt: nã sicut illos minatur Deus, & declarat illorum inuincibilẽ malitiam indignã venia fuisse: cum nil fuerit à Deo omissum, quod illos ad meliorem mẽtem posset reuocare: & nihil cõtra ipsum amplius facere potuerũt, quàm quod fecerũt, & totum ab ipso præscitum & prædictũ antequã ab ipsis fieret: sic & vobis fideles duro corde & obstinato animo minatur Deus: vestram ostendens malitiam, atq; peruicaciã indignã venia esse. Cum Deus vobis impenderit innumera beneficia, sacramenta, & Ecclesiam, sanguinem suum & seipsum in cibũ, vt ad vos tandẽ & ad illũ conuersi fuissetis: vos tamen secũdum duritiã vestrã & impœnitẽs cor, ex tantis Dei beneficijs & bonitate, thesaurizare irã Dei in diẽ iræ & rationis vltimę nõ cessatis, malis peccata addẽdo: & nullũ delictũ prætermittẽdo: timete nã ira Dei minatur vobis, vt malos male perdat: fugite ad pœnitẽtiam velociter.

*Ad Ro. 2. A*

## Text. ¶ Homo erat paterfamilias.

IAm alibi de parabolis & quare Christus Dominus sæpius illis vsus fuerit fusius diximus: & cũ filius Dei hic per hominẽ patrem suum æternũ intelligat, etiã causas alibi assignauimus: modo tamen dicimus quod quamuis pater æternus carnẽ humanam non assumpserit, & sic homo non sit (neq; Spiritus sanctus) sed solum filius incarnatus est de Virgine sanctissima: tamen filius frequenter in parabolis per hominẽ patrem suum intelligit. Aut quia hominem ad suam imaginem creauit: aut quia magnum erga hominẽ semper ostendit amorẽ: aut quia more humano se habuit in tali parabola. Homo quidẽ (ait Chrys.) dicitur, Pater nomine nõ natura, similitudine non veritate: homo appellatur (ait Theophilatus) propter misericordiã qua erga homines semper est vsus: hominem ænigmaticè (ait Euthymius) significat Deũ & patrem propter hominũ amorem & propter parabolæ morẽ. Homo iste qui plantauit vineã, pater meus est, nõ quia homo factus sit, sed ob rationes positas. Est etiã pater omnium: quia creauit homines & omnia quæ esse habent: vnde melius quã tempo-

*Homil. 40. in imper.*

re Isaiæ

re Isaię possum ergo modo dicere Deo Patri: O Domine mi heu quomodo coarctor: quia fere non est qui inuocet nomẽ tuũ fide & operibus: non est qui à vitijs cõsurgat vera pœnitẽtia, tuo auxilio adiutus, & teneat te bonis operibus nec dimittat, cito ad vomitum reuertẽdo: abscõdisti faciem tuam à nobis & videris continuisse iram tuam in misericordia tua. Continebis in æternum Domine? Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ: mala quæ patimur delicta nostra meruere. Et nunc domine, adiuua nos, quia Pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris domine satis, & ne vltra memineris iniquitatis nostræ. Ecce, respice, populus tuus sumus omnes nos, etiam si ob delicta nostra canibus istis Mahumeticis tradidisti ad deuorandum ad tempus, & improperio & fabulæ: miserere nostri & cito libera nos ab omni confusione. *Isai.64.C.*

Quia pater noster es, & de te scripsit Dauid, sicut miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmẽtum nostrum, & ex quã fragili simus luto compositi: & quam ad malũ proni ab adolescẽtia nostra. Cum bonũ quod facere volumus non faciamus neq; virtutem: sed malum quod nolumus & vitium: vt Paulus conquerebatur. Pater noster es, & familias habes (vt ait D. Chrysost. in imperfecto) paterfamilias es cui cœlum & terra quasi vna sunt domus: qui angelorum & hominum es natura dominus, tamen beneuolentia pater. Qui ideo te patrem omniũ dici voluisti (cum dominus sis & creator) vt homines bonitatem tuam cõsiderantes & longam clementiam, non sub specie simulata & timore seruili tibi seruiant, quasi mali serui domino, sed in virtute & amore: & filiali timore vt boni filij genitori. Paterfamilias, duas ab initio mundi habuit familias, angelorum nempe & hominum, quarum ipse pater erat. Ab initio Deus vtranq; condidit creaturam de nihilo, spiritualẽ & corporalẽ, & deinde hominẽ tanquã ex vtraq; constantem. Quod diffinitur in concilio Lateranẽsi. II. sub Innocentio. III. & habetur in capitulo firmiter de summa Trinitate: ex quo loco schola Salmãtina colligit angelos non habere corpora, cũ hoc Concilium distinguat è regione creaturam spiritualem à corporali: & nomine creaturę spiritualis intelligit angelos, vt patet ex eodẽ Cõcilio: & ita tenet D. Tho. & cõis Theologorũ sententia, vnde oppositum asserere, modo non esset securum. *Psalm.202.* *Rom.7.D.* *Homi.40.* P.P.

Text. ¶Qui plantauit vineam.

*Eccle.* 18.A PRima vinea à Deo plãtata fuit angelica natura, quæ etiam si parum antea sit plantata: iuxta illud qui viuit in æternũ, creauit omnia simul: tamen alibi diximus de zizanijs tractãtes quid de hoc vera sentiat Theologia: cum in principio mũdi creauerit Deus cælum, naturã nempe angelicam (vt cum D. Augustin. sentiamus) & terram, ideſt, humanam. Plãtauit igitur paterfamilias Deus vineam naturam nempe angelicã innumeris constantem vitibus, ideſt angelis, & palmitibus, ideſt donis multo pluribus. Plantauit illam ſpiritualem & intellectualem: quam circũdedit ſepe ſcientiæ, ſine aliqua ignorãtia admixta. Torcular gratiæ fodit in ea, quia in gratia creauit angelos: & ædificauit turrim, cælũ nempe Empyreũ in quo illos poſuit. Vnde ſic pulcherrime plantata ſapiens & bona talis natura à Deo, locata fuit ipſiſmet ſpiritibus angelicis, vt fructum gratitudinis ſummo artifici redderẽt ad hoc vt in gratia eſſent confirmati. Quidam tamen ex illis fuerunt adeo ſancti agricolæ, qui vtendo bene gratia ſibi à Deo data & alijs donis, reddiderunt fructum bonorum operum: & gratias Deo in omnibus dantes, digni habiti ſunt, vites cęleſtes in gloria perpetua manere, & in gratia cõfirmati viſionẽ diuinã obtinuerũt. Alij vero adeo rebelles plantãti Deo extiterunt, & de vinea Sodomorũ & ſuperbiæ palmites malorũ actuum in ſeipſis plantauerunt, qui nolẽtes fructum vineæ & gratitudinem debitã creatori dare, neq; gratias illi pro beneficijs acceptis, & accipiendis referre. Sed quodãmodo plãtanti Deo æquales ſe eſſe voluerũt: ita vt ſicut Deus naturaliter beatus eſt in ſe: ſic & ipſi miſeri angeli voluerunt ſine Dei auxilio naturaliter eſſe beati, ſine gratiarum actione Deo. Vnde aliquo modo, nõ ſolum ſeruos à Deo miſſos ad angelos, nempe inſpirationes bonas ad gratitudinem & fructuum ſolutionem inuitantes: reiecerunt & quantum fuit in ſe percuſſerunt & lapidauerunt, cum illis nõ præbuerũt aſſenſum: ſed etiam ipſum Deum à ſe per peccatum ſuperbiæ eiecerunt, & ex parte ſua quodammodo, occiderunt, quia per gratiam in illis regnantẽ expulerũt, dicẽtes nolumus Deum regnare in nobis.

Quando venit Paterfamilias & rationem inijt cum angelorũ vinea, quid fecit agricolis illis peſsimis? Quomodo ſe habuit cum illis? Dicant ipſimet ſpiritus proterui: malos male perdidit:

quia

quia malos angelos, & agricolas ſuperbos nolentes fructum gratiarũ Deo autori ſuo reddere in tẽpore ſuo: male perdidit Deus, atq; deſtruxit, quando ſicut fulgura miſit illos ad tartara æternis cruciatibus torquendos? Nec profuit illis dicere: abſit tam crudelis ſententia: quãdo armati contra bonos angelos ad præliãdum præcincti ſunt: quia victi fuerunt cum dracone Lucifero, & ad ignem relegati. Quam dolenter dixit Deus vineæ iſti, & naturæ angelicæ ingratę: quo ad ſpiritus malignos & fructum debitum reddere nolẽtes: illud Ieremiæ: à ſeculo confregiſti iugum, ideſt, ſtatim poſt creationem & plantationẽ tuam, in ſecunda morula aut inſtanti vinea Sodomorũ miſera, & natura angelica deperdita: confregiſti iugum nolẽdo mihi in omnibus parere: ſed præſumptuoſe ſuperbire, rupiſti vincula mea, & inſtituta quibus ad confirmationem gratiæ venire obediendo poteras, & dixiſti, non ſeruiam: non ero humilis nec Deo ſeruiam in hoc quod illi me ſubijciã & ſeruus ſim: ſed potius ero ſimilis altiſſimo, illi nõ tribuẽdo ſubiectionẽ, nec ſuo auxilio ad ſupernaturalia vtẽdo.

*Luc. 10. D.*

*Apoc. 12. B.*

*Ier. 2. D. E.*

Ego te plãtaui vinea electa, & natura angelica à me ſuper oẽs alias rerũ naturas creatas, præelecta & præfecta: & non alius præter me: ſed ego creaui te in optimo loco, diuinus plãtator & ſapiens, plantæ optimæ erant, quia omne ſemen verum ex ſua natura, quia bonũ & à me creatum. Quare conuerſa es mihi in prauum, quoad malignos ſpiritus & rebelles, & in ſuperbiã peruerſam vinea aliena, iã ſic aliena tua malitia conſtituta? Reſpondete angeli tenebrarum huic quare Dei, ſi habetis quia: cum ſitis tanta ſcientia & metaphyſica imbuti. Pro vuis gratiarum, dediſtis mihi labruſcas ſuperbiarum ingratiſſimi ſpiritus? Quare? Nunc autem viri Iuda, vos angeli ſancti & beneficijs meis grati, vere laudem meam confitentes coram angelis malignis: venite & iudicate inter me, & vineam meam in ſpinas conuerſam, naturam ſcilicet angelicam, quo ad Luciferum & ſequaces: quid vltra debui facere illi, & non feci? Creaui & plantaui illam ego Deus & nõ alius, optimus agricola: in cælo Empyreo, videte in quo loco tam vineæ apto: ſemen verum erat, quia optima natura: plãtaui illam electã, quia in gratia & mea amicitia creaui illam: quid cõmerui aut feci contra hanc vineam? An quia quando expectaui (ideſt, dignum erat vt ab illa expectarem) vuas bonorũ operum, & beneficiorum bonum vſum & gratiæ, vt eſſent confirmati à me in.

me in gratia illi angeli & mihi grati, & vt faceret vuas & fructus nẽpe cognitionis & gratitudinis, fecit labruſcas & tribulos, quibus quãtum fuit in ſe manus meas lacerauit, opera mea deſtruendo, ſeq; ipſam cruentando? O ſcelus, ò audaciam.

Non tamẽ fuit impunita: audite angeli boni & homines, quia volo oſtendere vobis, quid ego feci vineæ meæ, & naturæ angelicæ lapſæ: abſtuli ſepem eius, ſcientiam nempe gratuitam, & ſic ceciderunt in tenebras ignorantiæ & virtutis lumine caruerunt, vnde venerunt in direptionem. Vide bonitatem meam, qua non erant digna merita ſua: quia omnia naturalia illis reliqui: vt ait Dionyſius à Thoma citatus: dona naturalia in dæmonibus integra manent: quia ob ſimplicitatẽ naturæ ſuæ aliquid à natura ſua ſubtrahi non poteſt: vt ſic per ſubtractionem naturalium puniantur, vt homo punitur per ſubtractionem manus aut pedis: vnde naturalis cognitio in eis integra manet. Et ponã illam deſertam omni virtute & dono ſupernaturali. Diruam maceriam eius, ideſt conſenſi illis vt deſtruerent donorũ maceriam & gratiæ: vnde facti ſunt in conculcationem, & vilipenſionem. Dñe nec dabis vineæ iſtæ, angelicæ nempe naturæ lapſæ pœnitẽtiæ locũ? Non putabitur, correctione, nec fodietur pœnitẽtia: quia ex malitia cõuerſa fuit mihi in prauum. Vnde aſcẽdent ſuper ea vepres peccatorũ contra ſeipſam: & ſpinæ tẽtationum cõtra homines: & nubibus, ideſt angelis bonis, mandabo ne pluãt ſuper illam vineã imbrem alicuius doni, aut auxilij in æternum.

*1. part. q. 64. art. 1. in cor.*

Secunda vinea, quam Deus paterfamilias benignus plãtauit, natura humana fuit in primo homine cõſtituta. Ego te plantaui Adam, & animã & corpus dedi: & capacem gratiæ meæ & amicitiæ animã tuam creaui, nõ ſolum rationalẽ & in gratia: imo & viſionis beatificæ. Sepe fidei circundedi te: torcular gratiæ poſui in te: turrim etiã ædificaui, cuſtodiã angelorũ tibi præbẽdo: & in optimo loco te tranſplãtaui, nẽpe in paradiſo terreſtri. Iſtã vineã naturæ humanæ locaui agricolis Adæ & Euæ: & peregre profectus ſum, iudicio agricolarũ. Quia ita libere operari poterant, ac ſi ego Deus nõ vidiſſem illos inceſſanter. Tamen qñ fructus bonorũ operum, & vuas obſeruationis mãdatorum mihi reddere debebat iſta vinea, dedit labruſcas & mãdati mei tranſgreſſionem: vnde maledicta fuit terra corporis humani in opere ſuo ſpinas & tribulos fomitis & rebellionis germinabit homini.

*Gene. 3. C.*

Ego

Ego te plantaui Adam, vineam electam, & bona natura compositam quare cõuersus es mihi in prauũ? Iam tamen in exiliũ missus fuit & in sudorem, vt pœnitẽtiam ageret, & laboraret donec veniam obtineret & in amicitiam Dei esset receptus, quod & factum est. Tamen semper vinea naturæ humanæ, maledictione Dei percussa manet, in hoc quod ascẽdunt super eam vepres tentationum fomitis & rebellionis. Vnde nostro malo & voluntate nostra consentiente, spinæ culparum frequẽtissime etiam ascendunt: ad quas culpas tollendas Deus alias vineas plantauit. *Sapi. 10. A.*

Contra peccatorũ spinas & delictorũ tribulos, ex vepribus cõcupiscentiæ & rebellionis quotidie contra homines nascentes, plantauit Deus vineam Synagogæ vnum Deum colentis: & illi contra peccata dedit aliqua remedia. (vt ait Orige.) Synagoga ali quando fuit vinea Dei. custodia fuit sepes ipsius Dei: turris templum Salomonis: torcular locus libationum, & sacrificiorum: coloni, sacerdotes & pontifices pharisæiq; & populi sapientes. Peregrinatio à Iudæis domini fuit, quia cum dominus fuerat illis obstinatis Iudæis adeo familiaris in nube diei, & in colũna ignis per noctem, & in manna & alijs compluribus rebus & donis donec plantaret eos in terra promissionis (sicut multa beneficia vineæ ad huc teneræ exhibentur) tamen introductæ vineæ istæ in montem sanctum Dei & in terram promissam: non sic apparuit dominus beneficijs, vt magis mereretur, & beneficiorum priorũ magis recordaretur: & hoc fuit peregrinari dominum à vinea & colonis. Et etiam ex parte illorũ, qui iam credebant omnia mala impunite facere posse, & quod non erat prouidentia neq; Deus videbat illos: iuxta illud Psalmi, non videbit Dominus. *Tract. 19. in Matth.* *Psalm. 93.*

Ipsemet Deus dicit vineam esse Israeliticum populum per Isaiam: vinea autẽ domini exercituum, domus Israel est. Sed quia Synagoga typum Ecclesiæ nostræ gerebat, & per Euangelium simul discurrere debemus beneficia ambarum recensentes: & deinde quos Deo dederint fructus: visum est mihi hic statim vineam Ecclesiæ ponere, quam dominus sumptibus suis magnis plantauit, circundedit & ornauit, imo & sanguine suo riganit. Vnde cum vinea animæ vniuscuiusq; simul gradiemur: vt Synagogæ & Ecclesiæ & animæ fidelis beneficia, à Deo illis exhibita dicamus: deinde quid gratitudinis erga Deum in illis fuit & est, & quos fructus dederunt. Ingrediatur ad introitum huius *Isaias. 5. B.*

rei,

rei, quintus Euangeliſta, ſic à Hieronymo appellatus & meri-
Iſai. 5. A. to, nempe Iſaias: nam hunc locum Euangelij potius videtur ſcribere quam prophetare dicens: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ: ideſt lubet canere dilecto meo, Chriſti typum habenti, Salomoni: carmen patruelis mei, id eſt Chriſti cognati mei (propter eandem naturam, quam ex mea gente aſſumpturus eſt) vineę ſuæ. Ideſt canticum quod ipſemet dum in carne veniet cantabit vineæ ſuæ Chriſtus, id eſt, populo Iudaico deinde Eccleſiæ & tertio vnicuiq; animæ: lubet canere in gratiam illius. Quod carmen Chriſtus dominus in Euangelio noſtro cecinit vineæ ſuæ, dicens, homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, Synagogam ſcilicet, Eccleſiam & animam fidelem.

Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei: ideſt vinea plãtata eſt Chriſto dilecto meo, in loco firmiſsimo, per cornu ſignatum, & in terra multum pingui & fertili per oleum intellecta. Synagoga plãtata fuit in terra Iudaica, qua nihil pinguius (vt ait D. Hieron. hic) & Eccleſia fundata eſt in petra firmiſsima, ideſt Chriſto, & ſanguine ſuo: & anima fidelis plantata eſt in hac Eccleſia pinguiſsima. Igitur quælibet iſtarũ vinearum, in loco firmiſsimo ſimul & pingui plantata fuit à domino: ſed per beneficia cuilibet iſtarum vinearũ à Deo exhibita diſcurramus, deinde ingratitudinem vniuſcuiuſq; illarum ponemus. Ego te plãtaui Synagoga, & in vineam meam ex AEgypto trãſtuli, in terram promiſſam: non modicis ſumptibus meis, & non minima hõnoris mei iactura ob tuam rebellionem. In cornu olei poſui te, ideſt in loco firmiſsimo & pingui, & ob miſericordiam meam, nõ ob merita tua: ſepiui te Angelorum cuſtodia, & dedi templum tibi, & ſacrificiorũ torcular, quibus me placares. Dedi ſacerdotiũ & prophetiam: expectaui (ideſt exhibendo tibi tanta beneficia iuſtũ erat, vt expectaſſem, etiã ſi nil aliud à te ſemper cogitaui vẽturum in mei ſeruitiũ) vt faceres vuas bonorũ operum, & gratiPſal. 4. tudinis: & tamen feciſti labruſcas & rebelliones contra me. Quadraginta annis proximus fui tibi: fodiendo, putando, corrigẽdo, & minando: & ſemper dixi tu es peſsima vinea: & ex vinea Sodomorum habes plãtas, & de ſuburbanis Gomorrhæ palmites, & vitia illorum didiciſti, & ſic erras corde, & malitia: cui iuro per iram meam, quiã non introibis mala Synagoga in requiem meã cæleſtem.

cæleſtem. Quare conuerſa es mihi in prauum poſt tot beneficia?

Nunc ergo habitatores Ieruſalem cæleſtis, angeli nempe: aut habitatores Ieruſalem terreſtris, boni diſcipuli mei, & viri Iuda prophetæ ſancti: iudicate vos inter me & vineã Synagogam, ſcilicet, quid eſt quod vltra debui facere illi, & non feci: & quid ipſa potuit mali amplius facere cõtra me quod nõ fecerit? Expectaui vuas ſeruitiorũ & gratitudinis, quando ad illam per carnis aſſumptionem veni, & fecit labruſcas, quibus (quãdo manus miſi ad opera bona & vuas virtutum in illis quærendum) vulnerauerũt, imo & clauis confoderunt, & caput meum ſpinis lacerauerunt. Quare conuerſa es mihi in prauum in tribulos & ſpinas & clauos vinea aliena, iam non mea ſed dæmonis? Ne interroget me Iam Dauid dicẽs. Domine vineã de AEgypto tranſtuliſti, Syna *pſalm. 79.* gogam nempe, eieciſti gentes de domibus proprijs, vt illam plãtares: dux itineris fuiſti in conſpectu eius & plãtaſti radices eius & impleuit terram. Vt quid tanta beneficia illi Synagogæ cõtuliſti, dicilla in egreſsione AEgypti & alia, quare ergo dñe, deſtruxiſti maceriam huius Synagogæ, & vineæ infelicis? Inde vindemiãt eam & cõculcant, & nihili pendũt, oẽs homines cuiuſcũq; generis & ſectæ: etiã (ſpurciſsimæ Mahumeticæ) qui prætergrediuntur viam huius vitæ: omnes enim homines Iudæos ſub pedibus habent. Vt quid? Quia expectaui vt faceret vuas & fructus bonorum operum, & fecit labruſcas contra caput meum.

Iam impleui contra illam quod per Iſaiam promiſi: abſtuli *Iſai. 5. B.* ſepem eius & legem, & regem, & ſacerdotium, vnde facta eſt in direptionem, & deſtructionem: deſtruxi maceriam templi ſui, & data eſt conculcationi, & deriſui omni populo, in fabulam & improperium. Iam poſui illam deſertam ab omni ſolatio & auxilio cæleſti. Non putabitur correctione: non fodietur concione: & nubibus, ideſt, prophetis mãdabo ne pluant ſuper illam amplius prophetiæ imbrem: vnde iam non eſt neq; erit inter illos propheta, & ſic deſolata manet. Omittamus iam Synagogam repudiatam, tanquam dierum malorum veteratam, & à Deo derelictã, ob grauiſsima ſcelera ſua: mortuam & ſepultam cum honore, cũ ſuis ceremonijs & ritibus. Væ miſero illã ſuſcitare volẽti ſuis traditionibus vtẽdo, & iterũ plantare volẽti: igni ſanctę Inquiſitionis applicatus erit: & merito, cum iam Deus illam deſertam poſuit & deſtruxit iuxta demerita ſua: caueat iam omnis

homo

homo ne vuas ex tali vinea in Sodomam conuersa colligat. Præcipuè cum sit Iam Ecclesia sancta, pulchra & decora, & à Deo ipso plantata autoritate propria (non angelorũ aut Mosi ministerio vt Synagoga) quæ melius & proprius vinea dicitur: cum Deus ipse tot passus sit vt illam plantaret, & sanguine proprio irrigaret. Cantabo dilecto meo Patri æterno, canticum patruelis mei, Christi nempe fratris mei per carnis assumptionem facti: quod cantauit vineæ suæ, ideſt, Ecclesiæ in nostro Euangelio. Dicam igitur, vinea facta est dilecto meo, imo Ecclesiam plantauit ipse dilectus meus in cornu & loco firmissimo, quia super ipsummet lapidem viuum ædificauit illam: iuxta illud super hanc petram, nempe super me ipsum, ædificabo Ecclesiam meam: & in cornu olei, quia in mõte pinguissimo plãtauit illam & sua misericordia motus, non hominũ meritis: mons Dei, mons pinguis.

*Matt. 16. C.* *Psalmo. 67.*

Ego filius Dei te plantaui vineã electam Ecclesia spõsa mea, nemo alius sacramẽta instituit nisi ego: non te plantauit prophe ta Moses, nec alius sanctus, non Angelus aut Archangelus: sed ego filius Dei altissimi plantaui te propria manu, & propria virtute, & labore. Ego te plantaui (vt ait Chrysost. in imperfecto) eijciendo infructuosas syluas, & excidendo vt vinitor studiosus: & sic postea plãtat, ne forte arbores lasciuiẽtes, & spineta & rhãni, dum huc atq; illuc per longa spatia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum effocẽt malleolum & palmitem nuper positum. Sic gentes sine fructu iustitiæ emulsi in Synagogæ plantatione Chananæos & Amorrhæos, eieci gẽtes & plantaui eam. Tamen quia Iudæos ingratos reperi, econuerso eieci illos, & plantaui Ecclesiam meam ex gentibus collectam vsq; in finem mundi duraturam: Iudæis reiectis & incredulis permanentibus: ego te plantaui Ecclesia.

*Matth. 28. D.*

Plantauit Deus vineam, ideſt, Ecclesiam (ait D. Ambro. in Lucam) in qua Dñs pater colitur, vbiq; Christus Dominus adoratur. Salue vinea sancta tanto digna custode: te enim non vnius Nabuthæ sanguis, sed innumerabilium prophetarum, & martyrum (& quod est amplius) cruor domini cõsecrauit. O Ambrosi sancte, fœlicia tẽpora tua quæ sanctam Ecclesiam palmites suos vsq; in finem terræ extendentem viderunt: & in ea vbiq; Christus adorabatur & in toto orbis spatio ista vinea erat plantata. Heu si nostra vidisses tẽpora, & Ecclesiam cerneres cathol. ad

*Libro. 9. in Luc. 20.*

*3. Regum. 21. D.*

tantam

tantam anguſtiam redactam, & in orbis angulo quaſi viduam relegatam. Afflictam nimis certe vidiſſes, & amaritudine magna depreſſam: dixiſſes certe lachrymis. Deus virtutum conuertere ad Eccleſiam tuã & reſpice illam de cœlo & de ſede ſancta tua: & viſita vineam iſtam. Palmites ſui in vepres verſi ſunt, fidem multi illorum abnegantes: alieni & pagani contra illam inſurrexerunt, præcipue hoc anno: multi fideles ſpinas vitiorum germinare contra illam non ceſſant: ita vt in pace facta ſit illius amaritudo amariſsima. Quia amara cum paganis, amarior cum hæreticis, amariſsima tamẽ cum filijs ſuis ſceleratis, & obſtinatis. Eccleſia optime vineæ ſimilitudinem gerit: non enim vtile eſt lignum vitis abſciſſum niſi ad combuſtionem, iuxta illud Ezechielis, quid fiet de ligno vitis arido? Ecce, igni datum eſt in eſcam: ſic omnis homo ab Eccleſia per fidem ſeparatus nõ eſt aptus niſi ad combuſtionem. Et (quod magis dolendum eſt) etiam omnis palmes, ideſt fidelis, in Eccleſia & in Chriſto non faciens fructum operum, excidetur ab Eccleſia per mortem & in ignem æternũ mittetur: ipſa veritas dicit, ipſa adimplebit. Vitis vinum habet quod lætificat cor hominis: & Eccleſia verbum Dei dulcius omni vino: & etiam habet vinum ſanguinis Dei animas recreantis & purificatis.

*Iſaiæ. 38. C.*

*Ezechi. 15. A*

*Ioan. 15. A.*

Plantauit igitur Deus Eccleſiam, & extendit palmites ſuos vſq; ad mare, illam de errore gentilitatis adducendo: tranſtulit in lucem veritatis & fidei. Vineam iſtam domine, plantaſti, & dux itineris illius fuiſti per tot annos, in conſpectu eius exiſtens, imo in ſacramento ſancto altaris. Plantaſti radices eius altas per apoſtolos, & impleuit terrã: quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Operuit montes vmbra eius: hoc eſt montes mundi & omnes partes eius, vmbra Eccleſiæ ſeruauit homines ab æſtu ſolis & arbuſta eius recreauerunt cedros Dei, id eſt ſanctos viros. Extendit palmites ſuos vſq; ad mare, quia totus mũdus fidelibus plenus erat, & vſq; ad flumen propagines eius. Vel vſq; ad mare, ideſt, baptiſmũ: quia qui prius in vanitate ſeculi fluctuabãtur acceſſerunt ad ſanctũ baptiſmum. Iuſtus es Dñe ſi diſputem tecum, verũtamen iuſta cum Dauid loquar ad te: vt quid deſtruxiſti maceriã eius? Quare permiſiſti maceriam Eccleſiæ, ideſt fidẽ, qua defendebatur à beſtijs terræ, & inferni, quo ad magnã mundi partem deſtrui? Indè mala quorũ

*Pſalm. 79.*

*Pſalm. 18.*

*Pſalm. 79.*

non eſt numerus ſequuta ſunt. Aut dicamus cum D. Baſilio in hunc locũ Pſalmi, per maceriã prouidẽtiam Dei intelligi: quod vineæ eſt maceria, hoc prouidentia Dei eſt, hominibus qui ea digni habẽtur. Vnde vindemiant animã & Eccleſiã omnes lædere volentes, quãdo à cuſtodia diuina deſtituta eſt: ſicut viatores vineã incuſtoditam pro arbitrio vindemiãt. Aut vt quid deſtruxiſti maceriã eius, ideſt permiſiſti fidelibus, vt maceriam virtutũ, qua vinea ideſt Eccleſia cuſtoditur, deſtruerent male viuendo?

Quãta inde incõmoda Eccleſiæ ſunt ſequuta? Primum quod vindemiant eam omnes viatores, & latrones, qui prætergrediuntur viam mandatorum Dei. Et hæretici maligni furãtes cæremonias illius ſacras, & ritus diuinos, tranſeunt vt eneruent ſacræ ſcripturæ fortitudinem (& ſi fruſtra) & conantur fontem ſacramentorũ, in quo virtus Dei manet, ſiccare: vnde vindemiãt eam omnes. Quia gentes ſuis ritibus, Iudæi ſuis traditionibus, hæretici ſuis erroribus & falſis opinionibus, conãtur illam extirpare: fideles etiam ſuis indebitis operibus: vide ſi vindemiant multi Eccleſiam tuã domine. Tamen, quod valde dolendum eſt, hoc grauiſſimum damnum Eccleſia recepit, quod exterminauit eam aper de ſylua, ille immũdus Mahumeticus ſylueſter & malignus, ſua infami & ſpurca ſecta multum detrimentum Eccleſiæ ſanctæ adduxit, cum fere mille annis contra illam pugnauerit. Hierony. in apro atq; ſingulari fero, immanitas diaboli intelligitur: à quo Synagoga exterminata fuit ob incredulitatẽ ſuam: ſicut magna Eccleſiæ pars ob hoc etiã. Baſilius aũt dicit, aprum ſylueſtrẽ eſſe beſtiã vineæ inſidioſam: & eandem vocat ferũ ſingularẽ: eo quod ſingulariter ac ſeparatim agat, & reliquis ſit ferocior, vt conſuetudinem illorũ auerſetur. Singularis etiam ferus, ille maledictus Lutherus depaſtus eſt Eccleſiã tuam dñe, quoad magnã ſui partem, quia voluptatum amator fuit magis quam tui & Eccleſiæ.

Non ſolũ hæretici exterminant vineã & Eccleſiam depaſcũt, ſed etiam multi fideles in membris eius: tollẽtes illorum famam & honorem & ad malum culpæ inuitantes. Ac ſi non eſſet ſcriptum in lege dñi: ſi læſerit quiſpiam agrum vel vineã & dimiſerit iumentum ſuum vt depaſcatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro ſuo vel vinea, pro dãni æſtimatione reſtituet. Venit tentatio tibi vt facultates alienas aut honorem, aut, quod grauius eſt, vxorem aut filiã proximi ſurriperes, vnde læſiſti valde

Exo. 22. M.

vineam

vineã alterius. Dimisisti iumentum appetitus tui vt aliena depascatur: omne opus bonum quod in agro cordis tui aut vinea animæ habebas & omne perdidisti meritũ. Da optimum, spiritum nempe tuum, cõtritioni debitæ post satisfactionẽ legitimã confitendo vere: vt spiritũ cõtribulatum Deus aspiciat & sic à damno sis absolutus: alias mors inferni depascet te. Deus virtutum, respice misericordiæ oculis Ecclesiã tuam: vt quid maceriã eius destruxisti? Vt quid Dñe hoc fecisti? Videris tulisse angelorum custodiã, qui latrones prohibebant, & ab hæreticis & delictis Ecclesiã tuam defendebant. Vbi hodie tam fida custodia? Vbi prophetæ? Vbi apostoli? Vbi doctores suis optimis acclamationibus dæmones & vitia terrentes? Vbi pastores vineam omni vigilia & cura verbo & exẽplo circundantes, & dæmones expellentes, & lupos hæreticorũ excõmunicantes: perfectos homines laudãtes, imperfectos custodientes, & peruersos corripiẽtes? Quidnam maceria est, nisi angelorum custodia, & pastorum defensio, & prædicatorum sancta doctrina? Vbi est ista Ecclesię maceria Domine? Destructa est. Et quis illam permisit destrui post nostra scelera, nisi tu domine, quando nostris demeritis, sanctos prædicatores tulisti: pastores sanctos in cœlum collegisti: angelos quodammodo amouisti, sceleribus nostris exigentibus?

Heu, heu, Dñe Deus, & vbi est vinea tua? Nonne manibus propijs plantasti illã? Vbi sunt palmites eius? Vbi virtutes? Vbi dona Spiritus sancti, & gratiæ gratis datæ? Vbi charitas eius quo ad multos fideles, circa hęreticos fides & spes? Tu ipse Deus es apud quem non est trãsmutatio, & ille idem Deus qui fecisti misericordiam cum patribus nostris: opus manuum tuarum sumus, Christus manet in æternum: & pro nobis passus est, quare oblitus es nostri domine? Quare auertisti faciem tuam à nobis? Peccauimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus: tamen non secundum peccata nostra facias nobis: sed respice in faciem Christi tui protector noster, & in fidem Ecclesiæ tuæ sanctæ Romanæ. *Psalm. 83.* Deus virtutum conuerte ad nos, & conuerte nos ad te & conuertemur, innoua dies Ecclesiæ vt à principio: vt quid nobis terga vertisti, nisi quia nos prius peccando auersi fuimus à te? Respice de cœlo: longe enim abijsti, peccatis nostris hoc exigentibus, à nobis recessisti. Respice nos saltim de cœlo, si non vis ad nos accedere vt ingratos: respice nos & miserere nostri,

illumina nos de cœlo diuinitatis tuæ, de cœlo Christi tui: & vide
Thre.5. A. desolationem nostram, & respice opprobriũ nostrum. Hæreditas nostra & Ecclesia, quoad magnam sui partem, filios suos perdidit, & extranei possident loca sua. Vbi est Ierusalem? Vbi terra sancta, in qua tot mirabilia fecisti? Vbi Bethlehẽ, vbi primo in terris visus es? Vbi Caluarium in quo crucifixus es? Vbi sepulchrum tuum in quo corpus tuum diuinitati vnitum conditum fuit? Respice de cœlo & vide omnia ista in manibus esse & ditione infidelium: & (quod magis dolendum est) in dentibus dæmonum multas animas fidelium. Vide Domine, oculis misericordiæ tuæ orbem terræ, & plenitudinẽ eius: non plenitudinem gratiarum & virtutum: sed plenitudinem peccatorum & vitiorum, ignorantiæ & miseriarum.

Vide vineam istam sanctam Ecclesiam tuam, plebem Christianam vide & miserere, vide & visita auxilio tuo maxime necessario. Adhuc aliquas radices habet, & vites & fideles operantes: ab initio mundi cœpit, & nunquam defecit, nec deficiet vsq;
Matt.28. D ad consummationem seculi, sicut ipse tuus promisit filius. Minui ergo potest vinea ista vt modo illam videmus ob scelera nostra, deficere penitus non potest. Tu plantasti illam, filius sanguine proprio & martyrum rigauit, Spiritus sanctus suo calore fœcundauit. Visita illam desolatam & tristem: visita gratia, visita auxilio: eijce ab illa peccatorum lapides, collige aridos palmites & iterum planta illos gratia tua in terram cõsiderationis suæ, vt viuant iterum & fructus proferant: perfice eam quam plantauit dextera tua filius nẽpe tuus, ex tua substantia genitus: vt filij omnes, qui in Ecclesia sumus in gratia tua simus ad tuam gloriam. Ameu.

# Homilia Secunda.

Text. ¶Qui plantauit vineam:

Via illa quæ in communi dicuntur à cõcionatore, in cõi etiã recipiũtur ab auditore: maxime velim vt omnis cõcionator tangat cor vniuscuiusq; particulariter, vt sic sentiat vulnera sua, & medellã quæ ratione omnia ad cõmunitatem referat auditor, sed

sicut

ſicut ſibi omnia dicta accipiat. Veritates in cõi (vt videbis, ſuper illud verbum Chriſti ſi veritatem dico vobis quare non creditis mihi?) parum aut nihil corda ægrotantium mouent & animas peccatrices: & ſic omnis fere noſtra doctrina ad cor particulare loquitur vt facilius conteratur, & ad dominum ſuum conuertatur. Vnde vt ne mihi dicas, quid mihi cum naturæ angelicæ vinea? Quid cum Synagoga? Eccleſia non ſolum ad me ſed ad oēs fideles pertinet, & etiam beneficia quæ ipſa à Deo recepit. Quid iraſceris contra me? Expecta pauliſper & videbis, quomodo anima tua, iſta vinea eſt, quã Deus hucuſq; tanta ſolicitudine plantauit, cuſtodiuit & ſepiuit, & innumera beneficia illi contulit: vt inde ſcias ingratitudinem tuam, & pœnam tibi futuram, niſi cito & in tempore, fructus operũ & gratitudinis vuas dignas Deo reddas. Homo quidam plantauit vineam: Deus maximus creauit animam tuam: vide ſi oportet vt fructus proferas. Prima proprietas vineæ vt bona ſit domine mi cœleſtis, vt plantator illius ſapiens ſit oportet, alias neſciet ordine debito palmites ponere: vnde à curribus detrimentum paſſa erit vinea: aut ex nimia vitium coniunctione non erit recte plantata. Hanc excuſationem prætexere non poteris homo, circa vineam animæ tuæ: nam ſi quæris à me Deo tuo: quis plãtauit animam meam, & in corpus miſit domine? Neq; pater tuus aut mater, neq; alius homo aut mulier, ſed neq; angelus aut archangelus creauit illam: ſed audi filium meum in Euangelio iſto dicentem, homo paterfamilias, pater meus æternus, plantauit vineam, & animam tuam creauit. Audi & me dicentem tibi per Ieremiam: ego te plantaui: ego & non alius: ego & non angelus, neq; pater tuus. Etiam ſi ſol & homo generant hominem: tãtum diſponunt materiam cum mulier ad introductionem animæ: animam vero tuam ego ſolus creo ex nihilo. Quia cum requiratur infinita potẽtia ad creationẽ, & ſolus ego ſim omnipotens, ego ſolus animã creo: ego te plãtaui. Vide dignitatem tuã, & vt quid tã gratis pro vitio vili tradidiſti illam? Conſidera qua gratitudine mihi ſoluis: quomodo viuis?

*Dominica in Paſſione.*

*Ieremi. 2. D.*

Domine, à magno artifice plantata eſt anima mea, cũ ſit à te creata: tñ inſuper vinea debet in optima plãtari terra. Ego te plãtaui & in terra bona nempe in Eccleſia, non inter Paganos, Turcas, aut Lutheranos: ſed inter Fideles, & Prælatos & in terra pinguiEccleſiæ Catholicæ. Et iſta plãtatio, magis ſtat filio meo, quã

*Gene.9.D.* Noe cultura vinearum ſuarũ. Si Noe plantauit vineam, & bibẽs vinum inebriatus fuit, & nudatus in tabernaculo irriſus à filio Cham: filius meus plãtauit te, & inebriatus amoris vino erga te, nudatus in tabernaculo Crucis tui amore mãſit flagellatus, & irriſus, à maledicto filio ſuo Cham, populo nempe Iudaico. Vide ſi magno labore & ſalutis & honoris imo & vitæ diſpendio filius meus plantauit te homo, in terra optima Eccleſiæ. Conſidera fideliter quid facis, vt mihi ſoluas creationem, & filio meo redemptionem: alias quid reſpondebis?

Domine, etiam ſi ipſe plantaſti me, & in optima Eccleſiæ terra, inſuper ex bonis plãtis me creare debebas: quia alias vinea ex plantis inſanis & infructiferis plantata, quid mirũ vt fructum debitum non proferat? ſic & ego, ſi non ſum à te ex bonis palmitibus plantata, anima rationalis & fidelis cum ſim: quid de me nõ reddente bonorum operũ fructũ conquereris? Ego te plantaui, quod ſufficiens argumentum erat, te bene & ex bonis plãtis eſſe creatam: tamen inſuper addo: plantaui te vineam electam: non ſolum, quia animam tuam ſuper cuncta animalia bruta creauit rationalem, volũtate & memoria præditam: ſed inſuper electam, ſuper Turcarum & Paganorũ animas: cum iſtas in tenebris infi-
*1.Petr.2.B.* delitatis dereliquerim, & te in admirabile fidei & Eccleſiæ lumẽ vocaui & adduxi. Vnde addo, omne ſemẽ verum, poſui nẽpe in te: quo poſſes, ſi negligens operarius non fuiſſes, multa in laudem meam, & tui vtilitatem operari, & fructificare. Vinea typus noſter eſt (ait D. Ambroſius in Lucam) nam populus aut homo fundatus de radice æternæ vitis, & creatus à Deo quo ad animã, vt vitis ſupereminet terris, cum brachijs quaſi ſarmentis, & po-
*Ioann.15.A* tentijs ſpiritualibus eminet homo cũctis beſtijs terræ. Agricola pater omnipotens eſt: vitis vero Chriſtus dominus, & nos palmites ab ipſo plãtati in terra Eccleſiæ ſanctæ, & ſelecti ab omni alia natione. Videte quanto vinculo teneamur ad fructificãdum, & laborandum, & tanto domino debitis operibus tanta beneficia regratiandum, ò fideles, quibus omne ſemen verum & bonum à Deo ſeminatum eſt, & plantatũ in cordibus veſtris: alias ſi gratitudinis fructus non redditis tanto diuino agricolæ, ne miremi-
*Ioan.15.A.* ni ſi falce mortis æternæ ſucciſi aliquãdo fueritis, & in flammas edaces immiſi: vt Chriſtus minatur.

Vinea continet multas magnas & paruas vites, fructiferas & ſteriles:

ſteriles: ita & inter fideles inuenies magnos in virtute & paruulos: & aliquos fructus operum reddentes Deo vt gratos: alij complures, ſteriles & infructiferi & ingratiſunt benenolo plantatori Chriſto domino. Vitis dum ligatur erigitur, & reſciſſa & putata non minuitur. Et bonus fidelis etiam, in Eccleſia exiſtens, dum Dei præcepto ligatur ad virtutem erigitur: dum humiliatur ad cœleſtia cogitanda attollitur: dum reſcinditur afflictionibus, coronatur præmijs, & ad maiora virtutum tẽtationibus percuſſus erigitur: & dum perſequutionibus putatur, tunc vberiores gratitudinis fructus Deo dat. Econtra tamen, palmes infelix, & obſtinatus fidelis, quo magis Dei flagello percutitur vt reſipiſcat, & magis falce perterritur vt fructificet: magis ad peiora & opera ingrata dilabitur, quouſq; in ſylueſtrem conuertitur vitem, & igni infernali finaliter traditur. Iam plantaſti me dñe Deus, propria virtute & manu, & vineam electam ab omni natione à fide aliena: & in Eccleſia tua poſuiſti me, & omne ſemen verum quo fructificare poſſem tradidiſti mihi, quando fidem veram mihi dediſti: velim inſuper domine, vt ſepe me circundes, ne fures trãſeuntes per viam huius vitæ, fructus bonorum operum rapiant à me, quibus tibi gratã me eſſe oportet. Quid prodeſt, vineam ab optimo plantari agricola & ex electis palmitibus & in terra bona, omneq; ſemen bonum habentem: ſi maceria caret; qua à beſtijs & viatoribus cuſtodiatur? Ego te plantaui anima fidelis & in terra Eccleſiæ, & elegi te ad fidei ſemen vt fructus operum mihi reddas, & non poteris excuſationem prætexere ob maceriam: quia iam Iſaias de me dixit: & ſepiuit eam, & filius meus teſtis fidelis, in hoc Euangelio, poſtquam dixit me plantaſſe te addidit. *Iſai.5. A.*

## ¶ Et ſepe circundedit eam. Text.

QVA vniuerſitate rerum, primo oſtenditur ſumma diligentia & ſtudium, quo ego pater æternus vſus ſum: in plantanda cuſtodienda atque excolenda vinea mea. Ego ſepiui te ò anima, lege & mandatorum meorum maceria: quam ſi ipſa cuſtodires ſine diruptione per peccatum: ab omni malo & beſtiarũ incurſu, fructus bonorũ operum ipſa etiã in te defenderet, vnde haberes quibus Deo grata fuiſſes. Anima fidelis, ſi maceriã legis diuinæ qua te Deus circũdedit vt eſſes ab omni malo

defensa tu illam custodires, seruasses & nullo modo illã aliquã transgressione aut delicto destruxisses: quam fœlix esses in vita hac mortali: quam ab omni maligni nocumẽto protecta. Quam pacatissimos bonorum operum fructus & gratitudinis debitæ Deo & optimo plantatori tuo redderes: quam fœliciſsima esses in egressione corporis, quãdo merita tuorum fructuum, visione beatifica vidisses præmiata: & te iam cum Deo & angelis suis satis bene custoditam Dei & sanctorum cõsortio. O legis Dei maceria, quis te disipare audet? Quis ob tantum lucrum sibi futurum, pro viribus non te custodit? Non vis homo fidelis, hanc maceriã legis diuinæ ob magna tibi profutura dona, & munera ventura à Deo seruare toto corde & tota mente? Saltim illam custodi, ob innumera incommoda & mala ex eius destructione tibi
*Do. Septua.* subsequuntura. Quia extra illa quæ diximus alibi, contra sepem mandatorũ Dei disipantem: quomodo coluber infernalis mor-
*Eccle. 10. B.* debit eum (teste Salomone) audi alia homo, qui nõ vereris talem sepem legis Dei tibi à Deo appositam ad magnam tui defensam destruere, & inde in bestiarum furiam incidere. O domine mi, tempus faciendi mandata tua, dum in hac vita degebant, & sepẽ magis ac magis, virtutum lapides addendo, construendi: disipa
*Psal. 118.* uerunt homines miseri legem tuam (ait Dauid) & destruxerunt mandata tua: & iuuentutis tempus.

In sepe, fere semper, tria reperiuntur: flores, fructus & spinæ. Lex diuina flores odoriferos bonæ famæ consulit nos habere, vt Christi bonus odor simus, & virtutũ odoramẽta, vt habeamus supernorum promissiones. Væ legem talem disipanti, & de bono nomine ac fama nil curanti: mordebit eum coluber infernalis. Iubet etiam lex vt fructus dignos pœnitẽtiæ habeamus, super cœlestia se tollentes: vnde ipsamet lex, dignæ pœnitẽtibus, fructus gratiæ & gloriæ promittit. Væ talem sepem destruẽti opera pœnitentiæ negligenti, mordebit eum coluber. Etiam in ista legis diuinæ sepe, spinæ reperiuntur, quæ sunt terribiles minæ & supplicia promissa famam suam negligentibus, & fructus bonorum operum & pœnitentiales contemnentibus. Sepi aures
*Eccle. 28. D* tuas homo (ait Salomon) spinis, idest legis diuinæ minis, aures cordis tui circunda, vt sic legem Dei disipare timeas: & linguam ne quam ad detractionem inuitantem audire renuas: & ori tuo facias ostia ad non loquendum nociua, & seras auribus tuis. Vide

quia

quia ſepe legis diuinæ circundedit te Deus.

Non ſolum ſepe legis diuinæ circũdedit te Deus ô homo, ſed etiã angelorũ cuſtodia: quia (vt ait Chryſoſ. in imperfecto) quid eſt ſepes, niſi angeli in circuitu cuſtodiẽtes populum Dei: & animam fidelẽ ne in vineã Chriſti inuiſibiles latrones, aut beſtiæ viciorũ irrumpant? O Dei beneficiũ magnipẽdendum, & à te contemptum ô homo, cũ det tibi vermiculo vili, vnũ de cœleſtibus principibus: ad cuſtodiendã vineam animæ tuæ ab omni malo, & fructus operũ tuorũ defendat ab omni periculo beſtiarum, & hoc ab vtero matris tuæ, & cũ hoc, adeo impudice audeas coram ipſo ſcelera grauiſsima perpetrare, quæ coram puero trium annorum non auderes? De qua cuſtodia angelorũ (Deo auxiliante & ſpiritibus cœleſtibus intercedentibus) in feſto S. Michaelis vi debis, Interim vide D. Thomam in ſua. 1. part. quæſt. 11. per totam. Et time dictum angelorum dicentium: curauimus Babylonem, ideſt animam confuſione culparum plenam: cuſtodiendo illam quo ad nos fuit, & non eſt ſanata nec vult pœnitẽtiam agere: derelinquamus eam beſtijs & dæmonibus, & vitijs expoſitam: væ animæ ad talem peruenienti ſtatum. Audi & amplius anima à Deo plantata: non enim ſolum legis ſuæ ſepe, & angelorum cuſtodia vallauit te, ſed etiam ſua diuina protectione: qui habitat in adiutorio Dei altiſsimi (ait Dauid) in protectione Dei cœli commorabitur. Et vt ait D. Ambro. in Lucam: ſepe circundedit eam, hoc eſt diuinæ cuſtodiæ munitione vallauit: ne facile ſpiritualium pateret incurſibus beſtiarum. Quam excuſationẽ poteris prætexere homo, qui animam tuam omnibus vitiorum beſtijs, & omni tentationi patentem habes, & conſenſu te illiis ſubdis, cum audias animam tuam eſſe circundatam legis Dei vallo, & fidei & angelorum cuſtodia, & inſuper protectionis diuinæ maceria? Et cum hoc auſus fuiſti, ingreſſum ad illam polluendam apro voluptatis præbere? Cani per iram, vt fructus bonorum operum comederet, dediſti ianuam vineæ tuæ? Lupo, vt deuoraret virtutem illius, te ad furandas alienas facultates inuitando? Quid legi Dei reſpondebis te cuſtodienti? Quid angelis? quid ipſi Deo?

*Homil. 40.*

*Iere. 5. A.*

*Pſalmo. 90.*

*Lib. 9. in ca. Luc. 20.*

Quid tamen miraris homo, ſi irruant dæmones & vitia in animam tuam, ſi conculcent & deſtruant illam, polluant atq; radicitus omnes fructus illius euellant: ſi ipſe non es veritus legis di-

uinæ ſepem diſsipare, angelorum cuſtodiam contemnere, & maceriam diuinæ protectionis ſpernere? Qui huiuſmodi es, bene potes cum Iob plorare dicens: quaſi rupto muro, & aperta ianua, irruerũt ſuper me maligni & infernales beſtiæ, & ad meas miſerias deuoluti ſunt: redactus ſum in nihilum: nocte os meum perforatur doloribus: & qui me comedunt dæmones & peccata, ſcilicet, non dormiunt. Quaſi rupto muro hoſtis ingreditur (ait D. Grego. in Moralibus) cum vel malignorũ ſpirituum, vel prauorum hominum perſuaſione, callida diſciplinæ munimina in corde tuo diſsipantur. Et quia maligni ſpiritus carnales quoſque de Eccleſia conſumunt: & tanto magis quieſcere à tentatione neſciunt: quanto nullo carnis pondere grauantur: ideo conqueritur infelix qui murum virtutum vineæ ſuæ deſtruxit, videns hoſtes in eum irruentes: redactus ſum in nihilum. Quia omnia merita mea deſtructa ſunt, & nullius meriti: & qui me comedunt & depaſcunt dæmones, non dormiunt, nec delicta mea. Plantaſti me Domine Deus, manu benignitatis tuæ & in terra ſanctæ eccleſiæ, ſemen fidei mihi infundendo, legis diuinæ me circundediſti, angelorum cuſtodia protexiſti me à conuẽtu malignantium: inſuper & ipſemet protectio mea atque defenſio es: tamen optimus agricola ponit in vinea ſua torcular, ne curru vitis aliqua deſtruatur ſed ſine beſtiarum ingreſſu vua intortulari calcata ſit: ſic & tu Domine fac animę meę torcular quo à deſtructione cuſtodiatur. Iam de me dixit Iſaias, quod torcular extruxerim in vinea eccleſiæ tibi: & filium meum audi in Euãgelio dicentem de me.

*Iob. 30. C.*

*Lib. 20. c. 23*

*Ibi. ca. 24.*

*Iſai. 5. A.*

*Text.* ¶ Et fodit in ea torcular.

*Libro. 9. in Luc. 20.*

QVomodo intelligemus quid ſit torcular (ait D. Ambro. in Lucam) niſi forte, quia pſalmi de torcularibus inſcribuntur: quia in illis myſteria Dñicæ paſsionis peraguntur? Et ſic per torcular paſsio Chriſti intelligitur: vnde in eccleſia fodit Deus torcular tibi, ideſt ſacramenta inſtituit ſancta, ſuã efficaciã habẽtia in Chriſti paſsione, & virtutem in ſanguine ipſius in cruce effuſo. Quia cum Chriſtus Dominus torcular crucis ſolus pro noſtris delictis calcauerit: inde veſtimẽta corporis ſui ſanguine coinquinata ſunt, ideſt, peccato noſtro ſanguinolento, quod in cor

pore

pore accepit ad ſoluendū. Vnde dixit ipſe, angelis interrogantibus in ſua glorioſa Aſcēſione & illi dicētibus. Quare rubrū eſt indumētū tuū, & veſtimēta tua ſicut calcātiū in torculari? Torcular crucis calcaui ſolus clauis cōfoſſus, vt aliena peccata abluerē: vbi velut racemus tormētis preſſus fui, & vndiq; ſanguinē emanaui, quo ſordes peccatorū abluātur: & ſacramētorū torcular inſtituatur in vinea eccleſiæ, quo animarū maculæ diluantur. Et ſic nil mirū eſt, me rubrū corporis mei indumentū portare, etiam ſi humanitatis veſtis albiſsima ſit & innocentiſsima in me: tamen aſperſus eſt ſanguis eorum (ideſt peccatum hominum) ſuper veſtimenta mea, & ſuper corpus meum, ad ſoluendum quod nō rapui, & ſic omnia veſtimenta mea inquinaui ſanguine: quādo ſanguinolenta peccata ſoluebam ſanguine meo. *Iſai. 63. A.*

Aut torcular experientiam dolorum & paſsionum ſignificat, quæ in eccleſia Chriſti remanſit. Vnde in Threnis ait Ieremias: torcular calcauit Dñs virgini filiæ Iuda. Eccleſia dicitur virgo, quia Chriſto deſpōſata: dicitur filia Iudæ, quia Chriſtus erat ſecūdū carnē ex tribu Iuda, & apoſtoli primi fundatores eccleſiæ etiā erāt ex Iudæis. Ait ergo Ieremias, torcular calcauit Dñs virgini filiæ Iudæ. Ain: idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas quia lōge factus eſt à me cōſolator cōuertēs animā meā: facti ſunt filij mei ꝑditi, quoniā inualuit inimicus: verba ſunt dolē dæ. Paſcaſius, vir in diuinis ſcripturis valde eruditus (vt ait de illo Trithemius Abbas) ſuper hunc locū Ieremiæ dicit: torcular iuxta ſcripturæ ſanctæ cōſuetudinē, interdū pro vltione atq; peccatorū ſupplicijs: interdū pro pœnis atq; tormentis. Vnde torcular calcauit Dñs in die paſsionis ſuæ, vt & credentibus & recte operantibus ſimul præmia: non credētibus vero ſed illum perſequētibus, & crucifigentibus, vltio perpetuæ captiuitatis, & ſupplicia æternæ dānationis manerent. Calcauit ergo Dñs hoc crucis torcular: quia etiam ſi paſſus eſt, cuncta tamē ſibi aduerſantia in ſua redegit poteſtate. Sed quia Synagoga male vſa eſt tanta Dei paſsione: & de remedio tanta ſibi tormenta, ob malitiam ſuam acquiſiuit, addidit: ego tamen plorans maneo ſemper, ob mea delicta. *Thre. 1. F.* *Lib. 1. fol. 47*

Torcular calcauit Dominus Eccleſiæ, quando ei omnes aereas poteſtates paſsione ſua ſubijecit: quando ſanguine ſuo illam lauauit: quando ſacramenta illi donauit. Sed quia Chriſto calcāte torcu-

torcular paſsionis, multi fideles ſub eo redeunt in amurcam, & ſe indignis per culpam iterum ſubijciunt, & animas ſanguine Dei ablutas iterum culpis coinquinant, & ſacramẽtis ſanctis abutuntur: ideo Eccleſia ſancta conſiderans tales filios ſuos, ſanguinem Dei conculcantes, & videns Dei paſsionem in multis contemptam: dicit dolore magno, idcirco ego plorãs. Propterea & Ain, Hebræum anteponitur quod fons vel oculus interpretatur: qui
*Ioann. 19. F.* nimirum fons, quando prælo Crucis Chriſtus fuit preſſus de latere eius manauit, quia continuo exiuit ſanguis & aqua: tamen plorat Eccleſia hominum ingratitudinem erga Chriſtũ paſſum pro illis videns: & quia in multis illorum, ſanguinis Chriſti torcular perditur. Idcirco ego plorans (ait Eccleſia) & oculus meus, bonus nempe prælatus aut fidelis talia ſentiens, deducens aquas lacrymarum: quia longe factus eſt à me (quo ad iſtos filios malos) conſolator meus Chriſtus: & facti ſunt filij mei perditi: & inualuit inimicus contra multos illorum. Et cum dominus torcular calcauerit, & in Cruce pro omnibus fuerit. Et ego Eccleſia videam tot animas infœcundas virtutum: & bonis operibus vacuas, quibus dominus torcular tormentorum habet reſeruatum: idcirco ego plorans ſum, quia ipſæ animæ peccatrices rident in culpis, cum tamen careant cõſolatore Deo, qui debebat illas conuertere in gratiam ſuam: & filij ſui, actus nempe boni ex natura, facti ſint perditi ob peccatum. Plorans ego ſum & ipſi in culpis rident: cum tamen, videam illos iam proximos eſſe illi terribili
*Matt. 22. E.* Chriſti ſententiæ dicenti: ibi erit fletus in carcere inferni contra hic ridentes, & ſtridor dentium, contra hic Deum non timentes. Ex quo fletu oculorum, ingens animi dolor ſignatur futurus, vt ſciat peccator in vitijs gaudens, quod poſt vanam huius mundi lætitiam, omnis conſolatio præſentis vitæ, illi eſt auferenda: & merito, quia noluit recte vti torculari paſsionis Chriſti.

Domine, gratias tibi referre dignas non poſſum, ob innumera beneficia quæ à te circa vineã animæ meæ exhibita ſunt in plantatione propria manu: & in terra Eccleſiæ ſanctæ: dediſti mihi ſemen verũ fidei: legis tuæ & angelorũ cuſtodia, & tua protectione defendis me. Inſuper, ſi vt ingratus peccaui contra te, in Eccleſia tua ſacramentorum torcular poſuiſti diuinum: quo vere illo vtendo, peccata mea ſanguinolenta, tanquam nix dealbãtur.

Velim

Velim tamen Domine, amplius contra re ingratitudine non vti: desidero operari bona in vinea animæ meæ, vt tuis nūtijs & concionatoribus & inspirationibus fructus reddam tibi debitos: sunt tamē innumeri latrones illos furare volētes: sunt bestiæ crudeles vitiorū illos destruere cupiētes. Post sacramenta tua, credo multū vtilitatis & defensæ vineæ animæ meæ prouenire, à speculatore verbi Dei, & à concionatore veritatis loquente ad cor, & fures terrente. Pone Domine, in vinea Ecclesiæ tuæ turrim, & locum sublimem, in quo concionator speculetur, & fideles admoneat, vt seruent fructus bonorum operum: & contrarios nostros prohibeat à latrocinio: & cum hoc iam omnia feciſti cū vinea, quod facere debuisti. Iam & hoc quod petis factū est à me: nam Isaias ait, & ædificauit turrim in medio eius: & filius meus in hoc Euāgelio affirmat de me. *Isai. 5. A.*

## ¶ Et ædificauit turrim. Text.

PEr turrim Hieronymus & alij (vt ait Adamus in Isaiam) intelligunt templum Salomonis: nos tamen in Ecclesiæ vinea locum ad speculandum intelligamus & suggestum, in quo stat concionator duo præcipue faciens: fideles admonens vt fructificent operando Deo grati & custodiant merita sua à transeuntibus: & deinde viatores terrere præsentia sua & verbo, & bestias abigere. Magnum est concionatoris officium: etiam si videatur esse vinitoris aut vinearum custodis: magnæ tamē dignitatis est, & magni meriti coram Deo, si veri speculatoris officium exercet digne. Nam hominesad recte operandum inuitat: & vt Deo sint grati, fructus bonorum operum, in signum recognitionis beneficiorum Dei, illi reddendo: admonet fideles vt opera sua ab omni mala peccati bestia seruent: terret dæmones, abigit vitia, ne in vinea domini nocumentum inferatur. Videte quale seruitium verus concionator Deo exhibeat, & qualis merces sibi à Deo maneat post vitam, si fideliter officium exercuit suum. Bonus vinearum custos, in specula est, vt fructus custodiat, & viatores & pueri illum videntes vineam ne lædant: clamat ad transeuntes, fuste minatur canibus & porcis & etiā lapide: quia vult magis vineam custodire, quam proprium & priuatum lucrum. Tamen qui hoc magis vult, abscondit se vt fur transiens vuas colligat, & damnum ab ipso & pœnam accipiat nil de fructibus curans. *in Isai. 5.* *Simile.*

Ezech. 3. D. 33. B. curans. Fili hominis (ait dominus Ezechieli & omni prælato, & præcipue omni concionatori) vide quid facias, nam speculatorem & vinearum custodem, dedi te domui Israel: & Ecclesiæ sanctæ, & cuilibet animæ fideli: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Igitur verbum quod audio de ore Dei debeo vobis annuntiare. Dic illis, custodite fructus vestros & opera bona à culpis, & à dæmonibus, & canibus odiorum, & à porcis voluptatum, vt habeatis vnde in morte vestra Deo ob tanta beneficia, grati sitis. Fœlices qui cũ fructibus meritorũ inuenti fuerint in ratione, vltima: infelices tamen, qui non custodierunt vt decet, sed aper de sylua destruxit illos.

O diuinum remedium à Deo Ecclesiæ sanctæ datum in magnam animarum vtilitatem, quando concionem instituit: si rectè & feruenter, & igne charitatis accensa fuerit: & tali debita intentione, vt fructus bonorum operum in anima conseruentur: & à bestijs vitiorum liberentur. O speculator, ò concionator, vide vt officium tuum recte adimpleas: quia si feceris (ait ibi dominus) viuens viuet homo à te admonitus qui fructus non peccãdo seruauit: & tu animam tuã liberasti. Tamen væ speculatori abscondenti se, vt falso vinearum custodi, proprium lucrum sectanti, & veritates pallianti, & à clamore debito cessanti: nil timens quod fructus bonorum operum furentur à dæmone & vitio, dummodo adulatione vtetur, & aliquam dignitatem, aut temporale lucrum acquirat. O pessime & fœdifrage vinitor (ait dominus) me dicente ad impium morte morieris, quia non seruas fructus operum tuorum, non annuntiasti, neque loquutus fuisti vt seruaret fructus meritorum, aut ad pœnitentiam induceres vt viueret, ductus ob lucrum & adulationem? Impius sine fructu inuẽtus morietur: & sanguinem eius & damnationem, de manu tua requiram maligne speculator. O fœlix concionator zelo Dei & vinearũ amore accensus existens: qui verbo & exemplo electioni & præcipue orationi instans: in turri speculationis & cathedræ Ecclesiæ magno clamore & amore, incessanter ad Dei gloriam, & animarum vtilitatem clamat dicens: O fideles, seruate fructus bonorum operum ab omni nocumento: nam maxime illis indigetis ad horam mortis vestræ: vt gloriam perpetuam obtineatis. Amen.

Homie

# Homilia Tertia.

¶ Et locauit eam agricolis. Text.

SYnagogam principibus phariſæorum locauit dominus: Eccleſiam gentibus, & vineam animæ vnicuiq; homini præcipue fideli. Protinus iuſtitia ineuitabiliter omnes angit: vt reddãt debitum cenſum, de his omnibus quæ à Deo acceperunt. Et nihil (vſque ad flatum aeris) ab ipſo cunctorum creatore accepiſti: vt dixit Daniel Balthaſar: *Danie. 5. 8.* de quo non fueris coactus coram iuſtiſsimo & rigidiſsimo iudicẽ rationem exactam reddere. Hac enim lege & conditione tacitã, tibi Deus largitus eſt vineam animæ tuæ tot donis vallatam (vt audiſti) & cætera omnia quæ poſsides: vide quid facias, & qualem ipſi gratitudinẽ, vt par eſt, reddidiſti. Antequam Euangelium vltra procedat & dicat diuinum plãtatorem peregre profectum fuiſſe: volo vt Chriſtus Dominus exigat rationem à quolibet veſtrum, de his beneficijs ſuprapoſitis quibus affecit vos, in plantatione animæ veſtræ, & in obſidione, in turri, & torculari: vt ſciatis quam debitores ſitis, & quam ingrati hucuſque fuiſtis: fac quod Dominus Ieſus vult modo rationẽ inire tecum, vt ſoluas quæ illi debes. Veni homo, ego dominus plantaui animam tuam, vt quid malitia tua contra omnia beneficia mea tam ingrate feciſti? Quare conuerſa es mihi in prauum, vinea aliena per peccatum facta? Ego te plantaui, & tamen culpa tua facta es dæmonis anima ingrata: quare plantaſti in anima tua palmites Sodomæ per voluptates? Quare inſpirationes meas bonas euulſiſti? Quid profuit tibi in terra ſanctæ Eccleſiæ à me plantari, ſi nomen meum lingua tua canina dilaceras, & Eccleſiam contemnere & eius præcepta non vereris? Redde mihi fructus operum.

Vt quid legis meæ maceriam deſtruxiſti? Quare angelorum cuſtodiam contempſiſti? Protectionem meam vt quid conculcaſti? Redde rationem torcularis ſacramentorum: vt quid illorũ virtute abuſus es ad peccata multoties reuertendo? Quare non ſeruaſti fructus bonorũ operum, cum ex turri Eccleſiæ ſpeculatorem multoties admonentem & concionantem audiſti? Credebas tanta dona tibi collata non habere dominum? Neſciebas quia locaui te, vt fructus gratiſsimos mihi redderes? Ego volo

coram

coram angelis meis & ſanctis hominibus cõuincere te de grauiſſimo ſcelere & magna ingratitudine: vt reſipiſcas modo: & oſtẽdere quali ſupplicio digna eras. Nunc ergo habitatores Ieruſalẽ cæleſtis, tam angeli quam animæ ſanctę, & vos viri Iuda, ideſt fideles boni in Eccleſia vere me Deum veſtrum amore confitentes: venite & eſtote iudices arbitri, & iudicate inter me Deũ, tanta beneficia conferentem, & inter animam huius fidelis, tam ingratam mihi exiſtẽtem, vineam à me plantatam & ſanguine irrigatã. Iudicate an ego aliquid vltra debui facere animæ iſti quod non fecerim: & quid ipſa contra me non fecerit. Ex tantis beneficijs à me illi collatis, ratio non dictabat vt vuas bonorum operum ab illa expectarem? Vt quid tam ingrata mihi fuit, vt loco vuarum & virtutum, labruſcas & vitia, quibus manus meas, id eſt opera mea, cruẽtauit inueni? Quis non expectaret ab iſta anima aliquod gratitudinis opus?

*Simile.* Quis non doleret de domino optimo, diuite & nobili: qui poſtquam magnos ſumptus, & labores non minimos, in plãtanda vinea conſumpſiſſet: pergeret ad illam, vt aliquam colligeret vuam. Et mittens manus ſub viridibus pãpinis ad vuam colligendã, nil niſi tribulos quibus manus eius dilacerata & cruentata foret inueniret? Deus meus & dñe mi; cui talia quotidie cũ anima peccatrice contingit. Iudicate angeli, inter me & vineam meam: plantaui animam iſtam creatione ſine ſumptu aliquo: tamen in redemptione diſpendio ſanguinis mei, & vitæ iactura collocaui illam in Eccleſia, ego dominus omnium & nobiliſsimus Deus. Laboraui in illa per triginta tres annos: in torculari crucis mortuus ſum, vt ſacramentorum torcular illi ædificaſſem. In turri eiuſdem crucis concionaui vſq; ad mortem, vt fructus bonorum operum eſſet operata, & cuſtodiret illos. Circundederunt me gemitus mortis & dolores inferni, dummodo maceria legis Dei illam circundarem: modo veni deſiderio non minimo ad quærendam vnicam virtutis veræ vuam in illa: miſi manum, & inueni cor tribulis odij plenum, & voluptatũ ſpinis, quibus manum meam vulnerauit (quantum fuit in ſe) & cruentauit: & ſic doluiſſem (ſi doloris capax eſſem) vt quãdo clauus manum meam cruci affixit: quis non dolet de me? Quid iudicatis de tam ingratiſsima anima?

Tu ipſe iudex viuorum & mortuorum es, iudica ipſe illam.

Et nunc

Et nunc oſtēdam vobis, quid ego faciam iſtæ vineæ meæ, & animæ ingratæ, etiam in hac vita, quando in obſtinationem peruenit. Primo auferam ſepem tuam vinea ingrata, vt per Iſaiam affirmo: ideſt ſinam à te auferri, & quotidie tollere lapidem vnius virtutis: vſque dum, quilibet viator poſsit ad te ingredi pro libito ad te deſtruendum: & ſic eris in direptionem. Et diruam maceriam, ideſt dirui ſinam à te legem meam & diſsipari: & eris in conculcationem omnium beſtiarum. Et nō proderit tibi dicere: quaſi rupto muro & aperta ianua irruerunt ſuper me maligni, (vt dictum eſt in alia vinea) quia ipſe omni nocumento dignus es, cum non es veritus legem diuinam diſsipare: vnde merito coluber infernalis mordebit te. Et ponam te deſertam anima miſera, beſtijs & latronibus: quia deſertam te cōſtituiſti à virtutibus, & à cuſtodibus tuis, ab amicis: & ab angelis, à ſacramentis, & à gratia mea, & à me Deo vero tua culpa & dolo. Domine ſi tanto ſupplicio punis me, vt maceriam virtutum ſinas ob ingratitudinem meam dirui: per viſcera tua oro, vt ne obliuiſcaris ſuperflua mea falce tentationis & perſequutionis laboris & flagelli putare in me: ne degenerem in vineam ſylueſtrem, & in profundum malorum perueniam. Caue ne bonorum operum obſtinatione praua deſtruas homo, maceriam, alias non putabitur vinea animæ tuæ à me: etiam ſi videam te vitem frondoſam & folijs verborum abundantem & operibus carentē, non putabo ſuperflua: de qua dixi per Oſeam: vitis frondoſa Iſrael, ideſt, fidelis verboſus, ſine aliquo virtutum fructu: vnde ſinam te ambulare ſecundum deſideria tua.

*Iſai. 5. B.*

*Iob. 30. C.*

*Oſeæ. 10. A.*

Hoc ipſum (dices forſan) vult vitis, non videre falcem palmites eius ſcindētem. Sic & ego, quid amplius volo quam nullum audire me de vitijs meis arguentem, neque in vllo mihi obſtaculum peccandi ponentem? Frater, etſi voluiſſes vineam deſtruere ſine ſciſsione aut euulſione, eſt aliud remedium facilius & melius, quam illam non putare: vnde in parilemam & vitem ſylueſtrem cito eſſet conuerſa & deſtructa? Sic videns te ego plātator tuus ſine fructu & labruſcis vitiorum tuorū me pungentē & cruentātem: nolo te mortis falce ſcindere, aut à terra euellere hac hora (etiam ſi cito erit) tamen volo te maximo punire ſupplicio, in hoc quod dereliqui te facere omnia mala quæ deſiderat cor tuum ad libitum, ſine correctionis falcę, neq; putatione ſuper-

*Simile.*

fluorũ, vnde cito degenerabis & ſciſſus eris igni. Domine, ſi mã ceriam bonorum operum ſinere vis in me deſtrui, & putare ſuperflua nolis, ſaltim fodiar à te ligone pœnitentiæ, & terram miſeriæ meæ & vilitatis mihi diſcooperiendo, admonendo me cito moriturum, vt ſic reſipiſcam tuo auxilio: alias non ſolum in vitem ſylueſtrem infructuoſam & frondoſam, anima mea conuerſa erit cito: verum etiam, vrticas quibus corda proximorum percutiam, & vepres quibus te Deus meus vulnerem, & ſpinas quibus animam meam cruentam cõſtituam producam innumeras. Non fodietur, neq; illi memoriam mortis adducam: quia magnam mihi iniuriam irrogauit obſtinatione ſua: vnde multa mala aſcendent ſuper eam, odiorum vepres: & voluptatum ſpinæ.

Domine, cum his omnibus vinea poteſt aliqualem fructum dare, etſi acerbũ, & ſylueſtrem, nempe ſine maceria, non putata, neq; foſſa, ſi pluuia cadit ſuper illam: ſic & anima mea tantis punita ſupplicijs, poterit aliquid boni cogitare, & ad ſe tuo auxilio reuerti, ſi iubes vt pluuia ſalutaris diuini verbi Dei cadat ſuper eam mollificans illam, & de ſtatu ſuo admonens. Audite terribilius ſupplicium omnibus prædictis: nubibus mandabo ne pluant ſuper illã imbrem. Nubes ſunt concionatores iuxta illud Iſaiæ, qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi colũbæ ad feneſtras ſuas dñe? Sunt concionatores mei qui vt nubes generantur ex vapore terræ à calore ſolis attracto: ſic verbum Dei in prædicatore generatur in illo qui terreus eſt: tamen præcipue à calore gratiæ, & à ſole iuſtitiæ Chriſto, vnde in pluuiam ſalutarem conuertitur. Quomodo volant in aerem vt nubes? Quia quã denſæ pluũt nubes per aera quando coguntur vento: ſic cõcionatores debẽt pluuiam verbi Dei ſuper hominũ corda immittere: cogente ad hoc ſpiritus diuini afflatu & vento, cum ventus ſit vita hominũ. Vt quid & quaſi colũbæ ad feneſtras ſuas debent volitare concionatores? Quia colũba ſimplex eſt, & pro cantu gemitum habet: & denſæ volitant per aera ad nidos ſuos imminente vel exorta tempeſtate: ſic concionator ſimplex & manſuetus, felle odij carens debet eſſe, & prudens, vt ſerpẽs: canticum lætitiæ gemitus oportet vt ſit & meditetur vt colũba pro ſe & alijs. Et cũ videãt magnam tẽpeſtatem, non ſolum imminẽtem, cõtra Eccleſiam & fideles, ſed exortam: quare iſtæ colũbæ, ideſt prædicatores omnes, clamore magno & gemitu peccatores non admonẽt:

*Iſaiæ. 5. C.*

*Iſai. 60. B.*

*Simile.*

*Matt. 12. C.*

*Iſai. 38. G.*

vt curent

vt curent diligentia non pigra, volitare bonis operibus omnes fideles, ad nidos tabernaculorum Dei, antequam pluuia tormentorum occupet illos? Tamen ob malitiam multorum, nubibus, ideſt, concionatoribus mandaui, ne pluant ſuper illorũ animas, verbi Dei imbrem ſalutiferum.

O ſupplicium terribile Dei, ab hominibus non intellectum, etiam ſi ſceleribus ſuis dignum: iubere Deum, ne cadat ſuper corda illorum lapide duriora, diuina pluuia verbi Dei, omnia molli ficans omnia ad fructum diſponens & ad pœnitẽtiam maxime conducens. Vnde experientia cõſtat, vbi talis non cadit pluuia, populos eſſe deperditis moribus, & homines ſceleratiſsimos, blaſphemos & proteruos voluptatũq; magis amatores quàm Dei: & mulieres maledicas & maledictas. Et econtra in ciuitatibus & populis vbi verbum Dei vt decet concionatur frequenter (etiam ſi multi maligni ſint verbũ Dei fugientes & non audientes) ſunt tamen multi deuoti, & orationi inſtantes & eleemoſynis: ſacramẽta diuina digne frequentantes, omne iuramẽtum & maledictionem abhorrentes, & multa mala euitãtes. Parum eſt Deum dicere contra te ciuitas aut populc, aut homo, faciam te concionibus carere? Si verbum Dei tollitur à te cum ſit ignis, frigidus manebis: cũ ſit cibus, famelicus eris: cum ſit lucerna in tenebris permanebis: cũ ſit medicina, infirmus ſine illo eris: cum ſit vita mortuus eris. Quid facies ſine verbo Dei homo, vineã animæ deſtructam habens? Verbum Dei docet ſacramentorum virtutem, & viam domini, & de peccatis dolere: docet culpæ malitiã, tormentorum grauitatem, bonorũ cœleſtium magnitudinem. Verbũ Dei docet, quomodo maceria virtutum reparanda ſit: quomodo ſuperflua ſunt putãda, aliena dominis proprijs reddẽdo: de peccatis quomodo ſit dolendũ: quomodo torcularij ſacramentorum ſit fruendum. Si tale remedium tollis domine, nubibus mandan do ne imbrem verbi Dei pluant, quid erit de vinea tua? Quid de ſanguine tuo? Quid de animabus?

Prædicatoribus ſinam vt non pluuiam ſalutarem verbi Dei animabus conducibilẽ populo pluant: ſed ob illius ſcelera grãdinem correctionis ſine prudentia, ſolum ob propriam vindictam præcipitatum: aut inutilia verba tepiditate plena: aut irriſorias conciones potius ad detractionem quam ad correctionem inuitantes: vt multoties videmus in Eccleſijs noſtris contingere

ob populi peccata. Vnde potius niuem frigidam aut gelu (quo corda audientium magis tepescant in amore Dei, & in charitate proximi frigescunt) pluere multi concionatores videntur: quam verbum Dei ignitum, quo inflammari debebant in Dei & proximi amorem. Vnde hoc? Quia tales sinit Deus concionari, in supplicium ingratitudinis hominis erga suum plantatorem, redemptorem, iudicem & defensorem. Terribile supplicium est Deum tollere à te verbum Dei: vt patet in hoc, quod nullo alio terrore minatus fuit dominus agricolis falsis, & Iudæis crudelibus hæredem cœlestem cruci affigentibus, & fructus vineæ domino reddere nolẽtibus, nisi hoc dicens: auferetur à vobis regnũ Dei: id est verbũ Dei, quo adimpleto itur ad regnũ Dei, & dabitur populo Gẽtili facienti fructũ: vt infra videbimus. Ecce dies de quo dixit dñs talia, nam in multis nationibus iam hoc suppliciũ experitur. Deus omnipotens serua Hispaniã nostrã à tam graui punitione: mãda nubibus ideſt prædicatoribus vt pluãt super illam verba salutaria vt fit. Nescio enim quãdo plures concionatores à multis retro annis, & maiori zelo fidei & Ecclesiæ Romanę habuit nostra castissima Hispania vt hodie habet: forsan quia Deus videt necessitatẽ quã habet seruãdi se ab alijs nationũ ignibus. Igitur homo, in te reuertere, & considera quanta tibi fecit Deus in plantatione animę tuæ: in beneficio quo te circundedit legem dando, & angelis suis de tua custodia mandando, de torcular sacramentorum, de concionum turri: vide quia locauit illam tibi, denotans nõ fuisse à te creatã sed ab ipso. Audisti quãta tecũ fecerit bona, insuper & vidisti ingratitudinem tuam circa illum? Minas illius terribiles coram te ex Isaia proposuimus: vt saltim formidine pœnæ facias quod virtutis amore, & Dei dilectione & præmij attractione noluisti facere. Modo tamen audi quam libere Deus reliquit te in manu cõsilij tui, vt fructus Deo dignos faceres, ne dicas: si non reddidi fructus, non potui ampliusfacere. Falsum est.

*Matt.* 21. D.

Tex. ¶ Et peregre profectus est.

PRofectus est diuinus vineæ plantator peregre, non loci mutatione, (vt ait Hiero.) nam Deus vbi abesse potest quo copulantur omnia? Qui dicit per Ieremiã, ego Deus è vicino sum, & nõ de longinquo? Et qui cœlum & terram implet, quomodo

*Ieremi.* 23. C.F.

peregre

peregre proficiſcitur? Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operãdi arbitrium derelinquat. Vnde peregre profectus eſt dñs, vt ſcias homo, te ita liberum manere ad bene vel male operandum in vinea Eccleſiæ aut iuſtitiæ aut animæ tuæ, & vineam colendam virtutum exercitio aut deturpandam vitijs: ad fructus gratitudinis Deo reddendos, aut labruſcas delictorum: ac ſi Deus non eſſet vbique cum ſit. Sed ſicut homo in longinquas recedens nationes, non videt quæ apud nos fiunt: ſic filius Dei dicit, patrem ſuum abeſſe, cum vbique conſiſtat: vt ſcias te libere operari: & malum quod facis tibi debere imputari, & ſic non poteris de alio conqueri. Peregre etiam proficiſci dicitur Deus, quia ſic multi viuunt in Eccleſiæ vinea ac ſi Deus non vidiſſet illos: & ſicut ſi nunquam in rationem cum illis ingredi deberet, ita perdite, & effrænate poſt praua deſideria ſua currũt. Sic voluptatibus vacant & ludis & iniuſtis contractibus, ac ſi Deus in longam abijſſet nationem, non rediturus. Ac ſi non dixiſſet per Ioannem in Apocalypſi: ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq; ſecundum opera ſua. Et infra: Ecce venio cito. Amen. Veni domine Ieſu. Et hoc non obſtante ita ſecuri multi viuunt peccantes ac ſi iuſtorum facta habeant: & ſicut alij dicebant verbis (teſte Iob) nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat Deus, & circa cardines cœli perãbulat: ita multi peccatores noſtri temporis operibus ſuis nefandis ſimilia affirmant. Nam ita viuunt ac ſi Deus in nube obſcura, vnde nihil vidiſſet, viueret, & non in luce eſſentiæ ſuæ clariſsimæ cui omnia patẽt: ſic peierant & odio infecti ſunt & luxuriæ vacãt, ac ſi Deus ſuas cogitationes (quanto magis opera turpia) non conſideraſſet: ſic in vijs prauis ambulant, ac ſi Deus vltra portas cœli ambularet, & vbiq; non eſſet.

*Apoc. 22. D.*

*Iob. 22. B.*

Peregre profectus eſt, non mutatione loci (ait D. Anſelmus) ſed relinquens arbitrium liberum homini vineæ Dei agricolæ, ad bene aut male operandũ. Peregre igitur proficiſcitur dñs: qui peregre proficiſcitur, fit notus ignotis, & notos relinquit. Sic videtur dominus, noſtris temporibus feciſſe, notos ſibi multos fideles ob ſuam perfidiam & infidelitatem reliquit in multis nationibus, eos vt ignotos tractans: & perrexit ad Indos ignotos, vt ſibi per fidem notos conſtitueret. Fœlix Hiſpania ſi in fidei augmento ſemper conaris proficere Dei auxilio, & operari fructus bo-

norum operum & gratitudines Deo debitæ ob tanta beneficia tibi exhibita, relinque vitia, vt ex omni parte fœliciſsima ſis. Sed quo peregrinatur qui nunquam deeſt, niſi quod ignote à no
*Iſai. 20. D.* bis omnia facit, neq; eſt qui cõſilium eius ſcire poſsit? Quis cõſi
*Ad Ro. 11. D.* liarius eius fuit? Quis vias eius inueſtigauit, cum poſuerit tenebras latibulum ſuum? Et cum ſtatim non puniat delicta tua, tuo
*Pſal. 17. B.* videri iam peregre profectus eſt Deus. Et cum non cito petit à te fructus gratitudinis debitæ ſuis donis tibi collatis: iam à mente
*Sapiẽ. 6. A.* tua fugit non reuerſurus ad rationẽ: falleris certe, cito & horren de tibi apparebit, vt illi ſoluas beneficia quæ tibi contulit, & pro tuis vitijs magnis punitus ſis ſupplicijs potenter.

Tex. ¶ Cum autẽ tempus fructuũ appropinquaſſet.

QVando tempus appropinquat homini, fructus bonorum operum Deo reddendi ob beneficia exhibita, niſi cum primum ad rationis vſum peruenit? Non videtur tibi homo, triginta annorum cum ſis & eo amplius, appropinquaſſe iam tempus fructus bonorum operum Deo reddendi? Non cogitas de beneficijs innumeris ab ipſo tibi collatis, & de ingratitudine tua hucuſq; cõtra talem patrem à te exercita? Heu tamen quomodo appropinquat tempus mortis tuæ: & video te multis Dei beneficijs circundatum, & loco gratitudinis es multis vitijs & dolis contra Deum armatus. Si in vita modo non ſoluis accepta, ſed inſuper debita ob ſcelera tua multiplicas, in morte quo ſolues miſer deſidioſe? In carcere tenebroſo compeditis & catenis ligatus, nẽpe Dei beneficijs & tuis peccatis, poſitus eris: vſque dum ſoluas domino vineæ & animæ tuæ creatori & redemptori vltimam aquæ guttam quam bibiſti: & ſtatum tuum quem habet in manu ſua (vt dixit Daniel) vide quo ſolues omnẽ Dei ſanguinem
*Dani. 5. G.* quem pro te effudit, & in reſurrectione ſua recollegit, & totum in altaris ſacramento bibiſti: ſi guttam aquæ non eris ſoluendo perpetuo, in inferno exiſtens: quia ſine Dei amicitia nil meritorij fieri contingit. Quo ſolues corpus Chriſti flagellatum & crucifixum & à te ſuſceptum in euchariſtia, ſi micam panis Deo ſoluere poſt mortem non valebis? Vide quãtum tranſiuit tempus, quo fructus Deo dare debebas: vide quia appropinquat hora vltima vitæ tuæ, & quo illi tanta ſolues?

Iuſtitia Dei infinita cũ ſit & grauiſsima, & ineuitabiliter omnes

nes angit & cruciat: & inceſſanter appropinquat ad ianuam cordis tui dicens, redde domino meo fructus homo, quos ob beneficia accepta dare teneris: redde cenſum debitum Deo de his omnibus quæ ab ipſo accepiſti. Caue à me Dei iuſtitia in vltima ratione: magis horrendum eſt in manus meas incidere, quam in dæmonum omnium crudelitatem & inferni ignem. Scito nihil ab ipſo creatore te accepiſſe de quo non cogaris à me ſub vſura & gratitudine (vt ipſemet Chriſtus dixit ſeruo pigro & non laboranti, & talentum in terra fodienti) reddere ipſi Deo rationem. Vide quid agas homo piger, & quanta à Deo accepiſti, & quid fructuum bonorum operum illi reddidiſti: quia in hora quam neſcis, de his omnibus duriter exigetur à te ratio. *Luc. 19. D.*

¶ Miſit ſeruos ſuos ad agricolas vt acciperent fructus eius. Text.

OPtimos ſeruos prophetas ſanctos poſt patriarchas venerandos, miſit Deus omnipotens ad agricolas Synagogæ: vt acciperent fructus bonorum operum ab illis loco gratitudinis: tamen nihil inueneruntin multis illorum Deo dignum, ſed ingratitudinem ſtatim dicēdam. Miſit etiam Deus apoſtolos ſanctos ad agricolas Eccleſiæ ſanctæ, miſit Euangeliſtas & doctores: concionatores martyres & confeſſores, magna veneratione digniſſimos. Hos omnes miſit Deus in mundum vt ipſi priusrecte operando, fructus debitos gratitudinis Deo redderēt, deinde vt alios homines verbo Dei & exemplo proprio ad bene operādum inuitarent: vnde poſſent accipere fructus virtutum donis Dei debitos. Fructus dicit operum: nō folia cogitationum tantum: non verborum flores: cum ſolijs maledicta fuit ficulnea à Chriſto dño: & omnis anima etiam fidelis, quæ ſine operū fructibus in ratione vltima reperta fuerit. Quid tibi prodeſſet arborem tuam floribus refertam cernere, ſine hoc, quod aliquem fructum ex illa caperes? Et cogitas tibi Deum fore gratulandum ſolis verborum floribus ornato, & fructum boni operis nunquam danti? Audiſtis concionatores verbi Dei, præcipuum munus vobis à Deo commiſſum eſſe à fidelibus fructus bonorum operum exquirere: & illos totis viribus inuitare vt grati in ratione ſua vltima Deo inueniātur? Quid igitur conquerimini homines ingrati, de concionatoribus loquentibus ad cor, & arguendo vos & *Matt. 21. B.* *simile.*

increpãdo calore debito, & moderatione neceſſaria bona opera à vobis petẽtibus: cum ſint à Deo miſsi ad hoc: & væ illis erit ſi ali quid ex parte ſua omiſſum fuerit, quo impediant fructus in vobis: & væ vobis ſi non dederitis dignos fructus pœnitentiæ.

Non ſolum mittit Deus ſeruos ſuos cõcionatores nempe, qui inuitent animam tuam ad recte operãdum, & fructus bonorum operum Deo reddendum: ſed etiam remorſus conſcientiæ inter nos dicentes cordi & animæ: redde fructus operum quos Deo teneris dare ob beneficia accepta. Væ tamẽ homini, qui iam ob ſceleratum ſua, non audit conſcientiam ex parte Dei loquẽtem, ſed prauã conſuetudine ſua illi claudit os. Quando homo iam nil ſentit ex parte conſcientiæ clamantis, mittit Deus & alios ſeruos, nempe infamiam aliquam, aut permittit aliquem te perſequi: vt ſic reſipiſcas & fructus reddas libenter talia patiendo Dei amore, quæ in culpa tua inhonoraſti, & inimicis parcendo. Fœlices qui ſic tales nuntios Dei recipiunt, infelices qui odio proſequuntur illos, addendo peccatis delicta. Alios ſeruos mittit Deus, paupertatem nempe & infirmitatem: vt ſic ſaltim ſemicoacti homines reſipiſcant & Deo fructus operum reddant patientiæ & gratitudinis. Beati qui in patientia ſua poſsidebunt animam ſuam: libenter Dei amore contriti & confeſsi paupertatem & infirmitatem patientur: væ occidentibus tales ſeruos, ſeipſos ira & impatientia interficientibus.

Domine mi, magno periculo expoſuiſti nos ſeruos tuos concionatores & animarum paſtores: cum mittas nos ad fructus bonorum operum ab hominibus malignis vitijs traditis & prauis deſiderijs ſuis deditis (& in hoc tempore magis infelici quam ab orbe redempto aliud vnquam fuit) petendum. Petite ab illis fructum gratitudinis. O domine, ſunt ingrati ſceleſti criminatores, blaſphemi, adulteri, ab amore proprio (teſte Paulo) talia orta: luſores, maledici, detractores: quos fructus tibi accipiemus ab huiuſmodi putridis & corruptis arboribus? Miſiſti Moſem ad fructus operũ petendum ab agricolis illis Iudæis, qui ex beneficijs crudeliores erant, & contra manſuetiſsimum hominem Moſem & contra te inſurgebant: ſi illi rebelles erant, multi hodie ſimiles ſunt, vt quid mittis nos ad tam crudeles peccatores? Miſiſti prophetas in tempore fructuũ petẽdorum (vt ait Origenes) vt oſtenderent illis qui legem acceperunt an ſecundum eam viuerent: ſed quoſ-

2. *Ad Timot.* 3. A.

*Tract.* 19. *in Matth.*

ſed quoſdam cædentes & alios lapidãtes: in hoc ipſo facto oſtendentes, duritia cordis ſui legem fuiſſe lapidãtes & ipſum Deum poſtea in carne videntes lapidaturos fore. Quando nouiſsime & ipſum hæredem (qui poterat reuerentiam eis incutere, & agnoſcentes filium & hæredem eſſe ſi malitia corda illorum non obcæcaſſet) auſi ſunt interficere: & mittis nos concionatores tuos ad homines obſtinatos: qui nec te Deum timent nec angelos quanto magis nos homunculos) verentur? Vnde duritia cordis ſui & legem tuam frangunt, & contra nos inſurgunt: aut mitte angelos ad ipſos aut corda illorum fac molliora vt fructus gratiæ hic reddant, & poſtea gloriæ accipiant, Amen.

# Homilia Quarta.

¶ Agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus: & fecerunt illis ſimiliter. Tex. *Matth. 21. D*

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

QVIS dubitat, quin Rebecca ſancta, dolorem in dimiſsione Iacob ſenſerit, etiam ſi ad fratrẽ ſuũ & ad cognatos miſerit illũ? Bene receptus fuit à Laban, Amplexatus fuit ab illo & in oſcula ruẽs, duxit in domũ ſuã: nec dolere debes de illo Rebecca ſancta. Doleat virgo ſanctiſsima, qui cum pater æternus filium ſuum miſit ad populum Iudaicum, non oſculatus eſt eum, niſi Iudas ad tradendum: non amplexatus fuit, niſi flagellis circundando: & eiectum de domo Synagogæ ad Caluarium ignominia plenum, eiecerunt ſuper illum Crucis opprobria. Mater Tobiæ ipſum filium, Patris conſilio, miſit ad pecuniam recuperandam ſibi debitam: tamen etiam ſi angelo comitatus abierat & ad conſanguineos bene illum recepturos: cæpit flere & dicere: non eſſet pecunia, pro qua miſiſti filium meum. Pater æternus miſit filium ſuum ad petendos fructus & debitum accipiendum ab agricolis: heu quantus *Gene. 29. B.* *Matt. 26. E.* *Tobi. 5. C.*

dolor fuit matri Virgini, quando inter illos, volentes illum lapidare, vidit filium dilectum. Quem (sine vllo timore faciem cædentes, & flagellãtes scapulas) crucifigere volucrũt. De nobis modo conquerere virgo, qui sumus ingrati agricolæ filio tuo: seruos fideles ipsius, odio cędimus, verbis detractorijs lapidamus: & vtinam aliquem timorem erga filium tuum haberemus. Male hucusque fructum bonorum operum reddimus filio tuo: impetra nobis virgo sancta, à patre æterno, vt gratiam nobis immittat suam qua grati simus illi, & amplius culpis non percutiamus seruos suos. Vt facias dicamus omnes humiliter salutationem angelicam. Aue.

Iam malos Synagogæ colonos non conuersos, male perdidit Deus, & ipsam Synagogam funditus destruxit: vt quid in Ecclesia sancta reperiũtur fideles tam ingrati Deo, tam perfidi concionatoribus, & seruis Dei missis ab ipso Deo in vtilitatem illorũ? Etiã in Ecclesia Dei hucusq; nõ defuit, nec deerit, qui & seruos Dei ab ipso missos, nempe cõcionatores & cõfessarios, lapide feriat verbis & factis, nolens fructum virtutum Deo reddere: vnde suo modo iterum filium Dei crucifigunt, sicut Synagoga. Differentia talis est: quia in sacra scriptura populus Iudaicus vi-
*Isai. 5. B.* nea appellatur vt in Isaia: vinea autem domini exercituum, do-
*Ieremi. 2. E.* mus Israel est: & in Ieremia, ego te plantaui vineã electam. Vnde comminatio patrisfamilias contra vineam fit, quoniam Synagoga erat peritura: in Euangelio autẽ nostro, omnino vinea non culpatur, sed eius coloni. Quia nos Ecclesiæ ministri & fideles ingrati & rebelles Deo sumus: Ecclesia autem sine macula & ruga sancta & semper à Deo dilecta manet. Præcipue autem si vinea & regnum Dei dicitur verbum Dei, iuxta illud, auferetur à vobis regnum: tale Dei verbum semper immaculatum manet, etiam si homines transgrediantur illud.

In omni ætate tua misit Deus seruos suos internos aut externos vt petant à te fructus bonorũ operum, & inuitent ad exercitium virtutis: sed cum anima vniuscuiusq; nostrum à Deo plantata sit & vineæ similis, sequitur in multis vineæ proprietates. vinea aliquando nullum fructum ostendit, aliquando demonstrat: aliquando florent fructus demonstrati: aliquando acerbescunt: aliquando variant, aliquando est tempus vindemiãdi fructus perfectos, & ad præbẽdum vinum suaue paratos. Ita & ani-

ma

ma(ait Origenes)habet infantiam nihil fructus tunc oſtendens, niſi vitalem virtutem & potentiam ad fructus producendum: cum incipit loqui debet inſtrui in bono: quãtum proficit vinea nuper plantata quando in ea operatur: ſic anima pueri, ſi colitur doctrina, & putatione & flagello: ſic debet peti fructus ab illo. Tamen ſi malitia eſt in iuuentute, acerbas vuas generant, & opera patrantur quibus dentes multorum faciunt obſtupeſcere: & omnibus moleſti ſunt, tam parentibus quam extraneis. Si tamẽ motus fuerit iuuenis ad aliquid recte operandum, verbo concionatoris & ſerui Dei miſsi, vt fructus ab ipſo requirat: ex parte vt vua incipit variare: non tamen quieſcas, quouſq; vuam maturã habeat, id eſt, vitam ex omni parte dignam beatitudinis vino. *simile.*

O fœlix anima quæ maturos & perfectos virtutum producit fructus, vnde vinum extrahitur in quo Deus valde delectatur: & vino ſuæ beatitudinis ſoluit ipſe: quando inebriati erunt boni ab vbertate voluptatis Dei. Iam homines, appropinquauit tẽpus fructus bonorũ operum & gratitudinis Deo reddendi: Iam miſit me & alios concionatores ſeruos ſuos Deus, ad exquirendum talem fructum à vobis: quid cogitatis facere? Quid dicemus de vobis Deo qui miſit nos? Dicite, quod multi ex nobis nondum floruerunt, cogitationibus bonis: alij ſi floruerunt fructus virtutis reddere noluerunt, ſatisfaciendo, pœnitendo confitendo. Alij acerbas & indigeſtas vuas odiorum & litium contra alios facientes illos obſtupeſcere, producũt: alij voluptatum ſpinas. O ingrati, poſtquam Deus miſit filium ſuum qui tanquam botrus in Crucis torculari preſſus fuit, vndique ſanguinem fundens ad ſoluẽdum pro vobis, ſi fide & charitate illi iungeretis vos, talia operamini?

¶ Agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ce- Texr.
ciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt.

VIdete ſolutionem hominum, attẽdite agricolarum gratitudinem erga plantatorem ſanctum: loco fructuum quos dare ſeruis debebant, nec fructus reddent, & ſeruos (ac ſi magnam illis iniuriam irrogaſſent in fructuum petitione) adeo crudeliter

& ſeuere

& ſeuere tractant, ac ſi non eſſet dominus audiens gemitus illorum, qui propter iuſtitiam patiuntur, nec eſſet vltima ratio, neq; mors nec inferni carcer. O ſcelus inauditum: alium ceciderunt
2. Paralipo. 24. F. Iudæi agricolæ maligni (ait D. Hiero.) vt Ieremiam: occiderunt vt Iſaiam, lapidauerunt vt Naboth & Zachariam quem interfeceruntinter templum & altare. D. Tho. ſuper illud ad Hebræos
Lecti. 8. ſuper ad Hebræ. 11. lapidati ſunt ait: lapidati ſunt, quod quidem genus mortis tunc erat cõmune apud oẽs Iudæos. O Ieruſalem (ait dñs) quæ occidis prophetas & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt, ad fructus bonorũ
Matt. 23. D. operũ petendos: lapidaſti Ieremiã, de quo legitur, quod Iudæi lapidauerũt eum in AEgypto, lapidibus quos abſcõderat ſub muro lateritio domus ipſius Pharaonis. Et licet Epiphaniusdicat qđ fuit tractus, tamẽ cõiter tenetur quod fuit lapidatus. Iſaiã Manaſſes fecit ſecari ſerra ligneà: ô mali agricolæ quid erit de vobis?

Homi. 69. Inaudita nequitia vtimini peſsimi agricolæ (ait D. Chryſoſt. in imperfecto) quãuis tanta Dei cura ſitis honorati: obliti eſtis tanti domini vineam vobis plantantis? Obliti eſtis ſepis & turris & torcularis? Non vultis fructus Deo debitos reddere? Non. Ne ſeruos eius percutiatis ad vtilitatem veſtram miſſos à Deo. Non poteſtis ſoluere? Nolumus. Fugite ad preces & ad pœnitẽtiam. Non vultis & hoc? Percutite & ne occidatis illos Dei amicos: manebitis certe in debito maiori ex illorũ occiſione, q̃ forſan ex vineæ plãtatione. Nolumus ſed cęcidere, occidere: & lapidare. Vtinã & iſta Iudæorũ ingratitudo, inter fideles cõtra Deũ modo nõ eſſet in vſu. Mittit Deus cõcionatores ſuos ſeruos fideles, qui labore indefeſſo, ieiunijs & orationibus: clamoribꝰ & per infamiã & bonã famã in vigilijs multis ſolicitudine nõ pigra: ex parte Dei petãt à vobis fideles fructus bonorũ operũ & gratitudinis erga Deũ, ob innumera beneficia vobis ab ipſo collata. Vos autẽ vultis reddere Deo fructus debitos gratitudinis? Nolumus, ſed vineã animæ noſtræ deſtruere: & fructus iuſtitiæ nõ dare vobis cõcionatores, vt Deo reportetis. Videte eſſe graue malũ: Cauetevos, ne verbo percutiamus honorẽ veſtrũ ſerui Dei. Vtinam odijs & detractionibus, & vilipenſionibus, Dei miniſtros, & ſanctos cõcionatores & prælatos & religioſos, nõ occideretis & lapidibus obrueretis. O dolus inauditum, ô ingratitudo punienda.

Ieruſalem Ieruſalem anima fidelis, creata & redempta, quæ occidis prophetas & lapidas odio & detractione concionatores ſanctos.

ſanctos & Dei ſeruos ad te miſſos à Deo ad vtilitatem tuam, & vt grata ſis patrifamilias cœleſti ob beneficia accepta: nõ vis fructus dare operum bonorum? Non vis gratus eſſe homo Deo & maceriæ ſuæ? Es oblitus turris vbi Dei verbum cõcionatur tibi? Non recordaris ſacramentorum torcularis? Ne vſus ſis nequitia & dolo inaudito, ſeruos eius ſibi charos & magnæ dignitatis, cõcionatores ſcilicet, verbis lapidando, & odio occidendo. Non poteſtis ſoluere? Fugite ad preces circa ſanctos, & ad pœnitentiam, in qua ſanguine Dei ſoluetis. Non vultis ſoluere nec pœnitere? Ne tangatis veſtem concionatoris: forſan maiori debito ex hoc eritis conſtricti, quam ex plãtatione animæ per creationem. Audite dominum dicentem: Qui vos tangit mei miniſtri & ſerui miſsi, ad fructus meos colligendos ab hominibus: qui vos tangit, non veſtem meam aut digitum, ſed pupillam oculi mei percutit, & tangit. Videte ingrati, & fructus non reddentes, inſuper & Dei miniſtros audacia infernali percutientes: qua punitione digni ſitis, cum Dei pupillam tãgatis, feriatis & percutiatis: eius miniſtros detrahentes. *Zach. 2. C.*

Audite dominum in Euangelio ſuis concionatoribus dicentem: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit me ſpernit. Et perconſequens: Qui vos cædit me cædit, & qui verbo occidit & me etiam: & qui odio lapidat vos à me miſſos ad homines admonendos, me lapidare non veretur. Non reddat fructus operum mihi Deo qui noluerit fidelis, poſtea in iudicio ſoluet omnia ſimul: tamen non percutiat vos nuncios meos: delegatos meos. Pro me Chriſto legatione fungimini vos concionatores (vt ait Paulus) tanquam me Deo exhortãte homines ad gratitudinem per vos. Quis audet regis temporalis legatum percutere, præcipue ex regis ſubditis? Quis non timet legatum à latere Pontificis maximi Romani, lapidibus obruere? Vos fideles inuerecundi, qui non eſtis veriti, legatos meos concionatores, cum ſint regis cœleſtis & pontificis æterni nuncij, detractione percutere, & odio occidere: qua pœna digni eſtis? Vos iudicate. *Luc. 10. C.* *2. Cor. 2. D.* *Simile.*

Generatio praua atque peruerſa, hæccine reddis domino tuo, de fructibus bonorum operum quos illi dare debebas ob beneficia innumera tibi ab ipſo exhibita? Si fructum dare non vis, ne meos occidas miniſtros. O populeſtulte & inſipiens, non ſeruos *Deu. 32. A.*

uos ſed me Dominum occiditis veſtris verbis: quando conciona tores odio & detractione lapidatis, venientes ad quærendum in vobis bonorum operum fructus. Deinceps à Chriſti morte
*Lib.6.ca.23.* (ait Simon de Caſsia autor grauiſsimus) nemo non recipiens verbum in prædicantibus, alium interficit aut verberat niſi Chri ſtum: quoniam illi qui Chriſti verba non receperunt ab Euange lizantibus, ſed propter illa exprobrauerunt, aut occiderunt illos verbo odio aut facto: Chriſtum reprobauerunt: quia ſi conciona tores illum tacuiſſent aut negaſſent, nullo modo fuiſſent illa ma la perpeſsi. Tamen non negetis Chriſtum verbi Dei declamato res, ſi non vultis coram patre ſuo vos negari abipſo: ſed confite-
*Matt.10. D.* mini illũ vt confiteatur vos, & petite fructus gratitudinis ab ho minibus, cum Dei locum habeatis: & ſi quid ob hoc paſsi fueri-
*1.Pe.4.D.* tis, aut exprobramini, ait Diuus Petr. in nomine Chriſti, beati eritis. Væ non audientibus: væ contemnentibus væ vos nõ reci pientibus: væ fructus operum non reddentibus: væ perpetranti bus mala, & concionatores cædentibus, occidentibus, lapidantĩ bus. Quia re vera ingratitudo nefanda eſt & canum, domino fru ctum non reddere, & inſuper ſeruos domini ob bonum opus ab ipſis lacerari: nõ tamen impunes abibitis: audite ſcripturæ exem plum & timete.

*2.Reg.10.* Manſuetus Dauid, miſit nuncios, conſolans Hanon filiũ Naas
*A.D.* ſuper patris interitu: qui Hanon adeo ingratus extitit, vt ſua ma litia & principum filiorum Ammon inuitatione: loco gratitudi nis, raſit dimidiam partem barbæ ſeruorum Dauid, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit illos confuſos tur piter valde. Dauid autem videns irriſionem ſuo bono operi cor reſpondẽtem: recepit illos dicens, manete in Ierico donec creſcat barba veſtra. Miſitq; Dauid Ioab ducem ſuum, & exercitus con tra Hanon & ſeruos ſuos qui fugerunt à facie eius: & occidit Dauid de Syris ſeptingentos currus, & quadraginta millia equi tum, & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Iſrael. Au dite hæc fideles, qui abſque vllo Dei timore, audetis miniſtros Dei miſſos ab ipſo vt à vobis fructum bonorum operum exqui rant, percutere verbo, occidere odio. Attendite parabolam, de vo bis narratur & non fabula, ſed veritas magna: quis Dauid, manu fortis interpretatus, nuncios & ſeruos mittens, niſi Deus omnipo tens iuſtus & fortiſsimus: qui concionatores ſuos mittit inceſſan

ter ad

ter ad vos agricolæ vineæ ſuæ, ad conſolandum vos de morte patris veſtri, nempe, ſpiritus culpis veſtris interempti? Vnde calore & Dei amore ſitientes ſalutem veſtram dicunt: conſolamini conſolamini populi Dei (dicit Deus veſter per nos) pœnitentiam agite & Deus parcet vobis: ſoluite fructus gratitudinis ab hinc, & Deus præteritis parcet fructibus: confitemini domino quoniam bonus eſt, & ſpiritum veſtrum peccato mortuum gratia ſua viuificabit. Quis non gaudet de tali ſolatio? *Iſai.40.A.*

Multi ex vobis qui adeo peruerſi & ingrati fuiſtis Deo, conſolatores ad vos mittenti & concionatores ad fructum petendum: vt lingua veſtra tanquam gladio acuto non timuiſtis veſtes illorum vſq; ad nates ſcindere, honorem ſuum tollendo & infamia aſpergendo: & dimidiam barbam illorū raſiſtis. Quia cum barba fortitudinem notet, quæ duplex in concionatore debet eſſe, nempe operis & ſermonis, vos autem vt maligni, dimidiam barbam raditis, quoties de altero iſtorum illum infamare non veremini: dicendo peccator eſt, aut ignarus. Vtinam non eſſent multi peiores Hanon, totam barbam concionatoris radentes de vtroque ſimul infamare illum non verentes. Tales timeant manum aridam Ieroboam donec fuſius videant, in nuptijs filij regis. Deus tamen tacebit ſemper, & non ſumet vindictam de iniuria ſeruorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte? Venerunt in nomine domini ad vtilitatem veſtram & ſolatium, & feciſtis contra illos quodcunque voluiſtis, & non erit qui requirat? Quaſi parturiens loquar contra vos agricolæ ingrati (ait dominus) etiam ſi ad tempus tacui vt patiens: diſsipabo vos iudicio, abſorbebo inferno ſimul. Et mittam exercitus meos tam cœleſtem quam infernalem contra tales inſenſatos: & omnem creaturam ad veſtri vltionem (teſte Salomone) armabo contra vos, vt tanquam homicidas & ſeruorum meorum contemptores & mei irriſores perdant atque deſtruant. Exurgat Deus & diſsipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, & miniſtros ſuos percuſſerunt, & barbam illorum raſerunt, & fructus bonorum operum dare contempſerunt: à facie eius, vt exercitus Hanon à facie Ioab. Quando dicat illis, diſcedite à me maledicti. qui ſic cum legatis meis habuiſtis vos. Manete tamen concionatores mei irriſi & vilipenſioni dediti, interim in Ierico, qui defectus interpretatur: ideſt in cōſideratione defectus veſtri, cuius *3.Reg.13.A Matth.22.A. Iſai.42.C. Sapien.5.D. Pſalmo.67. Matt.25.D.*

cuius causa, forsan multi, non mihi fructus gratitudinis dederũt. Humiliamini, & defectus vestros agnoscite, & in tali consideratione manete: quousque crescat barba vestra & perfecti sitis in verbo & exemplo: in sermone & opere: digni vt ab alijs, Deo gratitudinem petatis.

Tex. ¶ Iterum misit alios seruos plures prioribus: & fecerunt illis similiter.

VIdete Dei patientiam simul & bonitatem: nam cum adeo ingrati agricolæ fuissent, non statim vocauit eos ad supplicium: sed cum venissent aliqui serui percussi ad illum, & dixissent: Domine, optimis agricolis vineam tuam tantis plantatam sumptibus locasti. Quomodo? Etiam si ipse melius sciebat. Non solum fructus bonorum operum tibi reddere nolunt: sed ecce nos percussos & vulneratos redeuntes. Et bene nobiscum actum est ab illis, etiam vacuis & percussis redeuntibus: nã alios seruos tuos partim gladijs & ligonum fustibus, partim lapidibus (quod non sine dolore dici potest) interfecerunt & lapidauerunt: vide quos & quales habeas colonos. Forsan in curia vestra ipsi rebelles sunt & mihi ingrati. Quis scit, illos mihi non soluere fructus, quia vos aut dure petitis & aspere: aut quia propriã in concionibus vindictam quæritis & non meum honorem (ait paterfamilias) aut quia inutilia & per aera volitãtia verba proponitis non tangentia cor: aut metaphysica recõdita vulgo, aut sine debito calore & proficiendi desiderio. Aut (quod magis dolẽdum est) dimidiam barbam rasam habetis: quia ignari & sine theologia scholastica necessaria concionari audetis, vnde multa, si non falsa, impertinentia dicere debetis. Vel, quod peius est, alteram dimidiam boni exempli & vitæ immaculatæ rasam habetis: quod maxime nocet, ad fructus bonorum operum à fidelibus meis recipiendos. Quid erit de concionatore totam barbam rasam habente, scientiam ignorante, & virtute sancta carente? Manete in Iericо concionatores & in consideratione defectus vestri: donec barba crescat & orationi & lectioni & virtuti dediti, optimi concionatores mei euadatis. Vtinam ego (omnium concionatorum minimus) maneam in consideratione vilitatis meæ & defectus: orationi instans & lectioni, & rectæ operationi: donec

necipſe prius fructus gratitudinis debitos Deo meo reddam, & deinde ab alijs digne & prudenter, & calore & charitate bebita opera bona petam.

Ite alij concionatores ad agricolas, & arguite illos & etiam obſecrate. Dicite me eſſe dominum vineæ. Et ſatis diuitem, qui fructibus illius non indigeo, nec bonorum operum egeo: ſed volo *Pſalm. 15.* ad vtilitatem ſuam vt fructus reddant: & vt me eius dominum recognoſcant. Vos leniter loquimini ad illos & obſecrando, ſi arguendo non prodeſt, & increpando: ne ſiitis valde duri in reprehenſione nec remiſsi in operatione. Ite magna ſolicitudine & *Philipp. 1. B.* feruore cupientes illos omnes habere in viſceribus Ieſu Chriſti (vt Paulus dicebat) dicite illis, filioli mei: quos iterũ parturimus *Gala. 4. C.* doloribus & concionibus ieiunijs & laboribus: donec formetur Chriſtus in vobis per gratiam. Volo expectare illos & hoc anno, ſi forſan fructus bonorum operum reddant. Vos proterui agricolæ & ingrati fideles eſtis arbor illa fici, quam in vinea Eccleſię meæ, ego pater æternus habeo plantatam (vt ait Lucas) veni per *Luc. 13. B.* concionatores, & internas inſpirationes, quærens fructum gratitudinis & rectæ operationis in vobis: & non inueni, niſi labruſcas vitiorum, & percuſsiones verbo & odio contra miniſtros meos. Dixi ad cultorem vineæ, nempe filium meum omnium iudicem. Ecce anni tres ſunt, & tres cuiuſlibet fidelis ſterilis ætates, ex quo venio per me inſpiratione, perſequutione, infirmitate, beneficio, benignitate: & per concionatores correctione, admonitione, terrore, obſecratione, quærens fructum in ficulnea hac & in anima illius, & nõ inuenio, niſi ingratitudinem. Quid vis pater mi? Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? Tolle fili, per mortem animam huius peccatoris ingrati, à vinea Eccleſiæ & mitte illam in ignem vt ardeat: vt quid terram adeo ſanctam occupat arbor ſterilis? Plãta aliam fructiferam loco ſui. Pater mi (ait Chriſtus) dimitte illam, & hoc anno: quia amore illius in ligno crucis flagellatus & illuſus pependi, tu vero non: & doleo de illius perditione: quia ſanguine illam redemi.

Ego fodiam circa illam animam, terram ſepulturæ ſuæ illi oſtendendo, & mittam ſtercora vilitatem ſuam illi patefaciendo: mitte ad illam alios ſeruos & concionatores, ad petẽdum fructus: & ſiquidem fecerit fructum, lucratus eris animam illam, & ſanguis meus quo rigata eſt non amittetur, & illa beata erit. Sin

autem tantis beneficijs & longanimitati tuæ ingrata, fructus bonorum operum & pœnitentiæ reddere noluerit, & seruos nostros sicut hucusq; fecit percusserit: in futurũ succides eam mortis falce & securi ad radicem posita, & in ignem æternum mittes.

*Ad Rom. 2. A.* An diuitias & bonitatis Dei & etiam patientiæ suæ contemnis homo? Considera Dei beneficia, & vide frustra ab ipso tot seruos à te fructus bonorum operũ ad exquirendum missos fuisse: esto iam tandem Deo gratus. Iam venerunt alij Dei serui plures prioribus: vt hodie sunt multi concionatores in nostra Hispania ad petẽdos fructus. Eia estote grati Deo homines: date nobis fructus bonorum operum. Facite pœnitentiam de præterita malitia: de ingratitudine erga dominum vineæ: de dolo vso in seruos

*Matth. 5. G.* eius. Vbi sunt fructus istius anni? Deus pluit super iustos & iniustos verbum suum: & oriri facit solem suum iustitię Christum domini super gratos & ingratos: quæ est ista rebellitas in vobis, vt quolibet anno magis ingrati sitis? Nam sicut illi agricolæ Iudæi fecerũt similiter cum seruis vltimo missis, sic & vos nobiscũ Dei ministris facitis: quia non solum nõ vultis nobis fructus dare: sed insuper conuitijs & detractionibus contra nos insurgitis.

Considerate quam atrox facinus in Dei iniuriam & eius ministrorum contumeliam perpetretis: non reddendo fructus &

*Homi. 36. in Matt. 10. D. Simile.* insuper nos cõtumelijs afficiendo. Quia si famulus tuus (ait Diuus Chrysost. in Matthæum) à te missus esset ad repetendum debitum tuũ ab alio famulo tuo: & inde non solum inanis, verum etiam omni conuicio atque contumelia pulsus redierit: imo lapide percussus, & sanguine perfusus: dic mihi quo supplicio famulum tuum impurum punires? Præcipue cum videres te ab ipso spretum atq; contemptum? Pariter & ipse time fidelis impure, qui non semel sed quotidie similia facis cum seruis Dei, fructus domini sui petentibus, & gratitudinem ob innumera dona ab ipso tibi collata requirentibus. Et petit hoc Deus in pauperibus suis aut concionatoribus: & solues conuitijs, & iniurijs illos occidis, & Deum contemnere non vereris?

Heu tamen quod dicitur in Euangelio, agricolæ tam Iudæi obstinati quam fideles peruersi multi, fecerunt illis Dei seruis & ministris similiter: nempe percusserunt occiderũt & lapidaue-

*In Luc. 20.* runt. Et quia diximus lapidauerunt vt Naboth (ait D. Ambro.)

*Lib. 9.* cuius si nullum accepimus propheticum verbum: accepimus au-

tem

tem prophetic ũ fact ũ. Quia multos pro hac eccleſiæ vinea futuros martyres proprio ſanguine prophetauit: & etiã multos mori potius quam hæreditat ẽ cæleſtem & gratiã dare, debere eligere, prædixit ſuo facto. Vnde percuſsi ſerui ad dñm reuerſi ſunt de occiſis nuntiãtes, de agricolarũ ingratitudine mirantes, atq; dño dicentes. O quam nefandos poſsides colonos diuine vineæ plantator: ſuperbia illorum malitia atq; ingratitudo aſcendit ſemper contra te, & contra veros tuos ſeruos. Nam, cum ex parte tua rogauimus illos vt tibi reconciliarẽtur: etiã ſi ipſi iniuriam magnã tibi irrogarunt, in non reddendis fructibus, & in ſeruorũ percuſſione: & diximus ex parte tua, quod ſanguine filij tui plenarie ſoluerent, ſi vti in ſacramẽtis digne voluiſſent illo, & fructus bonorum operum iam tandem reddere: non ſolũ nil iſtorum facere voluerunt, ſed inſuper ſeruos tuos occiderunt, & nos ſoli remanſimus vt nuntium dolẽdum adduceremus tibi: non ſine vulneribus & dolore. Parce Dñe fidelibus ſic cum concionatoribus tuis ſe habentibus vt obtineãt veniã & ad gloriã perueniant. Amen.

# Homilia Quinta.

¶ Nouiſsimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: verebuntur filium meum. Tex.

IN Luca ſic legimus, audiens paterfamilias agricolarum ingratitudinem, & videns ſeruos ſuos cæſos & miſſos inanes & vulneratos, dixit: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum? Forſitan cum hunc viderint, verebuntur. Quid faciam cum his ingratis colonis? Quid cum fidelibus, miniſtros meos verbo & odio percutientibus faciam? Si non occido illos viſus ero honorem meum contemnere: & illis anſam maioris ingratitudinis præbere: ſi occido tamen & ſic ingratos ad iudicium voco damnatione digni cum ſint, ineuitabiliter debeo ad horrenda tartara illos mittere. Heu conſolabor de hoſtibus meis damnatis à me: cum fuerint fideles mei etſi peccatores? Quid faciam? Non ex ambiguitate hoc dicit diuinus Pater (ait Euthymius) *Luc. 20. C.* *Iſai. 1. F.*

ſed ex humani generis amore: oſtendens quam ſint Deo curæ etiam ingrati, nondum eos punire volendo: ſed expectando & omnibus vijs, etiam ſeruorum ſuorum ſalutis diſpendio imo & ſanguinis filij ſui vnigeniti iactura: modum quærendo magis aptum quo hos ingratos redderet gratos: & hos exaſperatos mã-ſuetos videret. Et hoc etiam tanto ſanguinis prophetarum apoſtolorum & martyrũ ſtipendio: & tanto concionatorum & animarum paſtorum labore, iniuria atque ſudore: imo, quod in infinitum excedit, filij ſui morte. O Dei pietas & amor, quis audet iam de tua clementia diffidere, quantumuis ſceleratus, & ingratiſsimus tibi, & ſeruis tuis iniurioſus fuerit: ſi vere de præteritis cauere atque dolere curat, & ſanguine filij tui in ſacramentis vti, & amplius nolle peccare.

Poſt tantam malitiam iſtorum & hominum ingratitudinem dicis, quid faciam? Quid debes facere niſi terram iubere vt viuos illos deglutiat, vt Dathan & Abirõ aut ſulphur & ignem vt eos comburat vt Sodomitas: aut leones vt dilacerẽt, vt pueros Eliſeũ irridentes, & dæmones vt ſecum in tartara mittant? Quid faciam dicis modo? Quid faciam? Quia velim honori meo conſulere & nolim agricolas meos fideles meos, quantumuis peſsimos, occidere atque damnare: ſed in meliorem mentem illos reducere. Si tantus amor tibi ineſt domine cœli, erga impuros homines & voluptatum amatores, auaritiæ & odij magis quam tui, & non vis illos perdere ſed ſaluare: mitte ad illos aliquem angelum ſi forte melius quam concionatores & prophetæ illos ad pœnitendum inducat. Quid faciam? Nolo angelum aut archãgelum mittere: ſed mittam filium meum dilectum. Filium tuum naturalem & vnigenitum & dilectum, ita vt ex tua ſubſtantia genitus ſit ab æterno, & in tantum dilexeris illum, vt ex tali dilectione Spiritus ſanctus proceſſerit, imo ſit ipſemet amor: ad ſeruos fugitiuos & colonos puniendos, audes mittere pater æterne? Ne talia cogites domine mi. Mittam certe filium meum: forſitan cum viderint illum verebuntur. O Domine mi, in dubio an illum vereantur audes mittere ad homines, filium tuum angelorum gaudium, & lætitiam cordis tui? Quaſi qui non præſciebas quod ei fuerat euenturum: dicis emittam, forſan verebuntur? Vt quid forſan dicis, cum ſcias non ſolum illum non forere uerituros: ſed illum irriſuros, flagellaturos, & occiſuros? Non de

*Nume. 16. E*
*Pſalm. 105.*
*Gene. 19. E.*
*4. Reg. 2. E.*

ignorantia

ignorantia venit hoc forsan (vt ait Anselmus) sed semper quasi ambigue dicitur, vt libera voluntas homini reseruetur: & ostendam libertatem habere filium meum reuerendi, aut offendendi. Tamen ego bene scio, qui sint reuerituri aut offensuri filium altissimi.

Diuus Hieronymus super illud Ezechielis: filij dura facie & indomabili corde sunt agricolæ Iudæi, & multi fideles ad quos ego mitto concionatores meos: iuxta illud Isaiæ: sciui enim quia durus es tu homo ingrate, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea: & mitto te Ezechiel, & concionator, ad filios Israel ad gentes duras, & apostatrices quæ recesserunt à me, & filij dura facie & indomabili corde sunt ad quos ego mitto te: vt fructus operum ab ipsis petas, si forte vel ipsi audiant iam tandem, & si forte quiescant à malis suis, quoniam domus exasperans & me ad iracundiam prouocans est. Tu ergo fili hominis, concionator meus ne timeas eos, neq; sermones eorum metuas: quoniam incredúli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus tu habitas: & cũ hominibus serpente damnosioribus. Ait igitur Hieronymus in hunc Ezechielis locum: simile quid & in Ieremia scriptum est: loquere vniuersos sermones quos ego mandaui tibi, noli subtrahere verbum: si forte audiant & conuertantur vnusquisq; à via sua mala. Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, vt liberum hominis monstret arbitrium: ne præsentia futurorum mali vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum nouerit. Non enim quia ille vẽtura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præsciuit: sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille nouit futurum quasi Deus. Ideo dicit, forte verebuntur filium meum. Tu concionator, ne timeas duram ceruicem illorum & corda indomita, fortiora sunt præcepta mea. Ne putes te esse deceptum, si mittaris ad eos qui te loquentem non audient, ecce prædico tibi quod insanient, & contra te insurgent, & hoc faciẽt quia incredúli sunt & subuersores.

*In Ezec. 2. B*
*Isai. 48. A.*
*Iere. 26. A.*

Forte verebuntur filium meum, non ignorantiæ certe (ait Chrys.) absit hoc, sed magnitudinem peccati volens ostendere, cuius nullam Iudæi satisfactionem potuerunt ostendere, in Christi occisione patrati: tamen misit sciens quod illum interficeret. Aut forte dicens, ostendit quæ debuissent fieri, nisi alieni à sensibus facti fuissent: nempe filium reuereri, etiam si væcordes in cõ

seruos fuerunt. Forte verebuntur, ait pater misericordiarum: sed
*Ser. 5.* qui? (ait Bernar. de Natiuitate Domini) non Iudæi ad quos primo missus est: sed electi fideles propter quos missus. Reueremur enim nos eũ in præsepio in patibulo & in sepulchro: reueremur tenerum natum propter nos: sanguine cruentatum & pallidum propter nos: extra vineam iectum & crucifixum propter nos: igitur opere veneremur illum. Nouissime misit filium suum pater æternus: quia in vltima mundi ætate, & cum venit plenitudo temporis à Deo præfiniti: & quando iam (si stulti non essent homines) suasum sibi facere debebant, illos sibi succurrere non posse. Vnde magnam esse peccati malitiam, & grauissimam infirmitatem, aperte agnoscere debebant: cum tot annis illam Deus sine cura reliquisset. Tunc Deus misit filium suum, quando omnibus modis iam petierat fructus operum ab hominibus. & tamen nil proderat: & nouissime, quia post Christum non expectatur, alius Propheta nec alia ætas. Tulit & hoc facinus pater familias, ac postremo quo vinceret eos lenitate sua misit filiũ dicens: quanquam sæuierunt in seruos meos, tamen reuerebuntur saltim filiũ meum, cum eum viderint adesse, cum sit hæres legitimus vineæ.
*Matt. 12. D* Adhuc ergo vnum filium habens charissimum (dicit Marcus) & illum misit ad seruos ingratos in similitudinem carnis peccati, dicens: quia reuerebuntur filium meum, quia vnicum & mihi charissimum.

Forsitan cum viderint filium meum verebuntur, si amare noluerint. Bene scis pater optime, reuerentiam quam illi sunt exhi-
*Sap. 2. D.* bituri, illam nempe quam describit Salomon dicens: contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & qualem nos illi exhibere oportet: & probemus patientiam illius: morte turpissima condemnemus eum. Ecce reuerentiã quã exhibebũt illi. In te est aliqua dubitatio pater misericordiarum, an verebuntur illũ? Nulla: bene scio absque vllo Dei timore se illos erga filiũ meum habituros: tamen quis non expectaret à seruis quantumuis facinorosis, timorem erga filium Domini sui beneuolum, valde ab ipsis iniuriati? Vnde mitto filiũ ac si in me esset aliqua spes quod sint illum veriti, & si nil de ingratitudine qua contra illum sunt vsuri scirem: cum reuera magis crudeles erga filium quam circa seruos meos erunt reperti. O Dei misericordia & amor, quis parentum filium non vnicum, nec valde di-
*simile.*

lectum

lectum: mitteret ad seruos crudeles in dubio, an ipsum pacifice recipere deberent? Hodie in epistola satis longa, quam audistis, narratur alia missio Ioseph à patre suo Iacob, quando ad fratres oues pascentes misit. Vnde ob hanc causam proponitur nobis ab Ecclesia sancta: & est historia notanda, & figura magis apta huic filij Dei missioni, quam alia totius scripturæ. Et sic auxilio diuino, vestem contextam componemus ex epistola & Euangelio, non contemnendam, nec parum vtilitatis animabus conferentem: ostendentes, quomodo misericordia Dei erga agricolas exercita in missione filij sui, in infinitum excedat misericordiam Iacob mittentis Ioseph: etiam si pulchre in ista depicta sit.

Quid Iacob mittens Ioseph cum patre æterno? Ille homo, iste Deus. Iacob habebat alios filios naturales: pater æternus vnicum filium. Ille diligebat Ioseph, sed non amore infinito, vt pater cœlestis filium suum: & cum hoc si Iacob præsciret quæ Ioseph filio suo ventura erant erga fratres suos: antea fame perire alios sineret filios in agro, quam Ioseph innocentem ad tantum periculum mitteret & damnum. O Dei patris immensa pietas, qui cum omnia futura scias, etiam si forte verebuntur filium meum dicis, propter viscera misericordiæ tuæ, ad nos seruos fugitiuos, in huius miserando mundi agro, oues & sensus brutales nostros pascentes vitijs & voluptatibus, & tibi valde ingratos existentes: sciens euidenter quam male à nobis esset filius tuus tractandus, ausus fuisti mittere illum ad nos. Atque certo certius sciens, quanta malignati essent inimici agricolæ in sanctum sanctorum vsque ad Crucis ignominiam, dicis, quid faciam? Et mittis filium tuum dilectum? O amor Dei ineffabilis, ò hominum ingratitudo cito punienda. Valde veritati consona est ista Ioseph historia, quæ typum ferme in omnibus tenet earũ quæ Christus gessit: & præcipue in ista patris missione. Imo Ioseph pene solus claro vitæ suæ ordine præfigurauit: qualiter sol iustitiæ Christus esset processurus ab initio diei & vitæ suæ vsq; ad finem & cõsummationem seculi. Ideo libet missionem illius cum ista quam pater æternus fecit mittendo filium suum texere: vt magis innotescat animabus nostris multiformis gratia Dei, & eius ineffabilis misericordia erga nos semper ingratos, & scelestos contra ipsum existentes.

*Gene.37.A.* Primo dicitur in Geneſi (vt in epiſtola hodierna decantatur) Ioſeph cum ſedecim eſſet annorũ, diligebatur à patre ſuo Iacob ſuper omnes filios, eo quod in ſenectute genuiſſet eum: fecitque ei tunicam polymitam: ob quod oderant eum fratres ſui, quia à patre plus cunctis filijs amaretur, & etiam ob ſomnia quæ viderat. Ioſeph adauctus interpretatur, quod proprie Chriſto conuenit: qui Spiritu ſancto plenus eſt, & in illo habitat plenitudo di-
*Coloſ.2.B.* uinitatis corporaliter: vt ait Paulus: quia in Chriſto habitat diui-
*Lecti.2.* nitas (vt ait ibi D. Tho.) per aſſumptionẽ hominis in vnitatem perſonæ. Vnde quidquid pertinet ad hominem, totum inhabitatur à Deo, & ideo caro & mens inhabitatur, quia ambo ſunt vnita verbo: & ideo dicitur corporaliter. Aut quia ſingulariter diuinitas eſt in Chriſto per vnionem. Deſcribitur tamẽ ætas Ioſeph, vt ne dicas adoleſcentiam virtutem impedire: ſi non vis ipſe, tem-
*Pſal.118.* pus faciendi bonum in quacunq; ætate, diſsipare legem Dei, & vincula præceptorum illorum dirumpere. Deinde vt ſenes confundantur, non ſolũ perdite viuentes, ſed qui nondũ gradũ perfectionis attigerunt in tot annis vitæ ſuæ: quem adoleſcens Ioſeph ſedecim annorum attigerat. Imo (quod dolendum eſt) ſenes his vitijs ſuccumbere videmus & vinci, quæ Ioſeph adoleſcens ſuperauit. Cõuenit & Chriſto domino iſta Ioſeph ætas in etymo-
*Danie.7.C.* logia ſua, cum ſit antiquus dierũ (teſte Daniele) qui ſedecim iſto modo dicitur annorũ. Quia ſex opera vniuerſæ creationis ipſe fecit in ſex diebus, & decem mandata digito Dei ſcripſit, ideſt Spiritus ſancti virtute.

Diligebat Iacob Ioſeph præ cunctis filijs: & Pater cæleſtis Ieſum ſuper omnes angelos & homines: quia magis ſanctum in infinitum: & quia in ſenectute æternitatis ſuæ & ante omnia ſecula & ab æterno ex ſua propria ſubſtantia genuerat eum, ſecũdum diuinitatem. Aut quia in fine ſeculi & nouiſsime miſit in mundum ad carnem aſſumendam: ideo dicitur in ſenectute genuiſſe illum. Attende ex his, qualis ſit filius à patre miſſus, nempe dilectus ab ipſo, & æternaliter genitus in ſua ſenectute: vt ſaltim in tali ætate opera digna Deo & ab ipſo dilecta opereris. Sufficiat iam te in iuuẽtute, ſerpentes peccatorum genuiſſe, quibus & Deum lacerares, & animam tuã occideres: in te reuertere homo. Oderant Ioſeph innocẽtem fratres illius, cum eſſet puer purus & omni virtute ornatus. Vt quid igitur? Quia à patre diligebatur,

batur, & ei tunicam fecerat polymitam, ideſt manibus artificis mira varietate diſtinctã, & vſq; ad talos pertingentem. Ob hoc etiam Cain odio habebat Abel, imo & illum occidit: ideo Eſau perſequebatur Iacob, & agricolæ Chriſtũ: quia à patre dilectũ, & omni virtute circundatũ à plãta pedis vſq; ad verticẽ capitis. Ob hoc etiã hodie mali odio habẽt iuſtos, quia diligũtur à Deo, & ipſi abominãtur ab illo cum ſint peccatores: iuſtos tñ defendit Deus, & illos ornat donis: quia veſtẽ charitatis talarẽ, multitudinẽ peccatorũ cooperientẽ habẽt, qua digni ſint cõuiuio cœleſti. *Gene. 4. A.* *Ibi. 27. G.* *Matt. 22. B.*

Fratres Ioſeph non poterãt pacifice loqui ei ob inuidiam, & ſomnia reuelata. Nec Iudæi Chriſto ob malitiã: & quia audierãt illũ diuina arcana & verba ſancta, quibus aperte oſtẽdebat, ſe dignum eſſe ab ipſis adorari. Vnde dicebant illi: in Beelzebub eijcis dæmonium: quid eum auditis gẽtes? Dæmoniũ habet, & inſanit. Vnde merito cõqueritur Chriſtus de illis dicẽs: ſermonibus odij circundederũt me, & expugnauerũt me gratis. Quare conaris cõfeſſariũ irridere pœnitẽs dicẽs, te in corde nil odij habere cũ homine, cui non vales aliquod verbũ pacifice loqui, ſed ira plenum, vel nolis illi loqui cum ſcãdalo aliorum? Dixit Iacob filio ſuo dilecto Ioſeph, fratres tui paſcunt oues in Sichimis, vbi eos odioſos fecerat circa gentes illius terræ furor eorum pertinax & indignatio dura: qua Sichimitas occiderunt, vnde timeo illis & multũ anxior, qa in loco periculoſo ſunt & inter inimicos. Veni fili mi, mittã te ad eos vt videas ſi cũcta proſpera ſunt erga fratres tuos & pecora. Quo reſpõdente, prẽſto ſum pater mi, libẽter pergam ad fratres: & quia ipſe iubes, & quia deſidero illos videre & amplecti, quia fratres mei ſunt, & caro mea. O innocentiã & ſimplicitatẽ viri, qua nihil mali de peccatoribus cogitat aut iudicat. *Matt. 12. B.* *Ioãnis. 10. D* *Pſal. 108.* *Gene. 34. D.*

O Pater cœleſtis, qui videns nos miſeros homines vermiculos tuos in hac miſeriarum valle oues ſenſuum noſtrorũ paſcentes: dolens quia inter inimicos noſtros eramus, inter illos ſcilicet quos pertinaci indignatione occideramus ad peccatum inuitando: nos interim culpa interfecti manentes. Quando nil minus ab hominibus deſiderabatur, nec dum merebatur: de noſtra viſitatione per filium cogitaſti, & ſtatim illi dixiſti: fili mi naturalis, & meus conceptus æternus qui es, atq; à me valde dilectus: fratres tui homines nempe, qui per carnem quam accipies erunt fratres tui, quos ipſe crealti: paſcunt oues in Sichimis, humeri vel la-

bor interpretatis (teste Hieronymo de nominibus Hebraicis in
Gene.49.B. Genesim) quia apposuerũt humeros suos ad labores mundi portandos, cum Isachar asino fortis: & de cœlestibus non recordantur. Aut quia labori cõtinuo vacãt alij virtutũ alij vitiorũ: vnde oues pascũt irrationales, nẽpe appetitus brutales. In quo exilio, boni sunt dæmoni quẽ occiderãt odiosi: mali sunt mihi quẽ of-
Sapi.14.A. fenderant odio & impietas eorum: vnde locus miser, illos sic constituit omnes.

Doleo de illis certe & vereor ne aliquid mali illis veniat. Sic discunt à Iacob & à patre æterno parẽtes nostri temporis filiorum curam agere in animabus, ipsorumq; pericula præcauere vt serui Dei sint in omnibus: melius abhinc quam hucusq; multi faciant: quia sanguis filiorum de manu parentum erit à Deo requisitus. Ait igitur pater diuinus: fili mi, ego cogito cogitationes
Iere.29.C. pacis super homines (vt dico per Ieremiam) & non afflictionis. Quem mittam ad illos? Et quis ibit ex nobis personis diuinis?
Isai.6.C. Non dico ex angelis sed ex nobis, per Isaiam: veni fili mittam te per carnis assumptionem ad fratres tuos. Ecce ego mitte me pater mi, præsto sum, libenter ad fratres meos pergam: vt videam si cuncta prospera sunt, apud illos qui vt homines ratione vtentes viuunt: & erga pecora & brutales homines. Desidero illos videre & amplecti. O Dei omnipotentis innocentiã & bonitatem, qua non vereris ad homines peruersos descendere. Fili, veni mittã te nõ ad fratres solum, sed ad agricolas ingratos seruorũ meorum occisores, prophetarum bonorum percussores & concionatorum infamatores: si forte verebuntur præsentiam tuam, & reddẽt mihi per te fructus gratitudinis debitę. Præsto sum pater mi. Vide quid dicas Ioseph, quia magis veloces erũt fratres tui ad surgendum cõtra te, quam ipse præsto es ad videndũ illos. O Christe Iesu animæ meæ solatium, vt quid dicis, ecce ego mitte me pater? Præsto sum? cum scias ipse, homines inuenturus velocissimos ad iniuriam tuam: & peius te tractaturos, quam innocẽtem Ioseph fratres suos? Mitte me pater mi, cum ita de filijs tuis adoptiuis in mundo degentibus solicitus sis, & de componẽda cum agricolis proteruis pace. Præsto sum, etiam si super caput meum omnis dolor & labor cadat, vt ipse bene scio. Dummodo peccatores pacem veram inueniant hic, & in futuro requiem. Amen.

Homilia

# Homilia Sexta.

¶ Misit ad eos filium suum. Tex.

SIC Deus dilexit mundum, & mundanos homines, vt me filium suum mittere ad illos non recusset: sciēs opprobria mihi futura ab ipsis? O viscera patris mei erga homines: ò hominū ingratitudinem erga meū patrem mittentem me, & erga me missum. Ecce in Ioseph obedientiam erga patrem, & nihil repugnante, etiam si viæ ignarus erat. Ecce & charitatem erga fratres, qua non veretur labores & sudores subire propter illorū solatium & salutem, nil de sua duritia iudicans: nec aliquid mali suspicans de illorū odio. Vt discas homo, ab isto innocēte Ioseph, Deo in omnibus obedire, & illi in nullo repugnare. Iubeat facile aut difficile, notum aut ignotum iter: etiam si nescias quo es iturus. Deus qui iubet ire, dabit & iter, & auxiliū necessarium præstabit. Disce & secundū quo totam Dei legem adimplebis, omnes diligere fratres, & omnem laborem illorum amore, & vtilitate libenter ferre, etiam si ingratissimi tibi sint: nil de illis sinistre iudices, etiam si aliquando nō ita pacifice vt desiderastibi locuti sint. Si talia animæ tuæ cōducibilia valde, exemplo Ioseph non vis facere: saltim disce hoc ad implere à filio Dei: vide illum magis sanctum & innocentem quam Ioseph, imo patri cœlesti coæqualem & illi obedientem in omnibus & etiam scientem, quam aspera via dura atque doloribus plena, erat illi futura in mundo in fratribus suis quærendis: & ita nos fratres ingratos dilexit, vt pro gaudio & solatio nostro atque vtilitate non dubitauerit, tales vias ambulare difficiles, & fame & infamia plenas: & etiam manibus tradi nocentium & carnificum, & flagellorum & dolorum & Crucis subire tormentum: de fratribus, nil interim iudicando, sed charitate plena illos amando. O exemplum omnium virtutum Christe domine mi, quis non discet à te, patri obedire cœlesti, & fratrem suum diligere, & illi benefacere? Fœlices qui tua vestigia sequuntur quantum possibile illis est: detestandi & miserandi, qui te in hoc persequuntur, Deo inobedientes existentes

*Ioan. 3. B.*

tentes, & fratres iudicio temerario & damno perſequentes. Dic frater mi, domino Deo quodcũq; iubenti: præſto ſum cum Ioſeph & opere adimple: dic cum filio Dei, ecce ego mitte me quo vis domine: dic cum D. Auguſtino, da quod iubes, id eſt vires ad implendum, & iube quod vis.

Videas iam iuuenẽ pulchrum Ioſeph ſudore madidum, non in curru aut equo aut mula, ad fratres pergẽtem: ſed pedeſtrem, humilem, à nullo homine comitatum, ſed labore & fatigatione. Chriſte Ieſu, ſi ad agricolas ingratos venire diſponis, patris iuſ-
4. *Reg.* 2. *B.* ſum adimplens, veni in curru vt Elias in cœlum euectus eſt: aut
*Act.* 1. *B.* veni in nube fulgida ſicut aſcendes in cœlum, & venies ad iudicandum viuos & mortuos: veni in equo aut camelo, cũ omniũ ſis creator: quia video te pulchrum iuuenem fatigatum & ſudore correptum. Non, ſed pedeſter venire volo: & fatigatum ex iti-
*Ioan.* 4. *A.* nere iuxta puteum ſedere famelicum & ſine pane, ſitientem & ſine aqua, Samaritana me videbit & magno cũ labore: dummodo agricolas & homines ingratos lucratus ſim, & humiliari illos doceam. Quid ſuperbis terra & cinis? Quid de paruo labore conquereris ingrate? Quid iraſceris de iciunio, aut reſtitutione, aut quia feſſus es de labore? Quid de fame & ſiti in via huius vitę doles cum dignus ſis fame canina, & ſiti epulonis? Humilia te in omnibus, diſce patiẽtiam in laboribus à Ioſeph, ſi nõ vis à Chriſto tanta in via huius exilij tui amore ferente, & torcular Crucis ſolo calcante: quo ſanguinem effunderet, ad ſoluẽdum pro agricolis ingratis, à quibus cito videbis ſolutionem. O ingratitudo noſtra, qua ſimiliter Deo ſoluimus laborem & ſanguinem filij
*Libr.* 3. *in* Dei, vt illi qui extra vineam eiecerunt. Væ nobis miſeris (ait D.
*Matt.* 23. *A* Hiero.) ad quos phariſæorum vitia tranſierunt.

Ioſeph pauco tẽpore laborauit in fratres quærẽdo, quia forſan non decẽ diebus, per montes & valles. O agne immaculate, qui venis à patre miſſus, vt mũdi peccata tollas, & fratres viſites, imo & inimicos capitales tuo ſanguine redimas, qui nõ tantũ per decem dies aut menſes: ſed per triginta tres annos, homines ſceleratos, perditos atq; ſuperbos vermiculos, per valles & colles, per montes & aſpera loca, per infamiam & laborem, vſq; ad Crucis opprobrium quæſiuiſti. Vt quid igitur homo, non quæris Ieſum & virtutem, & ſaltim teipſum, etiam quocunq; labore oblato: vt aliquid gratitudinis ex te oriatur erga tantum dominum?

Ioſeph

Ioseph non cessauit à cœpto itinere, donec fratres inuenit, etiam si multos passus fuerit labores. Maiores tulit Christus dolores vt nos homines inueniret: qui tamen donec ouem errantem inue- *Luc. 15. A.*
nit, non cessauit, ambulare, prædicare, laborare & iniurias & mor
tem pati: quia vsq; in finem dilexit nos. Vt quid igitur & nos, *Ioan. 13. A.*
qui peccatis nostris Christum Dominum per gratiã amisimus, per labores pœnitentiæ & restitutionis dolores non quærimus illum, donec inueniamus: & in suam amicitiam reuertamur, nec dimittamus illum donec in cœlo illo fruamur? O desidia nostra, qua ducti, nil de hoc curamus.

Ioseph non inuenit fratres suos in Sichem, idest laboriosa ope ratione, sed in Dothain, quod pabulum, vel viride, aut sufficien- tem signat defectionem (secũdum Hieronymũ inde nominibus Hebraicis) quia filius Dei benignus fratres suos & agricolas in- gratos nõ laborãtes inuenit in vinea iustitiæ, & in virtutibus: sed pabulũ dantes vitiorũ animæ suæ, & viridẽ voluptatẽ momenta neã cito deficientem, & ipsi à recta operatione deficientes. Lon- gissime à Deo recesserat homo quãdo filius Dei venerat ad illum quærendũ: tamen veni modo Domine, ad quærendũ nos vt te- quæramus: & timeo quia inuenies nos otio vacãtes, nil boni ope rantes, ab omni bono deficientes, vitia diligentes, pabulum mor tis & dæmonis multos existentes. Vnde plorare possumus cum Ieremia, defecit gaudium cordis nostri: quia in defectione virtu- *Thren. 5. A.*
tum sumus & in Dothain: tamen væ nobis quia peccauimus, & à bono recessimus!

Inuenit Ioseph lassum & errãtem in agro vir quidam: non absurde credi potest fuisse Angelum Dei: cum non quæsierit à Ioseph quis esset, quando dixit fratres meos quæro: sed ad om- nia respondit, quod homo purus facere non potuisset. Merito Angelus apparet illi, cum inuocatione sua pergebat: & Angeli suis similibus vt erat Ioseph assistant. Dic illi vir, aut Angele, quo pergis puer sancte? Vt quid patrem te valde diligentem & honorantem relinquis: & fratres te odientes & cito infamia te re- sperfuros, tanto labore & sudore quæris? Reuertere puer pure & munde, ad patrem: & noli fratres quærere, si non vis magno mo- riendi periculo te exponere. Quid quæris? At ille fatigatus & oppido lassus respondit: fratres meos quæro, tanto labore, & cu- ra: indica mihi obsecro vbi pascant greges. Reuertere puer. O

Iesu

Iesu mea redemptio, amor & desiderium, quæ te vicit clementia vt canit Ecclesia in admirabilis hymno Ascensionis: vt inueniant te homines & angeli errantem in agro, & tristem inter oliuas, & sudore sanguineo madidum, & in agonia positum? Cinis puluis sum, tamen concessa facultate à te Deus meus, interrogabo te in diuersorio frigore percussum & errantem in agro per viam & extra illam in AEgyptum fugientem, quo pergis puer Iesu? Video te fugientem, video te reuertentem, fatigatum ex itinere in fonte sedentem sudore plenum & ieiunum. Reuertere fili Dei, reuertere ad patrem tuum: quo pergis? Fratres meos quæro, ad agricolas venio à patre missus. O fili Dei reuertere ad patrem, quid hic agis inter oliuas in agonia positus? Fratres meos quæro tanto dolore, & sudore.

Reuertere puer sanctissime, ad patrem tuum à quo exiuisti, manens semper in illo: ipse diligit te & honore prosequetur magno, vt quid pergis ad fratres ingratos quærendum, & ad agricolas te odio habentes? qui te cogit amor, vt tales ac tantos subeas labores, amore canum te dilacerare volentium? Quæ te vicit clemẽtia, vt tot opprobrijs quæras homines: quos tam crudeles scis inuenturos? Ioseph nesciebat fratrum odium, neq; mala futura contra illum, alias cito parasset regressum ad patrem: tamen credens se diligi ab illis, & nil mali futurum sibi, quærit fratres, & vltra procedit cogitans illos fore gauisuros & ipsum amplexuros. Iesu sapientia patris omnia sciens & nil ignorans, cum nuda sint tibi verba agricolarum, quæ contra te debent loqui; imo & cogitationes omnium hominum: & scias quãta mala malignati sint inimici tui contra te sanctum sanctorum: vt quid accedis ad illos, & non vis ad patrem reuertere? Reuertere ad illum cum angelorum choris te recepturum: aut si mauis ad matrem tuam virginem reuertere vt te custodiat, vt olim ab Herode: Quo pergis? *Matth. 2. C.* fratres meos quæro. Non sunt fratres domine mi, sed agricolæ ingrati, sed Iudæi peruersi: sed fideles obstinati, qui debent iterum te crucifigere. Reuertere domine, Fratres meos quæro. O amor Dei erga homines inuidos, crudeles: nullum fere vestigium amoris, circa Deum talia & tanta pro ipsis patientem habentes.

*Gene. 22. A* Quo pergis Isaac, etiã à patre optimo tuo Abraham comitate? *B. C.* Quid sibi volũt ligna quæ in humeris portas? Quid gladius à patre delatus significat? Si scires quo pergis: in montem vbi eris ligatus:

gatus: & si Deus aliter non prouidisset, gladio caput tuum esset præcisum, & lignis ipse combustus. Reuertere ad matrem tuam Saram, quæ te à tali periculo libẽter seruabit. Reuertere fili Dei, ad matrem virginem, Isaac sancte, qui causa maioris risus & gaudij mundo fuisti quam Isaac: quo pergis vt gigas? Ad currendam dolorũ viam & passionum: fratres meos quæro ad cœlum: agricolas ingratos quæro: ouiculam errantem, & vsque ad caluarium quæram. Vide innocens Isaac quod non sine causa pater tuus gladium iniustitiæ suæ portat contra te, fideiussorem hominum. Vide quia lignum Crucis quod ipse in humeris deducis erit lectum tuum durissimum & opprobrijs plenum, in quo occisus eris, & igne charitatis tuæ accensus. Reuertere fili mi (dicat mater tua) fuge ad patrem tuum dilecte mi Iesu, & assimilare capræ montanæ, hinnuloque ceruorum veloci, fugiens per montes Bethel (vt in Canticis dico) & super montes aromatum. Reuertere in cœlum: alias ab agricolis occisus eris. Non reuertar, sed fratres meos omni labore posthabito, quæram: imo potius mortem eligam, quam reuerti sine fratribus: dum homo à vitijs suis iam tãdem ad patrem meum reuertatur, & ad virtutes & merita: & gladio verbi Dei diuidatur, à causis peccandi, & igne amoris Dei ardeat, & proximum diligat vt decet. *Can. 2. D. et 8. D.*

Reuertere Ioseph ad patrem, alias tunicam tollent à te fratres falsi, pugnis & alapis faciem tuã pulchram ferient, in cisternam veterem proijcient te: A Egyptijs & Ismaelitis vendent te, & patrem non videbis, & seruus manebis: quid quæris errans in agro? Fratres meos quæro: Pater misit me ad hoc: nõ reuertar quousq; illos inueniam: veniat super me quod Deus voluerit. Si aliquid vis indica mihi angele, vbi pascant greges. Reuertere puer. Non faciam. Reuertere Iesu bone, ad patrẽ tuũ dilectum, ne vltra ad agricolas progrediaris, maneãt cũ vinea tua & fructibus: reuertere obsecro, alias magno certe vitã tuã periculo exponis. Pugnis facies tua pulchra & sudore madida percussã erit, scapulis te flagellis spoliabũt, & vestes tollẽt & diuident. Traditus eris à discipulo & venditus, malignis agricolis precio irrisorio: tingent tunicam corporis tui, nõ alicuius hœdi sanguine, sed tuo, agni immaculati, à corde lancea extracto: & in cisternã sepulchri, nõ viuum vt Ioseph, sed mortuum deponẽt. Reuertere dñe mi, ad patrem: alias angustiam & nõ minimam ignominiã tibi & matri tuæ ad

duces

duces: & cito poſt triduum. Quid in agro mundi oberrans quæ-
ris? Fratres meos, quibus ſimilis habitu factus ſum. Pater meus ad
agricolas me miſit, forſan verebuntur me: ego nõ reuertar quouſ
q; illos inueniam, etiam vitæ meæ diſpendio: ſi aliquid vis indi-
ca mihi vbi paſcant greges, & quibus operibus vacent: quamuis
melius ego ſciam.

O Dei amor, qui ſic de Deo triumphas: o peccatum, ſi tã grau
e fuiſti, innocenti agno: quanti ponderis lupo eris peccatori? O
hominum ingratitudo, vt quid tantum Dominum iterum pau-
uo pretio vendere furto periurio aut voluptate non veremini?
Vt quid illum in paupere ſpoliatis, ſanguinem ſubripiendo il-
lius, & facultates? Hucuſq; ſuccincte, quãta fuerit Iacob charitas
erga filios in miſſione Ioſeph, & iſtius obedientia & labor, audi-
ſtis: modo attente percipite, qualis fuerit ſolutio fratrum. Vſq;
modo aliqualiter, & ſi ſatis imperfecte, charitatem patris cœleſtis
erga agricolas & omnes homines: ſtylo rudi, & (quia parum de
illa ſentimus) tepide, conati ſumus oſtendere: illis vineam ſuam
dando, tot ornatam rebus, ſeruos ad illos mittendo, illorum cru-
delitates perferendo, inſuper & filium dilectum ad ipſos quaſi
proijciendo, ſolum, pedeſtrem, laborantem. Quod vnuſquiſque
vt de ſe intelligat, neceſſum eſt, vt Dei bonitatem & ſuam ingra
titudinem agnoſcat. Audiſtis etiam, aliquomodo, pictam Dei fi
lij promptam obedientiam erga patrem: & amorem erga homi-
nes, & labores innumeros, quos ob ſuam illorum ſalutem vſque
ad terminum paſsionis patiẽtiſsime pertulit. Videamus Dei au
Ad Hebræ. xilio, quid fratres erga Ioſeph faciant: quid gratitudinis hære-
1. A. des circa Dei filium & hæredem vniuerſorum per quem fecit, &
ſæcula, habeant: quid etiam & nos faciamus in ſolutione tanti
amoris Patris, & Filij.

Cum viderunt Ioſeph procul fratres inuidi, cogitauerunt illũ
occidere, & mutuo ſe ad hoc inuitabant dicentes: ecce ſomniator
venit, venite occidamus eum. Iam ſe prodebat illorum inuidia,
iam malitia feruebat: nam qui debebant de fratris aduentu gau-
dere, delectari in pulchritudine eius, de labore ſuo dolere, de pa-
tris ſalute interrogare, & omnem rancorem & amarulentiam de-
ponere: videntes illum tam ſimplici animo defeſſum atq; ſudo-
re plenum illorum amore, nil mali de illis ſuſpicãtem: de morte
illius cogitant, & etiam verbo alter alterum ad illam inuitat?

Venit

Venit puer sanctus non ad arguendum vos, sed ad solatium præbendum, & cum deberetis ad inuicem dicere: deponamus inuidiam, & odium contra hunc puerum sine dolo, procul expellamus: attendamus quam pulcher & festus veniat, & quanto amore, tam dilectus à: patre tamen nullus vestrum cogitat Deum esse, neque conscientiam propriam timet, neque fratris innocentiã considerat, aut patris dolorem futurum? O malitia, o inuidia, o perfidia punitione grauissima digna. Sed percutiamus fratrem, sed occidamus somniatorem (nolentes præ odio nomẽ eius nominare) & occisum cisterna vetus sit eius sepulchrum: careat sepulturavt excomunicatus. Hæccine redditis illi ob laborem miseri, fratri innocenti?

Certe quantumuis duro sis corde viscera tua ad compassionẽ moueri debent, audiens ista de Ioseph nulli nocente, & de fratrũ crudelitate erga illum exercita: quid tamen facere debes, si talia & multo maiora agricolæ, ideſt, Iudæi contra filium altissimi fecerunt: & ipse mortaliter delinquens, non vereris contra Deum viuum (quantum inte est) similia quotidie perpetrare? Nam cum tenerentur agricolæ & filij Israel, valde gaudere de filij Dei per carnem assumptam visitatione, & cœlesti consolatione: videntes illum speciosum forma præ filijs hominum, adolescentem animo simplicissimo ex laboribus fatigatum, illorum amore, sumptibus: sudore plenum, neque ad illos arguendum venientem, sed pro ipsis etiam sanguine proprio soluendum pro fructibus ab ipsis non redditis: etiam si lupis crudeliores fuissent, & dæmonibus peiores, adinuicem ad deponendam malitiam, & ingratitudinẽ se admonere debebant, dicentes: attendite qualis sit Christus, quam pulcher, quam mansuetus, quam potens in opere & sermone, vnde aperte se esse Dei filium ad nos à patre missum ostendit multos labores pro nobis tulit parcamus illi, vt nobis parcat.

Nullo modo talia Iudæi cogitauerunt erga Christum, neque Deum ante oculos suos posuerunt, neque conscientiam suam cõsuluerunt. Neque aspexerũt dolorem filij, aut matris gemitus neque patris iniuriam, sed omnes inuicem se inuitantes contra illum insurrexerunt. Vtinam & inter nos fideles non essent multi, quotidie peccatis suis contra Deum insurgentes: de beneficijs Dei nil cogitantes: ò fratribus Ioseph inuerecundiores, & agricolis crudeliores. Fratres dixerunt: ecce somniator venit, occida

mus illum. Agricolæ & Iudæi peruersi, videntes filium Dei ad se venientem, & viam veritatis docentem, & omni mansuetudine & charitate fructus bonorum operum ab illis petentem: & aliquando vt resipiscerent, ingratitudinem in percussione seruorum exercitam coram oculis ponentem, atque dicentem: Ierusalem Ierusalem quæ occidisti prophetas meos, & seruos à patre missos ad fructus petendum, quid vis de me filio & hærede facere?

*Mat. 23. d*

*Tex.* ¶ Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem?

*Feriæ. 6. dominin. in pas.*

MAnifeste probat Dominus his verbis (ait D. Anselmus) principes Iudæorum non per ignorantiam, sed per inuidiam filium Dei crucifixisse. De quo alibi diximus, quomodo maiores cognouerunt eum Messiam esse, hoc miraculis ostendentibus & operibus quæ nullus alius fecit. Et per consequens cognoscerent facillime Deum esse & hæredem naturalem & filium altissimi: nisi malitia simul cum odio & inuidia impedimēto fuisset. Audistis hucusque tā graue scelus? Ore confitentur intra se hæredē esse legitimū, & cum hoc quilibet alteri fortitudinē ad occidēdum prębet? Venite, nemo timeat illū percutere atque ligare, imo neq; occidere: quia iste est vnius patris familias filius & per cōsequens legitimus hæres, si hunc occidimus, & de medio tollimus, ad quem vsum pater vult sine filio & hærede, vineam? O vtinam multoties non sic fideli accidisset, Christum peccato suo crucifigere volenti: & quantum in se est remorsum conscientiæ tollenti: vt vineam animæ suæ libere ad malum possideat & contra Deum illa abutatur. In consideratione tantę ingratitudinis Iudæorum & fidelium peccatorum, manea mus in hac homilia, vt seruos Dei honoremus & Deo gratissimus & fructus reddamus debitos, vt beatitudine per fruamur. Amen.

HO-

# Homilia Septima.

¶ Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem. *Text.*

## ¶ SALVTATIO AD VIRGINEM.

VALDE compassione dignum fuisset, videre Iacob, quando quidam intromissi à filijs, tulerunt tunicam Ioseph sanguine hœdi tinctam, & dixerunt illi hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non. Quam cum agnouisset pater, ait, Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph: scissisque vestibus, indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore, nolens cõsolationem accipere. Quid Iacob, cum virgine sanctissima Maria? Quid tunica Ioseph sanguine hœdi tincta, cum corpore filij Dei dilacerato, & sanguine toto perfuso? Tulerũt Ioseph & Nicodemus corpus sacratum de cruce, & posuerunt in matris tristissimę gremio dicẽtes: hoc inuenimus in cruce per fossum virgo sancta, videã, tunica corporis sancti ex visceribus tuis procedentis, vnici filij tui Iesu sit ista, quã sanguine rubricatam inuenimus, & dilaceratam in ligno. Quam cum agnouisset, etiam si non erat illi species neque decor, mater sua: odore saltim agnouisset, vt ouis agnum suum decoriatum agnoscit: dixit magno dolore & tremore: tunica filij mei Iesu est ista, corpus filij mei est, quẽ pater ad visitãdos agricolas misit: fera pessima inuidię comedit te fili mi, suis tormẽtis: bestia odij & auaritiæ dẽuorauit te Ioseph accrescẽs fili altissimi: scindam viscera mea ego mœstissima mater, & induta tristitię cilicio, ero lugẽs filiũ meũ: nec sit qui cõsoletur me ex omnibus charis meis, donec filiũ meũ videã. Nos virgo sancta, sumus agricolæ ingrati, qui filiũ tuũ extra vineã animę nostræ eiecimus, & quãtum fuit ex parte nostra peccato occidimus: fera pessima nostræ malitię comedit illũ, bestia nostrę voluptatis douorauit Ioseph filiũ tuũ: vt mali, digniſimus male perdi. Iã filius tuus viuit: vt fructũ demus, vt ampliusillũ non occidamus, vt de peccatis pœnitentiam agamus, gratia indigemus: impetra illam à patre amo-

*Gen. 37. fg*

*Isai. 53. a.*

re hæredis filij, vt nobis ſpiritus ſanctus concedat dicentibus humiliter & cordis lacrymis, Aue.

Manſimus fratres dilecti, in textu magis tremendo, & ex parte hominum magis horrendo, & ex parte Chriſti magis dolendo: quam fere in totius euangelij contextu reperiri poteſt. Quod videant Iudæi hæredem cœleſtem fatigatum, laborantem, concionantem & miracula facientem: deſiderio magno ſalutis illorum, & vt fructus gratitudinis patri redderent ſuo auxilio vtentes. Et quod ipſe velit pro illis ſoluere, tantum vt ipſi de delictis præteritis pœniterent, & de futuris cauerent: & cum hoc vt canes adinuicem prouocent ſe dicentes: percutiamus illum, & occidamus, & circunueniamus iuſtum hæredem nobis inutilem: contumelia & tormento: interrogemus eum ſi eſt verus hæres? O inaudita nequitia, o ſcelus hucuſque non viſum, ò ingratitudo in æternum punienda. Fratres Ioſeph, ne iraſcamini contra pulchrum adoleſcentem, veſtro amore venientem fatigatum. Occidamus eum, non viuat. Agricolæ videte ſpecioſum forma præ filijs hominum, Dei altiſsimi filium, & Dominum veſtrum, cœleſtium bonorum hæredem, ad vos manſuete venientem: non vt iudicem, ſed vt reum ſine culpa, non militibus & exactoribus circundatum contravos (vt dignum erat) & carnificibus: ſed laboribus & doloribus vallatum, quibus ſoluat debita veſtra, ingratitudinem & proteruiam veſtram. Exite obuiam ei, ecce ſponſus venit ad vos adiuuandum. Dicite illi: hæres cœleſtis, vt ingratiſsimi hucuſque cum patre tuo, & per conſequens tecum fecimus: non ſolum in fructibis non reddendis, ſed inſuper ſeruos ad nos miſſos occidendo. Peccauimus iniuſte egimus, iniquitatem fecimus: non habemus vnde ſoluamus pro tot delictis: quid nos vis facere? Fac de vita noſtra quod tibi placuerit: ſuſpēdio trade nos, ecce vinctos tuos, flagellis aut exilio nos da: accipe vineam tuam & ſi incultam & ſine fructibus, & animas noſtras ſteriles, facde illis quod tibi viſum fuerit. Aut occide nos, aut ſecundum miſericordiam tuam parce nobis, & patri tuo nos reconcilia.

*Sapi. 2. C.*

Abſque dubio, dicet filius Dei, ego parcam: & fructus quibus patri meo ſoluatis & merita mea vobis tradam: nolo vt flagella ſitis experti, ego quinque millia feram: nolo vt ſuſpendio ſitis dati, ego exaltatus ero in cruce amore veſtri, vt

pacem

pacem inter patrem meum & vos componam, & habeatis vn de soluere illi possitis ex omni rigore iustitiæ. O Dei benignitas, si talia feciſti pro ingratis hominibus te flagellantibus, non pœnitentibus, te crucifigentibus, non emendatis, veniam non petentibus, delicta non plorantibus, sed te ad iracundiam prouocantibus, quid passus esses pro gratis hominibus peccata confitentibus, nocte & die ingratitudinem suam gementibus, & vere pœnitentibus? Si dicis nolite timere, ego sanguine proprio soluam agricolæ ingrati, patri meo mustum illi à vobis debitum, ego fructus soluam laboribus: quæ duritia cordium & malitia hominum hæc est, vt insurgant contra te dicentes, hic est hæres percutiamus, flagellemus eum, & occidamus? O hominum proteruiam.

Quis dabit capiti meo aquæ fontes, vt cum Ieremia dicam, & oculis meis lacrymarum flumina, quibus meam ingratitudinem plorem deinde multorum fidelium? Qui postquam filius Dei talia & grauissima tormenta passus est ad soluendum patri suo pro nostris debitis: & postquam in quadragesima præterita, ad confessionem peccatorum accessimus & filius altissimi sanguine suo soluit voluptates nostras, & morte sua flagitia nostra, & sic reconciliauit nos patri suo soluens illi omnia debita nostra. De mentia maligna quomodo tantum contra nos prœualuit, vt post parum temporis, occasione peccati oblata, sanguinis Dei & beneficiorum eius immemores, fecimus cum Dei filio, peccato cõsentiendo, quod ingratissimi Iudei illum occidendo? Quis vos fascinauit insensati Galatæ, vt filium Dei pro vobis sanguine suo soluentem patri: non sitis veriti iterum delictis vestris inhonorare, sceleribus occidere? *Ierem. 9. A.*

Dicunt fratres, occidamus Ioseph & palliabimus eum patri suo, mittendo illum in veterem cisternam, vestem tinctam sanguine hœdi illi offerendo, & ipse feram pessimam deuorasse illũ iudicabit, & non erit amplius: & quieti manebimus. Agricolæ maligni dicebant. hic est hæres, occidamus illum ligonum lignis, & patri suo palliabimus, mittentes in sepulchrũ, quod est cisterna vetus nam ab Abel primo defuncto cœpit homines mortuos in se recipere ideo dicitur vetus: & sanguine suo tinctum relinquemus. Pater dicet, bestiam illum deuorasse, aut feram pessimam (ego credo, inuidia vestra simul & malitia deuorauit Ie-

sum) & non erit hæres, neque erit amplius: neque qui illum petat, aut aliquid mali nobis irroget. O crudelitas inaudita, & malitia punienda: fratrem innocentem occidere vultis, & hæredem vniuersorum, & dicitis non erit amplius? Non erit qui quæratillum? Patri æterno occultum facere cogitatis tam graue
Gen. 4. A. scelus? Vidit Cain Abel occidentem & clamauit contra illum:
Ioan. 8. F. & non videt filium suum à vobis occisum? Est qui quærat filium crucifixum, pater suus, & iudicet vos & damnet: & non erit amplius? Erit certe mors quæ vos occidet: erit ignis qui
Sap. 5. D. deuoret: erit orbis terrarum pugnans contra vos insensatos: erit omnis creatura armata ad vltionem vestram Dei inimici & filij eius homicidæ & dicitis non erit amplius? Erunt angeli serui hæredis qui requirant à vobis vitam Domini sui: erit & Romanus exercitus: & si nullus esset qui mortem eius peteret, mater eius, & si ouis innocens gemitibus in Dei iudicio mortem filij sui exquireret: & non erit amplius? Canis mordebit vos in vindictam: ignis vret: & si omnes tacuerint pater eius filium suum dilectum crucifixum vindicabit.

Credo si homines peccatores hanc stultam computationem non feciſſent secum, dum peccant: non videbit dominus, non ero punitus: non moriar in culpa, sub terra condietur delictum meum: non erit qui querat, non erit amplius: Deo ipsi pallia bo scelus: tam effrænate non auderent quotidie delictis innumeris filium Dei extra vineam animæ suæ reijcere, & iterum crucifigere. Vide peccator & time, nam omnia quæ dixi contra agricolas veniſſe, & falsos Iudæos, venient contra te si in vnico mortali delicto in ratione vltima inuentus fueris: & ipsemet Dei filius, cum sit omnium iudex, horrende veniet.
Simile. Stulte, quid prodest tibi puero vno peccatum tuum occultum facere, si coram iudice illud perpetras? Non vereris coram Deo iudice tuo delicta committere, & caues ne puer trium annorum adsit? Quid prodest vt omnes mundi homines tuum ignorent delictum, qui nec testes, quanto magis tui iudices, certe sunt futuri: cum ipsemet Christus à te per culpam iniuriatus iudex tuus adsit, & intima cordis continuo consideret tua? Si scires hoc auditorium visurum te, facinus horrendum perpetrantem, potius magnos subire labores, quam com
Simile.

mittere

mittere illud eligeres: vt quid coram Deo & consistorio diuino, & coram angelis cœli, audes filium Dei iterum crucifigere, & dicis, non erit amplius?

Venite occidamus eum. Colloquium est, quod manifeste apparet fuisse inter phariſæos in concilio illo malignantium à Diuo Ioanne posito: quando Caiphas sedens in cathedra pestilentiæ vt pessimus agricola inuitauit alios dicens: expedit vt iste hæres moriatur pro populo, vt Synagoga maneat nostra: & sic ab illo die cogitauerunt interficere illum. Sed considerandum est, inter fratres Ioseph fuisse inuitationem ad inuicem contra illum dicentes, venite occidamus eum. Et agricolæ dixerunt interse, hic est hæres venite occidamus eum. Et adhuc homines mutuo se prouocant contra Deum, & mulieres ad malũ inuitant: vnde mors animæ sequitur, & Dei iniuria: & quod peius est, fere nõ inuenitur iam qui Dei iniuriã impediat. Inter fratres Ioseph, & si inuidos, & si odio infectos in fratrẽ, repertus fuit vnus Rubẽ, quicũ esset effusus ad malũ vt aqua, & ascẽdit cubile patris sui, & maculauit stratũ eius, quod fuit quãdo dormiuit cũ Bala vxore patris sui, quod Iacob minime latuit (vt in scriptura sacra legimus) nisus fuit omnibus vijs Ioseph à manibus illorũ liberare, dicẽs nõ interficiamus animã eius, neq; effundamus sanguinẽ: manus vestras seruate innoxias. Hoc autẽ dicebat, volẽs eripere eũ de manibus eorũ, & reddere patri suo. O innocẽs fili Dei hæres legitime patris æterni, ex omnibus agricolis synagogæ, & ex phariſæis, non inuenitur vnus Ruben, qui dicat, non interficiamus illum, neque effundamus sanguinem eius innocentẽ: sed omnes dicunt venite, & non solum alapa percutiamus, sed occidamus?

*Ioan. 11. B*

*Gen. 49. A*

*Ibi. 35. D.*

*Ibi. 37. F.*

Considerabam ad dexteram, quando Pilatus eduxit me foras flagellatũ & non Ioseph, spinis coronatũ, & nõ Ioseph & sanguine madidũ, & pui pureo vestimẽto indutũ: & dixit, Ecce homo, satis dolẽdus illusus & vulneratus & infamatus: sufficiat iã quod factũ est contra illũ & si innocentẽ: sinite illũ agricolę crudeles abire ad patrem suũ aut matrem sic flagellatum aut in exilium, Considerabã, inquã, ad dexteram aut sinistram, si esset aliquis Rubẽ ex parte mea qui diceret, ne interficiamus eum: nõ effundamus sanguinẽ eius, seruate manus vestras innoxias: & nõ fuit qui cognoscceret me & loqueretur pro me bonũ, vnde cõsolantẽ me quæ

*Ioan. 19. A*

*Psal. 141.*

Pſal.68. ſiui & non inueni:ſed maiores,&minores homines & mulieres:ſe
Ioan.19.A nes & paruuli, omnes clamauerunt vna voce dicentes: crucifige, crucifige eum tolle illum ab oculis noſtris:ecce hic eſt hæres, ve-
Luc.23.C. nite occidamus eum:nemo ſit qui illum defendat, neque dicat, non crucifigatur.

Fratres mei fideles, iam filius Dei crucifixus pro nobis fuit:iã hęres cœleſtis extra vineam iectus,ligno crucis inter caluaria oc ciſus eſt:iã ſanguinẽ ſuũ effudit:veniamus ad nos&videamus an ſit aliquis tã crudelis qui ſic Chriſtũ morti adiudicet:& non inue niatur in illo, aliquis Ruben aut cõſilium tam graue facinus im-
Similo. pediens. Quotieſcunq; filius Dei iniuriã patitur à duobus vel tribus hominibus,&per blaſphemias ſuas aut odia quibus ſe inuicẽ mordent: quodam modo non damnatur ad mortem,cum illum ab animabus ſuis expellant? Non inueniri â Deo aliquem homi nem qui animo virili & pectore chriſtiano, coram illis blaſphemiis aut detractoribus aut odio ſe inuicem proſequentibus, con fiteatur Ieſum corde perfecto, & verbo ignito dicat: tacete fratres, ne talia dicatis aut faciatis contra Chriſtum Dominum: ne interficiatis,quantum eſt in vobis,filium Dei pro vobis quondã crucifixum: ne effundatis ſanguinem illius & conculcetis peccã do:ſeruate opera veſtra innoxia: poteſt reperiri res magis dolen da?Deus meus qui non habes Ruben vnum ſæpe inter homines, qui tevere confiteatur,& peccatum impediat.Ieſu fili Dei, doleo de te,quia raro inuenitur,qui verbum ſuum,quanto magis hono rẽ & vitã ponat inter te & volentẽ culpis occidere te dicẽs:ne effũdas ſanguinem Dei. Felix qui fecerit,ipſe illum confeſſus eris coram patre tuo:væ tacenti,à te erit negatus:ipſe adimplebis.

Mat.10.D Magis ad particularia deſcendamus,quia res tractatu & conſi deratione digniſsima eſt fratres obſecro vos perviſcera miſeri cordię Dei, & per hæredis cœleſtis charitatem, vt quoties dęmõ aut tentatio,aut veſtra ſenſualitas inducit vos ad Chriſtum occidendum per culpam mortalem: prius inquiſitionem debitam faciatis, an ſit aliquis Ruben & aliqua ſancta conſideratio talem mortem impediens, & tali delicto obſtaculum ponens. Veniat vnus Ruben & conſideratio beneficiorum Dei,& dicat tibi vt quid occidere Chriſtũ tentas?Ob quale beneficiorum?Quia te creauit,aut quia te redemit?Quia ſanguinem ſuum totum pro te in cruce effudit, aut quia fuit vulneratus flagellis?Ne occidas illũ

ani-

anima insensata, neque effundas illius sanguinem: quia nil mali tibi fecit Christus & multa tibi cõtulit bona. Est ne aliquod cortã obstinatum, quod cõsilio istius Ruben, & tali consideratione, nõ quiescat, & abhorreat delicto consentiri contra Iesum? Si iste Ruben & beneficiorum Dei consideratio, tibi manus non ligat ad non peccandum: veniat alter Ruben, & consideratio mortis cito contra te venturæ consideratio iudicij Dei rigidissimi, consideratio pœnarum infernalium, & flammarũ æternarum, & quæ libet dicat animæ tuæ: quid vis facere stulta & audax? Vitam tuã occidere vis? Et quo viues in morte, cito ventura? Iudicis tui conaris sanguinem effundere? Et qualem expectas sententiam? Pœnas dabis crudelissimas, si manus tuas innoxias à culpa non seruaueris. O Dei fideles, quærite amore Christi quotiescunque ad peccatum estis tentati, & Christum occidere vultis per culpam & magna solicitudine inuestigate aliquem Ruben, & aliquam sanctam consideratione, quæ vos à tanto malo retrahat. Surgat præmiorũ cœlestiũ cõsideratio & dicat: quid vis facere homo? Sãguinẽ Dei cõculcare disponis? Et quid dicet pater eius? Et quid fẽtiet de te ipse Christus? Quid angeli iudicabunt? Qua fronte petes cœlestia?

Heu tamen quam multi homines habuerunt ante mortẽ suã, aliquem illos defendentem, vt Ruben circa Ioseph: aut ab ipso sunt Deo defensi, aut saltim prẽmoniti ab ipso ne illos occiderẽt. Quãta cura Deus optimus voluit Cain à fratricida seruare, quomodo prius admonuit illũ etiãsi frustra: & modo Abel innocẽs Christe Iesu, deficit in cœlo & in terra qui hos agricolas crudeles impediat ne occidant te, & qui obstaculum ponat peccatoribus ne peccent contra te? Aliquando te lapidare voluerunt falsi Iudæi, aliquando præcipitare, donec in foueam mortis te proiecerunt. Et tanta crudelitate, vsi sunt omnes homines huiusmodi spectaculis astantes, quod inter tot millia hominum quos pane pauisti in campo, quos sanasti quos docuisti: nemo insurgeret ex parte tua dicens: ne interficiamus eum? O hominum crudelitas hucusque protensa, nam sic & inter fideles contingit multoties: conqueri de vtrisque domine mi merito poteris certe. Aliquando insurgit vnus Rubẽ, & aliqua Dei inspiratio & venit ad te, volentẽ aliquo scelere filium Dei iterum crucifigere, & dicit: ne interficias animam tuam isto delicto, neque ef- *Gen. 4. A.*

fundas sanguinem Christi in terram conculcando illum. Et es adeo pertinax & rebellis, quod non vis tali inspirationi auscultare, sed potius opere adimplere malum quod suadet tentatio? Time tamen certe hic aut in futuro multa mala & labores venient contrate, vt contra fratres Ioseph. Nam quando ipse contra illos habuit se ad modum irati exploratores eos vocans, & vnum illorum ligauit: locuti sunt ad inuicem, merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus: id circo venit super nos ista tribulatio. Et dixit Ruben, nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum: & non audistis me? En sanguis eius exquiritur. Nesciebāt quod intelligeret Ioseph: eo quod per interpretem loquebatur ad eos: auertitq; se parumper, & fleuit.

Gene. 42. d

Peccasti contra Iesum, quoties ad hoc te inuitauit tētatio, nec profuit aliquid tecum consideratio mortis iudicij aut inferni: ne que inspiratio Dei dicentis: ne pecces in filium meum Iesum. Væ tibi, si in hac vita non insurgunt contra te multæ ignominiæ, infamiæ, & labores, & ligatio per infirmitatem velut catenis, nam certe Christus debet se habere tecum in hac vita ad modum irati: & vocabit te exploratorem, per alium inimicum tuum, aut infamia alia te asperget, vt ad te reuertaris, & dicas gemitu cordis, cō tritione peccatorum debita: merito hæc patior, & multo maiora pati dignus sum, quia peccaui in fratrem meum Iesum angustiatum inter olitas pro me, & cum hoc deprecabatur me ne peccarem inspiratione aut concione, & nolui audire illum, sed facere voluntatem meam contra suam. Idcirco venit super me ista tribulatio, infamia aut labor. Amore Dei, vt quicquid aduersi tibi acciderit ad hoc tribuas, quia peccasti in fratrem: quia statim dicet tibi consideratio illa bona aut inspiratio, à malo volens te retrahere, nec valuit, nunquid non dixi tibi: noli peccare in puerū Iesum? Vt quid non audisti me? En aperi mentis oculos, en sanguis eius à te effusus & conculcatus exquiritur à patre suo contra te: si talem dolentem & gementem & culpas abhorrentem viderit te Christus, vt est misericors & corde molli, habebit se ad flentis modum erga te, & statim tibi parcet.

Caue tamen ne in tam graui scelere à vita anima tua discedat: væ quando Christus Iudex iratus tibi appareat ad rationem vltimam, non simulans se iratum esse, sed valde stomachatus dicet: o explo-

ò explorator,& qui non timuisti me culpis tuis iterũ occidere: li gatus delictis tuis in carcere inferni manebis sine fine. Discede à me: dęmones, accipite illũ vestrę ditioni traditũ, mittite in carce rẽ tenebrosum vobis paratũ. Heu quã dolenter dices tunc & si ne fructu, merito ignẽ inferni & tormenta crudelissima patior: quia peccaui inuerecunde contra fratrẽ meum Christũ, in agonia mortis pro me aliquãdo constitutum. Conscięntiæ remorsus in surget cõtra te dicens: nũquid nõ dixi tibi non pecces? Ipse filius Dei non deprecauit te ne illũ occideres, & noluisti audire nos? En sanguis Dei exquiritur. O verbũ tremendũ. Quid facis ò homo, peccatis peccata addendo? Sanguis Dei à patre suo quęretur & cito: ipse prius pœnitentia vera in te illum vindica.

Merito mala multa passus eris, quia in fratrẽ peccasti Christũ: Adonibezec cõprehẽsus fuit à Iuda, cæsis summitatibus manuũ ac pedũ eius, & adduxerũt eũ in Ierusalẽ & ibi mortuus est. Qui dixit merito patior ista, quia septuaginta reges ãputatis manuũ ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborũ reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adonibezec (ait Hiero.) interpretatur dñs fulminis, aut dñs cõtemptus vani: quis melius per illũ intelligitur quã fidelis, qui cũ esset dñs & filius dñi dominorũ per baptismũ & Dei gratiã: fulmen culpæ contra Deũ non dubitauit emittere? Et quod est peius voluit esse dñs vani contẽptus, voluptatis aut inanis gloriæ, & terrena potius quam cœlestia in pretio habere. Extremitates manuũ & pedum amputauit regũ: quando à bonis operibus suis, sanã intentionem tulit, & finẽ in debitum apposuit: & gratiã perdidit ob quã manus & pedes filij Dei in cruce confossi fuerunt. Qui huiusmodi es, time Iudã & leonẽ de tribu Iuda Christũ, cito cõprehendet te in morte: & recipies iuxta opera tua. Quia pedes habes & nõ ambulabis in cœlo: & manus & nõ palpabis cœlestia sed ignẽ & serpẽtes: & tũc aperies oculos ad pœnã, quos clausos in culpa habuisti: & dices, merito patior ista, quia peccaui in fratrẽ Christũ, & in proximos meos tollendo operum suorum debitum finẽ. Venite occidamus hæredem. Ad hoc pater eius cœlestis, imo & ipsemet filius quem occidere vultis Iudæi plantauit vineam, & turrim ædificauit in ea, & fortalitium Ierusalem? Vt ab illa turri synagogam custodiretis, & vos à malis defenderetis, & Deo debitos fructus gratitudinis, & seruitia impenderetis, datum est fortali- *Iudi. 1. B.*

tium

tium vobis à Deo & templum ſanctum: nō vt ab illo exiretis cō tra legitimum Dei hæredem, non ad recipiendum ipſum, ſed ad occidendum, audite cœli cœlorū & fortalitiū angelorū, quid filij Adæ contra dominum ſuum dicant, venite occidamus eum, & egrediamur de turri quam pater ſuus nobis ædificauit, contra illum.

Surge Michęa, & iratus aduerſus iſtos ingratos, dic contra tur
*Mich. 4.* rim & fortalitium illorum, à quo exeunt occidere hæredem: & tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion, quondam munimentum gregis (ait gloſ. inter.) & populi Iſrael: ô templum, & defenſio ouiū illius, & fortalitium Dauid ſepe circundatum, & prophetijs & ſacrificijs, & ſacerdotio & regno. Nunc vero tenebroſa facta es erroribus circundata, quia ex te vt à turri (quam Deus ad tuam defenſam dedit) exierunt coloni crudeles ad occidendum hæredē, vt lupi ad deuorandum agnum, & velut leones rugientes ad occidendum paſtorem venientem ad liberandum te, imo & ad moriendum pro te. O turris gregis nebuloſa lucem abhorrens, dicēs, hic eſt hæres, iſte eſt paſtor, & lux, venite occidamus eum & extinguamus lucem illius: vſque ad te veniet ſupplicium. Nunc quare męrore contraheris, miſera Ieruſalem, niſi quia hæredem occidiſti, & inſuper quod non eſſet qui illum requireret dixiſti? Nunquid rex non eſt tibi (ait ibi Michęas) nempe pater hæredis qui tale facinus petat? Occidis filium eius & nō requiret? Rex eſt, potens eſt ad ſe vindicandum. Aut conſiliarius tuus perijt? Ideſt ſpiritus Sanctus petet à te ſi pater noluerit, & comprehendet te dolor ſicut parturientem. O tu turris gregis nebuloſa, & anima culpis tenebroſa, quæ ex fortalitio voluntatis tuæ peruerſæ, quoties delictum commiſiſti, contra paſtorem tuum exiuiſti, lucem
*Mat. 22.4* fugiens, & extinguens: tamen conuertere ad dominū tuum ſuo auxilio dum tempus habes, alias rex eſt qui quærat contra te, & iudex qui puniat te. Si rex pater, cum audiuit ſeruos ſuos quos ad inuitatos vocandum miſerat, fuiſſe à conuiuis occiſos, iratus eſt, ideſt effectus irati habuit in mittendo angelorum exercitus ad illos deſtruendum: vt quid cogitant miſeri agricolæ, quod debent filium occidere, miſſum à patre ad illos inuitandum ad cœleſte conuiuium, & hoc manebit impune? Nunquid rex non eſt, & potens? Falſo cogitauerunt, iam miſit contra illos Romanorū exercitus, quibus illos deſtruxit. Hinc & ipſa anima peccatrix

time

time ſupplicium tibi iam minans, cum non ſis verita iniuriam Deo irrogare: fac pœnitentiam veram alias væ tibi erit, diſce cum timore & tremore ſalutem tuam operari, & Deo in omnibus ſeruire, & filium eius Ieſum amplius, delictis non occidere. Vide oculis mentis illum hæredem cœleſten habere patrem regem & potentem filij iniurias vindicare valentem cum magnos habeat exercitus, & ipſe filius iudex omnium eſt, times miſer hominem tantum valentem corpus tuum occidere, & amplius nil mali irrogare potentem: & non times Deum, qui poſtquam aliqua febri ſubito corpus tuam occiderit, eſt potens animam tuam in perpetuam & horrendam mittere gehennam? Hunc time ait filius.

Venite occidamus eum, quem eum? Hæredem cœli? Filium altiſsimi? Quem eum? Verbum patris, viuorum iudicem & mortuorum? Eum? Venientem amore plenum ad vos conſolandum, & pro vobis debita veſtra ſanguinis ſui diſpendio ſoluendum, dicitis occidamus eum? Exinanitum Dominum dominantiũ pro vobis formam ſerui recipiendo, vt illa multa patiatur, occidere vultis? Vtinam inter nos fideles multi ingratiſsimi non inuenirentur, qui tantum Dominum olim crucifixum pro nobis, & iã ad dexteram patris ſedentem & regnantem in ſecula ſeculorũ: ſuis culpis ad iracundiam prouocare nonverentur, & dicunt alterad alterum: venite occidamus Deũ, ne per gratiam in animabus noſtris regnet. Deum? Omnipotentem? Et occidamus eum? O ſcelus, Occidamus eum & habebimus hæreditatem: hoc eſt gentem Iudaicam & locum ſynagogæ & templum, quæ omnia iſte tollet à nobis vt legitimus hæres, ſi dimittimus eum ſic, libere prædicare & viuere, & in tanto honore haberi, & miracula tanta facientem: nos contemptui traditi erimus, & omnes credent in illum: & inde hæreditas, ideſt domus Iſrael, & omnis honor illius & reſpectus ad illum perueniet. Scindamus illius paſſus, & tanto igni nobis minanti & damno, cito ſanguine ſuo obuiam exeamus & extinguamus illum, occidendo iſtum hæredem. Illo interfecto, non eſt qui hæreditatem nobis cõtradicat: pater ſuus non habet alium legitimum hæredem. Debet ipſe venire de cœlo ad petendam filij ſui mortem? Vt non videat loca vbi flagellatus erit à nobis & vbi crucifixus: & ne aſpiciat ſanguinem illius fuſum per terram, ex quo magna conſurget compaſsio: non veniet ad tollendum hereditatem à nobis, neq; ad puniendũ nos.

*Mat. 10. c.*

*Ioã. 11. F.*

Omiſeri

Omiſeri malitia obcæcati,ideo quia hæredem occiditis verum, omnia iſta mala quæ timetis & multo maiora venient ſuper vos. Super me & omnes hic ſtantes veniat gratitudo,& deinde gratia vt ad gloriam perueniamus. Amen.

# Homilia Octaua.

Ten. ¶Et apprehenſum eum,eiecerunt extra vineam & occiderunt.

CCE fratres Ioſeph contra illum inſurgentes, vnus apprehendit illum ex parte vna,alius ex altera magno furore,alius alapa percutit,alius pugno cędit: ali⁹ capillos alius oculos euellere volebat : alius tunicã tollit,alius calce ferit illum:omnes tamen dicunt : nunquam natus fuiſſes ſomniator, puer ſuperbe, nos debebamus adorare te? Ecce adorationem tibi debitam, nempe concultacionem: non peruenias ad adoleſcentiam puer elate, neque ad oculos patris tui amplius ſis reuerſus. Hic depones modo vitam, & videbimus quid tibi proderint ſomnia tua,& quando implebuntur. Quid contra vos feci,puer innocens & valde vos diligens ? Peccaui in vos,quia patrem meum dilectum reliqui, vt ad vos viſitandum & conſolandum venirem, tanto labore & ſudore fatigatus? Audite talia agricolas feciſſe contra Chriſtum dominum & crudeliora,& ab ore ipſiuſmet dicta & enarrata:quod maxime notandum eſt in tota iſta parabola: magnum eſſe dolorẽ audire ipſum
Actu. 1.C. filiũ Dei,iniurias graues quas poſtea patidebebat,vnde quis dubitat magnum tunc ſenſiſſe dolorem? Ecce agricolæ,ducti à miſero apoſtolo Iuda tanquam latronum duce, apprehendentes filium Dei,in nocte qua traditus eſt ſudore ſanguineo madidus & triſtis vſque ad mortem,qui Paulo antea cum morte agonizatus fuerat. Alius pugno percutit Dei faciem,alij fuſtibus caput veneran dum:quis dubitat quin alij capillos alij barbam tantæ veneratio nis euellebant, poſt multas irriſiones: Audi ipſum agnum hoc
Iſa. 50. C. affirmantem in Iſaia:genas meas dedi vellentibus: fune ligatus coram dãnato pontifice adducitur,vbi alapa percutitur, quæ nõ fuit minima ſuarum iniurlarum:quia valde nobili irrogata.

Velantes

Velantes faciem eius percutiebant genu flexo caput & faciē eius dicētes,aue rabbi.Nunquā natus esses somniator,nos te adorare debebamus?Ecce adorationē tibi debitam irrisione plenam accipe hanc alapam:similem & patri æqualem te faciebas? Non venias amplius ad oculos matris tuę Marię: hic morieris & non effugies manus nostras.Vestem corporis tui, flagellis & clauis nudabimus à te:&tunc videbimus quid proderint somnia verborū tuorū quibus te Deum adoratione dignum faciebas vnum cū patre te esse affirmās &si pater aut mater tua de manibus nostris te liberare valebunt:eiectus eris extra vineam,&crucifixus certe. Ingrediatur D.Ansel.& interroget Iesum sic apprehēsum & vili pensum à malis agricolis,dicens:quid feciſti puer Iesu,vt talia patereris?Quæ culpa tua? Quid delicti cōmisisti dulcissime adolescēs,vt sic iudicareris à mortuis iudex viuorū?Quid perpetrasti iuuenis cœlestis,vt tā male à tuis hominibus tractareris? Quod scelus tuū?Quæ noxa tua?Quæ causa mortis tuę? Quæ occasio tuę dānationis.O admirabilis censurę cōditio:ô ineffabilis ministerij dispositio,peccat iniquus homo & punitur iustus Deus: delinquit reus,vapulatur innocēs:offēdit impius,dānatur pius, quod meretur malus, patitur bonus?quod perpetrat seruus, exoluit dñs?Quod cōmittit homo sustinet Deus?Vt qd talia pateris dñe?

*Ioan.10.E.*

*In lib.medi tatio.*

Quid cōtra vos feci agricolæ,vt tam crudeliter mecū vos facere inueniā?Peccaui cōtra vos,quia exiui à patre&veni in mundū amore vestro,tantis laboribus & doloribus quærens vos?Multa bona opera ostēdi vobis & feci,ob quod illorū sic me apprehensum,extra vineā ad occidendū tāta irrisione eijcitis?Quia veni ad debita vestra sanguine meo soluendū?Populo meus, quid feci tibi,aut in quo vnquā molestū me tibi prębui? Respōde mihi si qd habes.Nec fratres Ioseph,quid iusti respondere potuerunt, neque falsi Iudæi excusam prætexere tantæ malitię, & omnis fidelis peccator in ratione sua obmutuit coram Christo Domino cum sic in membris suis offenderit illum, & spiritualiter delictis grauissimis te habes quotidie cum illo,vt Iudęi corporaliter: vide frater quid facias,& ob quod bonorum operum? Fratres Ioseph tunicam extraxerunt ab illo & ipsam nudauerunt, quia maxime oderant illam, propterea quod esset signum virtutis eius, & dilectionis paternę. Nil magis voluerunt Iudęi neque conati sunt quam denigrare infamijs tunicam iustitię Christi & innocentię, qua valde dilectus erat à patre. Vnde ideo occide-

ciderunt illum mortis genere adeo opprobrioſo, nempe crucis, vt ſi ſic potuiſſent talem veſtem ab ipſo tollere. Et inter latrones poſuerunt, vt autoritatem concionum ſuarum & miraculorum tollerent: cum tamen innocentia ſua nos liberare à culpis noſtris deberet. Igitur qui concionatoris & animarum paſtoris famam, denigrare dictis aut factis contendis, & tunicam ſui honoris exuere & polluere non vereris: inuidus frater Ioſeph innocentis es, imo agricola peſsimus, imo ſcriba & Phariſæus infernalis, cui magnum expectat ſupplicium.

Totum hoc ad literam impletum eſt, quando Ieſus à principibus Phariſæorum comprehenſus fuit: & poſt tot illuſiones & flagella iectus fuit à domo Iſrael, tanquam ſeductor, cruce oneratus ad campum malefactorum: cum omnes euangeliſtæ conueniant in caluario fuiſſe crucifixum, & (vt ait D. Hieron.) etiã Apoſtolus loquitur, quod extra portas Ieſus crucifixus eſt. Poſſumus & aliter intelligere, quod iectus fuit extra vineam ſynagogæ Chriſtus Dominus & ibi occiſus: vt ſic à gentibus eſſet receptus, quibus vineam ſuam locauit, ideſt, eccleſiam: reiectis perfidis Iudæis. Dixit Cain ad Abel fratrem ſuum, egrediamur foras: cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus Abel & non ſe defendentem interfecit eum. Videns tamen Dominus herbas ſanguine iuſti tinctas, ait ad Cain, vbi eſt Abel frater tuus? Neſcio, quęre ipſe illum, ſum ne ego cuſtos illius aut pædagogus? O inuerecunde, quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra contra te, vnde maledictus eris in ſecula ſeculorum. Si talia Deus omnipotens pro vnico ſeruo ſuo Abel, dixit & fecit & iuſte: quid pro filio ſuo vnigenito & valde dilecto, dicturus es tibi populę Iudaice, Cain maledicte inuide peruerſe, qui dixiſti hæredi Chriſto: poſtquam iam ipſum flagellatus es & non Abel: & ſpinis coronatus, accipe hoc lignum crucis ponderoſum in humeris flagellis vulneratis, & egrediamus foras de ciuitate ad montem interfectorum quia: nolumus in vinea moriaris, nam ipſe dixiſti in euangelio iſto, extra vineam te fore eijcien dum: veni foras ad locum vbi anima tua à corpore exeat, ſine hoc quod te defendas.

*Ad Heb. 13. B.*

*Gen. 4. B.*

Pater æterne reſpice de cœlo & vide magis graue ſcelus quam contra Abel fuit commiſſum, quãto filius tuus maior & dignior & innocentior ipſo Abel. Vide herbas & male factorum caluarias ſanguine filij tui irrigatas: quid agricolis dicis? Populę ingrate, Cain

te,Cain liuore tabescens,quid feciſti? Vbi eſt Abel filius meus & frater tuus omnium iudex? Vbi eſt hæres cæleſtis? Neſcio: ſum ego cuſtos illius,aut pedagogus? Quære tu illum ſi filius tuus es, libera eum ſi vis. Neſcis vbi ſit populę infernalis? Neſcis quid feciſti ſynagoga ſathanę? ſcelus cōmiſiſti magis horrendum quam hucuſque perpetratum eſt, nec erit. Captaſti filium meum, alapa percuſsiſti, flagellaſti, infamaſti occidiſti, & neſcis quid te feciſti? Ego credo nam ſi ſcires, ſtatim præ dolore & timore diffuſa eſſent viſcera tua, ſicut miſeri diſcipuli Iudæ traditoris. Quid feciſti? Neſcio. Vere neſcis quantum malum facias, cum hæredem cœleſtem occidas, etiam ſi inde omne bonum animabus ſanctis profecturum & reſultare debet: vnde ſi vis,accipe in tali ſenſu verbum primum à Chriſto in cruce prolatum. Pater,ignoſce illis,neſciunt certe quid faciant: quia etiam ſi vident ſe malum graue perpetrare, non tamen callent intrinſece quam ſit grauiſſimum ſcelus Deum tam inuerecunde occidere alias defeciſſent præ timore, ſi non dolore. Vbi eſt filius meus? Neſcio. Extra vineā eieciſti & ibi occidiſti: & ecce vox ſanguinis eius clamat, nō à terra,ſed à cælo,quia iā in reſurrectione ſua recollegit illū. Clamat cōtra obſtinatos Iudæos,petit miſericordiā pœnitētibus, & vt in cognitionē tanti delicti peruenias peccator & tollatur cordis tui velamē: vę ſit nō cito ad pœnitētiā confugeris, vindictam petet contra te. Ideo apoſtolus dicit, ſanguinē filij mei melius loquentē eſſe quā ſanguinē Abel: quia iſtius ſanguis clamat vindictā dicēs mihi,iuſtitia iuſtitia,ſcilicet de meo fratre fiat: ſed Chriſti ſanguis,miſericordiā, miſericordiā,ſcilicet peto pater,neſcientibus quid contra me faciant. Vel melius loquentē,ideſt melius loqui facientem: quia ſanguis Chriſti facit homines loqui & confiteri Chriſtum per fidem verum Deum iuſtificantem eſſe.

*Actu. 1. C.*

*Luc. 23. E.*

*Ad Heb. 12. F.*

Quid tamē dicā de quolibet fideli me audiente talia de Iudæis cōcionantē, & Deū eſſe filium Dei neſcientibus: quia ſi cognouiſſent verū eſſe Deū, nunquā dñm glorię crucifixiſſent: (vt ait Paulus) & tamē ipſe ô chriſtiane, ſcis per fidē veriſimā, Chriſtū eſſe filiū Dei pro te occiſum & in dextera patris regnantē: & tamē nō times quolibet mortali delicto illū extra vineā animę tuę ejicere vt nō regnet in illa per gratiā. Vnde quodā modo quantū fuit in te ipſum occidiſti, cū iterū ſua morte indigeas ad vitā gratiæ animæ tuæ conferendā vt viuat: & feciſti vt nō viuat in anima tua

*1. Cor. 2. B*

per gratiã. Nõ vidit pater ſuus tã graue facinus? Vidit certe, & audi illũ de te multũ conquerentem, atque dicentẽ: vbi eſt Abel frater tuus & filius meus qui erat heri in anima tua per gratiam? Vt quid cõculcaſti ſanguinẽ eius? Vbi eſt? Neſcio: non eſt in anima mea per amicitiã, quid ego ſcio vbi ſit? Sum ego illius pędagogus quid feciſti? Quid amiſiſti? Quid inueniſti? Feciſti graue delictum deũ occidẽdo quãtũ fuit in te: amiſiſti gratiã & gloriã ſi in tali permanes ſtatu inueniſti irã Dei & illius indignationẽ, & mala quorũ nõ eſt numerus. Ecce enim vox filij mei & ſanguinis eius, clamat ad me pro te miſericordiam & veniam petendo: & ipſe ſoluis illi, quotidie maiora mala peccatis tuis addendo. Caue ne homicida moriaris tui ipſius & ſanguinis Dei cõculcator: reuera iuſtitiã de te grauiſsimam ipſemet aduocatus tuus iudex omnium faciet.

3. Reg. 21. D. Dolendũ erat certe iuſtũ Naboth videre, induſtria impudẽtiſſimæ Iezabelis, & malitia falſorũ teſtium: eductũ de vinea ſua extra ciuitatẽ vbi lapidibus interfectus eſt: tamẽ canes comederunt Iezabel, & ſanguinẽ mariti ſui regis Achab lãberunt in eodẽ loco in quo linxerunt ſanguinem Naboth. Quãto maiori dolore afficiẽdi eramus fideles, audiẽdo hodie ipſum filiũ Dei dicentẽ: extra vineã eijcient me, baculo crucis occidẽt me & ſanguinẽ meũ effundẽt: cõſilio maledictæ ſynagogæ & dictis falſorũ teſtiũ. Tamẽ nõ erunt impuniti, quia millia milliũ illorum à Romanis occiſi erunt, & multi à canibus erunt dilacerati, in eodẽ loco vbi crucifixerunt me: & canes gentiles ſcilicet ſanguinẽ meũ poterãt lãbere: & ſic ab eiſdem canibus ipſi fuerũt deſtructi: & merito cũ ipſi dixerunt, ſanguis eius ſuper nos veniat ad illũ ſoluendũ, & ſuper filios noſtros. Eiecerũt eũ extra vineã, quaſi vile cadauer (ait Anſelmus.) in quo notat eorũ pertinaciam & indignationẽ durã & maledictam: qua occiſum dominum & reſuſcitatum à ſuis finibus excluſerunt, & extra vineam ſuam, & miſeram ſynagogã eiecerũt, & quantum in ſe fuit gentibus illũ tradiderunt. Et etiã quoties à te Chriſtum peccato expellis, ſtatim crucifigis illum quantum eſt in te. Et quare hoc, niſi quia vult recipere à te fructus bonorum operum loco gratitudinis, vnde tibi maiora merita accreſcant? O hominum pertinaciam. Sic & iſti Iudæi eiecerũt Chriſtum dominum extra ſynagogam & ciuitatem Ieruſalem & crucifixerunt illum. Quare tam graue ſcelus committere nõ veremini? Quia venit ad recipiendum patris debitum,

Tobiæ

Tobias iunior missus fuit à patre suo sene, vt debitum reciperet à Gabello: qui cum peruenisset ad flumē Tigrim & voluisset pedes lauare, ecce piscis magnus exiuit ad deuorandum eum quē expauescens Tobias, clamauit voce magna dicens: domine, inuadit me. Dixit ei angelus, apprehende branchiā eius, & trahe eum ad te in siccum. Quodcū fecisset palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei angelus exentera eum, idest interiora eius ostēde foris & extra cor eius & fel & iecur depone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter, quod processu tēporis ostensum fuit. Filius Dei est Tobias iunior, qui etiam si æqualis in omnibus est patri secūdū diuinitatem tñ minor patre secūdū humanitatē. Missus fuit á patre suo ad recipiendū fructus bonorū operū patri & sibi debitos ab hominibus, ex redditibus animarū suarum. Sed quia in sudore sanguineo hanc figurā expositam inuenies, filiū Dei Tobiæ comparantem, modo piscī assimilabimus illum eiectum extra flumen & ciuitatem Ierusalē, & palpitantem & occisum. Et sic Tobias peregrinus veniens ad debitum patris sui recuperandum: est quilibet homo, incessanter pergere debens ad lucrandam gratiam, ab Adam, omnium parente perditā & dona. Saltim debebamus hoc facere, cum peregrinemur à domino quandiu in hoc seculo sumus, & nullus sit vicinus sed exul: vnde hoc sufficiebat ad patriam melius quærendam. *Tob. 6. B.*

Piscis magnus à quo credidit Tobias deuorari, filius Dei est, mūdū in stuporē vertens, in sua apparitione per carnē. Erat filius Dei in fluminis profundo, cum esset in sinu patris, & in essentia sua, satis profundiori in infinitū flumine Tigri. Quādo piscis exiuit ab aqua, stuporem causauit Tobiæ. Et filius Dei maiorē admirationē mundo, quādo in illo natus est. Angeli de cœlo venerūt, pastores adorauerunt illum: reges à stella ducti corā illo prostrati, & videntes sic tā puerū & mirandū: admirati sunt turbati sunt cōmoti sunt tremor apprehēdit eos (ait Dauid) Hebręi perturbati sunt, & dęmones stupefacti. Et stupor piscis trāsiuit velociter: tñ ille quē Deus suo aduētu causauit mūdo & inferno: adhuc manet & manebit vsq; ad seculi cōsummationē. Tobias ex piscis visione expauit, & tñ angelus recognouit: quia synagoga malitia sua scandalū in Christo passa est nascente & moriēte: cū ecclesia ex gētibus cōgregata, in regibus magis, recognouit illū, & postea amplexata est & magno amore recepit, & vt Deū suū defendit. *Psal. 47. A*

Expaueſcenti ſynagogæ & filium Dei timenti, dixit pater cœ
Zach. 13.b leſtis permittendo dicens, framea & enſis ſuſcitare ſuper paſtorē
meum apprehende branchiam eius, & liga illum: & ex entera
Ioan. 19B. eum: viſcera ſua flagellis & lancea extra oſtendēdo: & videbis mi
rabilia quæ operatus erit. Ex hoc enim dixit filius Dei Pilato: nō
haberes poteſtatem aduerſum me piſcem magnū, niſi tibi datū
eſſet deſuper, & pater dixiſſet apprehende illum & morti adiudi
ca. Auderet iſte timidus populos Iudaicus, tam potentem exen
terare piſcem, ſi pater meus facultatem non dediſſet, vt eſſet hō
ra ſua cōtra me & poteſtas tenebrarum illū adiuuaſſet?

Tobias piſcē in ſiccum ex brāchijs extraxit, & excoriauit illū
& extraxit cor, & iecur, & fel ſibi reſeruauit: & partem carnis aſ
ſam comedit & partē in viam ſeruauit. O populе Iudaice, qui in
mari feruente paſſionis Chriſti, illum in ſiccum traxiſti, & extra
vineam: quando omni ſolatio deſtitutum & omni potu, in cruce
pendere feciſti, prius illū flagellis excoriaſti, cor illius lancea vul
neraſti: fel in eſcam & acetum in potum illi dediſti. Tamen etiam
reſeruaſti tibi fel multarum pœnarum & amaritudinū, quæ tuis
culpis debentur: ſi in tempore non vis vti felle paſſionis illius, fi
de & charitate, credendo in Chriſto domino & operando. Si au
xilio ſuo vti vis, fel paſſionis illius tibi erit mel: & comedes car
nes illius charitate aſſas in ſacramento, & partem in viam ſeruа
bis, quia viaticum eſt tale edulium ad patriam. Tamen ſi non de
poſueris velamen duritiæ tuę, & ad Chriſti fidem veram veni
re noluerit: maiora tormenta tibi manent quam piſci Chriſto
dediſti. Extraxiſti illum de vinea potum negando illi per horam
in ſiti perpetua & canina manebis, & non bibes niſi venenum
exvberibus aſpidum eductum. Excoriatus eris flagellis diris: cū
Pſal. 31. multa flagella maneāt peccatori: cor tuū lanceis erit confixū, fel
amaritudinis tibi reſeruatū erit in æternū: ſic tibi promiſit tuus
Deu. 32.E. Moſes, fel draconum vinum eorum. Audes extra vineam hære
dem eijcere, & inſuper occidere? Qui tale fecit tale patiatur:
vt ait præco.

Non ne in multis ſimilis eſt populo iudaico peſsimus homo,
qui non veretur delicto ſuo, filium Dei piſcem diuinū in ſiccum
extrahere, & ab anima ſua expellere, vnde ſicca & miſerabilis ma
net ſine Dei gratia? Nonne talis pœnas Iudaico populo reſer-
uatas, aliquando erit paſſus: ſi cito ad pœnitentiæ portum, Dei

auxi-

auxilio, non confugerit? Quis te fascinauit peccator insensate, vt cõtra Dominum tuum adeo benevolum, auderes sic ingratitudinem vti? Quia in siccitate magna in cruce tui amore mortuus est? Quia omni solatio priuatus & refrigerio destitutus à patre, ob tuam salutem fuit derelictus? Quam aridum erat illud lignum, in quo Christus pendebat pro te: qui cum genitus esset diuinus ille piscis à patre in mari essentiæ diuinæ, nec guttam aquæ in illo ad bibendum obtinuit humanitati, lacrymis & precibus: ob hoc ei jcis illum extra animam tuam homo? Siccus & omni solatio detestatus manebis, nec à cœlo neque à terra tibi refrigerium bonũ proueniet quandiu sine tali fueris hospite, fonte infinito. Attendite homines dolorem meum (dicat sacer hæres à te expulsus, qui quondam in cruce multa passus fuit ob tuam salutem) quis enim labor in hac potest vita maior contingere pisci, quam extrahere illum ab aqua in qua à sua creatione versatus est, & moriatur siti, iuxta aquam existens? Ego piscis cœlestis, in aqua diuinitatis genitus sum à patre meo ante omnia secula & æternaliter & tamen in cruce extra vineam positus sum: quia etiam si semper Deus maneam, tamen nullum solatium humanitati meæ ex mari diuinitatis proueniebat: vnde me esse derelictum affirmabam, & cum Sanſone dicebam: en siti morior alicuius refrigerij, cum iuxta mare diuinitatis sim in quantum homo: imo vnione hypostatica simul Deus & homo verus, in suppositio diuino. Tamen si Tobias, piscem ad siccum non extraxerat, quomodo in aqua vbi fortissimus est cõtra illum poterat prævalere? Et si diuinitas mea ad siccum huius mundi carnem assumendo non pertenisset: & in carne posita: à vinea in siccum passionis nõ esset edu cta, quis à cæcitate spirituali sanaret? Quis mecum auderet inire rationem & pugnare, vt quid igitur peccas?

*Simile.*

*Matt. 27. f*

*Iudic. 15. D*

Quid credis dedisset Tobias dicenti sibi, quod piscem, à quo credebat deglutiri cito videret ante pedes eius mortuum? Quis talia auderet cogitare in orbe, vt me filium Dei, quem omnes timebant in mundum venientem, tanquam si ab ipso deuorari deberent, & quẽ tremunt in cœlo potestates: quod debebat videre me in terra, in matris gremio occisum? Quis nõ timebat piscẽ ante quam à Tobia exaquafuisset extractus? Tamen in sicco positus ipse timuit piscis, imo & fuit occisus. Quando ego filius Dei tantũ eram piscis in aqua essentiæ diuinę, hoc est, quãdo eram so-

lus Deus & non homo, in eſſentiæ diuinæ pelago profundo & infinito immerſus: omnes timebant me, & audito nomine meo
*Pſal.93.A.* ſtupore magno cõcutiebantur. Quia Deus vltionũ Deus ipſe ap
*Iere.10.A.* pellabar: & Ieremias dicebat, quis nõ timebit te o rex gentiũ? Da
*Pſal.89.C.* uid, quis nouit poteſtatẽ iræ tuæ? Et præ timore dñe, quis poterit eſſectus indignationis tuę dinumerare? Numera ſi potes quãti in diluuio & Sodomis ſubmerſi ſunt in aquis inferni tetris.

Es piſcis potẽtiſſimus in aqua eſſẽtię diuinę incluſus, inde omnes
*Gen.7.B.* tremere facis. Inde miſi aquam, ad omnes mũdi homines, præter
*1.Pe.3.D.* octo, ſuffocandos in diluuio: inde plui ſulphur & ignẽ contra cl-
*Gen.19.E.* uitates Sodomiticas. Quis nõ timebat me tunc? Tota machina cœli & terræ tremebat à facie mea, & dicebat: exi dñe, ab ipſo mari per carnis aſſumptionẽ manendo in illo, vt ferre poſsimus iræ tuæ poteſtatẽ. Inclina cœlos tuos & attributa diuina & deſcẽde
*Pſal.143.B.* ait Dauid. Veni in mundi ſiccũ, & aridã terrã, qui antea omnes tremere faciebã, timui & cæpi pauere, & mœſtus eſſe in horto oliuarum. Qui antea homines & gigantes in terrã proſtrabã ipſe
*Mar.14.d* proſtratus ſum in faciem meã ſanguineo ſudore madidã. Qui an
*Iudic.16.e* tea tot catenis ligatos in tartara truſi, in doloris nocte ligatus fui. Dolẽdũ erat de Sãſone prius fortiinde ligato, ſed quid cũ Chriſto filio Dei qui antea multos diuites fecerã: pauper aiuuentute mea, imo à pueritia effectus ſum vſq; ad mortem. Qui antea eſcam dabã omni carni: fame ipſe torquebar. Qui alios olim honorabã, in famia & ignominia nõ viſa reſperſus fui. Qui antea omnes torrẽte voluptatis meę angelos, potabã in mari eſſentiæ meæ: en ipſe in ſicco crucis poſitus ſiti morior: ſitio enim & nõ eſt qui mihi potũ aquæ præbeat. Qui alios ad flagella dãnabã, flagellatus ſum: qui innumeros morti tradebã, in cruce occiſus ſum. O homo vide quãta paſſus ſũ poſtquã ad mũdi ſiccũ veni tui amore, & quo modo factus ſũ miſericors & miſerator libẽter parcens peccata.

Dñe, fuit magnę vtilitatis iecur piſcis Tobię: nã partẽ illius po-
*Tob.8.A.* ſuit ſuper carbones viuos, vñ dęmõ Aſmodæus fugatus eſt. Quãto magis cõducibile erit animab⁹ iecur meũ in cruce expreſſũ, & omnẽ effundẽs ſanguinẽ meũ, cõtra dęmones & vitia? Dñe Ieſu,
*Ibi.11.C.* fel Tobię piſcis, fuit ad viſũ recipiẽdũ vtile valde: nã ſumens Tobias defelle piſcis, liniuit oculos patris ſui, vñviſum recepit. In infinitũ magis vtiliſsima erit animab⁹ fel paſsionis meę, volẽtibus illo vti vt decet ad ſpiritualẽ viſionẽ obtinendã, & cæcitatẽ cordis

expel

expelledã:fi linierint tali fellevtroſq; animę oculos,intellectũ nẽ pe fide illã credẽdo, & voluntatẽ operatione debita illa vt decet vtẽdo:vt filij Iſrael ſuper vtrũq; poſtẽ poſuerũt de ſãguine Agni Redẽptor,carnes piſcis aſſæ,auxiliũ & vires dedere Tobię aditer ambulãdum.Corpus meũ,omni veneratione digniſsimũ,& in altaris ſacramẽto per modũ cibi animab⁹ collatũ:quanto maiores præbebit vires digne recipiẽtibus illud? Quãto magis adiuuabit ad labores & moleſtias perferẽdas, huius itineris laborioſi vitæ mortalis?Quare dicitur viaticũ,niſi quia eſt magnus comes & ſocius fideliſsimus recipienti illud,digne & cõpetenter, ad ambulãdã hanc laborioſam exilij viã,& ad perueniendũ ad iudiciũ? O diuini piſcis adiuua nos & extrahe nos ab omnivitiorũ humiditate, ad ſiccũ virtutũ: vt ſgrati ſimus tantis beneficijs quibus affeciſti nos,in tua incarnatione,& ſacra paſsione: vt ſic fruamur tua diuina viſione.Amen. *Exo.12.B*

# Homilia nona.

¶ Eiecerunt Ieſum extra vineam. *Text.*

AGricolæ ingrati, quia (vt ait Paulus) ſicut corpora animalium (quorum ſanguis inferebatur pro peccato in ſancta per pontificem) extra caſtra cremabantur (vt iuſſum fuit in numeris de vacca ruſa) propter quod & Ieſus vt ſanctificaret populũ per ſuũ ſanguinem,permiſit phariſæis vt illũ extra vineam ejicerent:& ſic extra portã paſſus eſt agnus innocens,& ibi crucifixus, pro delictis noſtris. Sed dñe mi,veritas debet figurę reſpõdere: ſed paſsio tua per ſacrificia veteris legis figurabatur,quę in tẽplo offerebãtur,videtur ergo quod & ipſe in tẽplo & nõ extra vineã pati debebas, & patrĩ te offerre in odorẽ ſuauitatis. Deinde,medicina debet morbo reſpõdere,paſsio tua medicina fuit cõtra peccatũ Adæ: Adã nõ fuit ſepultus nec mortuus in Ieruſalem ſed in Hebron. Dicitur enim in libro Ioſue:nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt: igitur in Hebron Domine, & non extra Ieruſalem occidi debebas. Argumenta ſunt hæc, mei doctoris angelici Thomæ: quarum ſolutiones, tam horum quam aliorum argumentorumſuorum, nemo hucuſq; *Ad Heb.13. B.* *Num.19.A* *Ioſ.14.D.* *3.P. quæſt. 46.articu.*

10.arg. 2. 3.& in solu. tam docte sancte & acutè dedit quam ipsemet. Et vtinam sui æmuli ad illius attenderent solutiones, & contra illas arguerent, si quid haberent, ibi respondet pro me & ait, me non in tẽplo aut in ciuitate sed extra portam passum fuisse ob tria: primo quidem, vt veritas responderet figuræ: vitulus & hircus, qui solẽ-

Leui. 16.f. nissimo sacrificio, ad expiationem totius multitudinis offerebãtur, extra castra comburebantur (vt præcipitur in Leuitico) & citatum est à Paulo. Deinde vt hominibus daretur exemplum, exeundi à mundana conuersatione, & nociua societate, & à peccandi occasionibus: vt Paulus hortatur ibi dicens, exeamus igitur extra castra vitiorum nostrorum, improperiũ Christi in memoria & corde & operibus pœnitentiæ portantes: & sic sequemur dominum nostrum, crucem nostram quilibet portans, si occasiones fugiamus.

Deinde ex Chry. in sermone de passione: noluit dominus pati sub tecto, non in templo Iudaico: ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare, ne putares pro illa tantum plebe oblatũ: sed foras ciuitatem, foras muros passus est, vt sciant omnes sacrificium esse cõmune: quod totius terræ est oblatio, & cõmunis purificatio. De illo de Adam D. Hiero. ait, quendam exposuisse caluarię locũ in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput: tamen fauorabilis interpretatio & mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra vrbem enim & foras portã, loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum: & caluariæ, idest decollatorũ sumpsere nomen: & ideo ibi crucifixus est Iesus, vbi prius erat area dãnatorum, vt ibi erigeretur vexillum martyrij, quia magis crucifigendus erat Christus in loco communi damnatorum, quam iuxta sepulchrum Adæ: vt ostenderetur crucem illius non solum esse in remedium contra pecca-

Iob. 2. B. tũ personale Adæ, sed cõtra peccatũ totius mundi. Vt quid dñe, extra portam pati vis? Quia sicut Iob persecutio, non fuit terminata, vsq; dum à plãta pedis percussus ad stercora proiectus fuit extra populum, vbi vermes carnes suas rodebãt: sic & persecutio mea non erit finita, quousq; à planta pedis flagellis vulneratus, ad caluarij stercora sim portatus. Tamen Iob mansit tegula qua saniem & lepram radebat aut testa: mihi tamen nec vestis filum nec aquæ gutta. Ille habebat brachium liberum & solutum ad lepram scalpendã: mea tamen brachia immobilia clauis affixa pẽdebant.

debant. Iob non fuit ad ſtercora perductus vt moreretur ibi, ego tamen vt ibi ſim crucifixus: vnde ſic eiectus extra vineam, occiſus ſum ab agricolis.

Quod amplius dignum admiratione mihi videtur, in flagitio fratrum Ioſeph eſt: quod poſt tot mala, poſt tot iniurias innocẽti irrogatas, poſt capillorum euulſionẽ, poſt alapas, & veſtis denudationem, & in ciſternam emiſsionem: textus ſacer in hodierna epiſtola affirmat, eos ſediſſe vt comederent panem, ita gaudẽtes & ſecuri & ſine conſcientiæ remorſu, ac ſi grãdem & optimã rem perfeciſſent: quod nõ minime peccatum illorum aggrauat. O fratres non fratres, ſed crudeles hoſtes, poſt tam crudele opus à vobis perpetratũ, poſt tot iniurias & cõtumelias caſto & innocenti fratri irrogatas: conuiuium, quaſi re bene geſta à vobis, celebrare audetis? Fratre illuſo innocente & in ciſterna exiſtente triſti & eſuriente, vobis nocentibus illuſoribus cum gaudio comedentibus? Luget Ioſeph fame propediem moriturus, & vos ridetis comedẽtes & bibentes? Ingrediatur contra vos Amos prophe ta & prandium in fel conuertat, & conſcientias veſtras euertat, & inuerecundiam veſtram minando vobis oſtendat dicens: væ vobis & millies væ, fratres doloſi, qui opulenti eſtis in Sion, qui comeditis agnum de grege paterno, cuius filium ſic iniuriaſtis: qui canitis ad vocem pſalterij, bibentes vinum in phialis, & tamẽ nil patimini nec doletis, ſuper contritione, dolore & iniuria & fame & miſeria Ioſeph? Væ vobis erit, nam maior fere iniuria à vobis fit Deo & fratri, ſic comedentibus ſine dolore, quam in facto primo. Amos, ſtomachare potius contra falſos Iudæos agricolas infernales, qui poſtquam hæredem cœleſtem veſtibus corporis ſui flagellis nudauerunt & ſpinis vulnerauerũt: & clauis occiderunt extra vineam, & in ciſternam ſepulchri poni permiſerunt: feſtũ paſchæ gaudentes celebrare audent, &, quaſi re bene geſta ab ipſis, comedunt agnum figuraticium ridentes, & ſine conſcientiæ remorſu, qui agnum verum excoriatum flagellis in cruce occiderunt. Ingredere ad tam inuerecundos agricolas Amos, & dic illis væ & væ vobis Iudæi ingrati, qui opulenti eſtis, & comedere audetis agnum paſchalem, cum agnum Dei iam morti adiudicare non timuiſtis: & poſtquam panem angelorum in lignum crucis miſiſtis. In prætorium ingredi abhorruiſtis: ne ad paſcha celebrãdum contaminati eſſetis duces cęci, excolantes culicem & camelum

*Gen. 37. F.*

*Amos. 6. A. B.*

*Ioan. 18. E*

Mat. 23.c Marc. 15. Mat. 27.d lum glutientes, & Dei filium crucifig ere non timuiſtis, ſed illum fame, & ſiti mori permiſiſtis, interim vos bibitis vinum, & illi myrrha iuxta crucem felle mixtumq; dediſtis? O audacia, & nil patimini nec doletis, ſuper flagellis, ſpinis, & clauis, cruce & dolore, iniuria & ciſterna ſepulchri, & morte & contritione Ioſeph & filio Dei, hærede legitimo? Nec dolore concuſsi eſtis, ſuper compaſſione virginis & mœſtiſsimæ matris eius.

Iam fratres Ioſeph correctionem ſuæ veſaniæ habuerunt ab ipſo in Ægypto: iam Iudæi, qui ad Chriſtum non fuerunt in tempore conuerſi, ſuum væ acceperunt in inferno, quia poſt Chriſti mortem auſi ſunt gaudentes comedere: omittamus illos, & veniamus ad nos, velim cordibus omnium, & primo meo, iſta verba clauis eſſe defixa. O vtinam inceſſanter Amos, talia fidelibus effrontibus peccantibus & nihilominus gaudentibus & comedentibus ſine dolore, dixiſſes ſpiritu diuino. O quis mihi daret, vt in omnium cordibus ſcripta eſſent, quantunuis filice durioribus. Veni homo, ſenſibus fere deſtitute, auribus cordis percipe verba mea: quod non verearis Chriſtũ innocentẽ tuis facinoribus perſequi, proximum pauperculum iniuſtis cõtractibus ſpoliare & ſanguinem illius deuorare & finere eum mori fame. Aut ad mortem animæ proximum inuitare, aut odio proſequi aliquem, aut detrahere: graue malum eſt in te, ſcelus puniendũ per petras & cito. Filiũ Dei extra vineã animętuę iniuriatũ & illuſum quantum eſt inte, delicto tuo ciecisti, & hoc ipſum in alijs fidelibus proviribus conatus es facere, & cum hoc dormis ſecure? Et cũ hoc gaudes & ludis vacas? Audes ſedere ad menſam & comedere ita quiete, ac ſi facta iuſtorum haberes, & vitam pro Chriſto millies martyrio obtuliſſes, antequã delictũ perpetraſſes? Sine dolore & delictorũ cõtritione? Fratrũ Ioſeph facinus eſt: agricolarum peſsimorum ſcelus eſt, hæredẽ occidentiũ, qui gaudentes in paſchate agnũ auſi ſunt comedere. Imo diabolicum eſt, qui nõ contriſtatur ſe contra Deũ ſuperbiendo deliquiſſe, & hominẽ Adã per culpã occidiſſe, & multos ad infernũ miſiſſe.

Veni Amos ſancte, & cõtra talẽ peccatorẽ, ſui & Dei quem iniuria læſit oblitum, inſurge magno dolore & tremore & dic illi væ: o deprauate vermis dico tibi væ & væ. Væ ante, vę tibi retro vę hic & væ tibi vbiq; manet: Væ nunc & vę tibi ſemper, vę intus & interioribus tuis, væ etiã & exterioribus: væ corpori & vę animæ

mæ tuę, væ modo & vę tibi poſtea. Cū audeas, poſt delictū cōtra hæredē legitimum Dei & filiū eius à te perpetratū, auſu temerario gaudere & comedere ſine dolore: interim proxino afflicto, ne ceſsitatē patiente, mendico, & in carcere, famelico & ſine honore & tua cauſa forſan? & cū hoc videat filius Dei, in cuius iniuriā pec catū tale cōmiſiſti, audes ridere & epulari: & nihil doloris pateris ſuper cōtritione & dolore Ioſeph, nēpe proximi innocentis? Imo ſuper dolore filij Dei, quē pateretur: ſimodo illius eſſet capax, de proximo à te perſecuto: vt cōqueſtus fuit de Paulo dicē, *Actu. 9. d.* quid me perſequeris lupe, in proprijs filijs meis? poſtquā agnū occidiſti, & proximū innocentē detractione aut opere percuſsiſti, audes accedere ad me agnū ſine macula in ſacramento exiſtētē, tā inuerecūde & ſine timore riſu falſo Iudę: acſi me ſuper omnia diligeres, & proximū vt te ipſum amare teneris? O ſcelus.

Te peccaſſe in Deum malum eſt, te in ſcelere durare, infernale eſt, ſed cum hoc ſedere quiete, ſed comedere gaudenter, ſed ridere ſicut ille qui venit magno cordis gaudio à legitima & vera confeſsione: hoc dæmoniacum eſt, hoc luciferinum eſt, hoc Cain obſtinati eſt tam inuerecunde reſpondentis Deo de fratre à ſe occiſo interroganti. Hoc cœlicolæ abhorrent, hoc homines ſanæ mentis deteſtantur: imo quodam modo & dæmones, talem inuerecundiam ferre non poſſunt, ſine ſubito ſupplicio: & Deus cito illis facultatem præbet, contra adeo effrontem hominem Iuda in hoc peiorem aut illi ſimilem cum eſſet omnium hominum peſsimus. Quod Iudas Sathan in cor de habuerit, quod Dei filium triginta argenteis precio irriſorio Iudæis tradat, dæmoniacum eſſe nemo dubitat: tamen quod ſedeat ſubridens in menſa domini corpus illius manducans & ſanguinem eius bibens ſine triſtitia aliqua? hoc non potuit filius Dei tolerare facinus, quin diceret dolenter, vidiſtis filioli mei valde contriſtati, audaciam vnius hominis, & inuerecundiā grauiſsimā: Quis eſt dñe? Sit quicunq; ſit, ego noſco illū. Quid fecit domine contrate? Poſt tot facinora concepta & poſtquam tradidit me paucis argēteis, audet (quod magis ſentio & cor meū ferit) ſedere ad menſam meam & comedere mecum ſine aliquo dolore & contritione? Verumtamen ecce manus ſanguinolēta *Luc. 22. c.* tradentis me Dei filium Iudæ infernalis, ecce attendite audaciā, mecū eſt in mēſa: & ipſe ita quietus ac ſecurus ac ſi hac nocte

mei

mei amore vitam fuisset depositurus: hoc non potest ferri à me.

Tulit Dominus vendi, tulit & flagellari, tulit & crucifigi: sine hoc quod os suum aperiret ad querelam: non tamen voluit ferre audaciam Iudæ ad mensam suam impure accedentis: & credis lacere, quod feret patienter, vt ipse ad sacrā buccellam recipiēdam accedas, modo in hoc sacro tempore: sine vera restitutione & præuia, aut sine iurandi aut male dicendi consuetudinis ablatione, aut sine honore reddito, quem tulisti detractione? Iuda, tolle occasionem peccandi, & confitere vt decet, alias ne accedas ad mensam Domini. O sacerdos Dei minister, vtinam ne aliquis nostrum ad talem perueniat inuerecundiam, vt audeat cum Iuda subridens corde maculato, & iam consuetudine obstinato, accedere ad buccellā diuinam, sicut ad mensam priuatam: sine vera contritione simul & legitima confessione, & sine hoc quod totaliter delinquendi abhorruit occasionem. Heu quomodo conqueritur Deus de illo dicens: veruntamen angeli & beati omnes, ecce, attendite sacerdotis impudentiam: manum qua me tradidit, audet immittere in mensam altaris, & cor pollutum quo me vendidit: ô scelus. Si fratres Ioseph ploassent post facinus doluissent de fratre, curassentque illum de cisterna cito educere ante mortem, & remittere patri suo, de malo minus erat: vt fecit Ruben, qui conatus fuit liberare illum de manibus fratrum, & reuersus in cisternam vt extraheret illum, & non inuento puero scissis vestibus ploratu & fletu pergit ad fratres dicens cordis dolore: puer non comparet & ego quo ibo? Sed comedere & gaudere, & de cisterna illum educere, ad vendēdum in AEgyptū? Maligni fratres erāt. Nota tamē Ruben, præ fratribus suis hic iustiorē inueniri, & merito ne peccato aliud adderet: impius è cōtra abyssō vocat abyssum. Deinde, quia semel patrē offē derat, volebat illū hoc facto placare: quod vere pœnitentiū est bonis operibus Deū quē offenderāt, sibi propitiū facere. Sic Paulus & Petrus & omnes vere pœnitētes: infamiam peccatorū suorū euaserūt. Nihil enim tā optime & perfecte infamiam & maculam prioris vitę male consumptæ, post Dei gratiā, tegit & abstergit, quā emendatio vitæ per virtutū exercitiū. Vtinā nos omnes qui peccauimus & vitam nostrā retroactā tantis maculauimus sceleribus: hoc tam salutifero posthac vtamur remedio, peccato peccatū amplius nō apponendo: bonis operibus Deū placando

iratum

iratum & offensum: & insuper corā hominibus opera lucis ostēdere: vnde absque dubio, infamiam præteritorum malorum, coram Deo & hominibus, paruo tempore deleremus vera pœnitentia, quam multis contraximus diebus, & merita multa acquireremus: fœlices qui talia cito fecerint.

O infelicissimi homines, qui peccatis peccata addētes, Deum aliquo bono opere placare non curant: neque coram hominibus bene viuere, neque volunt de iniuria Dei facere, quod Ruben fecit, de fratris dolore, & patris labore, qui plorabat & dolebat. Frater, Christum Dominum ab anima tua eiecisti, quoties peccasti, in cisternam veterem: ideſt in sepulturam: quia occidisti illum quantum fuit in te, & si proximum læsisti aut animam tuam interfecisti: scinde vestes peccatorum veteres, contritione magna & delictorum dolore, rumpe illas nouis virtutibus: plora & perge ad angelos & ad fratres beatos & præcipue ad confessarios, & dic alicui illorum gemitu cordis sacerdos Dei, puer Iesus in anima mea & cisterna veteri, ob meam culpam non comparet per gratiam, & ego quo ibo? Volebam liberare illum & patri suo reddere incolumem, confitendo, & satisfaciendo, & non comparet sine absolutione, aut vera contritione, & sine illo duce, pastore, fonte, medico, rege, igne, pane & cibo cœlesti, ego miles miser, ouis errabunda, sitiens terrena, infirmus & subditus frigidissimus famelicus & peccator, quo ibo. Nescio quo vadas. Si pœnitentiam agis veram, Dei auxilio, & cito ad sacramenta pergis & illis digne fueris vsus: satisfaciendo integre, & causas delinquendi rescindēdo, & vsque in finem vitæ sic perseueras, quo ibis? quo ibo? ad beatitudinem angelorum ibis: ad gaudia beatorum ibis, denique ad Dei visionem ibis. Tamen si in tempore non scindis peccatorum vestes cōtritione & alia requisita facis, quo ibis? Quo ibo? Ad mortem sine vita, quo ibo? Ad iudicium Christi rigidissimum sine iudicio: ad patrem æternum iratum contra te, quia filium eius occidisti, & finaliter ibis ad pœnas tali delicto dignas. Vide quo vadis homo, ne vadas ad iudicium sine iudicio, & ad mortem sine animæ vita, ad Deum sine Deo.

Si agricolæ eiecto à vinea hærede & occiso plorassent? Si doluissent, & de tā graui & horrēdo scelere pœnituissent? Ad patrem si nuntium fecissent, vt pro filij sui cadauere ad sepeliēdum mitteret: ipsi interim ad illum per gentes plorantes, & valde tristes lugubri

gubriveſte, manibus ligatis, mortē & ſuppliciū dignum, vocibus à patre petentes, indignos viuere ſe fatentes, quis non eſſet motus illorū dolore ad cōpaſsionem, & lacrymis non oraſſet pro illis ad patrē? Imo angeli pacis amore pro illorū venia flerēt, & pater forſan, imo ſine forſan, peperciſſet illis: ſciens in hoc, ſe gaudiū filio pro illis oranti dare. Tamē in ſua duritia permanētes, de facto nō contriſtati, ſed ridentes, & ſine metu comedētes: nec veniā petentes, nec ad patrē pro corpore filij mittentes, ſed cū gaudio infernali dicētes: modo noſter ceſſabit labor. Modo incipiet falſi grafi, cū filiū Dei in ſermonibus veſtris ait Malach. laborare
*Malach. 2.* feciſtis & in peccatis veſtris ſeruire, teſte Iſaia. Iā ſecuri quieſcem⁹ ſine hęrede in vineę poſſeſsione. Modo ſine aliqua ſecuritate
*D.* *Iſai. 43. D.* eſtis, quia pugnabit cōtra vos inſenſatos, omnis Romanus exercitus: imo orbis vniuerſus. Modo in pace comedemus agnū, & ſine metu habebimus paſcha: cū nō ſit qui ſuis cōcionibus nos in
*Exp. 5. D.* honoret. Aliquādo & cito veniet aliud paſcha, in quo ſoluetis agnū in iſto occiſum à vobis, & magno dolore ſitis affecti: in totali Ieruſalē ciuitatis ſanguinariæ deſtructione. Iā nō erit amplius
*Exp. 2. C.* cōtrarius operibus noſtris. Nō? Magis modo abſque vlla ſimilitudine quam antea, quia hæredem occidiſtis iuſtum.

Quis nō deteſtatur tales Iudæos talia facientes, & ſimilia dicētes? Deteſtare vitā tuā fidelis peccator, qui cū graue delictū cōtra Deū perpetrare nō es veritus: noluiſti plorare, & ad patrē cœleſtē ſuſpiriorū nūtios mittere, vt iniuriā cōtra illū & filiū ſuū à te cōmiſſam, remitteret. Noluiſti cor tuū, lugubri triſtitię veſte cooperire: manus ligare ceſſando à malis & te in omnibus Deo obedictē prębere & cū Paulo, dicere, quid me vis facere dñe? Iube
*Actu. 9. A.* quod vis ſi illi dixiſſes, fac dñe de me q̄ volueris, etiā occide me ſi hoc tibi placet & nō mihi hic parcas pœnam vt in ęternū culpā parcas: vreme, ſuſpēdio me trade, quia filiū tuū occidi. Omnes angeli & ſancti oraſſēt pro te, imo & Dei filius patri dixiſſet, ignoſce illi, iam delictū ſuum agnoſcenti & vere pœnitenti & confitenti & amplius illud perpetrare refugienti. Tamen fur, & vocem maiorem habens? Poſt quam grauiſsime deliquiſti, & hæredem occidiſti, dicis: modo quieſcam à laboribus tentationum? Modo incipies, quia ligna illis applicuiſti peccando. Quam ſecuritatem animę, aut conſcientiæ tranquillitatē poteris habere, ſine Dei gratia, ſine hęrede cœleſti in tuis delitijs ridendo? Certe omnes tam

cœle-

cœleſtes quã terreni ciues contra te iraſcuntur, imo & ipſe Deus, riſum talem reputa errorẽ, cum Salomone, & tali gaudio dic, quid frustra de ciperis? Eccle. 2. &

¶ Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis. Tex.

CVm venerit dñs (ait filius) ergo veniet? Abſq; dubio, in mor te cuius libet. Et quid faciet? Iuxta hominũ ingratitudinẽ. Interrogat dñs (ait D Hiero.) non quod ignoret quid ſint reſponſuri, ſed vt propria reſpõſione damnentur: ſic in iudicio tuo particulari, dñs interrogabit te omnia ſciens: vt ipſe contra te ſententiã proferas conſcientia tua pro mille ſeruiente teſtibus. Quãdo veniat dominus ad iudicium tecum, quid faciet tibi blaſpheme? Quid tibi adultere & odio plene? O auare quo fugies? Quid faciet dominus vineæ pater cœleſtis, quando veniat ad agricolas fructus gratitudinis furantes, ſeruos ſuos percutientes, & hæredem ſuum occidentes? Cum venerit dominus ſynagogæ, quid facietis Iudæi, qui filium eius cruci affigere non timuiſtis? Cum venerit filius hominis ad te iudicandum homo peccator & cito & horrẽ de apparebit tibi, quid facies ingrate? Simus grati vt iudicet nos Chriſtus ad gloriam, Amen.

# Homilia Decima.

¶ Aiunt illi malos male perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Tex.

DEcepti Iudæi ænigmate, ore proprio ſe ſe condemnãt, pronũtiantes, ob inuincibilem animi prauitatem, ſe dignos eſſe perditione, ſupplicio & dereliction e: & loco illorũ merito gẽtes eſſe à Deo recipiẽdas ad gratiã euãgelij, meliori fide & opere vineã culturas, quam ipſi coluerãt. Vide te quantãvim ꝓpria habeat cõſciẽtia cõtra malos, qa cõtra ſe ipſos fatẽtur iſti, duo mala quę magis abhorrebãt, ſe deſeruiq à Deo ſynagogã perdẽdo, & gẽtes eſſe recipiẽdas in loco honoris. Nil erit tam durum contra animam tuam, quod conſcientia culpabilis

pabilis in iudicio non proferat contra te, ipſa tuamet. Iſti falſine ſcientes eſſe contraſe, dederūt ſententiā: & vnus quiſq; malus à propria cognitione, ſuadēte veritate dānabitur. Magno, ſed horrendo documento atq; exēplo terribili perſtruimur: quod nemi nē Deus damnabit, niſi quem propria conſcientia incuſabit. Igi
Matt. 5. d. tur cum fueris in via huius vitæ, optime conſulit dominus omniū iudex Chriſtus, vt fias amicus cū aduerſario tuo cito in via ideſt cum conſcientia: alias tradet te iudici, dicens, domine, perde hūc malū, & iudex miniſtro & carnifici tradet te & tortoribus infer
2. Re. 12. b ni. Dauid māſuetus, dū adulterio pollutus fuit, ipſemet corā Nathā protulit cōtra ſe ſententiā dicēs, viuit Deus quoniā filius mortis eſt vir qui fecit hoc, & ouem reddet in quadruplū. Vide quid dicas Dauid, attende quod iudicas: ipſe es vir qui ouē Vriæ tulit, & ipſum maritū occidiſti. Peccaui dño. Ante tribunal Chriſti collocatus dum ſis homo adulter, ipſemet contra te ſententiā rigidiſſimam, teſte conſciētia proferes: ſi hic in vita pœnitentiam verā non feceris. Et dices, viuit Deus & viuis ipſe Chriſtus, quoniam filius mortis æternæ ſum, vir adeo mollis & infamis, qui auſus fui cōtra pręceptū tuum alienā vxorem tangere & infamare, & ad malum inuitare, & maritum & filios inhonorare. Idem dicet blaſphemus, fur, & auarus detractor & odio plenus, vnus quiſq; peccator vere & ex animo dicat in tempore cum Dauid: peccaui domino: & non amplius peccare.

3. Re. 20. g Ipſemet Rex Achab contra ſe ipſum ignorans ſententiā tulit dicēs, hoc eſt iudiciū tuū quod ipſe decreuiſti. Et erat cōtra ſe ipſum, quia dimiſit Benadab dignū morte & illi pepercit: vnde fuit anima eius pro anima illius & occiſus in bello: quia omnis qui ma
Ibi. 22. f. le viuit & bene iudicat aut prædicat, cōtra ſe ipſum ſententiā ordinat, Et eo ipſo ꝙ quis delictū agit, ſententiā dānationis ſuæ pertractat: ſerue nequā ore tuo te iudico: & oēs malos male perdet
Luc. 19. d. Deus, quia etiā in hoc mundo incipiunt ſoluere pro delictis ſuis. Quantos labores perpeſſi ſunt fratres Ioſeph, quantas iniurias: & forſan Deus famem immiſit in terram, vt puniti eſſent ipſi & frater ſuus honoraretur: & non ſemel in magnam anguſtiam peruenerunt: imo de vita multoties periclitati ſunt: & tunc ceſſat aduerſitas Ioſeph, quando in fratribus incipit. Mali agricolæ Iudæi quanta mala paſsi ſint ob mortem hæredem, ipſi modo dicant. Nos malos male perdidit Deus, in vita & in morte,

labori-

laboribus & angustijs,fame,bello,captiuitate,inferno:vt est vi dere in Iosepho de bello Iudaico(vt infra patebit in concilio cõ tra Dominum ab ipsis facto, quando de miseræ ciuitatis destru ctione dicetur.) Cũ videas hos omnes malos male destrui à Deo: quia innocentes persecuti sunt: vt quid malitia tua non cessat homo? Vt quid peccatum tuum non quiescit? vt quid habes pedes veloces,& verba & opera,ad Christum innocentem offendendum,& proximum lædendum? Boni,seruite Domino & la bores patimini patienter:nam quando incipiat tribulatio & perditio malorum,nempe in morte,tunc honor vester veniet. *Fe.6. D.in pas.*

Malos male perdet,responderunt ore proprio Iudæi,se iudicante(ait Origenes) sicut Caiphas sacerdos non ex se dixit verum,sed quia pontifex anni illius prophetauit:sic & isti prophetauerunt tollenda fore ab ipsis eloquia Dei & gentibus danda, daturis fructum operum in tempore suo. Non tamen est illis tribuendum ad bonum(ait Chry. in imper.) quod iuste iudicauerunt,sed veritati & eius efficacię gratias referamus: veritas quasi violentiã illis fecit,ita vt non possent celare illam: sic & tu velis nolis,conscientia teste,contra te es iudicaturus,cum nolis fructus bonorum operum Deo reddere in tempore. Quia sicut sol in nube positus,conatur rumpere illam,& facit: & hoc quod est dies,non est tribuendum nubibus,sed solis virtuti pertranseunti nubes & etiam eis impedientibus apparet mundo:sic & veritas in cordibus tenebrosis Iudęorum existens,vt in nubibus obscuris,conata est erumpere illorum corda,ipsis nolentibus,& per eorum linguas omnibus se ostendere. Nõ detur honor nubibus tetris,sed veritas Domini laudetur,quę manet in æternũ:ò magna vis veritatis & lucis. *Tract.17. Homi. 40. Simile*

In Luca sic legimus Dominum dixisse:veniet & perdet colonos istos,& dabit vineam alijs. Quo audito dixerunt pharisæi, absit. In nostro vero textu auditores dixerunt istam sentẽtiam. Quia fuit ab auditoribus prius dicta,quod ponit Matthæus:& à Iesu approbata,quod refert Lucas:ita Caietanus in Lucam. Scribæ tamen & alij qui aderãt cõtra Iesum audientes illũ sententiã confirmantem dixerũt, Absit. Vox est horrentium tantam pœnam. Aut si dicis,sacerdotes secundum Lucam,videntur contra dicere sententiæ Christi:iuxta Matthæi tamen verba, suscipiunt & confirmant: quæ primafacie contraria videntur, cum *Luc.20. C. Caie.in Luc.20. C.*

non sint: nec esse posit in Scriptura contrarietas, sed sunt diuersa ratione dicta. Lucas secundum responsionem sermonis illorũ dixit illos dixisse, absit, non erit tale: tamen secundum cordis & conscientiæ responsionem, quam describit Matthæus, dixerũt, malos male perdet. Vere visibiliter quidem in facie contradixerunt, dicentes absit: in corde autem & conscientia sua susceperunt sententiam.

Quia cum Deus omni homini, quendam spiritum scientiæ posuerit in illius conscientia: talis spiritus, si in malo fuerit homo comprehensus, accusat illum: etiam si verbis contrarium affirmet malefactor, & veritatem neget: in Sapientia scriptum est, in cogitationibus enim impij interrogatio erit: ac si dixisset spiritus cælestis ac diuinus: etiam si impius ore flagitia sua neget, cogitationibus suis affirmabit. Vnde cogitatio torquebit illum, etiam verbo se excusantem & dicentem absit, non erit hoc. Apprehendisti seruum flagitium perpetrasse, ore negat, & corde confitetur: interroga illum si vult flagellari: & ore dicet absit, & conscientia dicit, me malum male perde. Sic & isti sacerdotes Iudaici, & modo multi peccatores nolentes vitam suam prauam corrigere, verbis dicunt absit ab animabus nostris punitio: tamen conscientia, & si deprauata sit, malos male perdi affirmat.

*Sap.1.C.*

*Simile.*

Absit. Priusipsi nescientes sententiã protulerunt contra se, (ait Euthymius) deinde cũ Christus dixisset quod illi dixerant, cõfirmãdo dictũ ipsorũ: intellexerũt quod de ipsis erat, & dixerũt absit. Illi primi nõ animaduertẽtes quo tenderet similitudo, respondẽt in suum ipsorũ caput, pronuntiãtes contra se sententiã: sed intellecta, nõ solùm nõ resipiscunt malitia excæcati, sed negãt & dicũt absit: cũ non poterat abesse Dei sententia diffinitiua cum esset & propriæ conscientiæ. O hominum peruicacia, quoties à Deo & concionatore, & à propria conscientia conuicti fuistis & dissipati, non tamen ob hoc de peccatis compuncti, atque emendati: sed negatis vestris sceleribus Dei iustitiam dicentes, absit, non erit hoc contra nos: etiam si sit sententia Dei irrefragabilis, malos in ignem ituros fore æternum, & non potest aliter fieri. Tamen Dominus Iesus, postquam illis ostendit malignis, illorum peruersitate, se fore ad crucem damnandum, ac à vinea reijciendum, moriturumque ignominiosa morte; tamen

*Psal.34.C.*

resurre-

reſurrectione per virtutem patris fore illuſtrandam per vniuerſum orbem, tantaq; ſoliditate futurum, vt quiſquis in ipſum impegerit ſibi ſit exitium accerſiturus, citat prophetam.

¶ Nunquam legiſtis in ſcripturis: lapidem quem reprobauerunt ædificãtes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? *Text.*

TAli autoritate Dauid, ſignificat Dominus, illos ædificare ſynagogam: ſed eiecto Chriſto, nullum poteſt eſſe firmum fundamentum, & ædificium: tamen à vobis reiectum me lapidem viuum, Eccleſia gentium in magno habebit pretio: lapis viuus ego ſum (vt ait Paulus) Petra autem erat Chriſtus: vos pharisæi eſtis ædificantes, qui me vt reprobam & alicui parti templi veſtri inutilem iudicaſtis, dicentes: iſte Ieſus ſimilis eſt ſali infatuato, vnde ad nihilum valet vltra niſi vt mittatur foras extra vineam & ciuitatem iſtam flagellatus: & ibi ſit crucifixus & conculcetur à tranſeuntibus. Tamen mentita eſt iniquitas veſtra vobis: velitis aut non, in caput anguli factus ero & angularis lapis, vnicam Eccleſiam componens ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. *Pſal. 117.* *1. Cor. 10. A* *Matth. 5. B.*

Hi ergo cęmẽtarij (ait D. Hiero.) quomodo & vinitores accipiunt vineam, ſic acceperunt lapidem: Quem vel in fundamẽtis ponant, iuxta architectum Paulum: vel in angulo, vt duos parietes, ideſt, populum vtrunque conſociet: qui reprobatus ab eis factus eſt in caput anguli. Et hoc à domino factum eſt, non ab humanis viribus. De quo lapide adiutorij, Petrus quoque confidẽter & audacter Iudæis loquitur: accedite homines, ad lapidem viuum, ab hominibus falſis reprobatum: tamen à Deo electum, & honorificatum. Eſtote & vos lapides viui per gratiã, vt ſimul cum Chriſto in tabernaculis ſanctis in æternum ſitis collocati: & non eſt in aliquo alio lapide ſalus niſi in iſto angulari Chriſto. Hic lapis à vobis reprobatus falſi Iudæi, factus eſt in caput anguli & honoris. Chry. ſuper iſta verba in actis ait, in memoriã reducit eis verbũ, quod terrere illos ſufficiebat: cũ *1. Pet. 2. A* *Actu. 4. B.* *Hom. 10. in Act.*

à magistro suo aliquando fuit dictum, & ab ipsis contemptum, modo audiunt à discipulo & conuertuntur. Videte quantæ efficaciæ sit verbum Dei, & virtus veritatis eius, etiam in ore hominis.

Lapis iste Christus est, quem Iudæi in ædificio suarum traditionum ponere noluerunt, sed reprobauerũt (ait Diuus Ansel.) dicentes, inutilis est nobis & conabantur eripere fidem credentium in illum: tamen vt lapis electus positus fuit in Ecclesiæ ędificio iungens in se duos parietes, idest populum Iudaicum & gẽ
Isai. 28. D. tilem. Quia est lapis ille de quo ait pater per Isaiã: ecce ego mittam in fundamentis Siõ lapidem, lapidem, inquam, probatum, angularem precioſum, in fundamento fundatum: qui crediderit non festinet. In quo loco ait Diuus Hiero. iste lapis, vere bis appellatur lapis, & angularis: quia Deus & homo, & quia circuncisionis & gentium populos copulauit. Isti sunt ædificantes & cementarij: qui nunc appellantur viri illusores & principes po-
Dan. 2. F. puli, qui est in Ierusalem. De quo lapide, in Daniele legimus, quod excisus sit de monte sine manibus, hoc est sine virili semine, & impleuit vniuersum orbẽ: eo quod diuini germinis dispensatione, humanum corpus assumpserit, & habitauerit in eo diuinitatis plenitudo. Qui crediderit non cõfundetur: siue iuxta Hębraicum, non festinet: quod difficilius est intellectu. Hieron. ait, ne videlicet tardus ei Christi videatur aduentus: nam si tardauerit nemo desperet, si cito suo videri non venerit ad optatum aut desiderium suũ, veniens veniet & sua promissa complebit. Aut qui crediderit in Christum, non festinet ad malum, quia festinat dies rationis.

Quare non intelligitis quia vos estis ædificatores Iudęi? Quo modo non cogitatis (ait Diuus Chry. in imperfecto) in cuius ędificij angulo ponendus est iste lapis? Numquid in vestro? Iam in de reprobatus est, hoc ipso quod vos me reprobastis. Ergo in alio, & sic aliud ædificium futurum est: ergo vestra ædificatio
Sup. 2. C. Iudaica est contemnenda, conculcanda & destruenda. Dixistis mali ædificatores contra me: circunueniamus iustum Christũ & occidamus & à nostro ædificio & Synagoga totaliter expellamus: certe inutilis est nobis, ad quancunque partem ædificij nostri. Inutilis est nostræ superbiæ, quia arguit nos, & concionatur
Matth. dicens, qui se exaltat humiliabitur ad infernum: inutilis est auaritiæ

ritiæ noſtræ, quia dicit quid proderit nobis vniuerſum mũdũ lucrari, & animas perdere? Inutilis eſt voluptatibus noſtris, quia affirmat: qui amat animã ſuã, ideſt vitam, luxui tradẽdo, perdet illam. Et ſic reprobamus te lapis Chriſte, & nolumus vt ſis in tẽplo noſtro: quia cõtrarius es omnibus operib⁹ noſtris malignis. Vtinam iſti ædificantes ad gehennã Iudęi, nõ habeãt multos ſocios fideles Chriſtũ Dominũ ab animę ſuæ ędificio expellẽtes peccato, & reprobantes mandata eius: ob hoc ſolũ, quia non videtur illis Chriſtus vtilis ſuis peſsimis & deteſtandis operibus: & quia mandata ſua caſta & ſancta contradicunt conſuetudinibus prauis illorum. Inutilis eſt nobis blaſphemantibus, dicunt peruerſi fideles dicens, nolite iurare omnino: inutilis eſt nobis adulteris dicens, adulteria eſſe quæ coinquinant hominem: & ſic de alijs. Tamen velitis aut non, tam Iudęi cæci, quam vos peccatores Chriſtiani, ſcriptum eſt in mente diuina & in tempore inſſum à Dauid pronuntiari, & non delebitis veſtris vitijs illud. Iam recepiſtis dictum: quando in Deum credidiſtis, me lapidẽ quem vos malo veſtro reprobatis vt inutilem vitijs veſtris, & contrarium operibus malignis, & extra vineam animæ veſtræ eijcitis peccando & occiditis: fore futurum in caput anguli, & capus Angelorũ & hominum. Et certe ero iudex viuorum ędificantium, ideſt bonorum: & etiam mortuorum & malorum: vt illos in ædificio cœli, tanquam lapides viuos collocem in æternum: & hos malos, in tetris & infernalibus receptaculis damnatos & maledictos, igni tradam edaci.

¶ Ideo dico vobis quia auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. *Text.*

DOmine, expectabã quod debebas contra iſtos Iudæos promittere, occidentes hæredem, te miſſurum fulgura. Nõ, ſed auferetur ab illis regnum Dei, hoc eſt verbum Dei, inſtrumentũ valde vtiliſsimũ ad regnum cœleſte obtinẽdũ, omni homini attente audienti illud & obedire Deo volenti. Mitte cõtra illos ignem & ſulphur, vt contra Sodomam, namdigni ſunt, quia te reprobauerunt lapidem viuum. Non, ſed tolletur ab ipſis verbum Dei. Suffoca illos alio diluuio. Maius ſupplicium, quam ex

*Ioan. 12.*

cogitari potest, istud est: tollere ab ingratis & Deo iniuriantibus, verbum salutare quo possent resipiscere à malis: & illos finere secundum desideria sua viuere. Sufficiat pro argumento huius veritatis, me non minasse hos ingratissimos Iudæos, me hæredem cœlestẽ extra vineam eijcientes & post tot opprobria occidẽtes, alio supplicio puniẽdos grauiori, quã verbi Dei ablatione: auferetur à vobis verbum Dei. Multa passi sunt fratres Ioseph, quia innocentem vendiderunt, & inter illa fame cruciati sunt. Multi labores venerunt & veniunt contra Iudæos Christum crucifigentes: tamen præcipuus fuit verbum Dei ab illis subtrahi, & in de famem patiũtur vt canes. Et omnes fideles pec
*Amos. 8. D* cantes, tali punitione terret dominus, per prophetam Amos dicens: ecce, dies veniunt & emittam famem in terram: nõ famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum domini. Terribilis mina ista est, vt experientia constat in populis vbi verbum Dei non proponitur ignitum & sanum zelo Dei animarum que concionatum: in quibus innumera mala contingunt: & famen viciorum patiuntur vt canes, & sitim voluptatum.

Videte tamen quanta sit pietas hæredis, quem peccato occidistis: quia si descenditis in Ægyptum, ideſt, in tenebrosa peccata vestra, per veram consideratione illorum, & contritionem legitimam, & confessionem integram: talis fames tolletur à vobis. Est Ioseph ibi frater vester Christus in ipsis sacramẽtis: qui etiam si illum offendistis grauiter, non terrebit vos: sed pascet corpore suo & abluet sanguine omni tempore famis. Dicet nos fuisse malos contra illum? Minime: sed sicut Iacob non legitur exprobrasse filios ob scelus contra Ioseph commissum: ita pa-
*Luc. 15. E.* ter æternus & filius Iesus Christus: quod ostẽditur in filio Prodigo, cui non legitur dixisse patrem, cur me reliquisti? Cur in
*In Esa. 16. fol. 757.* fama me asperisti? Diuus Basilius in Isaiam ait, auferetur à vobis regnum, ac si diceret diuina eloquia à vobis auferentur, lex nimirum & Prophetæ: quam grauis punitio sit tollere à fidelibus verbum Dei, constat facile, ex his quæ in laudem illius in Euangelio sexagesimæ diximus.

Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confrin getur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. *Tex.*

LApis ego Chriſtus ſum, quia fundamentum forte his, qui ſuper me fide & charitate conſiſtunt: neq; tentationũ tempeſtatibus moueri poſſunt, ſi à tali fundamento non recedunt aliquo mortali. Magna eſt iniquorum in me confractio: ſicut omnis res mollis lapidẽ percutiens, ipſa quidem colliditur, lapidẽ autẽ lædere nõ poteſt: ſic & omnis qui contra me Chriſtũ agit peccãdo: ſe quidẽ corrumpit & deſtruit, colliditur & perijt, me autẽ nocere nõ poteſt. Qui ſunt tamẽ, qui ſuper lapidem cadũt niſi Chriſtiani, qui ſtantes ſuper ipſum tanquã ſuper fundamẽtum per fidem, cadunt ſuper illum peccatis addẽdo peccata? Homo fidelis fortiter cadit in culpam, aut ob magnitudinem delicti, aut ob dignitatem peccantis: puta ſi ſacerdos, ſi concionator, ſi religioſus, ſi prælatus aut Epiſcopus fuerit. Qui, etſi graue nõ fuerit delictum eorum ex ſe, tamen fortiter pereunt propter dignitatis altitudinem. Sicut res, etiam ſi multum ponderoſa non ſit, magnum tamen patitur detrimẽtum, ſi à loco valdè ſublimi cadat, & grandem ſonum facit, ita vt omnes audiant. Ob hanc eandem cauſam, frater mi ſacerdos, aut monache proterue, tuũ delictum etiam leue ſonum fecit magnum, & ſcandalum nociuum multis dedit, & ruina tua vbiq; audita fuit: quia dignitas ſacerdotalis aut religio, non minimum patitur detrimentum, & de gradu alto cecidiſti: vide quid erit ſi inſuper & delictum tuũ graue fuerit, ex ſe & proximo iniurioſum: certè confractus eris, & contritus à Chriſto Domino in iudicio ſuo, ſi ad pœnitentiam non confugis. *Simile.* *Simile.*

Diuus Auguſt. ſuper Ioannem adducit illud Danielis ſupra citatum, abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: qui percuſsit ſtatuã & factus eſt mons magnus, & implenit terrã. Sic & Iudęi offenderũt in Chriſtum humilem vt in lapidẽ paruum, qui fuit pręſciſſus de mõte, id eſt, de Iudæorũ regno tamẽ ſine manibus, quia ſine virili opere, ſed Spiritus ſancti virtute. Et quia iã factꝰ eſt mõs magnus per reſurrectionẽ, & implenit maieſtate ſua omnem terrã, & ab omnibus cognitus eſt: ipſe confregit ſtatuã, id eſt, ſynagogã, & oẽs Iudæos in ſua permanẽtes duritia, & ſuper quos ceciderit modo quãdo excelſus eſt, cõteret eos: & pręcipuè *Tract. 4. Dan. 2. F.*

si cadit cõtra fideles ingratos, magis comminuet eos. Cęci Iudęi non viderunt lapidem, quia humilem & paruum se mundo ostẽdit Christus: vnde esse Deũ non cognouerunt, etiã maiores populi ideo vapulandi sunt sed pauris, & cõfracti sunt, quia cecidẽrũt super lapidẽ, qui nondũ creuerat. Heu tamẽ quã magno supplicio digni sunt modo fideles peccatores, qui nõ verẽtur lapidẽ viuũ in montẽ magnum conuersum, & vere Deũ esse credẽtes, offendere culpis, delictis infamare. Quã multis vapulabitis Christiani, qui Christum, in montem iam cœlorum versum, offendere non veremini, & iam vobis ostendentem maiestatem suã per fidẽ: qua pœna digni sunt peccatores inter nos? Quo supplicio puniẽdi sunt qui ab Ecclesia sancta & Romana discedunt? Christum lapidem magnũ imo montẽ excelsum relinquitis hæreti-
Luc. 12. F. ci? Offenditis mali fideles? Serui fideles, & voluntatem Domini scientes & maiestatem, & tam inuerecunde peccantes? Audite Iesum dicentem vapulabitis multis.

Aliud est (ait D. Hiero.) offendere Christum per mala opera, aliud negare nã qui peccator est & tamẽ in Christũ credit, cadit quidẽ super lapidem & confringitur per culpam gratiã Dei perdendo, sed non omnino conteritur: reseru atur quidẽ pœnitẽtiæ vt per illã salutem obtineat si sacramentis vti voluerit vt decet. Super quẽ vero hominem lapis ceciderit, hoc est cui lapis ipse irruerit homini Christũ neganti penitus & non credenti: sic cõteret eum & cõminuet, vt nec testa quidẽ remaneat, in qua hauriatur aquæ gratiæ pusillũ, aut igniculus de incendio charitatis, vt
Isai. 30. C. testatur Isaias dicens: cõminuetur talis sicut lagena figuli cõtri-
Iere. 19. tione perualida: & Ieremias cõtriuit lagũculã sine instauratione.

*Tex.* ¶Et cum audissent principes sacerdotum, & pharisæi parabolas eius, cognouerũt quod de ipsis diceret. Et quærentes eũ tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebãt.

FOrsan, postquam Christus hoc verbũ de lapide dixit, & Iudęi cognouerunt de ipsis fuisse dictũ, tunc dixerunt absit, nõ erit tale contra nos, vnde nõ Dei timore neq; Christi amore illũ non tenuerũt captũ, sed turbę metu: quanuis duro corde essent (ait Ansel.) intelligebant sententias Dñi cõtra se dirigi, nõ tamẽ

inde

inde correcti euadebant. Sic & tibi fidelis in concione contingi intelligenti Dñi volũtatem nõ tamen adimplẽti: vides argumẽta Dei cõtra te dirigi cõscientiæ remorsus vitare nõ potes, neq; terrores nocturnos & te esse seruũ prauũ & ingratũ contra Deũ agnoscis velis aut non? & Deũ esse tibi patrem benevolum diu te expectantem ad pœnitentiam & postea iudicaturum: tamẽ vt isti non verebantur Christum timore Dei, ligare & occidere, sic & tu vltra peccare non times. Et isti Iudæi timebant turbas: & ipse non times conscientiæ remorsus: vtinã saltim humano timore peccare desisteres: venisti tamen tuo malo ad talẽ statũ, vt nec Deum timeas nec homines veritus sis, vt alteri iudex. *Luc.* 18. *A*

Tenere Christũ voluerunt & præ turbæ metu nõ potuerunt: quia (vt ait Orige.) quicunq; insidiatorie aut superficialiter aut ioco aut malo fine, audierint verbũ Dei & sic illud tenere voluerint, vt mortificẽt illud cõculcantes operibus, aut verbo creditũ tollentes: nec tamen ipsi mortificari cupiunt: tales non poterũt verbũ Dei tenere sed fugiet ab ipsis etiã si maiores Ecclesiæ, sint quia hi perniciose verbũ Dei contẽnũt. Tamẽ etiã inuitos, turba simplex verbũ Dei operãs, terrebit eos satrapas: & nolunt tenere illud in corde, ne magis terreat eorũ conscientias deprauatas, quanuis inuite Deũ esse potentẽ agnoscũt: & cõcionatores missos esse à Deo & conscientiæ stimulos ad fructus bonorũ operũ petendũ ab ipsis. Aliter spõsa & anima sancta quę Christũ quę rit bonis operibus, & inuentũ tenet illũ gratia, nec vult dimittere peccato: etiã vniuerso mundo & gaudio illius sibi oblato. Hoc habet malũ insertũ omnis anima sibi visa sapiens, & cũ hoc proprio corpori & terrenis rebus affecta tenaciter: quod veritatẽ odit, corrigi deuitat, verũ in falsum cõuertit, aut audire dissimulat, aut intelligere si auditũ auertere non potuit. Cũq; omnino ex ratione conuincitur, vellet vlcisci & crudelitate & malitia pro ratione vti: protinusque inferret exitium siue iacturam illum arguenti, nisi aliquo timore mũdiali arceretur. Iam nec Deum timet nec infernum abhorret. Huiusmodi erat sacerdotum & pharisæorum anima contra Christum veritatem cõcionantem: qui timore, non veritatis amore, capturam ipsius refugiebat. Huiusmodi est & hodie multorum (vtinam ne sacerdotum aut monachorũ) anima sibi sapiens visa & quę nullius cõsilio indiget, affecta tenaciter suis passionibus, veritatem contemnit imo odio habet. *Tract.* 19. *Cant.* 3. B.

*Similes* Miseri agricolæ, conuicti & non cõpuncti? Confusi & non cõtriti? De vobis intelligitis Deum loqui, & vultis malitiam executioni mandare cõtra hæredẽ? Infirmo desperato similes estis, qui donec mediocriter habet aliquã passionẽ aut febrẽ & sperat se posse curari, seruat se à nociuis: si autẽ intellexit insanabilẽ se esse, iam non sibi parcit: omnia comedit nociua quanuis & sibi contraria donec ad mortem peruenit ineuitabilem. Sic isti Iudęi si omnis peccator in profundum malorũ peruenies: qui dũ mediocriter peccat, & salutẽ sperat, & Deum aliqua via timet, aut saltim homines & turbam veretur, aliquomodo se à culpis obseruat: si tamen intelligit se insanabilem ex parte magnæ malitiæ suę & obstinationis (etiam si Deus omnia posit) & grauiter peccando cæperit desperare, & verecundiam totaliter amittere: iã nil mali euitat, omnia delicta indiscriminatim comedit, quasi iam peccatis suis vicisset iudicium Dei: nescius miser, esse gradus maiores pœnarum sicut meritorum, vnde non veretur manus in Deum mittere. Ait ibi Chrys. vere omnis homo malus quantum ad voluntatem suam, & manus mittit in Deum & occidit eum. Libera nos diuine hæres, à tam miserando statu, & nobis concede fructus bonorum operum tibi reddere, vt gratiã accipiamus & postea gloriam, fiat, fiat Amen.

# DOMINICAE Tertiæ Quadragesimæ Homilia Prima.

*Tex. Luc. 11. C.* ¶ Erat Iesus eijciens Dæmonium: & illud erat mutum.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

Benedicta tu inter mulieres, & magis quam Angeli, sancta virgo mater Iesu, Dæmonia ab animabus nostris eijcientis: quia semper Dæmonem conculcasti & cæcum reddidisti & mutum, ne contra nos

nos loqueretur: ipsa tamen nunquam ad bonum loquendum muta fuisti, quæ tam suaue verbum ex ore tuo protulisti, quando ecce ancilla Domini dixisti: vnde verbum caro & homo factus est qui verbo suo malignum à nobis expulit. Ad verbum Dei audiendum nũquã surda fuisti, quæ illud in corde conseruabas & opere executioni mandabas. Omnes gentes admiratæ sunt videntes talem virginem filium altissimi parientem, & Dei filio, os quo loqueretur, & aures quibus audiret conferentem. Non est opus signum aliud de cœlo quærere vt credamus te Dei matrem esse, quam videre te semper reginam & nunquam à gratia diuisam. Nos ingressum Dæmoni in cordibus nostris dedimus peccatis consentiendo, vnde muti ad bonum & loquaces ad malum facti sumus. Cæci ad superna aspicienda, lynceis similes ad terrena & voluptates videndas: surdi ad audiendum Dei verbum & opere adimplendum. Aures nostras libenter detractionibus & prauis colloquijs præbemus: vnde cœlestes turbæ de nostra malitia admirantur. Virgo sancta aduocata nostra, tuo nos filio repræsenta atque commenda, & ab hoste maligno nos protege, impetrando à patre, vt mittat Iesum qui peccata nostra à nobis expellat vt Dæmonia recedant, & audiamus necessaria operando illa: Domina, adiuua nos & obtine gratiam spiritus veritatis, mihi ad loquendum & omnibus ad faciendum. Humiliter coram virgine genua flectamus dicentes salutationem illam angelicam, quam potestates tenebrarum timent. Aue.

*Luc. 1. D*
*Ioan. 1. 8.*
*Luc. 2. C.*

## ¶ Erat Iesus eijciens Dæmonium.

*Text. A. 31. M. 11. D. 6. 1. die Decembris.*

CVm Iesus esset filius Dei, & per consequens patri cœlesti in potentia & maiestate æqualis, & sic omnium creator tam hominum quã Angelorum: habebat potestatem operandi non solum erga homines, verum etiam circa Angelos. Et nõ tantum erga Angelos bonos, sed etiam circa malos. Vnde non tantum venit ad nos homines à peccatis redimendum, & vitijs, sed etiam à Dæmonibus liberãdum: interim Diabolo in culpa & malitia relicto. Vt videas & Deo tantum beneficium gratificare ne obliuiscaris ò homo, & scias quanta bona à Christo

sto Dño tibi hucusque venerunt. Deinde pro nostri Euangelij introductione, maxime nota, quatuor esse hominum genera, ad quos suis tentationibus Dæmon aggreditur. Primũ est hominũ viriliter dimicantiũ pro Christo & virtute: qui, etiam si mille modis à maligno impetuntur & ad malũ inuitantur: tamen Dei adiutorio freti & fuga occasionum vtentes, & orationi & virtuti vacantes, faciliter vincũt eum, & victoriam de maligno reportant: quia sunt viri spirituales & contra vitia in magna cautela viuunt. Isti signati sunt per ducem cœlestẽ Christum, in prima Dominica ab Ecclesia in medium adductum: Dæmonem prostrantem & confusum emittentem. Domine, fac me ob bonitatem tuam vnum ex his, vt tecum pugnem, hoc est tuo adiutorio fretus: & vincam in omnibus donec te videam.

Secundũ hominũ genus est, quos Diabolus non solũ tentat, sed ad suũ desiderium pertrahit, & illos superat & per diuersa vitia vexat: cuius generis sunt omnes in mortali existẽtes delicto. Tales homines signantur, in secunda Dominica, per filiam Chananæę à Dæmonio vexatam. Et hoc est infelicissimum hominũ genus, de quorum numero libera me Deus meus. Alios vero homines tentat & superat malignus draco: tamen Dei adiutorio, & vera cõtritione & legitima confessione, ejicitur ab ipsis. Vt sunt viri pœnitentes & sacramentis digne vtentes: qui intelliguntur per primã nostri Euangelij partẽ. Tamen alios tentat & superat homines & in illos per peccatũ ingreditur: & miseri, cũ iam malitiã hospitis intelligerent & Dei auxilio & sacramentorum eiecerint ipsum, sunt adeo infelices & audaces, qui iterum recipiunt illũ draconem in hospitiũ suum: & isti sunt, satis perditi homines de quibus in fine Euãgelij nostri. Aut si mauis per aliã viam procedamus (etiam si non sit contemnenda dicta sententia) inter alias vias, quibus Dæmon contra Deum & creaturas illius insurrexit & in quibus maximam iniuriam illi conatus est irrogare, tres reperio: pro quibus oportuit Diabolum punitioni tradi, & à Deo vinci & expelli foras & reijci. Primum in cœlo quando voluit apostata ille & Lucifer draco, aliquo modo Deo assimilari, dicens ascendam in cœlum. Et ad denotandam victoriam Dei contra illũ, Ecclesia in prima Dominica adduxit illam pugnam acerbam & victoriam Christi contra hostem generis humani: vt sua tremens inuidia in cœlo & in ter-

*Isai. 14. C.*

ra

ra à Deo maneret victus atque confusus: & gemens discederet.

Quando â Domino se victum & vt fulgur eiectum à cœlo vidit, pergit malignus contra mulierem, & telum parat & laqueũ quo illam captauit: vnde seducta fuit mulier Eua à serpente. Tamen postquam Dominus in mundũ venit per carnis assumptionem, dedit potestatem etiam fragili mulieri vt illũ vincere possit facillime, & draconem eijcere à se & fugare: quod Ecclesia in muliere Chananæa Dominica præcedenti ostendit: si mulier occasiones & fines suos reliquit, cum illa Chananæa: & misericordiam à Deo petit & in virtute perseuerat vsque in finem, faciendo quod in se est & se caniculam fuisse contra Deum fatendo. Deinde malignus muliere vt instrumento abutens, prostrauit primum hominem, & in culpam iniecit: vnde egressa gratia ab anima sua, ingressus est ipse draco in hominem, & à paradiso in exilium vt missus esset à Deo in causam fuit. Venit hodie Dominus, in nostro sancto Euangelio, & eijcit Dæmonem ab homine muto & cæco & surdo ob peccatum: vt scias homo, quã tunuis peccator sis, si Dei auxilio vti volueris, facillime te posse Dæmonem ab anima tua expellere, caue tamen à recidiuo. *Gene. 3. A*

Obtulerunt Domino Iesu hominẽ mutum Dæmonium habentem (ait Matthæus) imo & alibi dicit: tunc oblatus est ei Dæmonium habens, cæcus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Et sic erat Iesus eijciens Dæmonium ab homine, vt audiret & videret & loqui posset: quam proprium est solis illuminare & ignis calefacere, tam est, & in infinitum magis, filio Dei benefacere. Vnde inter alia bona quæ nobis in carne humanatus fecit benignus Dei filius, non minimum fuit Dæmonem à nostra societate expellere: si nos iterum non reciperemus illum consensu nostro prauo: iam expulsus erat. Ait Ioãnes: in hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli, quasi dicat (ait Diuus Tho. ibi) qui facit peccatum ex Diabolo est, propter hoc filius Dei venit in mundum, vt hominem à tam crudelissima hostis maligni tyrannide liberaret. Et ideo per carnem apparuit, qui erat inuisibilis secundum deitatem filius Dei, vt quod in nobis diabolus operatus est dissolueret & destrueret: & illam natiuitatem, quam à Diabolo contraximus ob delictum Adæ, sua morte occideret. Quam Natiuitatem infelicem Adam (vt ait glossa) peccando composuit, filios Diabolo generando, qua- *Matt. 9. D. 12. B.* *Simile.* *1. Ioan. 3. B.*

qualis ipſe fuit. Quæ mala Natiuitas eſt & execranda, quam
Iob.3. A. deteſtatur Iob dicens: pereat talis dies in qua natus ſum peccator & Adæ filius & Diabolo ſubditus, deſtruatur morte filij Dei, & ipſe opera Dæmonis diſſoluat. Attende quam graue ſit facinus tuum ò peccator, quoties Diaboli operibus vacas, quod Deus morte diſſoluit.

Inter omnia mala quæ natura incurrit humana ex demerito protoplaſtorum, hoc horrendius & dolendius & magis tremendum eſt, præter culpam: quod homo poſsit à Dæmone poſsideri & vexari, non ſolum in anima inqua dæmoniacorum numerus eſt infinitus vt ſtultorum, ſed etiã in corpore torqueri: quia in vtroque contra Deum homo deliquit, & Dæmoni in malo cõſenſit. Vnde ea iuſtitiæ vindicta ſic eſt in homine vindicatũ, vt ille qui peruerſe diuinitatẽ appetit, vt Dæmoni etiã in corpore traderetur. Venit tamẽ Dñs Ieſus, vt hominẽ liberaret tam à corpore quam ab anima à Dæmonis vexatione: & etiam venit hominibus oſtendere mala quæ iuſte patiebãtur, & adferre medelam his qui ad eum fide & operatione debita conuertebantur. Erat Ieſus eijciens Dæmonium, quia ad hoc venerat in mundum, vt Dæmonem & vitiũ ab homine expelleret, non minima ſui ſanguinis iactura, & vitæ ſuæ diſpendio. Erat Ieſus eijciens
Luc.10. C. Dæmonia olim in cœlo, & tanquã fulgura in tartara, millia millium illorum miſit ſua virtute: quia in ſanguinis ſui poteſtate Angeli boni malos vicerunt. Imo ſemper quod dæmon expulſus eſt, tam ab animabus quam à corporibus, à Ieſu & virtute ſua electus eſt, & in nomine Ieſu dæmonia eijciuntur: quia non eſt aliud nomen datum ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri
Actu. 4. C. (vt ait Petrus) neque poſſumus alio nomine, ſine virtute & meritis Chriſti, peccatum aut Dæmonem à nobis expellere.

Graue delictũ eſt tuũ ò homo, quando Deũ offendere mortaliter audes, quod ſaltim ex hoc perpendere debebas: quod Deus qui te ad ſuã imaginẽ & ſimilitudinẽ plaſmauit, & ſanguine ſuo lauit, & morte redemit: non dubitat, ob tale peccatum, Dæmoni inimico ſuo capitali animam tuam tradere. Et ſinit ab ipſo illam poſsideri & in vita torqueri: & ſi in tali deceſſerit culpa, nõ dubitat omnibus carnificibus tenebroſis in carcere horrẽdo exiſtentibus, illã cõmittere, vt æternaliter de illa vindictã ſumant: cum ſit templum Dei dum eſt in gratia, & Deus hoſpes diuinus

nus habitet in illa. O mortale delictum quale es, & quam horrẽ dum, cum valeas Deum ab anima expellere, & illam conciliabolum facere, & Dęmonis potestati, tam in vita ista quã in morte æterna tradere. Infelix hospitium quod Dæmoni peccato tuo parasti in anima ò homo, miser hospes est, & miserrima anima tua. Erat tamen Iesus, & est incessanter Dæmoniũ eijciens ab animabus, quarum consensu malignus intrat: alias sine hominis voluntate & peccati consensu, impossibile est vt in animam intret dæmon: secus est de corpore, ad quod etiam, sine Dei voluntate, non potest ingredi. Si in porcos sine Christi facultate *Matth. 8. D*
minime potuerunt ingredi: quia immundos & voluptati deditos Dæmonis potestati Dominus tradit: quanto magis in hominum corpora ingredi non valebunt maligni, sine Dei licentia? Præcipuè cum sint Dei habitacula & templa, iuxta illud *1. Cor, 6. D*
magni Apostoli: an nescitis homines, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est per gratiam, quẽ habetis à Deo & non estis vestri, vt non polluatis corpora vestra? Empti enim estis pretio magno, videte quid faciatis immũda reddendo corpora vestra: glorificate & portate Deum, non solum in anima, sed etiam in corpore vestro casto & mundo.

In hoc loco ait Angelicus doctor, cum Spiritus sanctus Deus *Lecti. 3.*
sit, conueniens est quod in quocunq; est ipse, spiritu aut anima, tẽplum Dei dicatur. Est tamen principaliter Spiritus sanctus in anima existẽti in gratia, & in cordibus hominũ in quibus charitas Dei diffunditur per Spiritum sanctũ (vt ait Paulus,) secunda *Roma. 5. A*
rius est in mẽbris corporalibus inquantũ exequũtur opera charitatis: vnde Dauid, cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum *Psalm. 83.*
viuum. Glorificate ergo homines, & portate Deum in corpore vestro: quia mẽbra vestra sunt templum Dei, in corpore vestro nil debet apparere, nisi quod ad gloriam Dei pertinet: & hoc est glorificare Deum in corpore. Quia in templo eius omnes dicẽt gloriam (ait Dauid) quia in anima templo Dei facta per gra *Psalm. 28.*
tiã, omnes potentię spirituales & sensus corporales debẽt gloriã Dei dicere, & enarrare. Vnde dicitur in Exodo, operuit nubes ta *Exo. 40. D*
bernaculum testimonij, & gloria Dñi impleuit illud: quia spiritus sanctus operit corpus animæ existẽtis in gratia, & gloria Dñi implet illud, vt omni sensu & potentia laudem & gloriam Dei eructet & pronuntiet. Ob hoc solum homo, maxime peccatum

fu-

fugere debebat, ne corpus suum quod est tẽplum Dei, Dæmoni in hospitium execrãdum traderet: quanto magis vt anima m Dei visionis capacem à tam horrendo custodiret hospite, imo hoste. Si Deus finit vt Dæmonium in corpus hominis intret, iussu eius aut permissione, fit in pœnam alicuius mali ab ipso homine aut à parentibus eius commissi: aut in bonum illius, vt à malo culpæ retrahat, vel vt fiat humilis, aut alio fine, quem Deus scit. Tamen si ingressio Dęmonis in animam hominis fit, per peccatum illius intrat, & culpa & consensu hominis: quæ infelix ingressio est, cum dæmon fiat hospes execrandus & Dominus tyrannicus animæ miseræ & infelicis.

Dicamus tamen semel quid tenendum est de ista Dæmonis ingressione, & quomodo sit in homine obsesso Diabolus, cum in Euãgelio multoties de Dæmoniaco mentio fiat. Proprie esse Dæmoniacum, est Dęmonem substantialiter esse in corpore hominis, ita vt impediat operationes proprias hominis, & etiã rationis actus perturbet: vnde loquitur verbum & linguam homini obsesso incognitam, & verba quæ impossibile est naturaliter ab ipso dici. Hoc tamen potest esse pœna fine culpa: & sic potest Dæmon corpus hominis opprimere, & alterare humores, & causare ægritudines: & potest occupare organa sensuum & illudere sensus, ita vt videatur aliquid maliculpæ causare illi, quod in re non est. Item potest occupare sensus internos, nẽpe formare phantasmata in phantasia, repræsentare imagines imaginatiuæ. Sed tamen non potest intrare partem rationalem substantialiter, ita quod substãtia Diaboli sit in substãtia animę rationalis: sed tantum mouet eam per suggestionem ad imaginem, vel ad exteriores sensus. Dicitur tamen inhabitare animã peccatoris, quia per peccatum anima fit Dæmonis serua & mo-
2. Tim. 2. D uet illam ad alia peccata: iuxta illud, ne quando Deus det resistẽ tibus veritati pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

Lect. 4. Posset aliquis dicere (ait ibi Diuus Tho.) isti resistunt veritati, & ideo imminet necessitas corrigẽdi. Respondeo, quod Deus pater eos potest reducere ad pœnitentiam, & ad hoc debet iustus pro viribus niti, vt resipiscant à Diaboli laqueis, id est, ab occasionibus errorum ex parte intellectus sicut falsæ phantasiæ,

& ex

& ex parte affectus ſicut ſunt inuidia, ſuperbia & huiuſmodi. Ne ceſsitas autem pœnitentiæ eſt magna, quam niſi habeant, diabolus dominatur eis: vnde dicit, à quo captiui tenentur, quia qui facit peccatum ſeruus eſt peccati: & difficulter aufertur à dæmone homo, qui obſtinate ab illo poſsidetur. Intrat igitur dæmon in animam, non ſecundum eſſentiã ſuam, ſed ſecundum effectus, ſuo conſilio inuitando ad malũ. Alias quomodo poterat eſſe legio in illo dæmoniaco. Talis ingreſſus per mortale delictum fit: quando anima cadit á gratia. Babylon, ideſt, confuſio efficitur & dæmonis receptaculum: vt mirifice & tremende depingitur à Ioanne audiente angelum de cœlo deſcendentem & in fortitudine exclamantem atque dicentem: cecidit cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi: ò anima in confuſionem verſa, quia legem Dei conculcaſti: cecidiſti à gratia, & per conſequens, à gloria, iuxta præſentem iuſtitiam: cecidiſti à Dei amicitia in dæmonis conſortium: cecidiſti à templo Dei, in dæmoniorum habitaculum. O infelix caſus, quo ingreſſum dæmoni paraſti, & hoſpitem tuũ conſtituiſti, omnes animæ tuæ deſtruentem virtutes & Dei dona comburentem. O quam faciliter intrat, ò quam difficulter expellitur: quanta bona deſtruit, quanta mala irrogat animę illum recipienti. *Mar. 5. A* *Apoc. 18. A*

Cum miſerrimo hoſpite & crudeliſsimo tyrãno comedis: cũ peſsimo vicino habitas, cum ſocio peſtifero dormis: quia cum dæmone comedis, cum dæmone habitas & dormis & bibis & viuis, Deo relicto & à te expulſo, qui hoſpitium beatis tribuit in cœlo. Quam graue ſcelus ſit hoc coram domino, tu homo ipſe potes tali exemplo facile intelligere. Auderes in domo tua habere inimicum magnum regis noſtri Philippi? Vt quid igitur non times dæmonem in optimo loco domus tuæ, nempe in anima, Dei inimicum regis regum per mortale delictum receptare, in Dei iniuriam & animæ tuæ damnum? Si non ſolum regis inimicum haberes, & nutrires, ſed abſconderes & defenderes illum, quid de te dixiſſet rex dum hoc ſciret? Quid dicet tibi Deus peccator audax, qui non in domo tua ſed Dei (quia cor tuum Dei habitaculum eſt, & Deo pertinet ibi habitare) inimicum Dei, nempe dæmonem & peccatum habes, & nutris & abſcondis, imo & defendis ab omni bono volente illud à te *Simile.*

Tit. 301. reijcere? De hoc Raymundus in ſua Theologia.

*Simile.* Auderes inimicum regis ipſe plaſmare ex luto aut ex alia quacunque materia? Vt quid ex nihilo formas peccatum Dei inimicum, quo ingreſſum diabolo in animam tuam paras? Time vehementer o homo, quia tenes in domo animæ tuæ inimicum Dei peccatum & dæmonem, imo tot dæmones quod habes peccata, & cuſtodis & defendis illos, rege regum præſente, videnteſ, & ſciente: creatore tuo redemptore atque rigidiſsimo iudice, cui magnam in hoc contumeliam & offenſam irrogare non ve-

*Simile.* reris. Auderes domum regiam intrare, & portare imaginem inimici regis depictam, ante faciem regis? O audacia peccatoris, audentis in eccleſiam ingredi, & imaginem dæmonis, ideſt peccati, coram Deo ſuo depictam in anima traditione magna & dolo portare & in dæmonis comitatu venire. Timete peccatores effrontes, pro nihilo ducentes quotidie peccatis veſtris dæmonem hoſpitare, contra Dei honorem, & in graue animarum veſtrarum nocumentum, & in periculo ſatis propinquo damnādi. Quia potentes eſtis per vos ipſos ad dæmonem in corda veſtra introducendum, non tamen ad expellendum: quia poteſtis peccare, non tamen viribus proprijs pœnitere.

Quis igitur non dolebat, videre hunc hominem miſerum, à dæmonio obſeſſum, ora illius claudente ne loqueretur ſibi neceſſaria: obturante aures ſuas, ne monita ſalutaria audire poſſet: oculos claudente, ne mala ſibi minantia, nec bona amiſſa videret, & cum hoc ſocium habere diabolum? O peccator, quo modo rides, aut gaudes qui omnia iſta & maiora mala habes, quā diu in peccato mortali es. Erat iſte ſurdus. Ipſe non audis verbum Dei ad opere implendum. Erat cæcus iſte. Tu non vides, quanta bona peccato amiſiſti: neque cogitas de grauiſsimis tormentis tibi iam iam minantibus. Non loquebatur iſte. Ipſe non vis famam alienam reſtituere, lingua qua illam furaſti: neque cō fiteri delicta tua ſacerdoti vere, vt te abſoluat. Erat igitur Ieſus, eijciens dæmonium ab homine.

*Text.* ¶ Et illud erat mutum,

*In Matth. 12. B.* DIximus ex Matth, hunc dæmonē eſſe cæcum & mutū, dicimus ex Theophilato Greco grauiſsimo, eſſe etiam & ſurdū ſic in Matth, dicente: vias ad fidē occluſerat dæmon, oculos aures &

res & linguã & in noſtro textu ait, iſte qui ad dñm adductus eſt & lingua & auribus impèditus erat. Figura autẽ hic eſt humanæ naturæ, quę à dæmonibus detẽta nõ poteſt audire ſermonẽ Dei ad opus, multoq; minus eloqui valet rectũ verbũ quandiu ſic eſt quanto magis cœleſtia videre præmia. Inter omnia alia, iſta tria mala nobis à peccato primorum parentum prouenere, nẽpe cæcitas, ſurditas & mutitas: quia his inſtrumentis præcipue peccaue rũt. Dicitur in Geneſ. vidit mulier lignũ quod eſſet bonũ ad veſcẽ dũ, & pulchrũ oculis: aſpectuq; delectabile: ecce quomodo appo ſuit viſum ſerpẽtis ſuaſu. Poſtquã dedit auditũ dæmoni dicenti, cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi. Comedite quia nequaquam moriemini. Etiam linguã dedit mulier dicẽs ſerpenti: præcepit nobis Deus ne comederemus. Vnde ſi Eua oculos à fructu auertiſſet nunquã in tantam concupiſcentiam ligni veniſſet: & ſi aures & linguam ſerpenti non dediſſet ipſa, & Adam mulieri, in tanta mala, quis dubitat, quin nõ corruiſſent, & nos? Quia non omnibus eſt auſcultandum, nec omnia audienda: corrumpunt etiam bonos mores, praua & nociua colloquia. Vnde ſapiens conſulit recte vnicuique noſtrum dicens: ſepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire: ſi nõ vis & ipſe fieri nequam, & à modico fermento corrumpi.

*Gen. 3. A.*

*1. co. 15. D*
*Ecc. 28. D*

Ex hoc enim, quod primi parentes ſerpenti oculos, linguam & auditum dederunt, & illi ad malum conſenſerunt: manet nobis miſera plaga & maledictio terribilis: vt dæmon per peccatum intret hominis ſpiritum, quem cæcum mutum & ſurdum reddat. Locuta es mulier, quod non oportebat? Pœna ſit vt maneas muta & elinguis, ad neceſſaria loquendum, dæmone hoc cauſante. Audiſti ſerpentem & dæmoni conſenſum dediſti? Maneas ſurda ad vtilia tibi audiendum. Vidiſti nociua & cauſas peccandi non fugiſti? Mane cæca ita vt non poſsis, quandiu in tali ſtatu fueris, cœleſtia bona videre. Sicut Euæ contigit tunc, ſic & cuilibet peccatori, cũ primum mortale delictũ perpetrare nõ veretur. Locutus es cõtra proximi famã honorẽ illius rodẽdo, aut contra Dei honorẽ periurio aut blaſphemia, & hoc dæmonis ſuaſu? Pœna ſit, vt Dei permiſsione, dęmõ intret animam tuã, vt ſic mutus maneas ad neceſſaria tibi loquendũ, & ad Deo & proximo honorẽ reddendũ, & ad vere confitendũ, & cũ hoc

valde loquax, ad multo peiora prioribus, contra Deum & fratrem tuum dicendum: cum habeas intra te malignus hostis bona verba impediens & vtilia, mala consulens & nociua. Vnde cogitas tantas te proferre maledictiones, periuria balsphemias & detractiones? Certe, quia dæmon in anima tua per peccatum existens tuum, ad hoc inuitat: vide ad quanta obligasti te, quando linguam illi dedisti male loquendo. Elinguem reddidit te ad confessionem, loquacem ad detractionem: mutum ad famā reddendam & adorationem, loquacissimum ad malum inuitandum, & ad famam tollendam.

*Psal.* 30. C Maledictio est à Dauid promulgata, contra tales, dicente: erubescant impij: erubescent, vult dicere, in iudicio Dei. Et deducantur in infernum & muta fiant & fient certe labia dolosa, ad confessionem, & optima loquendum. Quare tam graue malum Dauid? Quia loquuntur aduersus iustum Deum, & iustum proximum iniquitatem, iniustitiam & blasphemiam: in superbia sua & abusione peruersa, quam dæmon habitans in illis docuit, reddens illos mutos ad bene loquendum. Et quia ad videndum nociua & occasiones peccandi profectus es, maneas cæcus ad cœlestia videndum: quia malignus in te existens, claudit oculos ne in cœlum respicias: & aperit vt videas terrena & voluptates animæ tuæ nociuas. Et quia dæmonem audisti & prauo consilio suo obedisti contra Deum: fit ipse diabolus hospes tuus, claudens aures cordis tui, ne vtilia in concione audias: neque postea in iudicio, venite benedicti patris mei, si in tempore monitis Dei & concionatoris illius non obedieris pœnitendo, sed timebis ab auditione mala.

*Psal.* 111 *b* Cauete peccatores, dæmoni peccando ingressum ad animam vestram dare non timentes, vnde cæci & surdi & muti ad bonum manetis. Quia reuera si in tam miserando à vita discedi-

*Psal.* 113. *B.* tis statu, de vobis verificetur hic & in futuro illud Dauid: oculos habent corporeos & non videbunt, hic mala culpæ ad plorandum illa, nec in futuro Dei visionem: aures habent, vt bruta animalia, tamen non audient, à dæmone impediti, concionesque sibi necessarias & si audiunt non obediunt. Vnde absque dubio non audient, venite benedicti ad regnum cœleste, vbi musicam angelorum & beatorum audirent. Os habent tamen ad male loquendum, & non loquentur conducibilia sibi, famam

famã reddendo & vere confitendo: vnde loquentur in cœlo Dei laudes: sed in tartareo loco blasphemas linguas suas mordẽdo. O fælices, qui dæmonem fugatis & ingressum animæ vestræ per culpam prohibetis illi: os habetis & laudes Dei in cœlo dicetis: oculis animæ diuinitatem & corporis humanitatem videbitis. Et verbum gaudio plenum à Christo audietis: venite benedicti, qui peccare renuistis, & diabolo & operibus eius abrenuntiastis in vita: Amen. *Apo. 16. B.*

# Homilia secunda.

¶ Illud erat mutum. *Tex.*

SVrdus apud Deum dicitur, qui nõ audit quæ Dei sunt bona & optima (ait D. Chry. in illud Matth. vidit alios stantes in foro otiosos) sed quæ diaboli mala & nociua: cæcus dicitur nõ qui corporaliter cęcus est, sed per cuius oculos diabolus videt, quæ non oportet: sic qui diabolo viuit amortuus est apud deum: istevero est quicunq; peccator. O mortale delictũ, per quod dęmoni ad animã ingressus patet, & illã à veris suis & cõducibilibus actionib⁹ impedit: vnde inter alia quę diabolus contra animã à se possessam intendit, est vt potẽtias & sensus ad malũ habeat patentes, & ad bonũ clausas. Tũ quod magis desiderat est, os peccatoris claudere, ne verã faciat confessionẽ: vt patet in isto dęmoniaco cuius os clausum fecerat ne posset loqui ad salutem. Heu quã innumeri, etiã ex fidelibus nostris, ad tartara descenderũt: quia ad legitimã confessionẽ, dæmonis suasu ora clausa habuerũt. Pestifer est lupus & atrox, contra miserã ouiculã, qui ad illam deuorãdũ, non arripit dentibus pedes illius aut brachia aures aut vẽtrẽ: sed prius guttur illius tenet, ne balatũ emittat & adiuta sit & sic occidit ipsã & deuorat. O draco antique tortuose serpẽs lupe infernalis dæmõ qui multoties homini manus, ad eleemosynã dandã, liberas relinquis: & aures ad cõciones audiendas, & pedes ad templum veniendum. Quid vis ab ista misera ouicula, & anima aberrante, dire lupe? guttur tantum desi- *Ho. 34. in imp.* *Simile.*

dero dentibus meis tenere nevere, & legitimè confiteatur: alias faciat quicquid boni voluerit, nam nil illi prodeſt.

Hoc ipſum confeſſus eſt dæmon aliquando, iubente Deo, cuidam ſancto interroganti illum: quid in hoc mundo, magis tibi diſplicet maligne, ex omnibus operibus bonis fidelium? Confeſsio legitime facta eſt maior dolor cordi meo: quia ille qui legitime confitetur, è manibus meis totaliter fugit. Vnde ſtomachatus fui cum Sancto Martino, dicens illi iratus: cur laſſos in peccatum multoties, ad pœnitentiam per confeſsionem recipis Martine, contra infernum & dæmones? Quid tibi Martinus dixit? Si tu ipſe dæmon obſtinate, ab hominum infeſtatione, deſiſteres, & factorum tuorum te pœniteret, & humilis eſſe poſſes & legitime confiteri: confiſus in Domino, ego tibi miſericordiam Chriſti pollicerer: quanto magis hominibus, in via exiſtentibus, & pœnitere de peccatis valentibus, & confiteri ſacerdoti? O dæmon fallax, quanta ſolicitudine curas vt homo contra Deum & proximum loquatur: tanta & maiori facis, vt ad confeſsionem legitimam & ad veram honoris ſatisfactionem, non perueniat. Peccaſti detraxiſti, blaſphemaſti, & iam tertia quadrageſimæ dominica eſt hodie, & non reſtituiſti, neque confeſſus es peccata tua? Proh dolor abſque dubio dæmon eſt intus, claudens os tuum & te mutum reddens. Inter alias cauſas à principio poſitas, quare hoc euangelium hodie ab Eccleſia nobis proponatur: credo vnam eſſe, in laudem bonorum iam delicta ſua confitentium, & qui dæmonem mutum, à ſe, confeſsione vera reiecerunt & proximo de honore ſatisfecerunt: & in confuſionem & ignominiam illorum qui adhuc dæmoniaci manent & Dei inimici, ſurdi & muti: ſolum, quia confiteri adhuc neglexerunt.

D. Anto. p. 2. hi. tit. 10 ca. 11. §. 2 fol. 34. col. 3.

Felix mutus ad peierandum, detrahendum, blaſphemandum & male dicendum: à Deo & gratia ſua talis procedit mutitas: infelix mutus ad confitendum, & ſatisfaciendum, ad orandum & concionandum: à dæmone procedit tale ſilentium. Felix, qui linguam ſuam, velut ſagittam acutam, parat confeſsioni & orationi, & Dei laudi: miſer, qui habet linguam doloſam, contra Deum & fratrem ſuum. Hoc malum oſtendit Dauid dicens: quoniam tacui inueterauerunt oſſa

Pſal. 31

mea,

mea, dum clamarem tota die. Si tacebas, quomodo clamabas propheta magne? si clamabas, quomodo tacuisti? Tacui loquenda, clamaui tacenda: & sic inueteraverunt ossa: id est, virtutes meæ, mortificatæ sunt & merita mea, quibus anima fulcitur & alitur, vt corpus ossibus roboratur. Tacui non confitendo delictum meum: clamaui inuitando ad malum Bethsabee, & scribendo contra vriam. O dæmon lupe tu ipse mecum tunc ambulabas, quando vris mei ostium ad malum loquendum aperiebas: & vt ne delictum confessus essem, claudebas. Gratias Deo immensas agere velim, & seruo suo Nathan velim seruire consilium: quo dominus admonuit me, vt peccatum meum ex corde confessus essem dicens, peccaui Domino: vnde electus fuit malignus ab anima mea, & ego mutus, recte locutus sum dicens, dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, quod & feci multoties. 2. reg. 11. A.C. 2. reg. 12. A. Psal. 31.

Deus ipse scit, quam magnum illi seruitium & homini vtilitatem faciat bonus homo, qui consilio suo ad confitendum illum inuitat: præcipue concionator, qui multos dæmoniacos, ad confessionem faciendam legitimam feruenter induxit, & vt crebro confiteantur, & loquantur delicta sua, satisfaciendo honorem Domino suo & proximo. Vnde fugiunt dæmones & peccata ab animabus Christi sanguine redemptis: & loquuntur sana verba Deo gratias referendo, & pro concionatore, ad tantum bonum mouente, deprecantur Deum vt illi soluat. O quis sciret vobis fratres mei ostendere, quam innumera mala dæmon, per peccatum in animam vestram ingrediens, illi irroget, vt potius peccatum, quam ipsum infernum fugeretis. Cæcat oculos mentis tuæ ô peccator, malignus animam tuam possidens, ne veritatem & virtutem rationis oculis & fidei videre possis: nec bona amissa perpendas, nec mala tibi minantia consideres. Obturat aures mentis tuæ, ne verba diuina audias, nec salutaria monita: & si audieris, vt ne illis ad opus bonum obedias: vnde anima tua in tam periculosum peruenit statum, vt contumax fiat Deo. Inde sequitur tibi horrenda mutitas, debitam Dei laudem impediens, & ne Deum glorifices, nec proximum bonũ suadendo adiuues: vtinam Deum & proximũ verbo

tuo à dæmone misso ne offenderes. Malum grauius, quod ista mutitas in te causat, est raro peccata tua confiteri: cum corde creditur ad iustitiam, & Deus instituerit, vt omnis peccator, si saluus fieri voluerit, faciat oris confessionem sacramentalem sacerdoti claues habenti: & sic oris confessio fit ad salutem.

*Ad Roman. 10. B.* Audisti homo quantam dæmoni per peccatum facultatem dedisti contra animam tuam, ita vt mutam illam ad bonum reddat, & ad malum loquacem? Audi & amplius, quia non solum iste homo dæmoniacus mutus erat, sed etiam surdus: vt scias si dæmonem in hospitem per peccatum recipere non times: non solũ animam tuam ad bonum multam reddet, sed etiam surdam, ne audiat Dei verbum, maxime necessarium animabus in peccato existentibus, vt ad contritionemm & veram confessionem, Dei auxilio, veniant. Quia, sicut sensus pestilentiores, quibus facilius mors animæ intrat, lingua & auditus sunt: sic & per illos, dum bene homo vtitur ipsis, melius vita ingreditur & gratia obtinetur, conciones audiendo, & præcipue lingua confitendo. Et ideo, totis viribus, dæmon conatur in anima quam possidet, auditum tollere verbi Dei, & loquelam ne confiteatur: quia vt lupus verbum impedit, & vt canis aurem rapit. O te miserandam animam, per culpam dæmoni traditam, contra quam vires suas malignus ostendit: præcipue vt ista tria mala inferat tibi, quæ huic dæmoniaco intulerat, vt inde virtutibus & donis spoliet. *Simile.* Est dæmon contra te homo, vt latro aut fur in malo valde sagax: quando fur aliquam domum intrat & illam spoliare desiderat, silenter aperit ianuam & claudit illam post se: deinde lumen extinguit, ne agnoscatur aut videatur: & vltimo, si canis adest, panis frusto aut osse os illius claudit, ne latret contra ipsum & à somno excitetur dominus domus, & sic furatur omne quod vult & in domo inuenit, secure.

Dedisti per culpam ingressum in animam tuam dæmoni, latroni infernali, maxime desideranti omnia merita tua destruere, & omni bono te spoliare: postquam ingreditur, primum quod facit est, ostium aurium claudere post se, vt ne audias necessaria tibi ad salutem: neque concionatorem dicentem, caue à fure infernali: aut inspirationem Dei loquentis ad cor tuum. Deinde, extinguit lumen tuum, tam rationis, quam considerationis: te velut sopitum culpis reddendo, ne possis cernere verum, & oculos

animæ

animæ ad cælum attollere,& merita,quod peccando amiſiſti: & vt ne videas tormenta grauiſsima tibi minantia. Deinde poſtquã ſurdum & cęcum reddidit te,obſtruit os tuum,ne,velut canis,cõfitendo latret contra illum, & ſeruet munera præmiorum & dicat,ad latronem:ad latronẽ:& ſic aliqua voluptate aut odio mutũ facit os tuum, & intrat ad animæ theſauros & libere rapit om *Oſea.7. A.*
nia bona illius. Vt ait Oſeas,fur ingreſſus eſt ſpolians,& latrũculus foris,quia dęmõ latro,non ſolũ ingreditur animã vt ſpoliet illã int⁹ meritis ſuis? Verũ etiam eſt latrũcul⁹ foris,incorporis ſenſibus, internã &externã cęcitatẽ,ſurditatẽ& mutitatẽ cauſans.

Euangeliſta facer,cũ dæmõ corpore careat & per conſequens ſenſibus orbatus ſit, quomodo affirmas hũc dęmonẽ eſſe mutũ & cęcum,&Theophilatus eſſe ſurdũ? Dico illum cęcum & mutũ eſſe,ab effectu,vt mors dicitur pallida: quia hominem pallidum reddit:ſic dęmonẽ etiã ſpiritualẽ,voco mutum, quia hominẽ in quẽ intrat,non ſinit loqui neceſſaria,nec videre vtilia,nec audire quæ ſibi conueniũt:ſed malo culpę hominis, habet facultatẽ malign⁹, ſimiles miſerãdos effectus in anima ſua peccatrice cauſare.

Vt quid amplius dęmonẽ cęcũ& mutũ vocas? quia re vera nec linguã qua loquat,nec aures quib⁹ audiat,nec pedes quibus ambulet habet,niſi ab homine tribuantur illi draconi. Loqueris nociua. Dæmoni linguã contra te tribuiſti. Audiſti falſa? Aures illi dediſti:& ſic de alijs ſenſibus cõiectare licebit. Manus dediſti illi, quãdo ludis aut furtis vacaſti:dęmon ex ſe,vt lignũ in litore trũcũ manet: præcipue, poſtquã domin⁹ Ieſus illũ vicit & deſtruxit Tu illum homo,à planta pedis vſque ad capitis pilos, culpis tuis cõponis,in magnã Dei iniuriã,& nõ minimũ animę tuæ damnũ. Vis tuã audaciã in malũ tui cõſiderare,quoties dęmoni mẽbrum præbes.

Quis militum noſtrorũ modo in bello cõtra canes Granatẽſis *Simile.*
regni exiſtentiũ(Dei adiutorio cito finiendo, in bono fideliũ & canum deſtructione) vidẽs ſe in periculo ſatis probabili,à quodã Turca aut Mauro captari aut occidi:ſi poſſet,facili negotio,pedes & brachia ſcindere contẽpſiſſet,in periculo ſuę vitę exiſtẽs? Imo & caput etiã tolleret ab humeris. Vt quid igitur ipſe fidelis,non ſcindis dęmonis pedes volẽtis te in gehennã,deducere,àgreſsib⁹ malis cuſtodiẽdo animã tuã? Quare nõ præſcindis brachia & manus illius,eleemoſynã dando,& furta fugiendo certe vult occide

re te,& manibus caret: & ipſe,poteſt Dei nutu,illũ inermẽ relin-
*Similis.* quere, & ſine aliqua fortitudine, dũmodo à peccatis caueas. Maior ſtultitia eſſet,ſi inimico volẽti occidere te,manũ poſuiſſes illi carenti illa,& enſem in manu cõtra te. Quis pugil,aduerſario,pedes & manus & arma contra ſe dediſſet, ſi poſſet: ſi illũ trũcatis manibus & pedibus vidiſſet? Tu ſolus peccator,hãc inſaniã,quoties mortaliter delinquis,perpetrare non times: qui dæmoni,pedes veloces ad malũ tribuis, quoties in malis ambulas greſſibus: manus præbes illi contra te,omni tẽpore quo ludis aut furtis vacas. Vis illum mutũ reddere? Confitere peccata tua. Vis manum conſtituere? Reſtitue aliena. Et ſic de alijs, facilis eſt diſcurſus.

Talis dicitur diabolus in homine, qualẽ ipſe facit ipſum ho-
*Iob.40. B.* minẽ per culpã: vnde prouenit, quod per Iob, aliquãdo dicatur
*C.D.* dæmon piſcis,aliquãdo volucrẽ vocat,ferã aut bouem. Piſcis eſt, quando hominem auarum facit,& diuitias,velut aquã tranſeuntes ſitire facit, & per fas & nefas acquirere. Dicitur volucris dæmõ,in homine ſuperbo: canis in detractore malo. Et quod peius eſt, multoties de huiuſmodi culpis pœnitentiã non faciũt miſeri homines: vnde poteſtati dæmonis relinquuntur à Deo, & ab ip-
*3.Re.21.F.* ſiſimet feris conſumuntur, Exemplum ſit rex Achab, cui dixit Elias in nomine domini: ſi mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes,ſi autẽ in agro comedent volucres cœli, quia dæmon velut canis rabidus comedit detractorẽ in canẽ à demone verſum,&ad vomitũ peccati redeũtẽ,& ſuperbũ volucres cœli comedẽt dæmones huius aeris caliginoſi: deuorabũt eos aues
*Deu.32.D* morſu amariſsimo, ideſt, dæmones graui pœna: canes comedẽt Iezabel in agro (ait ibi Elias) & peſsimam fœminã ad vomitum reuertentẽ & alios ſuadentẽ. Si tã fortis dæmõ eſt,& tã nociua dãna animæ infert, quis tam peſtiferũ hoſtẽ à ſe poterit eijcere? Nemo,niſi Ieſus,aut auxilio ſuo recte vtens & virtute, & qui ſacramẽta digne acceperit, & meritis paſsionis eius recte fuerit vſus. Quia ab aliquo alio, quam à Ieſu, à conſtitutione mundi vſque adhuc, non fuit expulſus dæmon ab anima, neque peccatum dimiſſum. Tamen vult, vt ipſe homo adiuues aliquibus medijs ipſum Ieſum, ad expellendum dæmonem ab anima tua per culpam tuam ingreſſum. Etiam ſi, ipſe quantum fuit in ſe eiecit principem mundi, ideſt, dæmonem foras,

foras à mũdo & ab animabus, etiam vitę diſpẽdio in cruce. Malus homo quoties mortaliter deliquit, iterum in ſe recepit illum & ſic opus eſt vt & ipſe adiuuet ad dæmonis eiectionem. Non quod Deus auxilio alicuius indigeat, tamen ſic inſtituit: vt qui voluntarie dæmonem per culpam in te recepiſti, voluntarie illũ Dei auxilio expellas.

In ſyluam eiecit dominus dæmonẽ & in deſertum peccati, ad quod deſertũ, niſi acceſſeris, nil mali tibi conferre poteſt. Vnde tanquam à facie colubri, ſic peccatũ fugias ait Salomõ. Quia (vt ait Chryſoſ. in epiſtolam ad Romanos in morali exhortatione) ſi ad ipſum acceſſeris, mordebit temon enim ipſum ad nos venit, ſed nos vltro ad ipſum tranſfugimus. Etenim & hoc prouidit diſpoſuitque Deus, ne pro voto tyrannide ſua nos ſuperet diabolus: niſi enim hoc eſſet, nemo potentiæ illius reſiſteret. Propterea fecit vt in abdito, latronis & tyranni inſtar habitaret: & niſi nudum & deſolatum quempiam, in ſua rapere luſtra detur, aggredi non audet: niſi enim eremum ſuam nos ingredi viderit, accedere ad nos non ſuſtinet. Eremus vero locuſque diaboli nihil eſt aliud quã ipſum peccatũ: ne pecces, & liber eris: caue ne te in ermẽ virtutib⁹ inueniat iſte prędo, & ſolitariũ à gratia, & ad ſpeluncas ſuas tenebroſas errorum aut ad deſertũ peccatũ ſcilicet deſcendere te videat, alias donis ſpoliabit te. Ad bonos tñ nolẽtes peccare, accedere non ſuſtinet: vt cõfuſus & virga crucis percuſſus: & quia maledictus à Deo, iuſſus fuit terrã ſerpere, nõ apprehẽdit ad cœleſtia volãtes, cõtẽplatione & operatione recta, ſed terrenis voluptatibus & deſiderijs adhærentes: vnde armis terrenis pugnat contra nos, auaritia nempe & voluptate. Sicut ſerpens reptans pedibus caret: ſic & ſerpens maledictus dæmon, ad comprehendendum te, ambulare non poteſt, ſi tu pedes illi veloces ad malũ non prębes: vola ad ſublimia nil tibi ſit cũ terra cõmune, & nõ timebis à timore dæmonis meridiani.

Ecclеſ. 21. A. Ser. 8. in ca 4. To. 4. Gen. 3. C. Simile. Pſal. 90.

Serpens, vbi frequentius habitat, eſt inter ſpinas & tribulos: ſi vis cauere ab illo ne appropinques ad illos aut ſi vis fugare illum, ſcinde aut combure ſpinas. Quid ſpinæ (teſtimonio ſaluatoris) niſi voluptates & auaritię ſunt? in his præcipue malignus habitat: fuge has voluptates, & non nocebit coluber, & ſcinde occaſiones & charitatis igne cõbure voluptates & fugiet à te talis ſerpens. Si in anima habes iam per culpam mortalem dæmo-

Simile. Luc. 8. B.

dæmonem, debes ſolicitudine magna & oratione & lacrymis ora re Ieſum, vt illum à te eijciat, ſua poteſtate. Et dignabitur illũ eij-
1. Ioan. 3. B cere à me? Etiã: quia ad hoc venit in mũdũ teſte Ioãne vt deſtruat diaboli opera & diſſoluat illa & ab animabus illũ expellat & gra tiã infundat, peccata tollẽdo. Et quibus armis tollet tã grauẽ inimicũ ab anima mea? Etiam ſi voluntas ſua ſufficiens erat ad hoc tamen voluit ſacramenta inſtituere, quibus mirifice dæmon ex
Simile. pellitur, & gratia prouenit. Ipſe canem moleſtum & rabidum, quo abigere curas? Baculo aliquo. Sic & filius Dei, crucis ſtupendo baculo diabolos non ſolum fugauit, ſed quantum inſe fuit occidit. Vt ſcias (poſt Chriſti ſacramenta & Dei verbum nil magis timere dæmonem, neque aliquo meliori modo ab anima expelli, quã crucis baculo, magna fide & opere à fideli accepto.
Iſa. 30. G. Audi Iſaiam dicentem: à voce Domini, adiuuantis nos contra dæmonem, pauebit Aſſur virga percuſſus: malignus nempe, cru
Simile. cis virga, à Chriſto infamatus. Vt timet puer, oſtenſa ſibi virga, qua à magiſtro fuit percuſſus: ita & melius dæmon oſtenſa ſibi cruce, ab homine credente & operante.

Simile. Quantum abhorret homo ingenuus, fuſtem, quo in platea ab inimico ſuo coram multis fuit infamatus. Dæmon, etiam ſi mali tia ſua vilis effectus eſt & tenebroſus, nobiliſsimus eſt genere ſuo & ingenuus natura: qui tamen, cum à filio Dei in campo cal uariano coram angelis & hominibus, crucis fuſte percuſſus fuit & infamia reſperſus, magno gradu crucem abhorret & illam fugit. Accipe illam tanquam ſcutum ô fidelis, ante omnia ope ra tua fide debita, & operatione neceſſaria: & videbis quam magnum ſit remedium ad dæmonem fugandum, ne intret in animæ tuæ hoſpitium. Et ſi intus latet, tali crucis baculo & ſacramentorum auxilio, illum inhonoratum expelles. Et ma-
Pſal. 22. gnum ſolatium inueniens cum illo qui dicebat: virga tuæ correctionis Domine, mihi miſſa à te per Nathan: & baculus tuus crucis in quo pro me ſoluere diſponis, ipſa me conſolata ſunt, & ipſis dæmonem ab anima mea tuo auxilio eieci. Dices forſan, ſolus igitur Chriſtus tali baculo crucis ab anima mea dæmonem expellet, quid opus eſt vt ego aliquid faciam? Neſis deceptus homo, quia cum ipſe conſenſum dæmoni dediſti ad ingreſſum in animam tuam per culpam: vult ipſe Deus, vt aliquid ex parte tua facias ad illius eiectionem, conterendo dolendo &

pœ-

pœnitentiam agendo. Quia talem hoſtem, contra benignũ Deũ tuum, in Dei hoſpitium, nempe in animam, recepiſti, iuſtum eſt vt tantum ſcelus deteſteris, & baculo crucis & ſacramentis digne vtaris & omnibus vijs dæmonem à te expellere cures, & expulſum abigas, ne iterum tam crudelem recipias hoſpitem.

Quando baculum non fugit canis, quem à domo, ob moleſtiã & damnum quod infert, expellere deſideras: aqua calida illum fugam arripere facis. Frater mi, etiam ſi Dei filius, iuxta te ſit, auxilium præbendo baculo crucis, & paſſionis ſuæ meritis, nõ erit dignum, ad expellendum canem rabidum, animæ tuæ valde moleſtum, dæmonem merita tua deuorantem: quem in anima per culpam habes, aut ad obſtandum illi ingreſſum, vt ex parte tua, aliqua lacrymarum calidiſsima aqua, à corde tuo effuſa, quia peccaſti, aut vt non pecces iterum, vti, & fontem lacrymarum emittere, quibus aquis calidis, mirabiliter dæmon ab anima fugatur, dum adeſt Dei auxilium? O domine mi (ait Dauid) quam magna fuit miſericordia tua erga me: ob adulterium & homicidium, locum dæmoni in anima mea præbui, vnde ille canis rabidus merita deuorauit mea. Volui tamen, auxilio tuo, illum à me expellere, dolendo gemendo & crucis baculo, in ſpe viua vtendo: & inter alia remedia à te mihi collata, fuit vnum mirabile, quia dediſti mihi lacrymarum flumen: vnde exitus aquarum calidarũ, deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam, & vt dæmonem ab anima expellerem. Et lacrymis feruentibus ſtratum meum rigabam: vnde domine, tu confirmaſti in virtute tua mare contritionis meæ, contribulaſti & confregiſti capita draconum & canum infernalium in anima mea exiſtentium: in aquis lacrymarum mearum, & illarum terrore fugaſti.

*Simile.*

*Pſal. 118.*

*Pſal. 73.*

In Magdalena illa, quondam peccatrice non fuerunt ſeptem dæmonia, ideſt, omne fere vitiorum genus? Audi Lucam dicentem mulieres aliquæ ibant cum Ieſu, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant. Et quomodo expuliſti illos bona mulier? Dei auxilio & crucis, tamen lacrymis etiam calidiſsimis ex corde procedentibus, quibus pedes domini rigaui & animæ ſordes lauaui malignos me comedentes canes fugaui. Ad hoc tamen multum vtilis eſt conſcientiæ remorſus. Vt homo eijcitur à domo, litigioſæ mulieris tædio, ſic conſcientia pungente

*Luc. 8. A.*

*Luc. 7. F.*

*Simile.*

te eijcitur dæmon: quia ad ſacramenta homo inuitatur à verme rodente & dicente, vt quid talem hoſpitem habes? Optimus tamen modus, dæmonem ab anima abijciendi, aut illi ingreſſum prohibendi eſt, in nullo monitis ſuis aſſentiri, & nil cibi voluptatis aut alterius vitij illi dare: vnde ſic confuſus diſcedit. Quemadmodum canis (ait D. Chry. de Lazaro) aſsiſtens menſæ, ſi viderit hominem veſcentem, & aliquid eorum quæ in menſa ſunt, micas aut oſſa aut carnes proijcientem: manet aſsidue moleſtus & vorax: ſi tamen illum expellere vis, ſemel atque iterũ diſcedat nil adeptus, & protinus abſtinet & abibit veluti qui iam fruſtra & incaſſum aſtitit. Si das cani continuo quid mirum vt aſsiſtat. Si quoties canis infernalis à te vitium petit & vt illi conſentias obtinet, quia eſt inhians inceſſanter & expectans aliquid à te, ſi blaſphemiæ os, aut voluptatis micas, illi ceu cani proijcias, aut immũdum verbum: tu tamen ſine Dei timore, ſine inferni conſideratione, petenti ſtatim porrigis, & omni malo conſenſum præbes: quid debet agere canis niger malignus, niſi hoc accepto rurſus aggredi, & continuo iuxta te aſtare, imo intra te viſcera dilacerando perſeuerare?

*Concio. 3. Simile.*

Conſueſce, nil dæmoni dare, in nullo illi conſentiri: ſed eijce illum ab anima tua ſacramento: & deinde nullum cibum delicti illi conferas, ſed fuge peccatum vt ignem inferni, Deo in omnibus ſeruiendo, & certe fame iugulaueris illum & celeriter abiges ipſum, & au fugere coegeris. Inanis abibit & vacuus, pergẽs confuſus & illuſus: timens iterum ad te reuertere. Si baculo crucis percutis talem canem, quo infamatus fuit in caluario & lacrymarum aqua calidiſsima comburis, & conſcientia obiurgãte ex pellis & inſuper ieiunio vitiorum affligis illum: qui nõ poteſt fere per multum tempus, eſſe ſine delictorũ cibo à te illi dato: certe viriliter ſic illum fugere facies ad ſua Tartarea loca. Sicut ieiunium eſt valde vtile ad fugandum lupum (vt ait D. Bonauen. Dietę ſalutis beatus nomine & opere) ſicut enim vulgo dicitur: fames eijcit lupũ de nemore. Sic abſtinentia & ieiunium fugant diabolum ab homine: præcipue abſtinentia vitiorũ. Vnde dicitur à Chriſto: hoc genus dæmoniorum, non eijcitur, niſi in ieiunio & oratione. Oratio fugat peſtes cordis, & ieiunium peſtes corporis: in cuius figuram, Iudith ieiunans occidit Holofernem. Quia ſi dæmonẽ occidere deſideras ieiuna à vitijs: vtere parcius verbis

*Ti. 2. depœ. cap. 6. de ieiu. To. 2. fo. 134. col. 3*

*Mar. 9. E. Iudi. 13. A*

bis cibis,& detractionibus:ne voluptates comedas, odia aut malas operationes:& sic verisimè diabolus occisus erit à te& expulsus. Quia sicut canis non eligit coquinam pauperem,sed pinguẽ, sic dæmon,non diu manet circa hominem spiritu pauperem, & vitia non comedentem,sed circa voluptatibus abũdantem. Quia vt ait Habacuc:certe in ipsis peccatoribus,incrassata est pars dæmonis,& cibus eius electus est,non contemptus. Eijce domine Iesu,dæmonia & peccata ab animabus fidelium,vt te vere in omnibus laudent hic,est in gloria cœlesti:Amen. *Simile.* *Abd. 1. D.*

# Homilia Tertia.

¶Et cum eiecisset dæmonium locutus est mutus. *Tex.*

Bone Iesu,qui postquam virtute tua & bonitate, dæmones & peccata à nobis expellis,& dæmoniacas affectiones &opera ab animabus nostris reijcis,statim facis nos audire veritatem obediendo,& illam loqui alios docendo:non solum sermones Dei audire oportet (ait hic Theophilatus) sed insuper & alijs notos facere illos. Timeant tamen,qui adhuc in corde suo diabolum habent,& opera diabolica:& non verẽtur alios docere viam salutis, dæmoni & operibus eius abrenuntiare,& volũt ab omnibus vocari Rabbi. Eijce prius dæmonium ab anima tua concionator, & culpam mortalem,adiutorio Iesu,& tũc alios viam domini docere satage: à te egresso dæmone, verus sermo & vtilis doctrina fit, alias cum dæmon mutũ reddiderit te, quomodo enarrare iustitias domini audes, & assumere testamentum eius per os tuum, per quod dæmon loquitur quandiu peruersa suades, & per culpam ab illo es obsessus? Dum intra te dæmonis fuerit operatio,etiã si loqui videaris,non loqueris,cum non operaris:egrediatur peccatum, & tunc erit loquela decens. *Psal. 49. C*

Tria signa simul in homine isto perpetrata sunt (ait D. Hiero.) cæcus videt,mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Imo,vt diximus ex Theophilato,& surdus etiã audiuit: & q tũc corporaliter in homine isto factũ est à dño & mirabile in oculis nostris

noſtris,quotidie completur in conuerſione credentium. In baptiſmate,lumen fidei recipiunt,vt videāt futura bona & mala credentes, deinde in laudes Dei,tacentia prius ora per peccatū,laxā tur.Et quoties in peccato es homo,cæcus es:quia, pro tunc,Deū videre per gloriam,impoſsibile eſt, mutus es,quia Deum laudare,vt decet,minime vales.Surdus etiam , quia vtilia tibi nō audis, ad opus bonum : nec ſic exiſtens audire potes: veni benedicte, Eſt ne aliquis, qui à dæmone tanta in me cauſante mala , poſsit me liberare pater?Eſt:ſolus & vnicus medicus Deus cęleſtis, & redemptor omnium Chriſtus Ieſus ſaluator qui erat & eſt inceſſanter,eijciens dæmonium ab animabus, peccata remittendo.

In ſacro pœnitentiæ ſacramento,ſacerdos, loco Dei, abſoluit te vere confitentem & dęmonem expellit,vt loqui poſsis neceſſaria tibi.Impoſsibile eſt , poſſe aliquem bene loqui ad ſalutem, antequam dęmonem & peccatum ab anima ſua , Ieſu virtute, & ſacramentorum eius vigore,eijciat illum.Cupis ſcire frater mi, an dęmon & peccatum ab anima tua abierit,& receſſerit?Vide ſi bene loqueris,ſi recte audis,obediendo Dei mandatis,ſi vides ne ceſſaria animę tuę:ſi hoc eſt,cōiecturaliter ſcire poteris, dęmonē à te receſſiſſe:prȩcipue ſi in cōfeſsione locutus es delicta tua ſacerdoti, & in bono opere obliuioſus non es factus, abrenuntiando Sathanę& operibus eius.Si verba blaſphemię contra Deum proferre abhorres, atque detractionem proximi,ſi ad laudē Dei , & fratris ſalutem audis & loqueris.

Tamē homo,animę tuę immemor, ſi adhuc honorē à te ſubla tū non reddidiſti vero dño,loquēdo vt Deus vult : ſi iuramētum mēdacio affirmatū,nō recedit de ore tuo:ſi cōtra proximū loqui non ceſſas:digito oſtēdam quod oculis video,te adhuc dęmonia cum eſſe,&peccatum animam tuam poſsidere,cum nondū rectę loquaris.Iſte dęmoniacus, egreſſo maligno,locutus eſt:haud dubium,quin in Dei laudem & animę ſuę vtilitatem.Maledica mulier, adhuc diabolus hoſpes tuus execrandus eſt,cum ab ore tuo tot dęmones,quot ab inferno,egrediuntur : & gaudes loqui immunditias , & vicinas infamare non vereris : prȩcipue ſi inter nuntię officium,ſerpentina lingua tua exerces:non vnus dęmon ſed multi in anima tua hoſpitium inuenerunt. Quod de lingua dicimus idem de auditu & viſu intellige, tamen ſi vides neceſſaria & audis libenter Dei verbum executioni mandādo,magnū

ſignum

ſignum te iam à Dæmonio & peccato liberum eſſe. Si ſemper oculos ſublimes ad malum habes, & adulterio plenos, quibus velut laqueis, columbas, ideſt, mulierculas captas Dæmoni, & ad voluptatem inuitas: quis dubitat quin adhuc Diabolum hoſpitem eſſe tuum? Verbum Dei, aut correctionem tibi neceſſariam, velut peſtem abhorres: ſi audis, tepide & abſque vlla cura, operatione adimplere illud, omnes agnoſcent, te eſſe Dæmoniacum. Domine Ieſu, in cuius nomine Dæmonia eijciuntur, eijce malignum à cordibus fidelium, vt ſana loquantur verba cõfitendo cito & vt decet, audiendo diuina, & obediendo tibi.

¶ Et admiratæ ſunt turbæ. *Tex.*

SImplici corde nec malitia infecti homines, ſemper facta penſantes diuina & admiranda opera Dei, iuxta mundi prouidẽtiam exercita, admirantur: Dei bonitatem conſiderantes, erga homines ingratos ipſi Deo. Imo nec mirũ vt in turbis naſcatur ſtupor, ex tanto miraculo ortus, & admiratio ſubſequatur: mirũ autem eſſet, ſi non mirarentur, & ſtupor eſſet grauis, vt eſſet aliquis præſens, qui Deo gratias poſsibiles pro tam miranda à Dæmone liberatione, non redderet. Cum videret hominem à Diabolo obſeſſum, ſenſuum valetudine deſtitutum: & tam ſubito in libertatem ſenſuum & animæ diuina potentia reſtitutum. Magna res, & admiratione digna certe fuit, hominem videre tã miſerandum cæcum, ſurdum, & mutum & Dæmonem in hoſpitem habentem: & cum primum dixit Ieſus, exi ab eo ſpiritus immunde, qui hunc hominem creaturam meam talem reddidiſti, exi cito: volo vt videat audiat & loquatur & te careat. Statim factum eſt.

Eſt minore admiratione dignum factum, quod tibi fidelis, in ſacramento confeſsionis diuino contigit heri: quando ad ſacerdotem, Ieſu vicem & poteſtatem habentem, acceſsiſti, cum dolore peccatorum debito? Qui cum Dæmoniacus veniſſes ad illum, imo tot comitatus Dæmonibus quot mortalia commiſeras delicta: cæcus eras cum Deum videre non poterat anima tua ſi ſic à corpore eſſet egreſſa, ſurdus & mutus. Genu flexiſti corã ſacerdote, peccata dolenter & lacrymis, illi reuelaſti vere & ex animo: prius legitimam ſatisfactionem omnium debitorũ tuo-

rum feciſti.animo firmiſsimo Deo promiſiſti, ſuo adiutorio fretus,te amplius non peccaturum:& omnes peccādi cauſas ſublaturum, & reſciſſurum. Omnibus confeſsis delictis, audiſti ab illo: ego te abſoluo à peccatis tuis in nomine ſanctiſsimæ Trinitatis, & in virtute ſanguinis Ieſu Chriſti. Quid credis aliud dixiſſe, quam ego in loco Ieſu exiſtens, impero tibi maledicte Sathana, & omnibus dæmonibus, qui tecum ſunt in anima iſta & vniuerſis peccatis, vt exeatis & ſtatim, ab illa quam cæcam, & ſurdam,& mutam reddidiſtis:vt gratia Dei illuminata,videre poſsit loqui & audire, quæ ſibi ſunt neceſſaria? Et in eodē inſtanti, omnia dæmonia, & cuncta peccata tali verbo ſacerdotis obediunt,& animam liberam relinquunt: vnde turbæ cæleſtes admirantur de tanta poteſtate hominis: & vos parum hoc attenditis,cum ſtatim,vt canes immundiſsimi,ad peccatorum vomitum reuertimini.

*Text.* Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

QVidam maligni,inuidia tabeſcētes,Phariſæi elati, qui poſſidebātur à diabolo in anima,per amplius & magis horribilius,quam iſte homo curatus à Chriſto Dño erat in corpore tētus:quia cæci & duces cæcorū erant,& omnes flores verborum Ieſu,& fructus ſanctorum operū,velut araneę in venenū ſibi conuertebant,& alijs conuertere curabant(vt Matthęus re-
*Matt. 12. B.* fert)Phariſæi autem audientes turbas de hoc facto ſtupentes,& dicentes:nūquid hic eſt filius Dauid?Dixerunt:hic nō eijcit dæmones,niſi in Beelzebub principe dæmoniorū. Et iſti,erāt Scri-
*Mar. 3. C.* bæ,qui à Ieroſolymis deſcēderant(vt ait Marcus)hi enim malignitate pleni,nitebātur inuertere ſancta opera Chriſti,in diabolica corā turbis,vt Ieſu autoritatē in verbo ſuo & opere tollerēt: quia & ipſi diabolici erāt, & diabolica inuidia pleni. Aderāt igitur iſti obſtinati ad ſpectaculū miraculi,quorū animos periculoſius intrauerat Sathanas,quam impurus ille dæmō corpus iſtius poſſederat.Iſtū ſurdum & mutū malignus reddiderat: illos Scribas, dæmon contra Dei verbum caro factum loquaces fecerat, atque calumniatores,tanti miraculi:cæcos ad videndum tātum opus,& ſurdos ad audiendum verbum Dei cum opere.

Videet

Videte & grauiter ſimul timete o homines, ad qualem obſtinationis ſtatum peruerſi venire poſsint, & ad qualem inſaniam deducantur multitudine peccatorũ tracti: nempe, vt calũnientur opera diuina & à Deo facta, & totis viribus conẽtur ab hominibus ſimplicitate donatis, opinionem ſanctam quã de Deo iuſte habẽt tollere, & laudem Dei ab ipſis prolatam auferre: & Chriſtũ Ieſum, non ſolum virum malum, ſed etiam, lingua ſua doloſa magum peſsimum eſſe, omnibus oſtendere nituntur. O homines ad Dei imaginem facti, & cũ hoc, ob veſtra ſcelera, Dei facta delere conamini, ne ſimplices & boni Deo gloriã & laudẽ debitam reddant: quia ipſi, non ſolũ Deũ honorare operibus nõ vultis, ſed verbis tam deteſtandis in alijs hoc ipſum impedire nitimini. Malignus ſtatus iſte eſt, quando ã iviri diabolici, nõ niſi diabolo eorum principi honorem operum bonorum tribuunt: in quo volunt miſeri, ſuum deteſtandum dominum honorando præuenire, honoris Dei diſpendio. Vnde iſti ſuaſum turbis facere volebant, hunc dæmonium non virtute diuina ab homine exiuiſſe, ſed virtute ſathanica, & factum fuiſſe miraculũ diaboli præſidio. Et ſic, forſan iſti inflati ſuperbi, ſimilia vulgo dicebant: tacete ſimplices, vulgus eſtis indoctũ: vt quid laude dignum dicitis, id quod magno vituperio & dedecore ſolui illi debet. Vos vt rudes & philoſophiam ignorantes, nec dum theologiam ſcientes, non attenditis niſi quod foris apparet. Scitote ſtulti, dęmonem poſſe virtute & poteſtate alterius maligni maioris, ſæpe ſæpius eijci: quod & modo in hoc facto execrando, quod vos tanquam ſanctum celebratis, contigiſſe abſq; dubio, ſic nos ſapientes oſtendemus vobis, ne falſum pro vero decepti laudetis: ad nos maiores ſapientes & prælatos pertinet, deceptionem à minoribus auferre.

Debitã nobis attẽtionẽ prębete, & facillime intelligetis, quo pacto iſte vituperio dignus ſit: ob hoc quod dæmoniũ ab homine iſto eiecit, quem vos in cœlũ laudibus attollitis. Iſte Ieſus habet abſq; dubio familiarem ſibi dæmoniorum principem, quẽ nos, in vituperium Beezebub vocamus: vnde necromanticus eſt & magus: & ſic, adiutorio & præſidio principis dęmoniorum, vt vos ſimplices decipiat in alijs rebus maioris ponderis, iſte eijcit dæmonium à corpore huius hominis, vt in animas veſtras introducat illum, ſuis falſis conſilijs, quando iam apud vos

autoritatem fuerit lucratus. Cauete ruſtici, nunquid ex principi
Ioan. 7. G. bus aut ſacerdotibus, aliquis credidit in hunc Ieſum ſeductorem? ſed vos turba ſeducta maledicta, fidē huic mago datis quæ nec legē aut prophetas ſcitis. O homines nefandiſsimi, ſic Deo beneficia ſoluitis? Quid ego vermis conqueror ſi mihi verbum Dei concionanti, calumniam paratis & autoritatem meam tollere curatis, miniſtri, horum phariſæorum? Si Dei factum delere homines voluerunt: quid mirum vt contra me, tepide loquentem Dei ſententiam, & tepidiſsime operantem, inſurgant obſtinati in malo vt me in nihilum redigant? Si Deum inhonorare homines non verentur, quid mirū vt me infamia reſpergāt?

Concionatores mei ſacerdotes, & monachi virtuti & deuotioni dediti, prælati officium veſtrum digne exercentes, ne miremini aut malum pro malo reddatis, ſi vos perſecuti fuerint ho-
Matt. 10. C mines (ait Chriſtus Dominus) & dixerint omne malum aduerſum vos, quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum ſuum. Si me patrem familias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domeſticos eius? Nam in quantū opera mea ipſi Beelzebub attribuebant (vt ait Lyra) vocabant me Beelzebub, qui ſecundum Bedam in Lucam, erat Deus Acharon. Beel quidem, ipſe erat Baal, Zebub autem muſca vocatur, & inde Beelzebub, quaſi vir muſcarum. Remigius autem dicit, quod Beelzebub, ipſe eſt Beel, & Baal, & Beel phegor. Beel fuit pater Nini regis Aſsyriorū: Baal quia in excelſo colebatur: Beelphegor, à loco, ideſt, à Monte phega. Zebu ſeruus fuit Abimelech filij Gedeonis, qui occiſis ſeptuaginta fratribus ædificauit templum Baal & conſtituit Zebub ſacerdotem in ipſo, ad abigendas muſcas quæ ibi congregabantur, propter nimium cruorem victimarum: Zebub nanque muſca ducitur. Gloſſa vero dicit Beelzebub, ideſt, vir (quia Baal idem quod vir) muſcarum, quia Zebub, ideſt, muſca. Aſſerebant etiam Iudæi, in hoc ſimulacro principem Dæmoniorum habitare, per cuius poteſtatem dicebant Ieſum Dæmonia expellere. Ob hanc cauſam Chriſto talē nefandiſsimam autoritatem obijciebant, vt execratus à populo haberetur, non vt Dei filius aut propheta ſanctus. Sed in his verbis Chriſtum infamare volebant, quaſi conſulentem Beelzebub, in operibus ſuis, & ſic magna punitione dignum: ac ſi dixiſſent iſti falſi & inuidia pleni populo rudi.

Iam

Iã ſcitis à ſacra ſcriptura & à libris regum, etiam ſi tui bę idiotæ ſitis, quam aſpere ſe habuit Elias ſanctus, contra regem Ochoziam ex Dei mandato, & quam rigide arguit illum, poſt quam duos quinquagenarios cum ſuis militibus igne combuſsit: eo quod, acſi non eſſet Deus in Iſrael, conſuluerit de ſalute ſua Beelzebub Deum Acaron. Sic iſte ſortilegus ac ſi non eſſet Deus verus in Iſrael, ad ſalutem huius hominis, & ad Dæmonem expellendum, abſque dubio conſuluit Beelzebub & in virtute illius eiecit Dæmonium. Quid agitis ſtultæ gentes, illum laudantes, & de facto nefando admirantes: cum potius, ſi zelus Dei in vobis eſſet, ſicut in Elia, illi dicere debebatis: morte morieris Ieſu, quia conſuluiſti Beelzebub & illo adiutus Dæmonem expuliſti? Imo ſtatim oportebat vos omnes dicere: ignis de cœlo deſcendat, qui deuoret te, & duodecim tuos, matrem & omnes te ſequentes: quia ad Beelzebub, & non ad Deum verum, in operibus tuis & factis habes recurſum. Vide, quam ſolutionem homines Deo præbeant, pro operibus ſuis ſanctis? Vtinam & inter fideles, modo non eſſet ſic in vſu. Attendite inſuper, quomodo dicatur Dæmon, vir muſcarum: vt ſciatis poſtquam illum Chriſtus Dominus vicit & eiecit foras à mundo, vbi ipſe princeps erat, & ligauit & vires tulit in cruce, iam virum muſcarum dici: quia tantum muſcas, ideſt, homines viles & effœminatos, capit in rete culpæ. Audite Diuum Ioannem dicentem: vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſsi, & catenam magnam in manu ſua: & apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Sathanas, & ligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hoc oportet illum ſolui modico tempore. Ecce mirifice à Ioanne depictum quomodo Chriſtus Dominus vires tulit Dæmoni, & inermem illum reliquit vt non poſsit nocere quod vult, vnde muſcarum Deus dicitur. Timeamus tamen quia noſtro peccato, videmus Dæmonem ſolutum.

4. Reg. 1. A. B.

Ioan. 12. E.

Apo. 20. A

Super hunc locũ Ambro. Ansber. lege dicentẽ. Angelus deſcendens de cœlo, eſt magni cõſilij Angelus, nẽpe Chriſtus Dominus. qui deſcendit ad nos per incarnationem, quando exinaniuit ſemet ipſum paulominus quã Angeli minoratus. Clauis

Libr. 9. fol. 376.

abyſsi quam habebat, deſignat vim diuinæ diſcretionis, quæ inimicos noſtros contra nos, aliquando ſæuire permittit, cum nobis vtile fuerit, & ne quātū volunt noceant, includit illos. Abyſſus, ſunt corda perſecutorum fluida & tenebroſa: catena magna, eſt potentia Chriſti quam habebat in manu diuinitatis, & tali poteſtate, mortalium viſitans regionem, fortior alligauit fortem, Chriſtus dæmonem & vires illius eneruauit. Vt vaſa iræ in vaſa honoris commutaret: hoc peragens opere in paſsione quod antea promiſerat in prædicatione, dicens: nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Dæmon, propter malitiam dicitur draco, ob verſutiam ſerpens, propter iniqua atque exercitata conſilia, antiquus vocatur: & quia à ſupernis fuit ruens, & ſemper ima petit, diabolus, id eſt, deorſum fluens dicitur: & quia Chriſto & eius Eccleſiæ & fidelibus continuo aduerſatur: Satanas, id eſt, contrarius appellatur. Ecce interpretationes maligni, vt ſemel ſcias illas. Mittitur talis draco in abyſſum, quia etſi eijcitur à Chriſto à bonorum cordibus, & excluſus à non ſuis, quos iniuſtè detinebat: multipliciter inuenitur in ſuis peccatoribus obſtinatis, & maiori peccatorum & delictorum numero. Et crudelius cum ipſis ſe habet quam antea: quia eiectus à vere pœnitentibus, atrocius cœpit dominari in ſuis: gaudete boni, timete mali, quia ad vos deſcendit dæmon, habens poteſtatem magnam.

*Ioan.* 12. E.

Vir muſcarum dæmon eſt, homines debiles muſcis ſimiles capit in ſua peccati rete: quia ſimilis araneæ inuenitur malign⁹: aranea viſcerum ſuorum diſpendio, telam texit, ſolum vt muſcam capiat, non alias aues volantes, nec feras diſcurrentes: nō tamen captā comedit illam, ſed in rete occiſam relinquit. O draco infernalis dæmon, qui omnibus vijs magna ſolicitudine curas, tendere retia tua occaſionum, vt in peccato homines capias. Non tamen capis aues volantes in cœlum alis bonorum operū & conſideratione cæleſtium: fideles nempè nouiſsima cogitantes vt decet. Captas tamē muſcas immūdas, & debiles homines voluptati deditos & immunditijs immerſos, & occiſos in culpa non vis illos comedere, quia odio proſequeris ipſos: & tamē huiuſmodi peccatores, muſcis ſimiles, ſic in culpa detēti, multa bona animæ deſtruūt atq; polluūt. Muſcæ morientes (ait Salomō in ſua vnica concione) perdūt ſuauitatem vnguenti. Quid ad te Salomon.

*Simile.*

*Eccls.* 10. *A.*

Salomon de hoc quod inguenta deſtruantur à muſcis cadentibus in illis ad literam contingit, tamen magis doleo, quia viles & debiles peccatores, muſcis immundiores & fragiliores, cadentes in dæmonis rete per peccatum, moriuntur, & Deo muſcarũ ſubduntur. Et ſi hoc dolendum eſt, tamen magis gemẽdum eſt, ex hoc quod perdunt tales muſcæ, ſuauitatem vnguẽti, ideſt ſanguinis Chriſti, gratiæ & gloriæ. Quis poterit dinumerare, quanta bona deſtruatis immundæ muſcæ, peccatores debiles, homines effœminati, quoties Beelzebub magis quod Deo obedire diſponitis? Vel muſcæ morientes, dæmones ſunt, quorum imperio, te per mortale ſubdis, cum ſint mortui per culpam ipſi, & muſcis immundiores, & debiliores ſatis: heu tamẽ quomodo in te omnem ſuauitatem vnguenti, ideſt, virtutum & meritorum deſtruunt, & ſine odore relinquunt.

Accipe conſilium ò homo, quod ille grauiſsimus autor Guilelmus Pariſienſis, de pœnitentia agens tibi tradit: vt fugias has muſcas, dæmones ſcilicet, immundos, iam fere ſine fortitudine à Chriſto relictos: ſi ipſe infamis & valde debilis fieri non vis illis te ſubdendo. Si ipſa hora, qua te muſcę morientes & mordentes dæmones, abinitio tentationis, vrgent palmas tuas leproſas aut vulnera: ad quæ muſcę ſæpius veniunt, nempe ad opera mala tua, de quibus frequentius ab ipſis tentatus es & victus: vnguibus reſiſtentiæ & occaſionum fuga, aut memoria clauorum, quibus ſanctiſsimæ Chriſti manus confixæ ſunt, punge illas & contrarijs virtutibus: abiges illas certe, & experientia videbis illas fugientes. Vnde abſq; dubio liber ab huiuſmudi muſcis manebis, & vnguenta meritorum illęſa cuſtodies, & tam immundis dæmonbus, non te ſubditum videbis: ſed gloria æterna frueris: quam mihi & vobis concedat Ieſus Mariæ filius, Amen. *Fol. 86. col. 3.4.*

# Homilia Quarta.

*Text.* In Beelzebub eijcit Dæmonia.

VIdens enim diabolus, tecũ nõ poſſe proficere, ſed ſemper te habere gladium reſiſtẽtiæ, euaginatum cõtra illum acutũ, & gladium virtutis vitio ab illo ſuaſo contrariæ armatum eſſe

vt trucides latrunculos primorum motuum & cogitationum: quando malignus cõsiderat te ita fortem & quasi iam paratũ te habere patibulũ, quo Dæmoniũ ipsum & carnem tuã latrocinã tẽ suspendas & pœnitentia affligas: quis dubitat quin fugient tales muscę: saltim vt nil meriti acquiras, ex optima resistẽtia, & nõ perdes suauitatẽ vnguenti, nec merita amittes. Et hoc, quia cõsilio Apostoli vsus es, dicẽtis: resistite Diabolo, muscę infames, & statim fugiet à vobis, nõ audens ad malũ inuitare. Cogita frater mi, te vndiq; obsessum esse à muscis malignis, & gladium euaginatum contra te habentibus, vt te perimant, & suauitatem bonorum operum tuorum perdant considera te esse in carcere çrũnarum & pœnalitatum præsentis vitæ miserijs vallatum & tentationibus. Esto ad instar furis, qui seruatur catenis in carcere ob delictum graue, solum suum attendens & expectans iudicium & sententiam: timens an erit suspensus pro crimine, de alijs non solum non loqui sed neque cogitare curans. Ita & tu, cum in carcere corporis tui sis, inimicis vallatus & muscis: cogita te aliquando peccasse, & an habeat Dęmon contra te accusationem in scriptis, de aliquo non recte confesso crimine, ob quod dignus sis patibulo æterno. Dole & plora, & de culpis tuis tantum cogita, de alijs, neq; cogitatione iudicando: sed cum timore & tremore salutem tuam operare: timens ne de carcere corporis eductus, in suspendium traharis perpetuum, & sic muscas fugies.

*Iacob. 4. B.*

*Simile.*

Super omnia clauẽ cordis tui custodire satage, nẽpe cogitationem: nam ista est fenestra pectoris, qua faciliter muscę intrãt ad cor, per cõsensum. Et si hanc cogitationis fenestram peccato tradis, nullũ bonũ ad te intrare permittet, neq; malũ vetabit. Pone hostiarios, Dei timorem & amorẽ: nam timor omnes hostes tuos & muscas immundas repellet, & ingressum illis impediet: amor tamen Dei, omnes bonos virtutum nuntios & omnia salutaria dona cœlestia introire cõpellet, & intrãtia gratulabundus suscipiet. Vectis & sera, sit aliqua honesta occupatio lectionis, aut feruentis orationis, aut alicuius rectę operationis. Et sic fugabis maledictas muscas importunas, Dęmones nẽpe immundos, solum debiles & miseros homunculos captantes. Homines, estote iam fortes in bello vitiorũ pugnate cum antiquo serpente cęteriſq; vitijs cum sint inimici vestri, nempe Dæmones, muscæ debilissimæ: si illis resistere in tentationis principio vultis, occasiones de lin-

linquendi fugientes. Reſiſtite Dæmoni & fugiet à vobis: metrice ſic dicitur: hoſtis non lędit, niſi cum tentatus obedit: eſt leo ſi cedit, ſi non quaſi muſca recedit. Tres inimicos capitales habemus, ſcilicet Dæmonem, mundum & carnem: vni illorum, nempe diabolo, reſiſtere debemus, & contraria virtute vitio: quod conſulit occidere illum: mundum tamen & carnem fugere ſi victoriam de illis cupimus. Ille bonus & fortis miles Abner, tres filios Sarviæ inimicos ſuos euaſit, nempe Ioab, Abiſai, & Aſael: quia duos primos declinauit per fugam, & tertium fugere non potuit, ſed illi reſiſtens tandem occidit Aſael. Fuge homo mundi & carnis occaſiones, occide maligni tentationis, ſi mortem æternam euadere deſideras. 2. Reg. 2. E.

¶ Alij tentantes? ſignũ de cœlo quærebant ab eo. Rem.

QVaſi contemnentes mirabile factum, in terra à Chriſto Domino peractum in Dæmoniaco, petebant ſignum de cœlo: qui reptantes erant per terram vt maledicti ſerpentes. Sic multi ex vobis (vt fuſius in feria de Iona diximus) concionesſublimes, quæſtiones profundas, arcana theologiæ recondita, à concionatore vultis audire: ne animas veſtras, terrenis ad hærentes deſiderijs & voluptatibus, ſuo verbo ignito tangat. Tamen Dei declamator, ne talem inſaniam à te malus homo obtineat, ſed dic illi: generatio mala, ſignum de cœlo quærit & conciones ſublimes, cum reptet ſuper terram in vitijs iacentem: & non dabo illas, ſed verba plana & medicamina nota, vt reſipiſcat. Væ coram Dei iudicio concionatori, non loquenti ad cor peccatoris, arguendo illum & increpando, & viam ſalutis aperte illi oſtendendo & vitia illius duriter carpendo: iam promiſſis diuinis illum alliciendo, iam inferni minis terrendo, & ad ſacramenta inuitando: & ad reſtitutionem, & occaſionum fugam, & cõſuetudinum malarum deteſtationem. Sed per aera volitando, inutilia prædicando: etiam ſi veriſsima ſint, & arcana ſcholaſticæ ſcientiæ, omnia quæ docet. Taurus inſurget cõtra illum in iudicio Dei, tãquam aſtutior in officio ſuo. Si Taurus volens hominem à terra in qua iacet eleuare, connua in ſublime attolleret, nunquam hominem colligeret, neque à terra erigeret: tamen inclinat cornua, & ſic à terra eleuat illum. Simile

Cõcionator, vt taurus fremens contra vitia debes esse, & officium tuum, præcipue in hoc stat, vt homines in vitijs & terrenis desiderijs iacentes: ad virtutum sublimia eleues, & ad cœlestia bonis operibus quærenda. Si cornua verborum tuorum non descendis à metaphysicis verbis, & quæstionibus reconditis theo-
*Gene.3.C.* logiæ: quomodo colliges peccatores vt serpentes à Deo maledictos: per terram reptantes? Disce à Christo, si à tauro non vis parabolas humiles & vtiles prædicante, carpente, & vitia arguente, virtutes suadente, & mandata Dei seruari cupiente atque docente. Et contra petentes signa de cœlo & conciones su-
*Matt.12.C.* blimes, irascente, atque dicente: generatio mala & in terrenis iacens, petit conciones stellarum? Conciones erunt, quas non obtinebitis, sed verborum cornibus, à vitijs vos eleuare curabo, verbis sanctis & figuris aptis.

Tentantes illum de diuinitate, de illa quærebant signum, vt ostenderet se Deum esse petentes: videte quod maius signum de cœlo ad illos venire poterat, quam filius altissimi carne circu-
*1.Ioan.3.B.* cundatus, coram illis vt esset, opera Dæmonis dissoluens: & vocari necromanticum ab ipsis, & non irasci contra illos nec ipsos destruere: cum posset Dæmonem iubere, quem ab homine eiecit, vt illos subito dissiparet. Fac vt descendat ignis de
*4.Reg.1.B.* cœlo (dicebant maligni insidiatores teste glossa) sicut tempore
*1.Reg.12.C* Eliæ: aut æstiuo tempore audiamus tonitrua, & imbres irruant, fulgura discurrant: sicut sub Samuele actum est. O falsi homines, & inimis delictorum iacentes, signum de cœlo quæritis, vt illud etiam calumnietis dicentes ex varijs aeris passionibus contigisse? Non dabitur vobis. Satis digni eratis, vt ignis de cœlo descenderet, qui vos & vestra deuoraret & ad ignem inferni mitteret: quia igne odij & inuidię cõtra me ardetis: tamen descẽ-
di ego ignis de cęlo vt ignem charitatis in corda vestra frigidissi-
*Luc.12.F.* ma immittam: quid aliud volo, nisi vt ardeant Dei amore? Dignissimi certe estis vt imbres irruerent super vos, ita vt diluuio sub mersi essetis, computruentes in stercore vitiorum, & igne cõ cupiscentiæ ardentes: & vt venirent tonitrua, vos terrentia, & fulgura comburentia: tamen cum non veniam modo iudicare, sed iudicari: damnare sed ad mortem damnari, punire sed flagellari: potius volo aquam lacrymarum ab oculis meis super
*Luc.19.F.* vos pluere: sicut videns ciuitatem hanc, fleui super illam, vt si tã-

tus

tus odij ignis in vobis contra me existens extingueretur. Et cũ Iob dicam: si locutus fuero, & signa de cœlo vobis dedero, non quiesceret dolor meus, quem de vestra malitia habeo: & si tacuero, & non dedero, etiam non recedet à me. *Iob.16.B.*

¶ Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis. *Text.*

PRimum argumentum, quo Christus probat se in Beelzebub virtute non eijcere Dæmonium, est in hoc, quod cogitationes illorum sciebat: quia cum Dominus solus sit, qui cogitationes hominum sciat, & quoniam vanæ sint, nec finem animæ, ideſt, beatitudinem per virtutes, intendentes: & ipse cogitationes illorum intellexisset, igitur erat Deus, & sic Dæmone potentior & auxilio eius non indigens. Doctor Angelicus valde mihi amabilis, tenet in prima parte suæ admirabilis theologiæ: cogitationes pro vt sunt in intellectu, & affectiones, pro vt in voluntate, solus Deus cognoscit: quia illi soli subiacet voluntas rationalis creaturæ. Angeli tamen cognoscunt cogitationes hominum in suis effectibus: in seipsis tamen existentes, Deo tantum sunt naturaliter cognitæ: quia quæ sunt hominis nemo nouit (vt ait Paulus) nisi spiritus hominis qui in ipso est prauum ideſt inuolutum est cor hominis & inscrutabile (ait Dominus per Ieremiam) & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: quia Deus solus operatur in voluntate hominis, soli Deo cognita absolute, & sic ipse solus scit cogitationes illius. Verum est tamen, animam Christi in verbo (vt ait ipse met doctor sanctus) cognoscere omnia existentia secundũ quod cunq; tẽpus, etiã hominũ cogitationes: & sic de illo dicitur à Ioanne, ipse enim sciebat quid in homine esset: quod potest intelligi, non solũ quantum ad scientiam diuinã: sed etiam quantum ad scientiam animæ eius quam habet in verbo. Quod anima Christi in verbo, videat cogitationes hominũ, patet euidenter: nã cum sit omniũ actuũ humanorũ iudex, in quã tum homo, & debeat iudicare etiam hominum cogitationes, necessario illas scire debet. Scrutans corda & renes Deus (ait Dauid) & Samueli dixit Dominus, homo videt ea quæ apparent, Dominus autem intuetur cor. Vnde Dominus (vt ait D. Hier.) *Q.57.ar.4. in cor.* *1.Cor.2.C* *Iere.17.B.* *3.par.q.10. art.2.* *Ioan.2.D.* *Psalm.7.* *1.Reg.16.B* *In Matt.12.*

Christus

Christus ad cogitationes illorum respondet, vt sic saltim cõpellerentur credere potentiæ eius, qui cordis videbat occulta. Time ô homo, cogitationes immundas in corde tuo retinere, cũ scias ex fide, illas Deo patere, & Christo iudici: imo & Dæmoni, persigna exteriora quę ostendis, vnde & homines agnoscunt illa.

Tit. ¶ Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

OBstupescite cœli, de Iudæorum malitia & obstinatione, cõtra Dei filium, & de Christi patientia & mansuetudine, erga illos calumniatores & operum Dei peruersores. Audite miseri iracundi, cane rabidiores, verba mansuetissima altissimi iudicis omnium, qui nec verbum asperum ferre potestis. Videte patientiam Christi Domini, potentis voluntate sua facere, vt aperta terra illos deglutiret viuos, & ad Beelzebub in pœnis existentem mittere: nihilominus verbis multum lenibus, & argumentis, etsi obscuris, tamen efficacissimis respondet. Audite illum clarissime ostendentem, se non in virtute illius Dæmonis Beelzebub, sed diuina potestate, Dæmonium ab homine
Eccli. 28. eiecisse. Bene adimples Domine, quod Salomonem scribere
A. B. iussisti, nempe: memorare timorem Dei, & non irascaris proximo: si sufflaueris (irascendo animum tuum & malum pro malo reddendo) quasi ignis exardebit, lis aut controuersia: & si expueris super illam leniter respondendo, extinguetur: vtraque
Pro. 15. A. tamen ex ore proficiscuntur. Nam responsio mollis frangit irã, sermo durus suscitat furorem: lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam. Quid ego stultus, aut ipse iracundus, contra vocantem nos Dæmoniacos, diceremus & faceremus? Discamus omnes, Dei amore, à magistro mansuetudinis Christo, maledicentibus nos & detractoribus mansuete respondere: vt potius, verbis placidis & rationibus vrgentibus, illos Deo lucrati simꝰ, quã ira & verbere magis indignemus. Vnde secundũ argumentũ, meo, etsi tenui iudicio, omniũ efficacissimũ, quo Christus probat se nõ in Dæmonis virtute, sed Dei eijcere dæmoniũ, est: tanta respõdere mãsuetudine, ad verba contra ipsum tã impudentissima, à pharisæis prolata & iniuria plena:

alias

alias quis non iraſceretur contra ipſos impoſtores, & ſaltim verbo, ſi non opere, vindictam de ipſis ſumere conaretur? Videamus tamen & alia argumenta Chriſti, quæ reuera, etſi prima facie magnæ efficaciæ non videantur, bene intellecta efficaciſſima ſunt: & magnam in ſe, tam philoſophiam quam metaphyſicam quam etiam theologiam perfectiſsimam includunt. Vnde aduertendum eſt, Dominum contra iſtos veritatis calumniatores procedere, in virtute ſubintellectæ diſiunctionis, quæ talis eſt: aut eijcio Dæmonium in principis Dæmoniorum virtute, aut in digito Dei, hoc eſt in virtute Spiritus ſancti: oſtendo duabus primis rationibus me in virtute Dæmonis non eijcere Dæmonem, & deinde probabo me in digito Dei eijcere.

Prima ratio tali modo ſit deducta: impoſsibile eſt aliquod agens volitiuum, agere contra propriam voluntatem: quia volũtas eſt principium omnis actionis voluntariæ: ſed voluntas Dæmonis eſt confirmata in proprio amore, igitur nil contra ipſum amorem poteſt ipſe agere. Nam proprius amor, eſt fundamentum & conſeruatio regni eius: ergo ſi ageret contra amorem proprium, regnum eius non ſtaret. Et iſta eſt deductio ad impoſsibile ſcilicet ſi hoc eſt, Satanas ageret contra amorem proprium, ergo contra proprium eſſe & regnum, quod impoſsibile eſt: alias iam deſtructũ eſſet. Aut apertius hanc rationem ſic formamus: omne regnum interſe diuiſum deſolabitur cito, & ſtare minime poteſt: ſed regnum Dæmonis ſtat & non eſt deſolatum, ergo non eſt diuiſum. Maior patet experientia, nempe regnum deſtrui cum primum diuidi per diſſenſiones nõ timet: quia ad oculum videmus, concordia paruas res creſcere, & maximas diſcordia dilabi (teſte Hieronymo) & etiam iſta probatio exemplo domus confirmatur: quæ ſi aduerſus ſe ipſam diuiſa eſt, ruet ſuper domum ipſam: quia diuiſio domus, contra ſe ipſam, eſt illius caſus. Sed regnum Dæmonis ſtat contra homines pugnans, ergo non eſt diuiſum neque vnus contra alium agit: & per conſequens ego non præſidio Beelzebub ſed Dei virtute eijcio Dæmonia: qua virtute intendo regnum malignum deſtruere. *simile.*

Homines malitia cæci, veritatis calumniatores, audiſtis vos aliquando, Beelzebub hominum ſaluti conſulere, dolores illorũ tollere & vexationes: & ſuos ſatellites & exactores, per quos tyrannidem ſuam exercet, è poſſeſsionibus ſuis expellere? Et tamen

tamen ſi hoc fieret, arguit mox periturũ Sathanę regnũ, & inſtare regnũ Dei. Ego Dęmonis tortores expello, & ſimplici verbo eijcio & gratis: nihil adhibẽs magicorũ carminũ, factũ improbare nõ poteſtis. An boni operis gloriã & laudẽ mauultis Beelzebub, quã Deo aſcribere? Igitur vos ex patre Diabolo eſtis & Dei inimici. Vtinã apud fideles modo non eſſet in vſu, facta proximorũ bona, in malam iudicare partem, & honorẽ illorũ tollere. Si vero poteſt regnũ Dæmonis diuidi, & per vos diuiditur, vnũ alius eijciendo: proſpicite vobis (ait gloſſa) Iudæi, vt de regno eius, quod vos dicitis eſſe diuiſum, cito exeatis pœnitendo, & de cõſortio illius: quia certo cadet ſuper vos, ſi diuiſum eſt, cauete ne in ruina eius inuoluamini. Nõ tamẽ eſt cõſentaneũ, vt cũ omnes Dęmones ſint hoſtes hominũ, nec aliud ſitiant quã illorum exitiũ & damnationem, quorũ ſaluti maxime inuident: nũc vero adeo faueant hominũ bono & ſaluti, vt hac de cauſa Dæmon pugnet cum Dæmone. Deliramentũ eſt hoc dicere certe: nã bellum perpetuũ Dæmones contra homines gerunt, & ad peccata inuitant, vt ſecum damnatos portent: non tam vt homines perdant, quam vt Deo, quem maxime odiunt, iniuriam poſsibilem irrogent. Cum igitur ego Dæmonem à propria domo hominis, quam eſt ingreſſus per culpam, obiurgando expellam: non hoc amicitię cum Dęmone eſt, ſed odium graue. Vtinam omnes homines, maxima cura, Dei adiutorio, Dæmonem & vitia ab animabus ſuis eijciant, vt in illis Deus ſemper regnet, hic gratia & in futuro gloria: Amen.

# Homilia Quinta.

*Tex.* ¶ Omne regnũ in ſeipſum diuiſum, deſolabitur.
*Luc.* 11. C.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

*Luc.* 1. D. AVnquã virgo ſanctiſsima per inſtans à regno Dei fuit diuiſa, quæ ſemper in gratia Dei permãſit. Cõtra Dæmones & vitia fuit illius bellum, ex parte filij eius ſemper exiſtens. Digitus Dei, i deſt, Spiritus ſanctus, verbum Dei in vtero illius ſcripſit, quo omnia

omnia Dæmonia sunt expulsa, & sic peruenit ad illam regnum Dei, ideſt, ipſemet filius altiſsimi. Fortis armatus erat Dæmon multa animarum ſpolia poſsidens, armis peccatorum furata: tamẽ quando venit virgo fortiſsima in mundũ, Dæmone ſatis fortior, vicit illum & caput, Ieſu cruce contriuit, vnde filij ſui adiutorio innumeras animas à Dæmonis poteſtate hucuſque mater Dei eripuit & ſuis precibus à Deo obtinuit vt arma peccatorũ, à multis ablata eſſent. O in quãta pace poſsides virgo benedicta regnum Dei ſuper omnes Angelos cœli: quis numerare poterit ſpolia donorum quæ pater cœleſtis per manus tuas hominibus diſtribuit vſque adhuc? Certe, ni ego ingratiſsimus eſſem & oculos clauſos habuiſſem, magna munera me à Deo accepiſſe tuis meritis & interceſsionibus faciliſsime agnouiſſem. Omnes nos ad inuicem diuiſi ſumus, odijs & litibus, & non eſt fere qui aliũ in via ſalutis adiuuet, vnde regnum virtutis ſtare in nobis non poteſt: fortiſsima es virgo Maria, obtine à patre vt filius Dei digito Spiritus ſancti arma peccatorum noſtrorum tollat à manibus noſtris, & ſpolia meritorum reddat, vt in pace regnum Dei poſsideamus? Hoc ſine gratia non obtinetur, impetra illam nobis dicentibus. Aue Maria. *Gene.* 3. C.

Ex hac Chriſti prima probatione elicitur res magis horrẽda & miranda cõtra fideles inter ſe diuiſos inuicem inuidẽtes, & odijs mordẽtes, & detractionibus ſeſe cõſumentes, quã ex omni textu ſacro (meo iudicio) poteſt inferri. O infelicitas fidelium diuiſionem volentium? Vnde aperte Chriſtus oſtendit in hoc vos eſſe Dæmonibus deteriores, & illis peſtilentiores. Cum ipſi maligni idem velle & idem nolle contra vos homines habeant in Dei iniuriam, & maximum animarum veſtrarum detrimentum: & vos inuicem eſtis diuiſi & mordetis corda veſtra in Dæmonum fauorem, ò Chriſtiani, ſanguine Dei madidi, & in Dei cõtumeliam, & in totalem animarum veſtrarum perditionem, non vultis adunare vos ad bonum? O infelicitas hominum ad quam ſua malitia & diuiſione peruenerunt, vt in hoc Dæmonibus ſint inferiores & illis ſtultiores: maligni, Chriſti Dñi teſtimonio, etiã ſi interſeſe pacẽ & cõcordiã habere nõ poſsint quia Dei inimici, & non eſt pax impijs, & vnus aliũ perpetuo odio proſequitur: tamẽ vt cõtra nos dimicẽt & cõtra virtutes noſtras & merita pugnent, & beatitudinẽ noſtram impediant, in vnam *Iſai.* 48. D.

con-

conueniunt voluntatem, & vnum velle deſtruendi nos habent, & idem nolle nos ſaluari. Tamen nos fideles ad imaginem Dei omnes creati, vnico baptiſmate in Chriſtianiſmo recepti, vnico ſanguine Chriſti abluti, vnica pœnitentia abſoluti, vnico corpore Ieſu refecti: in vnica Eccleſia viuentes, vnam gratiam cupientes, vt vnico lumine gloriæ perfuſi, vnicam poſsideamus beatitudinem, quæ in vnica viſione vnius Dei conſtat: non timemus Deum nec illius minas, nec veremur tanto animarum noſtrarũ diſpẽdio, fratres noſtros vt canes alios canes mordere. Cum vnico pretio ſanguinis Chriſti ſimus redempti, perpetuum bellum inuicem gerere non formidamus: odientes nos inuicem & perſequentes, & facultates & honores, imo & vxores tollentes?

Maligni ſunt Dæmones obſtinati in malo contra Deũ, vnus alterum vult comedere, nec poſſunt ſe diligere ad inuicem, cum odio Deum habeant, ſed ſe mutuo perſequuntur: tamen in perditionem hominum, conglutinantur & ſimul faciunt vnum corpus ac ſi magni amici eſſent ad inuicem: & homines ſemper interſeſe diſsidẽtes nec idem in Deo ſemper ſentientes, ſed in hoc Dæmonibus peiores, bellum inteſtinũ ſemper gerentes & odio inueterato, ſalutis & facultatum vitæ & gloriæ diſpendio inuicem ſe perſequentes, & rodentes, infamantes, & deſtruentes? Quomodo ſtabit regnum tuum munde immunde, ſemper diuiſionem diligens? Homines inuicem odio habẽtes, quomodo permanere poſsitis in bono, neque in hac vita neque in alia? Obſecro vos fratres (ait Diuus Paulus ad Corinthios) per nomen Do
1. Cori. 1. 2. mini noſtri Ieſu Chriſti, & per illius plagas & flagella, vt id ipſum dicatis omnes bonum & animabus veſtris vtile & quod in honorem Dei ſit: & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia. Si hoc facitis, eritis vt Angeli Dei in bono ſemper conformes: ſi tamen vnus contra alterum inſurgit, & diuiſiones dilexeritis, ipſis Dæmonibus eritis peiores: & magna contra vos inſurgent mala. Primum malũ, quod contra homines in ſe diuiſos odio & perſecutione colligatur, ex his verbis Domini ſit: quod in tali facto ſunt peſtilentiores Dæmonijs, contra homines conformitate magna inſurgentibus, quod facere homines contra peccata & Dæmones nolũt, cum ſe inuicem perſequantur.

Deinde aliud malum, contra vos homines diuiſi inuicem ven-

turum

rum quod ex hac propria Christi ratione colligo, sic, quod eritis destructi & desolati in morte vestra: patet quia estis regnũ tenebrosum & diuisum intervos, & per consequens ait ipsa veritas, quod eritis desolati quia non estis coadunati, & domus corporis vestri infelicis cadet in morte supra domum animæ diuisæ & peccatricis: & anima cadet supra flammas tartareas honoris Dei vindicatrices. Siue eos qui domum inhabitant intellexeris (ait Theophilatus) nam hi quandiu pacifici sunt conseruantur, cum autem interse dissident cadunt. Destructus eris & desolatus in morte homo diuisionem diligens, & semper odio prosequens fratrem: quia peior in tali diuisione dæmone es, & Deus te fore destruendum hic affirmat. Audi etiam alia culpæ mala quę tibi ex diuisione per odium cum fratre proueniũt incessanter: nam ex hoc dæmones magnam erga te potestatẽ habẽt ad alia & alia culpę mala te inducendum. Si vnicam & paruam candelam accẽ sam circa aerem portasses, paruo insurgente vento occisam cito videres: tamen multas simul, nec magnus aer extinguit. O homo vnicam candelam habens lucernam paruam omnivẽto tentationis expositam, nempe animam tuam: cupis vt cito extinguatur per culpam & gratiæ lumen amittat? Dilige diuisionem, & inuicem cum proximo odium mordeat te. Desideras, id quod valde est desiderandum, nempe vt lucis gratia ab anima tua non extinguatur à tentationum vento, nec ab aere persecutionis? Id ipsum bonum virtutis & Dei seruitium concordia fraterna & dilectione mutua & licita, omnibus viribus sapere cum fratribus satage. Et iunge animæ tuæ lucernam gratia accensam, cum aliorũ animabus, amoris veri bitumine, & videbis quam secure per omnes tentationis ventos vsque ad Dei visionem accensam portabis: & quam parum contra te aereæ potestates prævalere poterunt ad malum. Si tamen singulariter viuere, & ab omni fratre diuisus odio, non times coram tot malorum ventis, & tentationũ tempestatibus ambulare: & dæmoni incessanter sufflanti parum animæ tuæ lumen exponere, quid miraris si tentatione aduentante, extincta anima tua & sine gratia maneat? *Simile.*

Væ ciuitas sanguinum, vniuersa mendacij dilaceratione plena (ait Dominus per Nahum) non recedet à te rapina: vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis: & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & *Naha. 3. 1*

vox multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ. Vt quid omnia ista contra Ierusalem & contra omnẽ animam peccatricem, nisi quia est dilaceratione plena, ideſt diuisionibus intrinsecus in corde? Quia (vt ait Iosephus in de bello Iudaico vt refert Lyra in hoc loco) ante aduentum Romanorum erat Ierusalem plena intestinis dissensionibus, quod est signum propinquæ subuersionis & desolationis, teste Christo in nostro textu. Vox flagelli Dei veniet contra te homo, diuisionem diligens & odium contra fratrem, vox impetus rotæ contra te cadet ideſt vox, ite maledicti, quæ terribilis est & æternam minatur pœnam, vnde dicitur à Dauid, vox tonitrui tui in rota. Vox impetus rotæ, quia sicut rota sine caret sic tormenta per illam vocem signata. Equus fremens infernalis surget contra te diuise, & quadriga feruens igne tartareo, & dæmon eques illius micans gladium flammineũ contra te plenũ dilaceratione & diligentẽ diuisionẽ insurget & fulgurans hastã: & omnis vox multitudinis dãnatę & in culpis interfectę, ob talem diuisionem contra te clamabunt, & magnã tibi minabunt ruinam: & merito quia voluisti animam tuã à proximi amore diuidere & odio seperare, vnde desolatus eris.

*Psal. 76.*

*Similc.*

Magnus fluuius est noster Tagus post quam transit Toletum, magnus etiam Dorius ante quam mare intret: quis aliquem illorum poterit impedire quin fluat vsque ad mare, quocunque instrumento, quacunque arte, si simul & non diuisus fluit? Tamẽ in tã minutos poterit diuidi torrẽtes, vt puer paleis & parua terra poterit cuilibet illorum impedimentum præstare quin fluat, & ad mare intrare non possit. O fidelis, magnus fluuius es, & ad mare essentiæ diuinæ inceſſanter tendis ad quã creatus es: quia omnia flumina, ideſt animæ tẽdunt in tale mare, quantũ ad creationẽ suam, creauit enim vt sint omnia: quis poterit cursum tuũ impedire vsque ad Dei visionẽ, si diuisionẽ odis, & concordiã cũ omnibus fratribus diligis? Nec dęmõ nec vitiũ, nec aliquod aliud malum poterit tibi tale iter impedire: quin omnes rumpas & ad finẽ tuum beatificum peruenias. Heu tamẽ maligne dæmõ, quanta solicitudine hunc fluuiũ diuidere conatus es, & dissensionis zizania inter illũ & fratres seminare curasti. O homo fortissime, ad currendã viam tuam, quandiu cum omnibus pacem habuisti & regnum diuisum abhorruisti: quam debilis effectus es eum primũ odio paruisti & pacẽ noluisti, dęmon cursum ad Dei mare tu

*Eccli. 1. B*

lis

sit & ad essentiam eius, parua auaritiæ terra interposita, aut odij lapide, aut voluptatis latere, ita vt ad beatitudinem peruenire non possis, quia diuisus à flumine communitatis. O quanta malignatus est inimicus dæmon in sanctis fidelibus Dei, vt illos in riuos paruulos diuideret dissensione & odio & lite vt sic ad mare diuinitatis non perueniant per gratiam & vnionem: quos tamen simul idem bonum sentientes & inuicem virtuti & paci consentientes, nullo modo impedire potuisset, quin ad Dei visionē peruenissent. Nūquā quid de apibus naturales dicāt audistis? Attēdite obsecro quāta cōmoda apibus veniāt quādiu pax inter illas & cōcordia seruatur: vna florē portat, alia aquā adducit, alia domū ędificat, alia mel alia fauū cōponit: vñ omnes concorditer laborātes miro & incognito artificio dulcissimos fabricāt fauos. Tñ si interse discordia cōsurgit & diuisio: apes quæ mel, iā cōponit fel, quę fauū ruinā, quę ędificationē iā destructionē: vñ nō solū mel fauū & cera pereūt sed inuicē aculeis se occidūt & destruūt. *Similes vtile.*

O quanta malignatus est diabolus, vt nos fideles perdat, & discordiam inter nos seminet, vt sic facillime destruat. Non est alia res quam magis dæmon desideret inter coniuges, quam discordia & perpetua diuisio: quia ex tali diuisione & paruo amore, in mala innumera & fidelitatis inuicem fractionem faciliter ipsos inducet. Vnde credo præcipuam causam coniugum damnationis, diuisionem interse & discordiam esse. O fideles, quam diu pax & concordia inter vos est, vt apes argumentosę & valde proficuę estis: vnus vestrū florē verborū sanorū & sibi & alijs cōducibilium portat: alius aquam lacrymarum & compunctionis quæ in dulcedinem spiritus vertitur: alius fauum eleemosynæ, alius mel solatij quo proximus reficitur cōponit: & nemo est qui audeat illos inuadere & sic ad cœlestē dulcedinē veniunt. Hoc ipsum coniugibus applica. O discordia nociua, ô diuisio pernicioſa ô non idē bonū fideles sentire, quā graue malū animabus illorū induxit. Fidelis qui aquam lacrymarum portabat, iam est in causam vt multi plorent damna ab ipso illata: qui flores verborum sanorum, iam lingua suavt tribulo pungit, corda & famam aliorum. Qui mel adducebat operationis dulcis, iam fel odij in corde reportat: qui domum sibi operando in cœlis ædificabat pacis & amoris bitumine, & alijs bona consulendo, iam odij ferrō & dissensionis securi destruit illam sibi & alijs. Inuicem pro-

uocantes ad malum inuicem, inuicem inuidentes, tandem inuicem occidunt se, saltim in anima, & multoties etiam in corpore. O homines in hoc dæmonibus peiores, o coniugati quam bonæ apes & conducibiles estis familiæ vestræ quandiu inter vos pax & amor reperitur: o quam maledictæ aranæ estis veneno plenæ dum discordia & dissensio corda vestra arripuit quanta damna domui vestræ intulit tam maledicta diuisio.

Regnum animę vestræ erit diuisum homines infelices, qui inuicem mordetis & persequimini vos, cum sitis in hoc malignis dæmonibus maligniores: regnum tuum erit diuisum homo discordiam diligens sicut regnum Balthasaris: & corpus tuum datum erit vermibus & facultates ingratis hæredibus, & anima carnificibus inferni: quia cor diuisum à fratrum cordibus habere voluisti: & sic destructus eris & desolatus vt domus ruinosa. Et merito cum sis dæmonibus in hoc peior, & bestijs crudelior homo dissidium diligens, discordiam amplectens in Dei iniuriam & magnum animæ tuæ & aliorum detrimentum: vt quid non solum dæmonibus peior in tali diuisione vis esse, sed etiam feris crudelior? Considera quod animantia rationis expertia in suo quæque genere ciuiliter concorditerque degunt: armentatim viuunt Elephanti, gregatim sues & oues pascuntur, turmatim volant sturni & graculi, pervices iusta quadam politia grues suas agunt excubias, quæ mutuis officijs sese tuentur, & etiam delphini & cerui. Nota tibi est o homo concordiæ inimice, formicarum & apum inter ipsas concors politia: inter immanissimas etiam feras conuenit: Leonum inter ipsos feritas non dimicat: aper in aprum non vibrat dentem fulmineum: lynci cum lynce pax est, draco non sæuit in draconem, lupi inter se viuunt concorditer, serpentes serpentibus venenum non effundunt: ipsi etiam spiritus maligni Deo rebelles & contrarij hominibus, per quos cœlitum atque hominum concordia primum dirupta est, & hodie in terris rumpitur: tamen teste veritate, hic in nostro textu, interse fœdus habēt, suamque illam qualemcunque tyrannidem consensu tuentur vnico & conseruant illam cōtra nos homines diuisos. Dani. 5. C.

Soli nos infelices homines, quos omnium maxime decebat vnanimitas, & quibus maxima erat necessaria concorditas, ad marchuius periculosi mundi transmeandum incolumes, &

ad

ad ipſos vincendos dæmones, & tentationes contra nos innume ras inſurgentes ſuperandum, inteſtinis internosmet diſsidemus odijs? O feris crudeliores imo dæmonibus peiores, quibus irra tionabiles creaturę in ſuo quæque genere inuicem concordãdo indicant, quantum malũ vos rationales creaturæ per diſcordiam committatis. Apro crudelior homo, cur dente detractionis fra trem mordere non times? Leone ſęuior, cur dimicas contra pro ximum? Lupo rapacior, quare aliena furari non vereris? Draco ne venenoſior, vt quid odio fratrem toxicare coram Deo audes? dic de alijs. Saltim conſidera hoc diſcordiã diligens homo, quo modo cæteris animantibus vindictæ & vltionis inſtrumentum natura indidit: equo calcem, ceruo & tauro cornu, apro dentem, api aculeum, aui roſtrum & vngues, denique vel ipſi pullici mor ſum addidit: teverò homo, ad manſuetudinem & patientiã pro duxit inermem, & nudum: vt pote ne haberes vnde vim vi repel leres, & ſic diſcordiam fugeres & diuiſionem, pacem cum om nibus diligens niſi te ideo inermem creauit Deus quia nullis armis es contentus, alia & alia quęrens. Vt quid igitur præter tuam na turam vis vlciſci & odio fratrem proſequi armis aliunde quæ ſitis: cum vel crudeliſsimæ feræ & ad crudelitatem natæ, ſuis armis duntaxat, & ſibi à natura inditis, ſuam vlciſcantur in iuriam? Quid iudicaſſes de tauro, præter cornu gladio vten te? Quid de apro præter dentem lancea percutiente? O ho mo, qui contra Deum & proximum quotidie arma quæris noua & calce feris vt equus proximum tuum, cornu ſuper biæ vt Taurus, apro detractione ſimilis es, dente percu tiens fratrem. Aculeo inuitationis ad malum cum ape pun gis percare nolentes atque vindictam fugientes: roſtro li uoris conſcientias vicinorum vulneras vt coruus: & vngui bus rapinarum, dilaceras pauperes & viduas, facultates illo rum fugendo vt accipiter rapax, mordes omnes cum pul lice, quid erit de te quando omnes beſtiæ etiam pullices in ſurgant contra te, & dæmones dilacerent te diuiſionis ama tor?

*Simile.*

O hominum confuſio, bos qui aratro & labore terram cum alio ſcindit boue & glebas rumpit, & iugo preſſus eſt ſimul, in paſcuis non diuiduntur, & ſi alterum ab altero ſepares mugitus ad inuicem emittunt quo vſque iungatur: & vos homines imo

& Christiani, sanguine Christi redempti, & in vnica sancta eccle sia Romana, eandem diuinam corporis Iesu escam comedentes, & eundem sanguinem filij Dei bibentes, in eisdem pascuis & riuis sacramentorum pascentes, & idem verbum Dei audientes, animarum optimum cibum: terram corporis vestri eodem iugo legis Dei scindentes, & spiritui subdere debentes, vt eadem beatitudine aliquando esse tis fruentes: qui tamen non solum non doletis de corporali separatione, quin spiritualem vestram inuicem intenditis, discordia animas vestras à gratia separando, alter in alterum detractionum mugitus, & odij cornu insurgentes? Boues erunt contra vos in Dei iudicio. Rationi hominum est clarissima experientia, quod diuisione interueniente, ruinæ traduntur omnia quanuis fortissima regna: prouincię destruuntur, ciuitates & domus ruunt: familiæ, aut quocunque vinculo colligata oppida cum in discordiam venerint, omnia perire & destrui necessum est. Ipsa quidem hominum corpora, qua ratione credis interire, nec animam secum retinere posse, vnde mors ineuitabiliter venit? Certe non ob aliud, nisi quia humores quatuor ex inæquali tate ab inuicem diuidûtur: & ideo homo viuit corporaliter quia concordia est inter humores & debita conuenientia. Quomodo igitur, ô homines, vultis vt merita vestra non destruantur, & bona opera in gratia facta non pereant: cum discordiam diligatis, & inuicem diuisi sitis, odio vos persequentes? Corpus non viuit sine humorum concordia nec animam secum retinere valet: & creditis rempublicam non esse destruendam ciuium diuisione, & domum ac familiã coniugum discordia? Falsè opinamini, quia certe destructa erunt, & anima discordiæ amica & dissensionis, gratiam retinere secum impossibile erit: anima fidelis concordiam & pacem dilige si vis gratiam possidere.

*Simile.*

*1. Cor. 14. F.*

Non est Deus dissensionis (ait Paulus) sed pacis: sicut & in omnibus ecclesijs sanctorum doceo. Quia Deus non vult dissensionem in cordibus fidelium sed pacem & vnitatem: aliàs ipse non habitat per gratiam in animabus inuicem dissidentibus, sed in pacem habentibus, quia factus est in pace locus Dei, id est, in anima pacem cum omnibus & concordiam habentibus. Quotiescunque audieris apes inuicem strepitum facientes: signum est magnum, regem velle ab alueario discedere. Et quoties videris aliquos homines inter se dissidentes & inuicem detractionibus

*Psal. 75 A.*

*Simile.*

ctionibus ſtrepitum facientes: ſignum eſt ſatis probabile regem regum iam ab alueario animæ ſuæ diſceſsiſſe per gratiam, aut cito eundum eſſe. Agnus Dei aperuit ſigillum ſecundum (ait Ioannes) & audiui ſecundum animal, dicens: veni & vide & exiuit alius equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra & vt inuicem ſe interficiant homines: & datus eſt ei gladius magnus. Equus rufus eſt homo ferox per malitiam, & ſanguinem proximi quem ſitit rufus & ſanguinolentus diſſenſionis amicus: & dicitur equus quia ad malum velox, & pedes habet veloces ad effundendum ſanguinem proximorum, & talis portat diabolum ſecum (ait D. Thom. aut quiſquis eſt in Apocalypſim) inſidiantem animæ ſuæ, & in illa per culpam inſidentem. Et talis malignus ſeſſor, ſcilicet, diabolus, qui inſidet odium habenti & diuiſionem diligenti ſicut equo ſuo ducit illum per deuia per iras & diſſenſiones: & ſic per malum hominem diſcordiæ amicum dæmon pugnat contra alios ad odium etiam inuitantes, vt inde vtroſque perdat. *Apoc. 6. A.*

Videte diuiſionis amici cuius ſitis equi & ad quem vſum: ò boni, pacem & concordiam diligentes cum omnibus, fœlices vos quia (vt ait Iſidorus de ſummo bono) diabolus in electis non habitat, ſed in reprobis & inuicem ſe odientibus & in imis vitiorum exiſtentibus. (Vt ait Iſaias,) dicunt dæmones, tranſierunt curſim Gaba ſedes noſtra: homines ſeditioſi & diſcordiæ amici tranſierunt ad malorum ima currentes, Gaba interpretatur vallis: quia in eis qui peccata abſcondunt quantum ad confeſsionem, ſicut vallis occultat ea quæ continet, nos dæmones habitamus, & in eis qui ad modum vallis in imo ſunt: vnde datum fuit illi & conceſſum á Deo & à malo homine volitum, vt ſumeret dæmon pacem de terra: tam temporalem quam animi, de cordibus terræ deditis, & diuiſionem diligentibus: quia multum laborat malignus ad ponendam diſcordiam. Vnde ait D. Gregor. valde timet dæmon amorem humilem quem nos viciſsim impendimus, & concordiæ noſtræ inuidet: quia hanc nos tenemus in terra, quam ipſe tenere nolens amiſit in cælo: & ſic ipſe dæmon facit ex poteſtate ſibi à malis & diſſentientibus hominibus tradita, vt inuicem ſe homines ſpiritua- *Li. 3. Iſai. 10. C*

li odij gladio interficiant, & in æternum se destruant. Beati pacifici vestra est terra viuentium in gloria, & mea sit. Amen.

# Homilia sexta.

Tex. ¶ Si autē & Sathanas in se ipsum diuisus est, quomodo stabit regnū eius? Quia dicitis in Beelzebub me eijcere dęmonia?

IMposibile est vt regnum dæmoniꝰ staret & destructū nō esset, si dæmones ad pugnandum cōtra homines essent diuisi: sed regnū tenebrosum atque sathani cū stat, & in sua pertinacia cōtra vos homines perseuerat vt socios vos constituat tormentorū, & illius regni tartarei ciues sitis hic per culpā & illic per pœnā, igitur nō est diuisum illud regnū, vt est hominū. Etiam si interse discordiā habeāt dęmones, cū sint à verisima pace auersi & à Deo pacis principe: ad vestram tamen perditionē ò homines, & animarū vestrarū destructionem reperiuntur nullo discrepante cōcordes: & inuariabile & coadunatū regnū malignitatis ipsorū perseuerat & stat firmū & vnitū vt vos diuidat & sic destruat. Lupus enim quod primū ad oues deuorandū desiderat, & executioni mādat, ouiū diuisio est, & intentat, vt sic diuisas, & à pastore alienatas, & à canibus se paratas, facillime sine aliqua resistētia, mactet illas deuoret & perdat. O lupe infernalis dæmō, credo certe id quod magis ipse à fidelibus optas, esse diuisionē inter se ipsos, & discordiā illorū, maxime tuis dolis intentas. Quia sic diuisas miseras ouiculas fideles sanguine pastoris sui signatas, facillime in perditionē ęternā illas deducis. Nam cū altera alterā non adiuuet, & pastore, nēpe, Christo careant, sua discordia à se reiecto, & canes idest concionatores à morsibus luporum non protegant miseras animas à pace diuisas, & à concordia alienas, quia nolunt vnitatem & pacē diligere. sic lupus vorax facillime occidit illas & cum dispergat (ait Ioan. 10. C Christus) per diuisionem atque discordiā inter se animas fidelū, facillime rapit eas per odium, & mactat per culpam & perdit per pœnam

Simile.

pœnam. O benedictę oues manſuetæ, in vna virtute gratia pace & concordia vnitę, ab vno principe paſtorum ſeruatæ, in eiſdem ſacramentorum & verbi Dei paſcuis depaſtæ in vnico eccleſiæ Romanæ ouili cuſtoditæ: à veris fidelibus prælatis & concionatoribus tanquã optimis canibus defenſæ: quis luporum auſus erit intervos addeuorandum intrare?

Si ergo Sathanas pugnat contra ſe (ait D. Hieron.) & dæmon inimicus eſt dæmoni, deberet iam mundi venire conſummatio: vt ſic non haberent in eo locum aduerſariæ poteſtates, quarũ inter ſe bellum eſſet pax hominum. Videmus tamẽ mundũ adhuc viuere, & ſemper dæmones contra homines dimicare: igitur inter malignos concordia eſt ad hominum deſtructionem. Et non poteſtis cauſare quod hoc fiat dæmonis aſtutia, vt ſimulatione fraudulenta ab homine exeundo alterius dæmonis poteſtate, homines ignorantes deludat: & ſic in animas illorum ingrediatur per culpam: quia ego in omnibus operibus meis & verbis homines adiuuo dæmones deteſtor. Et cum dæmon nõ ſit diuiſus à ſe ipſo, non poteſt eijci a balio dæmone cum omnes maligni hoſpitium in corde hominis deſiderent: & per conſequẽs multo minus eijci poteſt à puro homine, cũ iſte inferior poteſtate & viribus ſit illo. Reſtat vt à me vero Dei filio eijciatur, poteſtate illa qua mihi curuatur omne genu cœleſtium terreſtrium & infernorum: & ſic non tantum homine ſuperior ſum ſed etiam dæmone, & per conſequens aperte oſtendo me Deum eſſe: aperite oculos mentis & videte, contra quem tela mittitis & calumniam paratis, & quem Beelzebub vocatis. *In Matt. 12*

Ex dictis & ex hac acutiſsima Chriſti probatione, elicitur contra homines interſe diuiſos confuſio inferno digna, ſi cito ad ſe non reuertuntur. Ad perditionem veſtram dæmones concordes reperiuntur ò fideles, & vos diuiſi ad defenſionem veſtram? Illi adunati vt bellum contra vos terribile gerant ad deſtructionem veſtram: & vos ſine concordia & vnitate ad reſiſtentiam? Quid erit de vobis alienati à ſenſibus, niſi quod Chriſtus affirmat, nempe quod eritis deſtructi? Auribus cordis percipite homines, quid inter dæmones contingat ad noſtram deſolationem: qui quamuis ab inuicem ſint diſcordes, vt viſio vnius alteri ſit horrori, cum mutua inter eos dilectio non poſsit reperiri inimici Dei cum ſint, nec amabilis vera

conuersatio : tamen ad perditionem vestram homines, audite quomodo adunantur, & quid in tenebroso regno contingat, inter illos milites infernales & ducem luciferum. In primo instanti quod lucifer draco antiquus dux omnium dæmonum & malignus illorum destructor, iubet aliquem illorum tanquam præconem, vt edictum publicet maledictum sic sonans: iubet dux omnium dæmonum lucifer, imperat tenebrarum potestatum rex horrendus omni militi infernali, quod statim sine aliqua mora, omnes simul vniantur, & exercitum coadunatum componant & à cauernis tenebrosis egrediantur, vt contra talē ciuitatem mundi, populum aut hominem bonum incunctanter pergant, & non desistant donec ad peccatum inducant illum populum aut hominem. Statim quod tale publicatur edictum, & tuba tenebrosa pulsatur, & signum pallidum ostenditur, omnes dęmones in vno cōgregantur exercitu, sub vno vexillo nigro, horrēdo duci subditi lucifero, & coadunātur, vt bellū terribile cōtra nos homines gerant: nec quiescunt donec imperiū tenebrosum pro viribus adimpleant. Et cū primū buccinę doloroſæ sonitus perstrepuerit, omnes parātur ad bellū sine aliqua discordia acsi interse amicissimi essent ad inuicem.

Egrediatur modo dux cœlestis Christus, & imperet mihi prę coni suo abiectissimo & concionatori omnium minimo edictū suum publicare dicenti: ego dux angelorum & hominum filius altissimi iubeo vt omnis homo ratione iam vtens, egrediatur armis virtutum contra dæmones & vitia pugnans viriliter, sub meo vexillo crucis rubeo & fulgente. Tuba fortis & terribilis sit verbum Dei, corpus meum sit militum cibus, & sanguis meus potus: quis insurgit ex parte mea? Domine vna vetula, aut pauper homo, aut sacerdos deuotus, aut monachus obediens vere: quia certe pro maiori mūdi parte, milites vestri fideles diuisi sunt inuicē, & bellum contra se mutuo gerunt: lites & odia exercent, nec volunt vnanimiter sequi te dux omnium bonorum cōtra dęmones & peccata, sed ipsi se mutuo turbant & occidunt. Heu quam est dolendū, ducem malignum sequuntur dęmones cōformes facti ad malū, & illi obediunt contra homines & adunātur sub vno vexillo pallido, edicto parētes maledicto & obsequētes: cū illis det fel draconū adbibendū, & vuam amarissimā ad comedēdū teste Mose & stipēdiū illorū sit mors & ignis: & vos milites

Deu. 32. B

mei

mei christiani, cum audiatis tubam verbi Dei quo declaratur vobis voluntas mea sancta, & ostenditur vexillū crucis meę, nō vultis concordes fieri in bonū vt me sequamini, & cōtra vitia & malignos milites viriliter pugnetis, cū cibꝰ sit corpus meū & stipendiū vita æterna? Ipsi dęmones insurgēt cōtra vos in iudicio corā me iudice supremo dicētes: dñe, mitte in tenebras nostras hos fideles & iūge nobis in pœnis & trade illos duci nrō lucifero: quia peiores quā nos fuerūt in hoc, qꝰ nos nō fuimus diuisi ad pugnādū contra illos, & ipsi ad bellādū in nos, interse dissidebāt: & cū ipse iusseris esse te fortes in bello cōtra vitia, ipsi inuicē dimicarūt.

¶ Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij vestri in quo eijciunt? *Text.*

POST quam veritas antiqua Christus Dominus ostendit cogitationum scientia se Deū esse, quo probauit dæmonis virtute nō eiecisse dęmonē: insuper & responsione molli hoc ipsum ostendens: & alio argumento conformitatis, quam interse habent dæmones contra homines vnde patet non esse diuisos & sic vnum contra alium nō agere: ponit modo aliam probationem, quæ prima facie nil probare videtur, cum sit efficacissima. Ratio supra posita tenuit se ex parte dæmonis ducendo ad inconueniens, scilicet, sequeretur quod dæmones agerent ad desolationem proprij regni, hoc infertur dicendo, quomodo stabit regnum eius? Constat enim aperte nullum quantūcunque tyranū studere ad desolationē proprij regni, quia studet ad conseruationem proprij boni: sic suo modo dæmones se habent & sic virtute Dei vtor ego.

Ista tamen ratio se tenet ex parte filiorum interrogādo: si vos Iudęi dicitis me in Beelzebub eijcere dęmoniū: quæro à vobis in qua virtute filij vestri apostoli mei ex genere vestro nati, & inter vos nutriti dęmonia expellāt? Dęmonia subijciuntur eis & exeūt à corporibus ad corū imperium vobis videntibus & tacentibus, & tū non dicitis illos virtute Beelzebub dęmonia eijcere: ergo multo minus ego tali virtute indigeo ad dæmonē eijciēdū, cū habeā potestatem alijs facultatem dandi vt expellāt. Et si ipsi non indigent ad hoc alia virtute quā mea, multo minus ego, qui potui illis dare illam, necesse habeo dæmonis præsidium. Isti mei discipuli *Luc. 10.*

filij

filij vestri, quos agnoscitis esse tales, vt testes ex parte vestra ad ducam sicut qui bonam habet litem, isti expellunt dæmonia, nec illos interim calumniamini alia virtute quã mea eijcere illa, & omnibus manifestum apparet, illos à me talem facultatem habere, vt quid me solum de tali crimine incusatis, & non ipsos. In nomine meo Iesu isti filij vestri dæmonia eijciunt, & in potestate mea, quia simplices cum sint & idiotæ simpliciter credunt in me, & me esse potentem sine dæmonis auxilio malignum fugare quo voluerim: & quod ipsi pie credunt vos calumniamini: vnde pia credulitas illorum, infidelitatem vestram damnabit in iudicio. Quia aperte ostenditis malitia moti & odio talia contra me affirmare: certum est quod non dicitis contra istos iuuenes filios vestros similia facientes tale verbum, quia odio illos non sic vt me prosequimini: simplices sunt isti nesciunt malitiosas artes magorum aut dæmonum quorum auxilio vos dicitis me dæmonium eijcere, & tamen illis dedi ego hanc potestatem, vnde patet me ab alio illam non quærere, sed quia odio me habetis gratis talia dicitis.

Text. ¶Ideo ipsi iudices vestri erunt.

A Postoli mei accepta potestate à me eijciunt dæmones, & illis non adfertis calumniam, & mihi talem iniuriam irrogare non timetis? Ideo in iudicio inter alia de hoc iudicabunt vos discipuli mei: qui cum sint filij vestri & ex genere vestro, ipsi sint modo iudices (filij optimi iudices sunt in parentum fauorem) quis dedit illis potestatem eijciendi dæmonia, & in qua virtute expellant ipsos: vt sic intelligatis me virtute Dei dæmonia eijcere. Et postea in iudicio erunt iudices vestri, tam comparatione, quia ipsis credentibus vos infideles permanetis, quam assessoria dignitate, quia sedebunt super sedes duodecim, iudicantes & damnantes vos, ostendendo vos damnatione dignos: cum bonam litem habeam & vos iniustam non timebo filios vestros iudices cõstituere inter me & vos: iudicent ipsi in qua potestate hoc faciam. Discе hinc homo bonã habere cõscientiã & iustã litẽ & sint testes etiam dæmones contrarij tui cõtra te, & sint iudices homines inimici tui, quia veritas bonitatis tuæ liberabit te & virtutis tuæ

Matt. 19. D

inte-

integritas. Quid ad te vt iudicent peruerſè & ſiniſtrè homines de ſalute tua æterna (cum ad manus Dei ſententia debeat peruenire) ſi bene viuis? Habet aliquis litem bonam & à duobus ſapientiſsimis legis peritis approbatã optimis & iudicibus: quid ad illum vt iudices inferiores & ſine literis ſtulti & paſsione ducti cõtra illum ſententiam pronuntient? Fere nihil cor eius mouetur, cum ſciat ſe iuſtitiam habere, & poſſe appellationem facere coram auditoribus audientiæ regalis Granatenſis ſapientiſsimis, & iuſtis: & quod præſes illius iuſtus & ſapiens debet in viſione & reuiſione ſententiam ſine appellatione proferre. *Simile.*

Litem grauiſsimam cum dæmonibus geris de ſalute tua æterna, cura totis viribus & bonis operibus habere ex parte tua duos iuris peritos bonos & ſapiẽtes frater, nẽpe conſcientiam bonã, & patientiam humilem: quid ad te vt homines ſtulti & malitia pleni paſsione ducti iudicent te eſſe malũ, inhoneſtum & damnatione dignum? Appellatione vtere ad audientię regalis & cœleſtis ſtrata, in qua apoſtoli ſancti ſunt auditores fideliſsimi, imo & hic à Chriſto iudices vocati: præſes ipſe filius Dei eſt, Deus Iudex fortis & potens, & adeo bonus, vt falſam quam contra te homines protulerunt ſentẽtiam commutabit, & in tui fauorẽ in viſione & reuiſione, ſine contrariorum dæmonum & malorum hominum appellatione pronunciabit gratiſsimam & gaudio plenã ſententiam dicens: veni benedicte. Qui te iudicat dominus eſt, quid ad te (vt dicebat apoſtolus meus) vt homines ſtulti iudicent te? Pro minimo tibi ſit, cum nec tu ipſe te iudicare in vita poteras. Si bonam atque optatam ſententiam à Chriſto domino audire cupis homo, bonos teſtes ſcilicet opera iuſta & ſancta te habere Dei auxilio ſatage: quia reuera tales filij iudices tui erunt coram Chriſto non ſolum teſtes: vt ipſe hic dicit, filij veſtri, ideſt, opera iudices veſtri erunt. Nil aliud iudicabit contra te Dominus, aut in tui fauorem quam quod opera tua bona vel mala iudicabunt, vt in feria quarta dominicæ de paſsione, videre licebit: dum Dominus dicit, opera quæ ego facio in nomine patris mei ipſa teſtimonium perhibent deme. Dicuntur opera noſtra filij noſtri, quia nos generamus illa voluntate, & ſi mala ſunt, concipimus illa dolore conſentiendo, & parimus iniquitatem: & quia diligimus illa vt mater filios, & nutrimus, imo & defendimus, vt Adam & Eua à quibus didicimus filij ſui. *1. Cor. 4. A* *Ioan. 10. E* *Gen. 3. B.*

Porro

Text. ¶Porro ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.

POſtquam ſufficienter ex dictis oſtendi, ego veritas æterna & patris ſapientia, me non in virtute Beelzebub dæmonem eieciſſe, modo probo in virtute Dei me illum expuliſſe: aperte affirmans digitum Dei eſſe meum, ideſt, Spiritum ſanctum à me procedere etiam vt à patre, nec alium eſſe digitum Dei, & alium meum, vnde aperte dico me eſſe Deum, cum habeam poteſtatē digito Dei, ſcilicet, Spiritu ſancto, vtendi ad miraculum operandum. Quod Chriſtus hic per digitum Dei Spiritum ſanctum in
Matt. 12. B telligat Euangeliſta Matthæus aperte hoc docet cum ipſe dicat, ſi autē ego in ſpiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. Si igitur manus & brachium, Dei filius eſt (ait D. Hiero.) & digitus eius Spiritus ſanctus: patris & filij & Spiritus ſancti vna ſubſtantia eſt: non te ſcandalizet mēbrorum inæqualitas, cum ædificet vnitas corporis. Et in libro primo Didymi de
Tom. 9. fol. 406. ſpiritu ſancto eadem fere verba idem Hiero. dicit, de incorporalibus nunc ſcriptura loquitur, vnitatem tantum volens, non etiā menſuram ſubſtantiæ demonſtrare, cum dicit digitus Dei. Dicitur Spiritus ſanctus digitus Dei in ſcriptura, & filius manus aut
Simile. brachium: quia ſicut brachiū à corpore ſic filius à patre ſolo eſt,
D. Athan. teſte Athanaſio, non factus nec creatus ſed genitus: & digitus à brachio & corpore, ſic & Spiritus ſanctus à patre & filio eſt, non factus, nec creatus, nec genitus ſed procedens. Tamen vnica eſt ſubſtantia & eſſentia, & in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ, coæternæ ſibi ſunt & coæquales. Vnde Hieronymus dixit, non te ſcandalizet, quod filius brachium & Spiritus ſanctus digitus dicatur, quę mē bra corpore inferiora videntur. Licet brachium digito maius ſit & corpus vtroque, tamen tres diuinæ perſonæ æquales ſunt &
To. 2. opuſ. fo. 388. ca. 3. coæternæ, & vnus eſt Deus, & (vt ait D. Bonauent. in ſumma de eſſentia) ſicut enim digitus cum manu vel brachio, manus verò vel brachium cum corpore ſunt in natura vnum: ita pater filius & Spiritus ſanctus tres quidem perſonæ ſunt, vna vero ſubſtantia diuinitatis.

Iſte eſt digitus (ait D. Hiero. quem cōfitentur & magi Pharaonis qui contra Moſen & Aaron ſigna faciebant, dicentes, digitus
Exod. 8. E.

Dei

Dei eſt hic. Nam cum per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam proiecerunt ſinguli magi virgas ſuas, verſæ ſunt in dra- *Ibi.7.B.*
cones, etiam ſi virga Aaron deuorauit virgas eorum. Dicit per arcana quædam, quia arte dæmonis actiua applicabant paſsiuis; dæmon vt valde aſtutus dabat illis media quibus cito & ſine tẽporis mora fierent illæ ſubitæ mutationes: & ſic non erant opera miraculoſa, ſed naturalia, induſtria dæmonis cito compoſita, etiam ſi ob ſubitam mutationem à ſtultis ſuper naturalia reputa bantur. Fecerunt etiam malefici incantationibus ſuis, vt aqua in *Ibi.7.D.*
ſanguinem eſſet verſa: & etiam fecerunt ranas: tamen cum volue *Ibi.8.E.*
runt ciniphes educere non potuerunt, ſed dixerunt ad Pharao- *D.E.*
nem, digitus Dei eſt hic. Non dubito quin inter vos fideles ſint multi qui virgam crucis & meritaillius vt magi & malefici in co lubros vobis ipſis conuertatis, quando crucis & pœnitentiæ inimici eſtis, & meritis paſsionis abutimini, colubros peccatorum potius quam crucem diligentes: quis dubitat quin ſint innumeri fideles, qui aquam gratiæ in ſanguinem peccati ſuis maleficijs & voluptatibus conuertant, à quibus ſanguinibus, id eſt, peccatis *Pſal. 50.*
ſanguinolentis, liberari ſepetebat Dauid, dicens: libera me de ſanguinibus? O magi Pharaonis, adiuti à dæmone certe talia opera mini: vnde & ranas loquaces componitis, multum loquendo & parum faciendo, peierando, detrahendo. Obſecro vos in nomine domini vt ciniphes, animalia tã minima, faciatis in minutas partes facultates veſtras ſcindite reſtituendo. Opera humillima à vobis exquiro, & ex corde humili bona procedentia. Poſt ſanguinolenta peccata noſtra & poſt odium crucis & pœnitentiæ, & poſt loquacitatem noſtram valde nociuam, petis reſtitutionem & opus humile à nobis? Digitus Dei eſt hic, opus eſt ad tale opus Spiritus ſancti auxilium: defecimus cum Magis in hoc ſigno. Quis verus humilis fuit, vt D. Franciſcus, & alij ſancti, niſi ille quem digitus Dei magno auxilio tetigit? Quis magorũ crederet ciniphes non poſſe componere animalia tam minuta? Tamen cum ventum fuit ad opus, defecerunt in vanitate ſua & non potuerunt propoſitum aſſequi. Quis non credit opus humile poſſe facere aut reſtituere, tamẽ oblata occaſione ſuperbiendi aut irascendi aut iurandi quis in tali non deficit ſigno.

Humiliare ſub potẽti manu Dei homo peccator, malefice dæmonis, & ſanguinem peccatorum tuorũ in lacrymarũ aquã ſerui

dam

dam,Dei auxilio,conuerte: loquacitatem nociuam in veram cõfeſsionem ſacramentalem: & colubros peccatorum trade crucis virgæ & meritis paſsionis dominicæ,& debitor alicui non ſis:videbis quomodo deuorabit crux omnes ſerpentes delictorũ tuorum,& tunc digitus Dei & ſpiritus ſanctus auxilium ſuum præſtabit animæ tuæ,vt ciniphes & opera humillima Deo placentia poſſes facere: cũ in tui cognitionẽ & tuæ vilitatis & contra Deũ audaciæ deducet notitiam.Quis nõ humiliatur, ſi Deus illi oſtendit malitiam vnius delicti,quod cõtra Deum benignum & bonũ auſus eſt perpetrare? Digitus Dei ſpiritus ſactus dicitur(ait Theophi.)vt ſcias quod ſicut digitus eiuſdem ſubſtantiæ eſt cum alio corpore: ita ſpiritus ſanctus eiuſdem ſubſtantiæ cum patre & filio. Et cum omnia opera multum ſubtilla digito pinguamus, ſic Deus ſpiritus ſancti digito in animabus noſtris opera magis perfecta ſcribit.Digitus Dei eſt iſte(ait D.Hiero.) quo tabulæ lapideæ ſcriptę ſunt in monte Sina vt dicitur in ſcriptura: dedit dominus Moſi duas tabulas teſtimonij lapideas,ſcriptas digito Dei: & alibi hoc ipſũ Moſes repetit dicens:dedit mihi dominus duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei. Vt intelligas mandata Dei eſſe ſcripta à patre æterno per manum filij, digito ſpiritus ſancti. Vide quid agas & quam graue ſcelus cõmittas infractione mandatorum Dei,diſsipator legis diuinæ:quod pater per manum filij altiſsimi,digito ſpiritus veritatis ſcripſit:hoc ipſe auſu temerario,quoties mortale perpetras,delere non vereris?Tam graue malum eſt hoc?Audi corde.

*Exo.31.D Deu.9.B.*

*Similc.* Auſus eſſes,niſi alienatus à ſenſibus fuiſſes,ſcripturam grauiſſimam ad te miſſam,à magno noſtro Rege Philippo,& ſcriptam à patre ſuo omni veneratione digniſsimo, Imperatore Carolo quinto: (cuius virtus & ſanctitas ab hominibus non fuit nec eſt cognita) per manum regis grauiſsimi Philippi, digito principis Ferdinandi, exaratam: magnam tibi vtilitatem adducentem:ſicut dignum & iuſtum erat, non amplexus eſſes illam & oſculatus & ſuper caput tuum poſitam,vt iuxta illius tenorem ſeruaſſes illam? Auderes inſuper talem ſcripturam delere, deinde rumpere, tranſgredi & conculcare? Nullo modo, ſed pro viribus illam adimplere,& oſculari & venerari ſaltim ob meam vtilitatem. Si primum feciſſes quo ſupplicio eras dignus?Æterno. Audi homo ſtulte,& audax,nã iſta ſcriptura lex diuina eſt & mãdato-

datorum Dei, pater cœlestis illam scripsit manu & conceptu filij sui, per quem fecit & secula, & non quocunque calamo sed Spiritus sancti digito: misit talem scripturam ad te per Ecclesiã suam: legimus illam tibi omnes concionatores. Si illam fueris osculatus credendo & amplexatus operando, & super caput tuũ venerando & omnia cadoca illi subijciendo, præmia inenarrabilia tibi futura sunt. Quid cogitas faciendum? Quia si vis ad vitam ingredi, debes ista sancta Dei mandata seruare. Conculcasti legem Domini & tempus illam adimplendi peccãdo dissipasti, deleisti: quid dices patri æterno mittẽti illam ad te? Quid manui scribenti, scilicet filio Dei in iudicio respondes? Quid Spiritui sancto digito diuino, quo fuit exarata poteris affirmare? Serua mandata Domini & seruabunt te, si tamen deleueris illa, deletus eris de libro vitę. Etsi ob dicta non times transgressione, Dei præcepta dilacerare saltim, quia in manu Dei sunt scripta tanquam in papyro, calamo clauali, sanguinis eius atramento: quis ausus est talia delere mandata?

*Ad Hebr.* 1. *A.*

*Mat.* 19. C. *Psalm.* 118.

Si in digito Dei Dæmonia eijcio, ideſt in virtute Spiritus sancti, in hoc aperte videbitis: quia peruenit ad vestram notitiam per me regnũ Dei, & nil aliud verbis meis & factis quæro quã vt ad regnum Dei peruenire mereamini: quod Dæmon abhorret, & omnibus vijs vt illud perdatis satagit. Vultis videre quomodo virtute Dei Dæmonia eijcio? Quomodo acquiratis regnum Dei prædico, & non è contra vt Dæmõ facit: & sic peruenier in vos regnum Dei, cum Dæmonum sit retrusa potestas, vt ne noceant quantum cupiunt. Peruenit in vos regnum Dei, vbi regnat Deus per virtutem & gratiam: regnum Dei ideſt Ecclesia sancta: & ego Dei filius qui sum verum Dei regnum. Regnũ Dei etiam est libertas à vitijs, & habitus virtutum promissio sancta Dei, beatitudo æterna: quod hic promitto bonitate mea, & acquiritur passione & sacramentis meis: & in cœlo percipitur largitate donantis: hoc est regnum Dei ad vestras aures peruenies. Profecto peruenit in vos regnum Dei hoc est sine dubio credatis aditum regni cœlestis patefactum esse credentibus & operantibus, si in digito Dei Dæmonia eijcio & dico peruenit, quia ante quam homines illud quærerent, nec dum mererẽtur, præuenit regnum Dei, ex diuina præueniente gratia. Si vos fratres mei, virtute Dei & sacramenti auxilio, Dæmonia ideſt, pec

cata grauia ab animabus vestris eiecistis: certe regnũ Dei, idest gratia qua obtinetur regnũ Dei ad vos peruenit. Et si in ipsa perseuerantiam habueritis, regnum cœleste obtinebitis: tamen si adhuc peccata in anima sunt, Regnum tenebrosum ad vos cito perueniet.

Aut, si res ipsa aperte clamitat, me nõ præsidio dæmonis, sed virtute Dei pellere dæmones, dubitare nõ debetis amplius, quin
Matt. 3. A. aduenerit ille filius Dauid & regnum Dei, quod Ioannes instare prædicabat: potentior est vnus Dei digitus ad seruandum genus humanum, quam vniuersæ Beelzebub copiæ ad perdendum. Et ab effectu cognoscite me in virtute Dei eijcere dæmonia: quia attuli ad vos regnum Dei. Non enim aliud annũtio per me & discipulos nisi regnum Dei: non studeo & laboro, prædico aut oro ad aliud nisi vt ad vos perueniat regnum Dei: hoc est, ad hoc vt excluso regno peccati, regno carnis & mundi à cordibus hominum: regnet virtus & gratia & Deus ipse in illis, donec ipsi homines ad regnum patris mei perueniant. Quãta hic sacrilegi furor is amentia (ait D. Ambro. in Lucam) vt cum Dei filius ad immundos spiritus conterẽdos, & ad manubias & spolia mũdani principis auferẽda, susceperit carnem: & hominibus quoq; dederit potestatem destruendæ nequitiæ spiritualis, diuidens spolia eius, quod insigne est triumphantis, vnde certissime perueniebat regnum Dei hominibus & illi sint adeo ingrati vt id dæmoni tribuant, gloriam Dei tollentes?

Text. ¶ Cum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea quæ possidet.

PRobatio est antecedẽtis præcedentis rationis, nẽpe ego in digito Dei eijcio dæmonia: acsi dixisset veritas patris, doctor philosophorũ: fortis armatus custodiẽs atriũ suum magna cura, multa habens spolia, non vincitur nisi à fortiori se & potentiore: sed ego vici illum dæmonem animas peccatrices possidentẽ, & solicitudine non pigra custodientẽ, & eijcio illũ à possessione: clare igitur liquet me fortiorem illo esse & per consequẽs illius auxilio non indigere, nec amicitiam cum illo habere, cum pugnem contra illum & spolia sua tollam. Et sic virtute diuina

me

me dæmones eijcere euidẽter patet, & regnum Dei ad vos peruenisse, cum ad regnum Dei spectet superare dæmonem. Fortis malignus custodiebat atrium mundi quiete possidens genus humanum: postquam ego fortior illo veni, & proprijs meritis vici illum, & propria fortitudine superaui, tot labores sustinendo & crucem ferendo: tuli arma quibus erat diabolus armatus, (quæ sine dubio vitia sunt & peccata, sicut arma mea virtutes & merita) & demum spolia eius distribui, per quæ homines & animæ intelliguntur, tanquam res à dæmone per culpam possessæ. Ex his Christi verbis apertè colligitur dæmonem fortem esse & armatum, contra quem necesse fuit, vt filius Dei illo fortior veniret: quomodo supra dixisti esse Deum muscarum, neq; præter muscas & homines debiles capere in rete sua? Iam diximus multoties dæmonem ex se fortissimum esse, atque leonem rugientem, & nos omnes deuorare cupiẽtem: & esse spiritualem nequitiam tela ignea & oculis corporeis inuisa, vt cælestia à nobis tollat continuò iacientem: tamẽ postquam fortior illo Christus vicit, & arma tulit nostrorum peccatorum ab ipso, & spolia animarum: ligauit illum & mansit debilis (vt ait Gregorius) cũ sit hostis non valens lædere nisi volentem illi in malum consentiri. Ait Isaias, dixerunt animæ tuæ dæmones, incuruare vt transeamus: & posuisti vt terram corpus tũum, & quasi viam transeuntibus. Si tu anima, nõ fieres curua per peccatum, dæmones non possent per te transire: tamen posuisti corpus tuum, ô homo, imò & animam vt terram, & terrenis adhærentem, & quasi viam detritam bestijs, & vitijs, & dæmonibus transeuntibus per illam, quid miraris? *Isai. 51. C.*

Absolutè tamen considerando, fortis & armatus innumeris tentationum telis, est malignus dæmon contra nos homines in hoc exilio existẽtes: & atrium cordis humani in peccato existẽtis fortiter custodit, ne à Christo Dño spoliatus sit: & qui hoc in vita hominis facit, in morte tamen terribiliter seruat illud: & contra ipsum totis viribus suis pugnat, ne ex ore illius cadat. Audiui vocem magnam in cœlo dicentem (ait Ioannes in suis reuelationibus) væ terræ & mari: quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Væ terræ, & væ terrenis desiderijs implicatis, væ auaris, væ inhonestis, & væ mari & cordi impij, quasi mari feruenti *Apoc. 12. C.*

& fluctuãtia diligẽti: væ vobis, quia descendit ad vos Diabolus fortis & iram magnam habens, sciens quia modicum tempus ha
1. Cor. 10. C bet contra mundum & mundanos pugnandi, cum simus nos in quos fines seculorum deuenere. Præcipue tamen pugnat contra senem aut infirmum morti propinquum, sciens quia modicum tempus habet ipse malignus ad debellandũ fidelem, & spolia meritorum tollẽdum: quando iam in extremis est homo tũc fortissime satagit animam peccatricem custodire neà Christo
Isai. 9. A. fortiori liberetur. Nouissimo (ait Isaias) aggrauata est via maris: quia cor impij in hora mortis valde grauatur & à Dæmone persequitur, sciente quia modicum tempus illi restat contra illud.

*Simile.* Sicut cautus bellator in loco arcto ponit milites suos, vt pone
4. Reg. 6. B bat rex Syriæ insidias contra regem Israel sic Dæmon in mor-
Thre. 1. A. te: ait Ieremias plorans, omnes inimici animæ apprehenderunt eam, inter angustias mortis, tam Dæmones quam peccata: & in illa hora anima est in magno afflictu & quod peius est si obstinata est fere nil sentit malum grauissimum sibi imminẽs, & aliquando magis corpus sentit & pœnas timet. Habemus de hoc exemplum in scriptura notatu dignum: quando ille falsus pro-
Num. 22. E. pheta Balaam pergebat ad male dicendum Dei populum, angelus stetit coram illo asinæ insidente, euaginato gladio: asina nõ poterat transire cum esset in angustijs duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur: Balaam iratus cædebat fuste asinæ latera. Cui asina locuta est: quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertio? Quia commeruisti, & illusisti mihi. Vtinam haberẽ gladium quo te percuterem. A peri oculos miser, & vide te vndiq; vallatum, â lateribus sunt maceriæ, ante te angelus gladio euaginato, & time.

O homo, fortis armatus Dæmon contra te in vita viriliter dimicat, tamen heu quando venias ad mortis angustiam, si in vita peccatis es assuetus, & populo Dei maledixisti, & Deum offendisti nec veram pœnitentiam egisti: timebit certe asina corporis tui & trãsire de vita in mortem recusabit. Si cõtra illud fueris iratus dicens, quid mortem times corpus meum? Certe feriam te. Brutale cum sit, dicet spiritui cæco tuo: ò miser insensate, & non vides te angustijs circundatum? A tergo, sunt peccata tuæ vitæ præteritæ, contra te insurgentia: à sinistro latere, Dæmones fortiter custodientes atrium cordis tui ne pœnitentiam agas: à dex-

dextero, sunt pœnæ infernales terribiliter minantes: ante te (ꝙ magis horrendum est) Angelus testamenti Christus Dominus iudex omnium gladio euaginato stat, idest sententia tremenda, discede male dicte in ignem, te percutere volens: quare non times & pœnitentiam agis? Magis brutalis es ipse spiritus quam ego corpus animale? Ego debebam te admonere? Caue ne sis vt lepus, qui velociter currere satagit in via ne ab homine capiatur: & tamen venit ad rete vbi capitur à canibus: per viam vitæ noluisti à Deo capi per gratiam: in rete mortis canes infernales deuorabunt te: & aperient super te os suum omnes inimici tui (vt plorat Ieremias in lamentis) Dæmones & tua peccata: sibi labunt & frement dentibus suis, & dicent: deuorabimus certe animam tuam, à nobis tam fortiter custoditam, præcipue in hac vltima hora: en ista est dies & hora quã expectabamus, inuenimus vidimus, perdamus destruamus, deuoremus, & illam dilaceremus: quia vt infine magni mundi erit, sic in morte vniuscuiusque continget. Beata anima quæ erepta fuerit à tali venatore ad gloriam, Amen.

*Simile.*

*Thre. 2. E.*

# Homilia Septima.

¶ Custodit atrium suum. *Tex.*

CVstodit diligentissime die ac nocte domum suam Dæmon, mundum scilicet & corpus obsessum, & cor miserũ peccatoris. Ait Diuus Bonauen. Dietę salutis, de ieiunio, caro nostra infecta & ad malũ prona ab adolescentia sua, castrũ Diaboli est, quia semper rebellat contra spiritum: & nullum aliud telum terribilius & nociuius malignus cõtra animã hominis habet, nec inuenire valet: quam ipsammet carnem rebellione armatã, sensuali tate infectam, cõtradictione dotatã: & sic castrũ Diaboli & atriũ illius est corpus immundum & spiritum polluens. Tunc in pace misera & infelici, sunt omnia quæ Dæmõ in tali possidet anima: omnes potentię illius sunt prophanatę, omnes priores virtutes destructę, opera meritoria conculcata: gratia Dei reiecta: heu

*Titu. 2, c. 4. 6.*

quam dolendum caſtrum manet anima, poteſtate dæmonis per culpam tradita, & atrium horribile eius cõſtitutum. Quæ prius habebat Chriſtum Dominum in præſidem, nunc tenebroſum ſpiritum & crudeliſsimum: quæ antea gratia Dei decorata erat, modo deformiſsima culpę macula apparet: quę habebat ſanctũ Chriſti corpus & ſacramenta Eccleſiæ in cibos & munitiones, nunc fame conſumitur. Quæ habebat Angelos in milites in circuitu eius, & à latere ſuo decem millia beatorum ſpirituum & à dextris, teſte Dauid, modo videbis illam circundatam dæmonũ legione horrenda: vt tale atrium defendant, ne iterum in poteſtatem Domini ſui veri & Redemptoris perueniat. Quæ prius foſſas humilitatis habebat, iuxta ducis ſui Chriſti humilitatem: iam turribus ſuperbię muratam conſpicies: quas ſibi peſsimus in illa habitans ædificauit, ne locũ ingrediendi iterũ mitiſsimus Ieſus habeat. Anima prius charitate donata, & eleemoſynis plena, quis talem auaritiæ foſſatum in te fabricauit, vt rapinis & iniuſtis emptionibus inceſſanter vaces? Exiuit bonus eleemoſynarius à me Chriſtus Dominus, & crudelis Nabal diabolus durus intrauit: & ſic cuſtodit atrium ne aliquam dem eleemoſynam, & inuitat me ad furtum & crudelitatem.

*Pſal. 90.*

Heu te qualis eras olim cũ duce Chriſto, & quam mutata modo appares, poſtquam dæmonis atrium eſſe per culpam elegiſti: vbi ſunt parietes charitatis tuæ? quomodo in rupes inuidiæ & odij, cõmutaſti illas? Vbi eſt armorum, ſcilicet virtutum, abũdantia prima? Iam in murum defenſionis meæ culpæ conuerti, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Vbi ſunt portæ ſenſuũ tuorum, tam bene ſeris, & vectibus prudentiæ & temperantiæ clauſæ aliquando? Iam poſtquam malignus & fortis atrij mei poſſeſsionem accepit, nocte atque die patent atræ ianuæ ſenſuum: vt libere omne malum & animæ nociuum poſsit ad illam ingredi, & ab ipſa contra fratres egredi: quia iam habeo portas conuerſationis indiſciplinatæ, & ſenſuum ianuas ad omnia illicita patentes. Igitur nil mirum atrium dæmonis infœlix anima delicto maculata, & tale caſtrum horrendum effectum: vt poſsideas pacem peruerſam delectationis fictæ, cum habeas bellum pluſquam ciuile, contra Angelorum Regem, quem iniurioſe eieciſti à te, recipiens malignum hoſpitem te cuſtodientem fortiter, & arma peccatorum tuorum habens

*Pſal. 140.*

contra

contrate. Et, quod ſine lachrymis non erat dicendum, ſpolia virtutum tuarum & meritorum tulit, perdidit, & deſtruxit. Ad te reuertere anima miſera, dæmonis atrium facta per peccatum: & cum ſcias Chriſtũ fortiorem dęmone eſſe, vt ipſe hic affirmat, ad illum te conuertere cito.

Fortior eſt Chriſtus, cum ſit creator dæmonum, quam ipſe malignus, qui in atrio animæ tuæ eſt per tuum delictum ingreſſus: creatura cum ſit, miſera, debilis & damnata: & ab ipſo filio Dei, ſicut fulgur, ad infernum de cœlo miſſa & proiecta. Inuoca Deum toto corde vt adiuuet te, ad expellendum tam crudelem tyrannũ ab anima tua ô peccator: certe potens eſt, benignus & ſapiens eſt, vt ſciat & poſſit illum expellere, & optimus vt velit. Dummodo ipſe illum adiuues tuo conſenſu & libero arbitrio, deteſtando peccatum & dæmonem: & odio habendo delictum, quod potuit Chriſtum ab anima tua per gratiam exiſtentẽ expellere hoſpitem tam benignum beneuolum & bene factorem: & introduxit in illam tyrannum dæmonem, & crudelem draconem deſtructorem omnium bonorum, & datorẽ omnium malorũ. Cupis ô homo, adiutorio Chriſti bene vti ad fortem dæmonẽ expellendũ ab anima tua? Deſidero, tamẽ eſt fortis armatus malignus qui me poſsidet. O modicæ fidei, non audis hic Chriſtũ dicentem ſe fortiorem eſſe? Potuit dæmon debilis, muſcarum Deus immundus, tuo adiutorio fretus, & conſenſu peruerſo, per mortale à te perpetratum: expellere Dei filiũ ab anima tua: quia non eſt conuentio Chriſti ad Belial, nec vult habitare in anima ſubdita peccatis: & ipſe valuit atriũ tuũ poſsidere: & non poterit facilius & melius, ipſe fortiſsimus Dei filius dæmonem verſutum te iniuſte poſsidẽtem, ab anima tua eijcere confuſum: ſi tu inuocas illum toto corde, & adiuuas, ex parte tua, totis viribus? Bene poterat Chriſtus Dominus, ſine adiutorio tuo, dęmonẽ & peccatum ab anima tua expellere, tamen nõ vult: quia ſic ab ipſo ſtatutum eſt, vt te ſine te crearet, non tamen ſine te ſaluaret, vt melius te honoraret. Et quia tuo conſenſu dæmon intrauit, & peccatum ianuas aperuit illi: ſic etiam tuo conſenſu & culpæ deteſtatione, Dei adiutorio, illum expellas infamatum, & Deo honorem & ſuum locum priſtinum in anima tua reddas.

*Luc. 10. C.*

*2. Cor. 6. C.*

*Sap. 1. A.*

Quis eſt adeo malignus & infernalis peccator, qui non inuo-

cet Deum, & velit ſuo adiutorio vti, ad expellendum tyrannum tam crudelem ab anima ſua, & valde nociuum? Proh nefas, ô res dictu imo & cogitatu horrenda, libenter voluiſti peccator, Dæmonem crudeliſsimum adiuuare, tuo periurio detractione, voluptate aut maledictione, furto & odio, ad ingreſſum animæ tuæ: cui tanta irrogauit mala & damna innumera, & bona deſtruxit, in periculo ſatis propinquo te ſecum ad flammas ſempiternas terribiles & edaces cito deportare: ſi pœnitentiam non agis. Et quod ſis adeo rebellis & tuæ ſalutis ſic oblitus, & Deo iniurioſus & ingratus: vt non venias velociter gemitibus & cordis lacrymis auxilium Dei petendo, contritione vera & confitendo? Et Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus dedignaretur ſua ſancta bonitate adiuuare te & ſuo ſanguine calido, & ſuo crucis baculo: ad expellẽdum inimicum tam ferocem, & peccatum, vt gratia Dei iterum ingrediatur, qua anima tua ornata ſit decenter, ad iterum recipiendum hoſpitem ſalutarem, & cœleſtem regem Chriſtũ, innumera conferentem beneficia, omnia deſtruentem maleficia? Et non venis cito ad Eccleſiam clamando, confeſsionem, cõfeſsionem, ſcilicet, volo facere veram: ſicut dixiſſes, vulnere graui capiti, aut corpori tuo inflicto: Quid cũ vulnere peccati, & hoſte maligno atriũ animę tuę obtinente? Quomodo clamares ſi fur intraſſet in domũ tuam, ad furandum pallium vetus, aut calceos? Saltim clama ſic ad Deum, contra Dæmonem furem, merita & gratiam tuam ſubripientem, confitendo.

*Simile.*
*Simile.*

O quam eſſent homines fœlices ſi quam cito & velociter habent ſenſum & intelligentiam rerum leuium ac malarum, & quam magna cura temporales & caducas res ſeruant & cuſtodiunt, & vocibus & vi & fortitudine defendunt à raptoribus & auxilium à iuſtitia & vicinis petunt ad ſuarum defenſionem: ſic haberent intelligentiam bonarum rerum ac conducibilium: & pro ſpiritualibus bonis & meritis ſeruandis & gratia cuſtodienda ploraſſent, clamaſſent, Iudicem cœleſtem, contra dæmones ſpoliare ipſos volentes & contra peccata Dæmone peiora inuocaſſent, vicinos Angelos & beatos & homines iuſtos in ſuum auxilium clamore & lacrymis inuitaſſent, & ſacerdotem ad confeſsionem ſtatim vocaſſent. Aliter fieret de miſeris animabus quas pretioſo ſanguine redemiſti Domine mi, alia merita habe-

berent & te diuine hoſpes ſecum tenerent: reiecto tyranno crudeli atrium fere omnium animarum in mundo viuentium obtinente. Fortiſsime Deus, adiuua nos, & expelle à cordibus omniũ fidelium, tam immanem & ferocem draconem, peccatis noſtris parcendo: & paganos ad fidem conuertẽdo. Tu ipſe fortiſsimus es Chriſte Domine: qui ſi moriens in ſtricto crucis lecto infamia reſperſus, clauis affixus, flagellis percuſſus ſpinis vulneratus: Dæmonem viciſti, mortem moriens occidiſti, & culpam quantum fuit inte deſtruxiſti (ſi miſer homo illam ſuſcitare ſuo malo non vult) quãto magis viuus & ad dexteram patris ſedẽs, & in cœlo regnans, Dæmonem debilẽ poteris ab animabus noſtris fugare: ſi nos draconem antiquum potius quam te, noſtris culpis nolumus adiuuare? Ipſe dicis (Theophilato teſte) fuit quidem ante aduentum meum fortis Satanas, & cuſtodiebat fortiter atrium ſuum, hoc eſt, prævalebat & imperabat humanæ naturæ, fortiter & quaſi ſecure illã poſsidebat: poſtquã autẽ ego filius Dei, illo fortior, veni in carne, & mundum vici per crucem, omnia peccatorum genera, quæ arma ſunt Diaboli diripui: ego qui ſine peccato ſum inuentus, & ſic ſpolia eius ideſt homines & animas rapui. Vt quid inuaſit animos veſtros mortales, tam dira peccandi cupido, & execrandum delinquendi deſiderium, vt quæ ſcripſi ego clauis & ſanguine, in manuũ mearum papyro, culpis veſtris deleatis, & Dæmonem contra me & in grauiſsimũ animarum veſtrarum damnum adiuuetis: ita vt arma delictorum, illi contra me & vos reddatis, vnde ſequitur vt animæ veſtræ iterum ſpolia Dæmonis in mei iniuriam fiant?

Si ego in Beelzebub, ſicut dicitis, eijcerem Dæmonia (ait gloſ.) tunc in aliquo ei conſentirem, & non eſſem illi cõtrarius: tamẽ videtis aperte me illũ ſuperare, & vincere, & à cordibus fideliũ magna feſtinatione eijcere: pugna igitur & nõ pax, bellũ & non concordia, diſsidiũ & nõ pactũ interme & Dæmonẽ abſq; dubio eſt. Heu tamen quomodo dolore eſſem percuſſus modo, ſi capax illius eſſem, cũ videã tot animas à Dæmone in pace malligna poſſeſſas: quia imperturbata poſſeſsione retinet illas tyrãnice, ſine alicuius contradictione: etiam ſi non poſsit animi tranquillitas eſſe, vbi tã peſtifer hoſpes commoratur, quod certe dolendũ eſt. Vt poſtquã ego fortiſsimus Deus & homo ſanguinis mei effuſione, honoris diſpendio, & vitæ iactutra, tã crudelẽ ho-

ſtẽ ab animabus eiecerim, & arma peccatorũ moriendo tulerim & pro illis ſoluerim, & ſpolia, animas ſcilicet, rapuerim ab illius poteſtate, denuo homines in mei iniuriã, & ſui nõ minimũ detrimentũ, & Dæmonis fauorẽ iterum talem per culpam recipiũt hoſpitem peſtilentem, illi arma ideſt peccata iterũ tribuendo, & ſpolia animarum in ſuam poteſtatem redigendo. Audi conſilium meum per Ieremiã tibi traditum anima, quæ delicto tuo peruerſum hoſtẽ in te contra me & te recepiſti, poſtquam ego
Iere. 46. C. vici illum & foras à mundo & à te eieci: aſcẽde in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Ægypti: fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi. Audierunt gentes ignominiam tuam, & vlulatus tuus repleuit terram: quia fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt. Virgo filia Ægypti, anima olim virgo & caſta per gratiam nunc autem per culpam tenebroſa & ob ſcura: quondam Dei hoſpitium, modo Dæmonis cubile: aſcende in Eccleſiã per virtutũ gradus, & tolle reſinã ſacramentorũ: nũquid reſina nõ eſt in Galaad, ideſt in tumulo teſtiũ, ſcilicet in Eccleſia, ad cuius veritatem confirmandã fuit tumulus lapidum viuorum & teſtium innumerorum martyrum & confeſſorum?
*Ibi.* 8. G. Nunquid reſina non eſt in Galaad (vt alibi per ipſum dixi Ieremiã) ideſt, ſacramentũ pœnitentiæ in Eccleſia? Aut medicus nõ eſt ibi, ſcilicet ſacerdos vicem Dei habens, ad vulnera peccatorum per abſolutionem ſananda, virtute ſanguinis mei?

Quare igitur non eſt obducta cicatrix tua, & ſanatum vulnus tuum vetus peccati filia populi mei, anima populi Chriſtiani? Fruſtra multiplicas medicamina mundana, & herbas gaudiorum vanorum ad medicandum & peccata tua ſanandum: ſanitas non erit tibi, neque talibus medijs aut medicamentis anima erit libera à ſuo terribili morbo. Audierunt gentes paganæ ignominiam tuam & gentes cœleſtes & terreſtres, quomodo expulſi Dæmonem & vulnus ego Dominus ab anima tua: & tu homo ſtulte per recidiuum locum maligno dediſti. Non eſt iſta grauis ignominia? Veni ad Eccleſiæ ſanctæ medicamina, relinque Dæmonem, reuertere ad Dominum tuum: confitere peccatum tuum. Si non vis hoc facere, vt talem crudelem hoſtem ab anima tua reijcias, & me Deum verum in illa per gratiam habeas: ſaltim ob hoc, quia ego fortis Deus impegi moriendo in cruce in fortem Dæmonem tui amore, & ambo pariter concidimus.

mus. Ego corporaliter moriendo, & Dæmon ſpiritualiter animas perdendo, & à regno mundi fugiendo: quia mors & vita (vt canit Eccleſia in proſa paſchatis) ego Deus & Dæmon duello mirando conſliximus, & ego dux vitæ mortuus regno viuus, & dæmon viuus manſit mortuus.

¶ Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, *tex.* vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.

ECce homo, ex ore Chriſti audiſſe Dæmone fortiorem eſſe, & illum viciſſe in cruce & ligaſſe, & inermem & debilem reliquiſſe: ſubſanna illum ò homo, fide & opere, verbo & veritate, dicendo illi cum Eccleſia, abi in orcum Sathana, cum tua victus inuidia, tremens gemenſque diſcede à finibus fidelium, mendice fragilis, debilis & abſque fortitudine. Iam inermis es, ſi ego arma vitiorum non tibi præbeo: iam ſpoliatus manes, ſi miſeri peccatores animas ſuas per culpam iterum tibi non tribuunt. Latet ne te imminere tibi pœnas & tormenta æterna, & iam diem iudicij in ianuis adeſſe, in qua velut clibanus cũ omnibus tuis apoſtaticis ſpiritibus miſſus eris in tartara? Certe ſi fide vera & operatione recta, iſta dixeris Dæmoni tentanti & ad vitium te prouocanti: velut fumus euaneſcit ante faciẽ vẽti ſic & ille & non audebit per aliquod tempus ad te moleſtandum reuertere: quia grauiter iniuriam illi in hoc irrogas. Dic illi, ò maledicte draco, iã Dominus meus Ieſus fortis & potens in prælio, & caluariano duello crucis baculo te percuſsit infamauit & occidit ſine viſu manens in cruce, tulit oculos tuos: ego amplius non tibi tradam meos & ſic cæcus manebis: claudus fuit Dominus, clauis cõfoſſus vt claudus perpetuo maneas, non tibi dabo pedes meos ad malum ambulando. Manus Domini mei ligatæ trabalibus clauis fuerunt: vt non habeas manus ad me nocendũ mancus manebis: nõ dabo tibi manus, ideſt, mala opera quibus me percutias. O homo, cum ſcias Dæmonem iã ſpolia tum à Chriſto fuiſſe, & inermem relictum cæcum, ſurdũ & mutum pedibus & manibus orbatum: vt quid delicto tuo, ſub pedibus illius ſubdis animam tuam, muſcã illam reddens, debilem & infa-

i: finem? Certe iniuria magna à te irrogatur Christo duci tuo fortissimo, Dæmonem sua morte tui amore vincenti arma tollenti & spolia distribuenti.

O fortissime Domine mi, dux militum cœlestium, ô Christe Iesu, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? De cœlo descendisti carnem assumendo, labores pro me tulisti in vita donec bellum forte forti Dæmoni ipse fortissimus in dixisti in cruce, & intulisti conflictum graue: donec vasa iniquitatum diripuisti, spolia animarum abstulisti, ligasti fortem, & patiendo vicisti, & moriendo superasti. Sepultus, propria virtute surrexisti & corpus tuum non aliena sed propria maiestate super æthera cuncta subuexisti, vbi ades ad patris dexteram interpellans pro nobis vt victores in omnibus contra Dæmones & vitia euadamus. Abstulisti vniuersa arma Dæmonis, in quibus malignus confidebat: quia si peccata nostra sanguine tuo delemus & abluimus, quæ arma fortissima sunt in quibus Diabolus maxime confidit nos fore superandos: nullam spem vincendi nos illi reliquimus. Dæmon confidebat in armis peccatorum nostrorum ad nos perdendos, vt Goliath in armis suis confide-
1. Reg. 17. F bat: venisti ipse Dauid manu fortis filius Dei, & tulisti talia arma, quia superbiam humilitate vicisti, gulam ieiunio, auaritiam paupertate, voluptatem flagellis odium lateris vulnere: & sic de alijs: si modo infamis homo à Dæmone vincitur, ipse arma vitiorum illi tribuit: à te iam inermis relictus est. Homo dat Dæmoni gladium gulę ieiunia frangendo, quo illum occidit: ensem luxuriæ quo decapitat, lanceam auaritiæ qua confodit. Tua peccata homo sunt arma, quibus te Dæmon occidit, tibi imputa si anima tua mortua est: impossibile est vt minimũ gladium inueniat malignus quo te vulneret, si ipse peccatum abhorres. Ait
*Homi. 24. in Matth. 10. Simile.* Diuus Chrys.) sicut homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem: ita Diabolus, sine homine & armis peccatorum nil mali illi inferre potest: fuge peccatum, & non erit quo te percutiat.

Notandum est valde à sacerdotibus & religiosis, falcem suam confessionis, non timentibus indiscriminatim immittere, hoc factum Domini: quo modo prius arma tulit à Dæmone, & deinde spolia facillime distribuere potuit. O Ecclesia Dei sancta & impolluta, quomodo timeo vehementer vnam expræcipuis

puis cauſis quibus ſolam te video & gementem & in angulo fere Hiſpaniæ & Italiæ ſedentem & amaritudine oppreſſam, & quaſi viduã olim dominam gentium : vereor eſſe ob imperitiã & negligentiam tuorum miniſtrorum accedentium ad confeſſiones pœnitentium audiendas ſine ſcientia & virtute ſine prudentia, ſine magna fortitudine, ad reſiſtendum recidiuantibus, & ad tollendam abſolutionem, ab hominibus non facientibus veram rerum & honorum ſatisfactionem. Et præcipue ab illis qui conſuetudinem iurandi aut maledicendi habent, & qui peccandi totaliter non tollunt occaſionem. Quam innumeri ſunt modo in flammis inferni gementes, & vindictã contra ſtultos ſacerdotes & religioſos à Deo petentes: quia in confeſsione ſine vera reſtitutione & occaſionis ablatione & abſque prauarũ conſuetudinum deteſtatione & emendatione, non timuerunt illos abſoluere: vnde arma peccatorum in conſcientia remanſerunt, quibus tam pœnitentes quam abſoluentes confoſsi ſunt & damnati. Prius tulit arma Dæmonis Chriſtus Dominus, & deinde ligauit, & ſpolia rapuit. Prius tolle omnia peccata à pœnitente ſacerdos, & ſatisfactiones adimpleat ante abſolutionẽ, & cauſas recidiuandi præſcinde: & ſic poteris Dæmonem ligare, & hominem abſoluere: & arma peccatorum ab anima ſua auferre, & ſpolia meritorum ſacramenti virtute, ei tribuere. Alias, ſi vis peccatorem Deo captare per abſolutionem, ſine præuia & debita ſatisfactione, & ſine ablata peccandi occaſione & conſuetudine: non ſolum ipſe peccator occiſus in culpa manebit, ſed etiam ſuis peccatorum armis te ſacerdos, interficiet.

Quando iudex aut exactor reum aut furem captare vult & in carcerem mittere, primum quod facit eſt dicere, da mihi enſem, ne illo me offendas aut te ipſum defendas. quo ſublato facillime comprehendit & facit de illo quod vult. Alias multoties reus, gladio occidit exactorem, & ſe ſuſpendio obligauit. Sacerdos audax, qui ſine ſcientia neceſſaria & prudentia debita, audes ex parte Dei velle comprehendere reum & peccatorem, & à Dæmonis poteſtate liberare, quid vis facere? Volo hunc pœnitentem Deo comprehendere, & à carcere Dæmonis in quo per culpam eſt educere, & vinculis veniæ & gratiæ ligare, à peccatis abſoluẽdo. Tolle prius arma vniuerſa, ideſt omnia peccata illius & mores prauos & iube illum prius reſtituere male parta, & occa- *Simile.*

& occasionem peccandi tollere: dic illi, da mihi ensem, vade, & vero Domino iniuste à te acquisita redde, & veni & absoluam te: præbe mihi culpabilis consuetudinis sicã, da mihi gladium occasionis quo te occidis in talem eũdo domum, alias non te absoluam. Tolle prius arma, & vniuersa, ab ipso, si non vis à mor-
*Iudic. 16. E.* tuo occidi. Alibi memini me dixisse, Sansonem ideo Philisthæos in templo occidisse: quia sicut capillos in quibus fortitudinem habebat totonderunt & raserunt, sed non radicitus euulserunt: factum est vt creuerint, & fortitudinem acquireret qua se & alios occidit. Sacerdos cui tam dulce est aliena peccata comedere, & curiositate per confessionem audire: attende vt pœnitentis capillos, superflua nẽpe & peccata radicitus euellas: per veram confessionem, satisfactionem, & occasionis euulsionem, si non vis ab ipso pœnitente interfici, & sua scelera tua propria facere. Tolle dicta arma: alias si consuetudine iurandi re menente, aut maledicendi & detrahendi, aut occasione permanente voluptatis, ipsum absoluere curas, & sine honoris satisfactione: cito capilli crescẽt, & peccata superflua, quibus te ipsum occidet, & sibi non parcet.

*Simile.* Tollit mater gladium à puero, aut cultellum etiam si ploret, dicens: malo vt fleas per horam, quam te vulnerando fletum per annum mihi inducas. Et ipse sacerdos aut religiose, vides in confessione venire puerum maledictum multorum annorum gladium restitutionis debitæ & non solutæ per multum tempus, aut consuetudinis iurandi ensem, vt te & ipsum occidat, & cultellum occasionis delinquendi quo se vulnerauit habentem, vt te infletum æternum inducat: & non habes fortitudinem ad dicendum illi: puer maledicte centum annorum, inuete
*Dani. 13. F.* rate dierum malorum, cũ illis Susannæ senibus: semen Chanaã imo canum & non fidelium recte operãtium, da mihi gladium: vade & aliena restitue, priusquam tibi absolutionis beneficium impendam: volo periculum sumere per duos aut tres menses an à iuramentis abstineas aliena reddendo & occasiones peccandi fugias, & tunc absoluam te, & corpus sanctissimum Christi impendam, & tribuam tibi: alias non faciam, ne me tali gladio vt alios occidas confessarios & illudas mihi tuis fictis promissis vt cæteris: etiam si plores vt puer te pauperem mansurum si restituas: malo vt ad horam lachrymas effundas, & restituas vnde sal

uus

uus ſis, quam vt me, tali gladio vulnerando te, fletui æterno tradas. Aliter de animarum ſalute fieret & de Chriſti ſanguinis honore, ſi hoc eſſet in vſu.

Tollite arma à furioſis peccatoribus omnes qui confeſsiones auditis, ſi non vultis interfici, manibus ſuis: conſiderate intimo corde, vos locum Dei habere, & eſſe iudices ad iubendum pœnitentes Deo ſatisfacere de honore ſuo, per mortale ab ipſis ſublato, quantum in ſe fuit: partes proximi abſentis fideliſsime deuincti eſtis defendere. Vt cui facultas debetur reddatur & cito, & cui honor honor, ne incuria veſtra ſtultitia aut negligentia, aut adulatione, aut fortitudinis defectu, pars abſens læſionem ferat & pœnitens debitum non faciat. Vndete oportet, vt quæ ſunt Dei facias cum pœnitente vt illi reddat, & quæ ſunt proximi cito ſatisfaciat illi, vt integram ſanitatem infirmus peccator recipiat: omni cura à recidiuo illum præſeruando. Caue ſacerdos, ne deſidia tua aliquid horum deficiat, alias ipſe debitor manebis & quod non rapuiſti aliquando ſolues, vtinam ne in inferno ſit. Vide quid eſt confeſsiones audire, & timore accede.

Dixit Ioab ad Amaſam, ſalue mi frater: & tenuit manu dexte- 1. Reg. 10. C
ra mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum: porro Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab: qui percuſsit eum in latere & effudit inteſtina eius in terram, & mortuus eſt, nec ſecundũ vulnus appoſuit. Sacerdos, qui ad audiendam confeſsionem ſine vllo timore accedis, caue maxime & cuſtodi animam tuam ab ipſo pœnitente, qui venit ad te dicens: ſalue mi frater, imo pater mi: quaſi volens te oſculari: certe portat gladium reſtitutionis, aut conſuetudinis prauæ, aut occaſionis in vagina occulte, quem ſi prius nõ tuleris quam illum abſoluas, illo cor tuum per cutiet, & animam tuam occidet. Obſerua te à tam periculoſo gladio: tolle arma vniuerſa ſi cupis Deo captare illum. Habet Dæmon arma defenſiua & etiam offenſiua: habet extorſiones ſcripturarum quibus ſe defendit, & inde docuit hæreticos falſe interpretari ſcripturam: & ſic habet hæreſes hypocriſim, & excuſationes in peccatis. Et hæc omnia docuit homines vt ſecum trahat illos, & talia contulit arma. Habet etiam arma quibus offendit Deum, & homines deſtruit: vt ſunt ſuggeſtiones, tentationes, rebelliones, peccata, praui homines, maledictæ

inter-

internuntios, occasiones peccati, delectabilia, & mundanæ voluptates, quibus tanquam sagena fere omnes capit. Deus meus tolle ista arma à Dęmone, vt nos virtutibus muniti tibi in omnibus seruiamus.

Veni igitur in mundum ego fortissimus Deus homo factus, ob vestram ô homines salutem, inueni fere vos omnes Dæmonis atrium effectos, quos fortis malignus viriliter custodiebat, ne à manibus illius per gratiam elapsi fuissetis: armis proprijs & vestris delictis defendebat, ne aliquis vos surriperet de potestate sua tyrannica & detestanda: animas vestras, tanquam spolia sua, possidebat: acsi ipse illas & non ego creassem. Veni inquã, & per triginta tres annos indefesso labore & continuo sudore, vigilijs & ieiunijs, & orationibus lacrymis irrigatis, cõcionibus & miraculis ego filius Dei fortior maligno summopere curaui illũ vincere & ligare, & vos ab ore illius defendere & extrahere: arma peccatorum vestrorum tollendo, illis dimittendo, & à corporibus vestris & animabus iniurioſe illum expellendo. Dicendo obmutesce: & exi immunde spiritus, redde mihi spolia animarum quas ego creaui & sanguine sum redempturus: & modo solutis mihi tale opus me necromanticum vocando, magum & incantatorem, & me, cum Dæmone pactum habentem? Talis gratitudo expectabatur à vobis. Vtinã ne & fideles mei sanguine meo abluti, postquam multoties in pœnitentiæ sacramento Dęmonia & peccata à suis proiecerim animabus: tali pessima ingratitudine vtantur contra me & verbis blasphemis, & factis execrandis.

Spolia etiam distribui, quando patres de limbo eripui, vt filios Israel de Ægypto: vnde lætati sunt angeli & gauisi sunt homines, vt ait Isaias: lætabuntur coram te Christe Domine, Angeli tui quando spolia à Dæmone tollas tam animas per gratiã, quam patres de limbo, sicut qui lętantur in messe, quando multum colligunt frumentum: & sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Sic gaudium magnum factum fuit in cœlo quando Dei filius animas sanctas patri & spiritui sancto distribuebat. Mundus videns se Dæmoni traditum adeo forti, dicebat per Isaiam, nunquid tolletur à forti Dæmone præda animarum? Aut quod captum est à robusto dracone saluum esse poterit? Respondi ego filius Dei: equidem & captiuitas à forti

*Isai. 9. A.*

*Isai. 49. G.*

forti dæmone tolletur à me fortiori: & quod ablatum fuerat à robusto dracone à me agno saluabitur. Quis in tali domino non confidit? Quod spolia dæmonis per imitationem, animæ essent ante meum aduentum, dolendum quippe erat, cum essent ad imaginem meam creatæ: tamen regnabat diabolus tunc tanquã princeps mũdi fortis & tyrannus, quia præbebant illi homines innumera peccatorum arma: tamen postquam ego altissimus Dei filius per carnem veni, & dæmonem vici & ligaui & arma eius tuli, sanguine meo peccata hominum dimittendo: audet aliquis fidelis tam crudelem hostem me reiecto in animam suam admittere? Expelle dæmonem, quære gratiam, vt obtineas gloriam. Amen.

# Homilia Octaua.

¶ Qui non est mecum contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine. Tex. Luc. 11. D.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

QVæ mulier aut homo purus, imo & angelus, hucusq; fuit in virtute & bonitate ex parte Dei contra dæmonem, vt fortissima virgo Maria, miserorum magnum leuamen? Quis ex hominibus non fuit aliquando contra filium Dei, saltim originali macula, nisi illa tota pulchra intus & foris in conceptione & postea amica Dei sanctissima, in qua macula ab ipso Deo non fuit vnquã inuenta? Quis melius collegit quod filius Dei metebat & seminabat, concionando & miracula faciendo, quam mater sua quæ cõseruabat omnia verba illius conferens in corde suo? Exẽplo suo & verbo docebat omnes, quod filius prædicabat. Nunquam dæmon à virgine fuit egressus, quia nunquam habuit malignus locum intrandi per aliquod delictum. Est virgo inaquosa, & semper in gratia Dei existens. Nos exules filiæ Euæ, mater intacta & aduocata nostra, sumus: qui multoties non cũ filio tuo virtutes operando, sed contra illum vitia perpetrãdo fuimus. Can. 4. B. Luc. 2. C.

Diſperſimus dona, quæ ipſe tanto dolore Crucis nobis acquiſiuit: ſpolia animarum noſtrarum & meritorum, quæ ſua morte à dæmone tulit, iam maligno multoties reſtituimus, ad vomitum reuertentes. Exiuit à nobis pollutus ſpiritus anno præterito ſanguinis filij tui virtute, & quia voluptatibus & nō operibus pœnitentiæ dedimus nos, iterum ingreſſus eſt, cum alijs ſe peſtilentioribus, vnde nouiſsima noſtra ſunt prioribus peiora. Domina mundi, reginaq; poli, per lac ſacratiſsimum, quod Dei filio dediſti, & iſta mulier benedictum hic dixit, te humiliter deprecamur, vt petas à patre æterno, concedat nobis filij amore, ſpiritus veritatis gratiam, qua dęmonem expellamus, & iterum non admittamus: dicamus feruenter, Aue.

Text. ¶Qui non eſt mecum contra me eſt: & qui non colligit mecum diſpergit.

*Ioan. 11. G.* MEum opus eſt cōgregare in vnum filios Dei diſperſos per varia deſideria: quia omnes qui electi ſunt ad regnum cœleſte, ſunt filij Dei, multi illorum per dæmonis malitiā, diſperſi ſunt in varios errores, alij in vitia multiplicia: veni ego Dei filius vt omnes congregem in vnam fidem veram, in vnum Eccleſiæ ouile, vt vnum Deum colant & adorent & illi ſoli ſeruiant, vt in fine illo fruantur. Ad tale congregandi opus, dæmon non ſolum nō adiuuat, ſed etiam pro viribus & poſſe diſpergit, & homines in varios errores inducit, quos ego congregare diſpono: igitur nullam communionem aut amicitiam cum dæmone habeo. Præcipue, quia in omnibus quæ ego verbis aut factis ago, vt homines ad vnum Deum congregem: dæmon mihi contrarius exiſtit, & tēptationibus & dolis auertere illos à bono ſatagit: & ego ſimiliter in omnibus ſum illi cōtrarius: ergo nulla eſt conuentio Belial, mihi Chriſto domino. Qui non eſt mecum, neq; ego cum illo, contrarij vt ſimus inuicem neceſſe eſt: ſi dicitis ex conuētione cum dæmone facta hoc opus me feciſſe: eſſe impoſsibile tali aperta ratione oſtendo, etiam ſtulto cuiq; homini, quanto magis mediocri rationis lumine illuſtrato. Ille qui ex conuentione ſimul operatur cum alio, non contrariatur actioni & intentioni illius: ſed omnis intentio mea & actio omnino eſt contra-

ria

ria actioni & intentioni dæmonis: igitur conuentio nulla potest esse inter nos: sed totalis contrarietas, cum non sit conuentio lucis ad tenebras. Quin esse cum Deo & esse contra Deum, immediate opposita sint: sequitur euidenter diabolum qui contra me est dispergens quæ congrego, non posse mecum esse, sed contra me & ego contra illum. Quod non contrarietur aliquis intentioni & actioni illius qui ex conuentione simul operantur, est manifesta maior ex præmissis: minorem ostendere volo, quod omnis intentio mea & actio sit omnino contraria dæmonis intentioni.

Dæmon homines peccata docet perpetrare, & ad illa inuitat: ego vt de præteritis delictis doleant & plangant, & plangenda iterum non committant: dæmon consulit vitia ego virtutes: ille ad terrena animos inclinat, ego ad cælestia eleuo. Ille nil magis intendit quam animas à patre meo auferre & in suam tyrannidē per peccata trahere: & in vitia diuersa dispergere, & etiam corpora obsidere & torquere: ego ad nil aliud attendo, quam patrem meum honorare, & animas à vitijs & à maligni tyrannide liberare, & ad regnum cæleste colligere, & à corporibus humanis, tam crudelem extirpare hostem, quæ cōuentio est in vtroq;? Ille incessanter pestifer Asmodeus homines ad voluptates inuitat, & ad carnis immunditias vt deinde illos in anima occidat vt Saræ maritos septem: sicut innumeros tali sagitta interfecit: *Tob.3.B.*
ego ad castitatem inuito, imo & dico adulteria maxime con- *Matth.15.B*
culcare animam & coinquinare de corde procedentia: & qui
amat animam suam, id est vitam corporalem in hoc mundo, *Ioan.12.D*
& ob hoc voluptati vacat, perdet illam perpetuo. Dæmon
per fas & nefas diuitias acquirere homines inuitat, & quod
peius est obtinet: ego dico, quid prodest homini totum mun- *Matt.16.D.*
dum lucrari, si minimum animæ detrimentum in merito gratiæ, ob hoc patiatur? Lucifer dicit, homines, superbia vestra ascendat semper vt mea: Ego dico, qui se humiliat exaltabi- *Luc.18.C.*
tur vsque in cœlum, & qui se exaltat humiliabitur vsque in
infernum: discite à me quia mitis sum & humilis corde: igitur
nec ille mecū est nec ego secum. Quod ille pingit vitiū in corde,
ego rado contrariam virtutem suadendo: virtutes quas ego in
anima hominis scribere curo, ipse pro viribus delet: & si alter dixit, veram esse amicitiam & firmam, idem velle & idem nolle:

*Salluſtius.* Salluſtius in oratione Catilinæ: inter me & dæmonem cõtrariũ reperitur, cũ nolim ego quod ipſe vult, & deteſtetur ipſe quod ego cõſulo: igitur non eſt amicitia inter nos, nec ſimilitudo, cum ipſe ſuperbiſsimus ſit, egò humilis corde valde.

Quid opus eſt vt ego veritas infallibilis, hanc veritatem oſtẽdam, contrarios me & dæmonem eſſe: cum ipſummet diabolum multoties audiſtis hoc ipſum, nec potuit negare: ſed confeſſus eſt illud, quoties præſentiam meam ſuſtinere non potuit. Legio
*Matth. 8. D.* nem dæmonum non audiſtis dicentẽ, quid nobis & tibi Ieſu fili
*Mar. 5. A.* Dei? Veniſti huc ante tẽpus torquere nos? Quid mihi & tibi Ie-
*Luc. 8. D. 4. F.* ſu fili Dei altiſsimi? Adiuro te per Deũ ne me torqueas: veniſti perdere nos? Scio te, quia ſis ſanctus Dei. Igitur peiores ipſis dæmonibus eſtis vos phariſæi, cum ipſi clamore fateantur nil mecum habere, & vos dicatis conuentionem eſſe inter nos. Ipſi petunt à me ne illos torqueam: & vos affirmatis me ab ipſis petere auxilium, ad tollẽdam ab hominibus dæmonis torſionem? Dæmones vocant me Ieſum & filium Dei altiſsimum: vos magum & incantatorem? Vos ipſi iudicate qua pœnâ digni ſitis, cum ex his aperte pateat, inuerecundiores vos dæmonibus eſſe, & illis peſtilentiores: quid dicam de fidelibus, nomen domini iugiter blaſphemantibus? Eſſe vtriſque inuerecundiores.

Ex his verbis domini poteris facillime intelligere homo, cuius militiæ ſis, & ſub cuius milites vexillo: ſi ſub duce Chriſto cõtra vitia & dæmonem pugnas, & colligis merita cũ ipſo, diſpergendo nociua, miles verus es Chriſti, & dæmoni contrarius: tamen ſi contra filium Dei es, pro viribus & poſſe dæmonem adiuuãs, conſilia mala illius adimplens, cõgregans cum ipſo demerita, & virtutes proijciẽdo à te: facillime intelligere poteſte membrum
*Simile.* eſſe Antichriſti. Quid horum eligere vis? Militem honoratum diuitem & potentẽ eſſe ſub duce Rege noſtro Philippo: aut infamem, & mendicum, debilem, & maledictum ſub duce irriſionis Gironcillo Mahumetico & infernali? Quis ſimilitudinem iſtam applicare audebit? Imo quis non timebit cogitare tam horrendũ factum: quod ſint multi fideles ſub Crucis vexillo per fidem militantes, qui tamen malis operibus Chriſtum ducem cœleſtem benignũ, regẽ regũ relinquunt, & honorem & meritorum diuitias, & gratiam, & nolunt cum illo eſſe: ſed contra illum, & cum dæmone infames, pauperes & inferno dignos? Nunc in vita veſtrum

ſtrum eſt eligere homines, ſub cuius ducis imperio militare velitis, an cum Chriſto duce forti & in æternũ regnaturo: an cum dæmone mox expellendo eum ſua victo inuidia atque tyrannide? Cũ Satana pax vobis eſt miſera, contra Deum bellum geritis: ſi pacem cum Chriſto habetis pugnam contra dæmonem vt habeatis neceſſe eſt. Quandiu vita veſtra durat, talis militia erit, quia ideo dicitur à Iob, militia ſuper terram: in cœlo iam ſunt victores, in inferno victi, in terra purgatorij ad victores pertinent ibi exiſtentes: ſuper terram nos mortales viuentes in continua militia ſumus. Tantum ſunt duo duces: Chriſtus, bonorum militum in gratia exiſtentium: dæmon, malorum in peccatis viuentium: qui non eſt mecum ait Chriſtus & meus miles, vt dæmonis ſit neceſſe eſt, ſi ad vſum rationis peruenit. *Iob. 7. A.*

Qui non colligit neque congregat merita & virtutes, & adiuuat me ad regnum cœleſte, & concordi voluntate mecum operatur: certe diſpergit: quia nõ ſolum nõ adiuuat ad colligẽdum, ſed etiam contrariatur diſpergendo: itaq; nõ datur mediũ, inter colligentem mecum & diſpergentem. Et cum dæmon ſit diſpergens homines à regno Dei, per varia & nociua deſideria, quomodo poteſt fieri vt me adiuuet colligentem homines ad regnũ Dei, nec ego illum diſpergentem? Et ſic cum non ſit mecum colligens, certe eſt contra me diſpergens, ipſe & omnis peccator. Hinc colligitur iuſtos etiã eſſe ex parte Dei in hac vita cum colligant virtutes ad regnũ Dei & merita: & homines alios ad hoc ipſum verbo & exẽplo moueant. Gaudete boni in domino talia in fauorem veſtrum loquente, mali timete cum ſitis diſpergẽtes contra Deum ex parte dæmonis, merita & virtutes, & à gratia Dei animas expellẽtes ſuaſionibus à dæmone edoctis. O audacia puniẽda hominũ diſpergentium animas proprias & aliorũ, ac ſi Chriſtus dñs, tanto labore & ſudore non ſeminaſſet prædicãdo: & moriendo collegiſſet illas ad regnũ ſanguine redimendo: non timetis vos ridendo, & peccando, male viuendo inuitando & dæmonem adiuuando, diſpergere quod Deus tanto labore congregauit? Væ & væ vobis erit, quando mors collegerit vos, & iudicium Dei ad flammas edaces diſperſerit. Quia (vt ait Ioãnes) ego Ieſus mortuus ſui pro gente, & non tantum pro gente vna, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregarem in vnum Eccleſiæ *Ioannis. 11.*

ouile, quia erant à lupo infernali diſperſi: & audet homo diſpergere animas, quas vt ego congregarem mortem ſubij?

Tex. ¶ Cum ſpiritus immundus exierit ab homine.

EGo volo aperte oſtendere dæmonium nil aliud attendere quã animas diſpergere, & per peccata diſtrahere: & ſi ego vnum dæmonem expello ab homine, ſtatim ſolicitudine non pigra, quærit ad illum reuerti & non ſolus ſed ſeptem neqtioribus ſe ſumptis. Et vt ſciatis quomodo vos Iudæi, illum adiuuatis mecum non colligendo, ſed cum illo diſpergendo: ſcitote vos eſſe hunc hominẽ: quia à vobis dæmõ exierat quando ad fidem vnius Dei veniſtis, & recte operabamini, in gentibus manente dæmonio, cũ eſſent idololatrię dediti: iam tamen appropinquat tempus quo, ob veſtram perfidiam & ingratitudinem contra patrem meum & me exercitam: & ob fidelitatem magnam quam gentes habebunt me Deum verum credentes, & mandata mea operantes, dæmon non inueniet requiem in cordibus gentilium pœnitentibus & ſine vitiorum humiditate: & reuertetur advos Iudæi, dicens, ſocijs ſe peioribus, venite, iterum corda Iudæorum poſsideamus duriſsima quod & factum eſt. Quia me Deum contra dæmonem adiuuare nõ vultis ſed diſpergere cum illo: vnde abſq; dubio erunt mala veſtra poſteriora prioribus peiora: & corda veſtra duriora & obſtinatiora poſt meum aduentum, tam à patribus veſtris deſideratum, fient, quã antea quod dæmon à vobis egreſſus fuiſſet per fidem formatam, quam in Abraham recepiſtis: gentes vero à ſe fortiter reijcient dæmonem.

Calumniam veſtrã phariſæi elati, efficaciſsimis excluſi argumentis, demoſtratiue oſtendentibus, me dæmonem Dei virtute non Beelzebub præſidio eieciſſe: in his verbis ſequentibus, pœnam quam ob veſtram ingratitudinem erga me, calumniam, & odium, abſq; dubio incurretis, gens Iudaica inimica mihi mala, & adultera, ſubiungere volo. Tanquã contra gentem me abnegantem imo & blaſphemãtem, ob multa bona opera quæ oſtendi vobis à patre meo: quia vos ſubtrahere conamini à me regnũ, opera mea ſtupenda diabolo tribuendo, ideo iuſto Dei iudicio, dæmon qui exierat à vobis, quãdo credẽtes recte operabamini, iterum in corda veſtra ingreſſus eſt velut in ſuum proprium regnum: grauius & fortius quã à principio. Et quia malitia veſtra

illi

illi ianuam cordis vestri libẽtius aperuistis, & quia ipse multiplicatis hostibus malignis ad vos est reuersus, iuxta delictorum vestrorum multiplicationem.

Quando legem vnius Dei accepistis & illam opere custodiebatis exiuit à vobis draco antiquus & transiuit ad gentes Deum ignorantes, idola colentes, peruerse viuentes, & male operantes: tanquam ad corda arida sine gratiæ succo, & inaquosa à pinguedine Spiritus sancti: tamen iam dæmon incipit timere se cito in gentibus non fore habiturum requiem: quia verisime in me credent & operabũtur legem meam suauem. Quid debet facere miser dæmon sine hospitio gentium, misi reuerti ad vos valde amicos eius, cum illi detis honorem operum meorum sanctorum, illius virtuti attribuendo miracula, & à Deo subripiendo? O dura ceruice & incircuncisо corde & auribus: vos, semper & magis modo Deo restitistis, qñ noviſsima vestra facta sunt prioribus peiora. Experiẽtia modo testatur vos Iudæi, lõge peiores esse & obstinatiores Christo repugnãdo & legi eius & opera sua sancta Beelzebub tribuẽdo: quã fuistis antequã per legem & prophetas illuminati fuissetis. Quoniam pertinacisimi effecti estis contra veritatem Messiæ: & contra fidem verisimam Christi. O Iesu tolle velamen à cordibus Iudæorum, & adiuua nos fideles tuos ad recte operãdam fidem tuam veram quam credimus, ne nobis similia contingant, quæ Iudæis.

Vt quid creditis fratres charisimi, & ob quam aliam causam cogitatis, dæmonem intrasse in corda multarum nationum per hæreses detestandas & errores ab Orco reuocatos, in nostris calamitosis & satis deplorandis diebus: contra Christum dominum & aduersus Ecclesiam suam sanctisimam Catholicam & Romanam, & contra maximum Pontificem Christi vicarium & D. Petri successorem, & contra nos omnes fideles: in maximam templorum destructionem, & imaginum deletionem, & sacramentorum prophanationem, & in Dei iniuriam grauisimam? Quare tanta mala Deus permisit suis olim fidelibus contigisse? Quomodo potuit ferre tot templa & vasa sacra amittere, & (quod sine lacrymis dici non potest) tot regna fidelium in regna satanica per hæreses conuersa? Quomodo viscera Dei talia potuerunt tolerare? Quæ fuit tantorum malorum præcipua causa? Quod initium tantorum damnorum? Certe nullam aliam

inuenio priorem, quam iſtam quæ contra Iudæos in noſtro textu aſsignatur à veritate antiqua.

Miſeri Germani, qui initium tãtorum dolorum Eccleſiæ fuerunt, & reliquæ nationes infelices, qui deinde ſua diabolica veſtigia contra Deum ſecutæ ſunt, doctrinam ſatanicam, vnius monachi Martini Lucifero & Iuda peioris & pernicioſioris, amplectentes: olim dæmonem eiecerant veram fidem retinẽtes & opera ſanctiſsima operantes. Vnde quis numerare poterit tot martyres & confeſſores ſanctiſsimos, tot monachos & ſacerdotes ab Eccleſia in Catalogo ſanctorum receptos, tot virgines & ſanctas viduas, deniq; tot ſanctos quos Germania, Gallia, & Anglia huc uſque ad cœlum tranſmiſit? Tamen quia Deum ſuis grauiſsimis delictis ad iracundiam prouocauerunt: paucis ab hinc annis, ab anno, ſcilicet, decimoſeptimo poſt milleſimum quingenteſimum, permiſit dæmoni in Martini corde ingreſſo, vt vocaret ſeptem alios nequiores ſe, nempe ſeptem vitia capitalia vt ingrederentur in corda miſerorum, voluptatum amatorum magis
2. Tim. 3. quam Dei teſte Paulo. Et quia omni vitio dediti erant blaſphemi, detractores adulteri & incæſti monialium corruptores, dominus dedit facultatem maligno vt vocaret non ſolum ſeptem ſed innumeros dæmones, ad ingreſſum cordium illorũ: quibus ingreſsis, cum facta eſſent poſteriora illorum peiora prioribus, cœperunt homines illi infelices & deteſtandi rumpere fidem, & Eccleſiam deſtruere, & ſacramenta profanare: coniugia inter Dei
Iſai. 80. miniſtros celebrare. Quia reliquit illos Deus, ob ſua grauiſsima ſcelera, ſecũdum deſideria praua cordium eorum obſtinatorum, & ſic cucurrerunt poſt inuentiones ſuas ſatanicas, contra ſanctas Chriſti & Eccleſiæ traditiones. Vnde quia opera Dei dæmoni attribuerunt, volentes magis iſti draconi quam Deo optimo ſeruire, ideo iuſte dæmonis poteſtati ſunt relicti.

Hiſpania, quæ ſtas in fide perfecta & vera firmiſsima, ob auxilium Dei omnipotẽtis, & ob merita virginis Mariæ & Iacobi ne potis eius ex ſorore patroni tui digniſsimi: vide ne cadas: & tu Italia fideliſsima Deo & Pontifici Romano, quem tecum poſsides, duæ nationes in fide mundiſsimæ: operamini quæ creditis vera & quæ ſancta docet Eccleſia. Sumite exemplum in capitibus alienis vicinarum veſtrarum nationum: ne locum dæmoni detis, peruerſe operãdo, vt corda veſtra poſsideat: videte ne Deus

illi

illi facultatem tribuat, vocandi alios ſeptem ſpiritus malignos cõtra vos ſe nequiores, & fiant nouiſsima veſtra ſicut aliarum nationum. Cauete à ſeptẽ capitalibus peccatis, ſi deſideratis vt iſti ſpiritus nequiſsimi ne locum habeant intrandi ad vos. Reſpice de cœlo domine, & nationes à te verſas ad te conuerte cito, expellendo ſpiritus errorum ab eis, & immunda peccata ſua: & adiua ſemper Hiſpaniam & Italiam: & Galliam in fide confirma, vt tibi laudem & honorem ſeruitium & operationem fide & charitate ſemper tribuant in ſecula ſeculorum.

Iſta Chriſti parabola nõ ſolum Iudæos tãgit, ſed etiam vnum quemq; fidelem, qui ſemel ſanguine Chriſti in baptiſmate ablutus, à peccatis priſtinis, & in pœnitẽtia multoties Chriſti paſsione à dæmone liberatus, & à ſpiritu immundo defenſus: qui tamen Dei oblitus, & pretij magni quo fuit redemptus & à dæmone immunis, immemor: negligenter Dei donum recepit, & tepidiſsime conſeruat, quia nullam curam habet, ad perfectiora progredi. Nec orationi inſtat die ac nocte, nec operibus charitatis vacat: vtinam ne ad priores lapſus ſtatim non eſſet reuerſus. Vnde ſtare in gratia ſibi à Deo conceſſa non vult, ſed vt canis immundus iterum putrida & horrenda peccata, quæ in confeſsione tanquam animæ nociua euomuit, comedere non veretur: & locum diabolo dare & Deum ibi per gratiam regnantem eijcere: quid proderit tali miſero peccatori, pœnitentiæ ſacramentum? Quid ſanguis Chriſti quo ablutus fuit contulit illi, & ad quem vſum niſi vt maiorem facultatem dæmon habeat, animam ſuam per maiora delicta obtinere, & illam contra Deum obſtinatiorem reddere? Vnde grauiorem damnationem ſibi acquiret: quia prioribus culpis, ingratitudinem & obſtinationem, & maiorem malitiam adiungit. Spiritum immundum vocat Chriſtus dominus dæmonem, quia cum ipſe malignus obſtinatione & malitia immũdiſsimus ſit, non quieſcit donec animam miſeram ad Dei imaginem formatã, & ſanguine Chriſti ablutam: per culpam & per voluptatem immundam & pollutam reddat. Et quia dæmõ in peccato perſeuerat & alios ad hoc inuitat, & nil immũdius in rerum natura inuenitur quã peccatum & in illo obduratio, ideo dæmon & peccator immundi vocantur: & ſic dicitur in euangelio, dedit Chriſtus duodecim diſcipulis ſuis poteſtatem ſpirituũ immundorum, vt eijcerent eos: quia valde illos abhorret dñs, & *Matt.10.A.*

animas peccato pollutas. O quam deteſtanda & immunda eſt apud Deum omnis anima voluntarie inclinata ad immunda vitia per ſpiritum inſtigantem: & quæ relinquit increatam puritatem, nempe ipſum Deum, & gratiam abluẽtem ab omni ſorde, & voluntarie in terrenis fœcibus & in luto voluptatis defixa manere curat: viſitabo ego (ait dominus) ſuper viros immundos & defixos in fœcibus ſuis, & in voluptatibus deteſtandis. *Sopho. 1. C.*

O anima Dei ſanguine abluta per pœnitẽtiam veram quam decora & munda eras & à Deo valde amabilis, & ab angelis valde deſiderabilis, & à ſanctis amicabilis: heu, cũ primis dæmoni immundo per mortale delictum tradidiſti te, Deo reiecto & effugato, quam polluta effecta es, quam Deo horrẽda, quam angelis deformis apparuiſti & ſanctis deteſtanda. Quam ſi te ipſa vidiſſes prædolore & horrore quis dubitat quin continuo à corpore egreſſa fuiſſes, & vſq; ad tartara immũda perueniſſes: vbi polluta & ſine ablutionis ſpe, etiam ab igne infernali, imo & à ſanguine Chriſti in æternum cum immũdiſsimis ſpiritibus Deum blaſphemãdo manſiſſes. Expelle dæmonem immundum ô homo, ab anima tua, peccata cito confitendo: quia nunquam maligno ſua ſpõte ab homine exiuit, niſi pulſus & expulſus, vt patet in Euangelio: ſi vis vt à te exeat, ſacramentis & bonis operibus expelle eũ. O ſi ipſe modo haberem hãc poteſtatem à Deo, vt omnes ſpiritus immundos ab animabus veſtris expellerem, dicens vnicuiq; illorum cum Eccleſia: exorcizo te ſpiritus immunde, qui hanc animam & illam & illam pollutam reddidiſti, vt exeas atq; recedas ab hoc famulo Dei & ab hac famula Chriſti in nomine Ieſu. Da locum ſpiritui ſancto maligne, creatori tuo: ipſe tibi imperat qui omnibus imperatoribus, imo, & angelis imperat: ſuper quãtos me audientes, poterat iſte proferri exorciſmus? Iam tamen multoties in confeſsione dictus fuit, & dæmon expulſus immundus, & tamen non erubuiſtis Deum reijciendo, iterum atq; iterum immundo ſpiritui in anima veſtra hoſpitium parare. Per viſcera Ieſu Chriſti, ne tam pollutum & execrandum hoſtem in animabus veſtris amplius recipiatis, omnia polluentem & immunda reddentem iam ſupra diximus quibus medijs iſte immundus ſpiritus ab anima eijcitur, quibuſq; cauetur ne iterum ingrediatur: vt ad gloriam perueniamus æternam. Amen. *Mar. 9. D.*

Homilia

# Homilia Nona.

¶ Ambulat per loca inaquoſa, quærens requiē: & non inueniens. Tex.

QVando ſpiritus immundus & dæmon malignus expellitur ab anima Dei adiutorio, deambulat per loca inaquoſa, & Matthæus dicit arida: loca arida & inaquoſa, corda ſunt beatorum, & Deo ſeruientium ab omni mollitie fluxarum cogitationum, & humore libidinis immunia: tamen callidus tentator explorat ſolicitudine non pigra, ſi quos ibi ſuæ nequitiæ greſſus figere poſsit, non tamen inuenit ibi requiem quam ipſe quærit: quia qui in prauis actibus & cogitationibus paſcitur: in mentibus fidelium bonorum omnia ſua tela ceſſare perpendit. Quam tamen requiem dæmō Dei inimicus inuenire poterit, cum ignē infernalem ſecum perpetuo portet: etiam ſi hominibus ſua peccati venena infundat atq; ſuadeat? Dicitur malignum requiem inueniſſe in anima peccatrice vbi ingreſſum per mortale inuenit, per hoc quod ſuis ſuggeſtionibus prauis aſſentiri cognoſcit, & quia deſiderium ſuum adimpletur, & finem optatū obtinet: etiam ſi tormentis ipſe circundatus ſit ſemper. Cupis ò homo, vt dæmon requiem inueniat in anima tua per mortale, & ibi quieſcat illam occidendo, & victoriam de illa accipiendo? Ingredere ad pugnandum cum illo in locis aquoſis voluptatum, & in lubricis delicijs: ſi tamen illum vincere deſideras, vt par eſt & iuſtum, in ſicco caſtitatis pugna contra illum. Vt quid credis angelum Raphaelem conſuluiſſe Tobiæ (piſcem venientem ad deuorandum illum timenti, atque voce magna dicenti, domine inuadit me) atque illi dixiſſe: trahe eum ad te, & traxit eum ab aquis in ſiccum, & palpitare cœpit ante pedes eius, & ſic occidit illum? Audi frater mi, quia ſi angelus natura non ſum, ſed vermis terræ vilis & abiectus: ab ipſo Deo angelus dignitate vocatus ſum, dicente per Malachiam: Labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei requirent ſimplices ex ore eius: quia angelus domini exercituū eſt: miſſus ad animas docendas.

*Matt.12.D.*

*Tobi.6.A.*

*Malac.2.B.*

Diabolus

Diabolus eſt piſcis fortiſsimus, quotide cupiens te deuorare homo peregrine, & à patria tua exul: habet tamen magnam fortitudinem contra te, ſi in aquis voluptatum cum illo pugnare audes: certe occidet te culpa, abſque dubio ſuffocabit te in aquis inferni vehementibus: & in corde tuo inueniet requiem, quia aquoſo & voluptuoſo. Et etiam in aquis diuitiarum per auaritiam acquiſitarum, facillime contra te victoriam obtinebit: conſilium meum tibi placeat, ſi cœlum anhelas & Dei viſionem cupis, & dæmonem vincere & à te expellere deſideras, vt dignum & iuſtum eſt. Expaueſce, & cum timore & tremore ſalutem tuam operari cura, & clama cordis voce ad Deum, aut ad angelum cuſtodem tuum, aut ad angelum teſtamẽti Chriſtum: domine inuadit me iſte piſcis maledictus Leuiathan, tentatione ſua immunda: volens me deuorare peccato: adiuua me potius mori cupientem, quam in aliquo te Deum offendere: ne inueniat iſte in me requiem. Trahe (ait Chriſtus dominus) iſtum piſcem immanem ad te ab aquis in quibus ille gaudet; nempe à peccandi occaſione & à voluptatibus mundi, & ſtatim occides, & palpitare illum facies: trahe ad ſiccum caſtitatis *Simile.* talem beſtiam & facillime illam occides. Quia ſicut piſcis in aqua magnam habet fortitudinem & lubricus eſt, nec faciliter capi poteſt: qui tamen extra aquam debilis eſt & ſine gladio à puero occiditur: ſic malignus dæmon facili negotio à te interfectus erit, ſi in ſicco caſtitatis perſeueras, & extra aquas voluptatum illum extraxeris. Caue ne delicijs immerſus cum illo pugnes, certe fortiſsimus eſt, & ſine magno labore te ſuffocabit: non inuenit dæmon requiem in corde arido & caſtitate præditò: nunquam tamen egreditur ab anima voluptate polluta & humectata.

Si vis à Sãtana occidi, eſto in aquis deliciarum: ſi tamen cupis illum interficere, extrahe animam tuam à voluptatum aquis, dæmon (vt diximus) eſt vt piſcis qui extractus ab aquis ſtatim moritur: ſic dæmon perit, ſi nos extra omnem voluptatem nociuam viderit eſſe. Vtinã dñe Deus, modo nobiſcũ (quod aliquan- *Iſai. 50. 2.* do per Iſaiam promiſiſti) adimpleres: ecce, in increpatione mea deſertum faciam mare, ponã flumina in ſiccum: computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti. Ecce, aperite mentis oculos & videte rem grãdem, quam vobiſcum homines ego Deus feci: quando

quando de hominum peccatis in filio meo proprio & vnigenito mihi coæquali ſecundum diuinitatem, etiam ſi minori iuxta naturam in tẽpore aſſumptam, vindictam accepi. In illa increpatione & dura contra homines obiurgatione, etiam ſi ſalutis filij mei diſpẽdio, ſiccum poſui mare, quia fontẽ aby ſſalem & aquarum viuẽtium puteum, filiuin nempe meũ, ſiecum, id eſt, omni ſolatio deſtitutũ, & aquæ potu carentẽ poſui in ſtricto & ligneo Crucis lecto, aquam petentem, & nolui vt aliquis illi præberet *Ioan. 19. E.* niſi fel & acetum, cũ eſſet ipſe omnis refrigerij mare, & fons infiniti gaudij: quod non minimum doloris eſt vt homo iuxta fontem vberrimum aquarum dulcium, ſe ſiti mori conſpiciat, ſine aquæ refrigerio, vt Tantalus. Hoc ipſum filio meo contigit, peccatorum amore, & honoris mei zelo: iuxta mare diuinitatis, & fontem omni ſolatio gaudioq; ſcaturiẽtem, & angelis ſuam beatitudinem & lætitiam præbentem, vidit ſe mori in humanitate: ſine hoc quod minimũ refrigerij aut ſolatij à diuinitate proueniret illi, nec à me patre ſuo aut Spiritu ſancto: de quo ipſe in Cruce iuxta mortem exiſtens conqueſtus eſt dolenter dicens: Deus *Matt. 27. E.* Deus meus, quid feci, vt ſiciuxta mare diuinitatis exiſtentẽ, derelinquas me omni gaudio carentem & ſolatio? Fili mi, adimpleo promiſſum, quod in increpatiõe mea, & quãdo in te fideiuſſor, homines punire debebã, deſertum ab omni ſolatio te mare omni gaudio abundans facere debebam. Vt quid pater mi, tam grauis contra me cenſura? Vt ponam flumina in ſiccum: ideſt, vt faciam corda voluptatum & vanarum deliciarum plena, & vitijs humectata fluxis & caducis, vt fluminis aqua, ſicca caſtitate & arida: & homines tanquam ignem inferni fugiant igni concupiſcentiæ aſſenſum præbere. O mortales filij Adæ, quis noſtrum amplius voluptatis aquas ingreſſus erit, cum pater cœleſtis fecerit ſiccum mare diuinitatis & ſine aliquo ſolatio erga filij humanitatem; vt nos tales tetras delitiarũ aquas fugiamus & pluſquam dæmonem abhorreamus?

Attendite cordis auribus, quanti filio Dei iſtæ aquæ deliciarum veſtrarum ſtent: qui circa mare refrigerij, ſiccus exiſtens patri dixit: ſaluum me fac Deus pater mi, da mihi ſalutem ſi vis vt *Pſalm. 68.* magis patiar, quia iam morti propinquus ſum, quoniam intrauerunt aquæ voluptatum, quas homines perpetrauerũt contra te, vſq; ad animã meam tollẽdam à corpore, & omni ſolatio priuandam.

dam. Et si à carnalibus vestris desiderijs valde nociuis & contra Deum & animas militantibus ( vt vos obsecrat Princeps Apostolorum Petrus ) abstinere non vultis : nec abnegare impietatem, secularia desideriaque, ob quam causam apparuit gratia Dei Saluatoris nostri (vt testatur Paulus ad Titum ) si inquã tales detestandas & veneno plenas aquas fugere non vultis, quia talem siccitatem passus fuit filius Dei in cruce, imo ab ipsis aquis suffocatus : saltim abhorrete illas delicias mortiferas ne pisces maligni dæmones hospitium in animabus vestris inueniant cõtra Deum. Hoc est quod in Isaia sequitur: computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Quia si recte vsus fueris siccitate filij mei in cruce habita, & flumina voluptatum tuarum ficca manserint castitate: absque dubio pisces pice nigriores, & horribiles dæmones, fortes in aquis voluptatum: computrescent & deficient sine tali voluptatis aqua, & debiles fient, imo & siti morientur, quia in te aquæ potum non inuenient : nec requiem in anima tua, cum sit arida & inaquosa, carens aqua voluptatis & alterius vitij. Igitur frater mi, sit primum coniecturale signum te dæmonem per culpam in anima non habere, si consensu quanto magis opere omnem voluptatis venereæ aquam detestaris, & castitatem maxime fueris amplexus : quod signum coniecturale non habebit immundus carnalis quia sine dubio in anima sua spiritus iste pollutus hospitium habet, & requiem, vt e contrario sensu ex nostro elicitur textu. Si in locis, & cordibus aridis & inaquosis & castis dæmon requiem non inuenit: habebit igitur hospitium, in animabus voluptate pollutis, & delicijs humectatis. Hoc aperte ostendit Deus patientissimo Iob, à quo, si vis scire an dæmon in anima tua hospitium habeat per culpam ausculta in quibus locis maledictus Leuiathan frequenter habitet. Dic nobis fortissime Deus, vbi Behemoth malignus draco pestifer & horrendus hospitium suum habeat, & in quibus inhabitet animabus, vt caueamus?

1. Petr. 2. B. Tit. 2. C.

Iob. 40. C.

Sub vmbra dormit, in secreto calami, & in locis humentibus: protegunt vmbræ vmbram eius, circundabunt eum salices torrentis: ecce, absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. Verba sunt quæ prima facie videntur nil ferè substantiæ habere, cum tamen reuera magnæ profunditatis sint. Quid quod dæmon in vmbra dormiat Pa-

ter

ter ſancte? Quid vt in ſecreto iunci & vacuo illius quieſcat? quid ad nos vt in locis humentibus ſternatur? Audite homines quia terribilia ſunt verba iſta & maxime oſtendentia quibus in cordibus hominum Diabolus per culpam inhabitet, & quieſcat venenoſus hoſpes. Quid igitur eſt Deus, dæmonẽ ſub vmbra dormire? Reſpondeo cum Pontifice meo ſummo Gregorio, cuius feſtum ſacrum hodie digniſsime celebrat eccleſia, diuinè verba Iob interpretante, atq; in hunc locum dicente: vmbra recedente charitate torpor frigidæ mentis accipitur: ſicut ſole recedente, & luce, vmbra manet & frigiditas, & horror: ſic recedente ſole iuſtitiæ Chriſto Ieſu & luce gratiæ & charitatis calore, frigiditas culpæ, & vmbra mortis reſtat. Vnde homo qui meridianum charitatis calorẽ perdit, iam ſub peccati vmbra quaſi ſub frigoris aura torpet. Ob hoc primus homo, poſt culpam, inter arbores paradiſi ad auram poſt meridiem, abſconſus à Deo inuenitur.

*Lib. 33. moral. capit. 3. Simile.*

*Geneſ. 3. B.*

Iſte igitur terribilis Behemoth, quia in illis animabus quaſi quandam requiem inuenit, quas à veri ſolis ardore ſubtrahendo frigidas fecit per culpam niue frigidiorem: ideo ſub vmbra dormire perhibetur. Inde ipſi damnati de hoc conqueruntur (& ſi ſero) dicentes, lumen iuſtitiæ per gratiam non illuxit nobis: vnde in vmbra mortis fuimus, ſub qua dæmones in nobis requieueruut, & nos modo in inferno manemus: & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis, ſed frigiditas culpæ. O quam vana ſpes (ait Salomon) viro infenſato eſt, & quam mẽdax peccatori: cum ad finem ſupernaturalem non inducat illum ad quẽ creatus fuit, ideo vana: & cum promittat illi gaudium & honorem & poſtea illi præbeat triſtitiam & infamiam, ideo mendax. Filij hominum vſque quo graui corde & terrenis adhærente? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium (ait Dauid) Somnia extollunt imprudentes peccatores, quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum: ſic qui attendit ad viſa mẽdacia. Vmbram peccati peccando apprehendiſti: vnde Apoſtata infernalis facultatem habuit in anima tua quieſcere. O infœlicia tempora noſtra in quibus illud ſanctum Chriſti Vaticiniũ impletum videmus, corporeis oculis: abundabit iniquitas, & refrigeſcet multorum charitas: vnde Diabolus in talibus hominibus quietam ſedem inuenit, & ſub vmbra peccati illorum dormit pacifice. Fuge ô homo, peccati frigiditatẽ, & vmbram malitiæ,

*Eccli. 34. A*

*Pſal. 4 Simile.*

*Mat. 24. A*

malitiæ, & receſſum ſolis iuſtitiæ time, & quere gratiæ calorem, ſi vis dæmonem fugare, & Deum in hoſpitem receptare. Fugiemus pro poſſe Deus, vmbram frigiditatis & culpæ, vt in nobis non requieſcat dæmon: quid tamen deinde affirmas, ipſum Behemoth in ſecreto calami dormire? Quia in cordibus mobilitatem animi habentibus & huc atq; illuc à vento tentationis quota hora in vitia decidentibus, gratanter dæmon dormit & quieſcit quaſi ſecurus ab expulſione. In hominibus, qui non ſunt
*Matt.* 11. A. vt ille de quo veritas æterna dixit: exiſtis videre Ioannem, arundinem vento agitatam, & quocũq; verbo motam? Non ſic Ioannes meus non ſic, quia eius mentem Spiritu ſancto ſolidam: per diuerſas partes nullus linguarum flatus inclinabit. Heu tamen quam multi ſunt hodie & inter fideles vtinam ne inter Eccleſiæ miniſtros, calamo ſimiles: quorum mentes temporali gloriæ ſecularium rerum deditæ ſunt, & mundanis delicijs, & nullatenus virtutis firmitate ſolidãtur, in quibus quiete quaſi dormiẽs ſine cura, diabolus requieſcit, non minimo talium mentium diſpendio, & ſanguinis Chriſti iactura.

Credo tamen, quod proprius & verius, per calamum, ſub cuius vmbra diabolus quieſcit, cor fidelis intelligi, foris per fidem ſplendens, intus charitate vacuum. Attende ô homo, quantumuis fide religione aut dignitate honore, aut prælatia ſplendidus appareas foris, ne intus operibus bonis vacuus ſis & charitate inanis: quia ſi hoc eſt, abſque dubio diabolus in anima tua vt in vmbra calami dormit. Et cum habeãs miſer homo, tam horribilẽ hoſpitem & terribilem hoſtem intus, pro viribus & poſſe te ad ſolicitudinem rerum mundialium & vanarum, imo & nociuarum & voluptatum ſtimulãtem, & inuitantem: inde prouenit, vt quanto magis de interioribus & animæ bonis non curas, tãto vehementius in caducis & vanis anxius exiſtas & ſolicitus. Et ſic quanto ſtudioſius foris intendes, & vanis vacas deſiderijs, tãto dæmon cor tuum tenacius tenet intus, & quietius dormit in illo, & ſecurior inhabitat. Quia cum fere nunquam ad illud conſideratione debita intres, neq; de ſpiritualibus animæ vtilibus cogites neq; de hoſpite tyranno in illa exiſtẽte per horam dolore debito intelligas atq; rumines, quia totus vanis & nociuis immerſus es rebus, & externis: dæmon habet libere hoſpitium, & tãto quietius dormit, quãto te quem poſsidet quieſcere à rebus mundanis

danis & voluptatibus non permittit, & à ſpiritualibus elongat.

O deteſtande hoſpes, ô maligne calame, vide cordis oculis quam nociuum in te dormiat inimicus, quãdo fide contentus de charitatis operibus nec curam vllam habes: ſed ſolicitus de caducis, virtutum oblitus es factus. Certe iniuriam non minimam Deo irrogas poſt innumera damna quibus animã tuam afficis. Credo (ſaluo ſanctæ matris Eccleſiæ iudicio) flagella non ita filium Dei ſenſiſſe ſpinas aut alapas, ſicut arundinem vacuam in manu illius poſitam. Et expuentes in eum accipiebant arundinem (ait Matthæus) & percutientes caput eius illudebant ei. *Matt. 27. D.* Quia recordabatur tunc agnus ſine macula, primum mei ſacerdotis indigniſsimi, tanta foris dignitate fulgentis, & intus opera gratitudinis fugientis. Et memor erat multorum fidelium fide inſignitorum, & maligne viuentium. Præcipue multorum Monachorum & monialium, dignitate religionis nitentium foris vt arundinis, intus tamen in corde humilitate caſtitate obedientia & debita paupertate carentium crediderim vnam ex præcipuis iniurijs Chriſto irrogatam ab hominibus eſſe: foris dignitate fulgere aut religione ſiue prælatia: & intus animam virtutibus vacuam habere, humilitate atque caſtitate nudam. Quid ſibi vult quod dixiſti Deus, in locis humẽtibus habitare Behemoth? Loca arentia & inaquoſa (ait vbi ſupra Diuus Grego.) ſunt corda *Cap. 5.* iuſtorum, quæ per fortitudinem diſciplinę & pœnitẽtiæ ab omni carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur: & ſic in locis humentibus & deſiderijs carnalibus deditis, Dæmon habitare perhibetur. Loca enim humentia terrenorum hominum & carnalium mentes ſunt, quas humor carnalis voluptatis facit fluidas, quia illas replet. Vnde ſicut pes noſter in terra arida nõ labitur, *Simile.* & in lubrica vix tenetur, fixus: ita affectus in anima ſancta & per pœnitentiam arida, & voluntas illius ab omni voluptate ſicca, difficillime ad culpam labitur: tamẽ in lubrica & delicijs humectata, vix tenetur talis affectus fixus, quin relabi faciat poſſidentem ad multos & nociuos caſus.

Ingreſſus eſt enim eques, Pharao cum curribus & equitibus *Exod. 15. C* eius in mare (ait ſacra ſcriptura) & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: & ſic ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio maris: & ſic liberati ſunt, vt introduceret Dominus eos in mon-

tem hæreditatis suæ. Quis Pharao superbus filios Israel perse-
Luc. 10. D. quẽs, nisi ille draco antiquus, ob suam pessimam cõtra Deũ ela tionẽ, de cœlo in profundũ vt fulgur proiectus? O maligne, qui nõ cessas fideles sanctos per instans persequi, vt ad terrã viuentium sibi promissam ne perueniant impedias. Tuã sedẽ habes in superborũ curribus, & inhonestorũ & voluptatũ amatorum equitibus: cum his tuis infelicissimis militibus, quotidie in grederis in mare voluptatis, & in deliciarũ aquas. Timeant vero tuæ detestandæ sedes, & homines tui currus per superbiam, & equi per luxuriam effecti: quia certissime si cito ad pœnitentiã, & ad siccum castitatis non effugerint, & humilitatis ariditatem: reducet Dominus super eos aquas maris amaras, pœnas nempe, inferni amarissimas: ita vt in profundum submergantur quasi plumbum, & quasi lapis durus.

Filij autem Israel, Dei visionem cupientes, & terram cœlestem bonis operibus anhelantes & quærentes: ambulant per sic cum castitatis, & per veræ pœnitentiæ ariditatẽ, omnẽ voluptatis aquam detestantes, & occasiones illius fugientes: & hoc etiã in medio maris huius amari mũdi perficiũt Dei auxilio, & inter tentationum fluctus furentes, & procellas rebellionum insurgentes: & inter nationes prauas, & homines immundos, & mulieres tanquam ignem comburentes. Vsq; dum dñs introducat illos sic pie iuste & caste viuentes in montem hæreditatis suæ, montem in quo beneplacitum fuit domino habitare, & suis filijs per gratiam, essentiam suam aperte demonstrare. Loca arida
*Ti. 5. de Vir. c. 6. to. 2. fol. 254. co. 2. Simile.* (vt ait D. Bonauent. Dietæ salutis de temperantia agens) sunt homines sobrij, in quibus requiem non inuenit dæmon: quia in talibus non sternit lectum voluptuosum peccati. Quando per fluuium transis profundum, præcipue in equo furioso, ne ad fluctus aquarum oculos conuertas, si cadere in periculo suffocandi non vis: sed respice terram vltra flumen existentem: & sic cerebrum non euanescet & securus transibis. O fidelis quisquis es, per fluuium profundum huius mundi, imo per mare magnum & periculis plenum transiens, in equo corporis tui furioso necessario debes trãsmeare: per viscera Christi Iesu oro te ne deliciarum aquas aut diuitiarum oculis praui consensus attente aspicias, neque cor tuum aquosum voluptate facias: alias absque dubio caput euanescet, ideſt ratio tua & voluntas consentiet

ſentiet, & ſic locus aquoſus dæmonis effectus eris, & ſuffocatus in aquis culparum, & deinde pœnarum æternalium. Reſpice oculis mentis terram vilitatis tuæ de qua ſumptus es, & terram ſepulturæ tuæ ad quam inceſſanter pergis, & eſt vltra aquam huius vitæ: vt ſic vana mundi gaudia fugias & voluptates caducas abhorreas: & ſecutus ſine culpæ caſu ad beatitudinis portũ peruenire valeas.

Saltim ob hoc debes ſatagere vt cor inaquoſum & voluptatis expers habeas, etiã ſi nõ vt hoſpes dæmonis non ſis, quia valde põderoſã facit animã talis voluptatis aqua: & ad ima infernive lociſsimo curſu in primo cõſenſus inſtanti (niſi corpus impediret) illam pertraheret. Si tamen voluptati dedite, miraris de hoc & etiã contrariũ defendere audes dicens: experientia contra te talia affirmantem eſt: quia per multos annos in voluptatũ aquis permanſi immerſus, & tale pondus tam graue non ſenſi. Frater mi, amphora aqua plena, etiã ſi magna ſit, parũ ponderis habet quandiu per aquam illam hauris, quia cum veniat per ſuum elementũ puer paruulus extrahet illam: tamen extractã ab aquis multũ ponderis eſt, & bonas requirit vires vt extrahatur. Cũ ſis ipſe in eiſdẽ aquis voluptatũ ſemper, & animã velut amphoram in illis immerſam habeas cõtinuo, quomodo culpę pondus grauiſsimum ſenties, cum ſit in ſuo elemento? Exi à culpa, extrahe animam ſuam à tam execrandis voluptatum aquis, fac veram pœnitentiam, & tũc põdus illius agnoſces. De peccati põdere, fuſius in Feſto humiliſsimi D. Franciſci. *Simile.*

## ¶ Reuertar in domum meam vnde exiui. *Text.*

DIcit hoc, quando malignus conſpicit ſe non in cordibus caſtitate inaquoſis & pœnitentia fructuoſa aridis hoſpitiũ inuenire: quia valde illi ab huiuſmodi hominibus reſiſtitur, & non faciunt ei vmbram peccati qua protegant (vt dicebat Deus) vmbram illius. Cum omnes iniqui ſint Diaboli vmbræ, quia dum ſeruiunt iniquitati eius illi ſimile ſeſſendo, quaſi ab eius eſſe imaginis ſpeciem trahunt mali: & quia ſolem iuſtitiæ perdiderunt dicuntur dæmonis vmbræ: & ſicut vmbræ eius (ait ibi Diuus Gregor.) Sunt pluraliter reprobi: ita ſingulariter vmbra eius eſt vnuſquiſq; peccator. Sed dũ doctrinæ iuſtorũ & rectæ *Iob. 40. C. Lib. 33 ca. 5.*

operationi mali contra dicunt: nec ab eis corrigi peccatorẽ permittunt, vmbræ Behemoth vmbram eius protegunt: quia peccatores quique in quo sibi male sunt conscij, in eo & alium peccantem defendunt. Boni tamen & iusti, quomodo non solum Dæmoni vmbram peccando non faciunt, sed insuper malos corrigunt, non potest in eis Dæmon quiescere: & sic ait, non bene hic mecum agitur, reuertar in domum peccatoris antiquam, in quo non solum mihi vmbram faciebat peccando, sub qua aliquod refrigerij accipiebam, sed etiam peccatores alios defendebat, & in suis malis adiuuabat. Non possum ego malignus hospitium in arboribus fructuosis habere neque circa fideles recte operantes habitare: quia (vt ibi in Iob Deus dicebat) qui me circundant, & cum quibus ego gaudeo sunt salices torrentis. Salices (vt ibi Diuus Grego. ait) infructuosæ quidẽ arbores sunt: sed tamen tantæ sunt viriditatis vt arescere, etiam abscissæ radicitus & proiectæ, vix possunt. Istę salices sunt fideles fide viridi, nam si radicitus per hæresim aut aliquem errorem, illam non euulserint: semper manet fides etiam multis mixta peccatis: & viriditas fidei permanet homini infructuoso: tamen qui huiusmodi est salici similis existit, à quo gaudet Dæmon circundari: quia refrigerium, etsi triste, recipit ab illo, iniuriam Deo irrogando.

*Ibi cap. 6.* *Simile.*

Plorent tamen Dei ministri & Christi declamatores atque verbi Dei concionatores, videntes parum fructus quẽ erga istas salices & animas non recte operantes faciunt, & gemendo cum Dauid dicãt: in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra in medio Babylonis istæ salices sunt: quia fideles infructuosi & sine bonis operibus, atque ab amore patrię cœlestis alieni: totis visceribus cordis in hac seculi confusione radicantur, & tãtum folia gaudiorum vanorum viridia producentes, igni comburendi reseruantur. Vnde & prædicatores sancti (ait ibi Diuus Grego.) in istis salicibus non exercent organa sed suspendunt: quia cum infructuosas ac reprobas mentes & in malo obstinatas aspiciunt, vim suæ predicationis nõ exhibent: sed potius lugentes silent, & tacentes ore, corde plorant dicentes: in salicibus & hominibus operari nolentibus organa vocis nostræ non prosunt. Sed ipsi homines salicibus similes, Dæmonem circundãt, & in torrente cito transeunte huius vitæ valde fluxibilis (quod maxime dolendum est) cum sint amatores vitæ mortalis, à bo-

*Psalm. 136.*

*In Iob. 40. C.*

nis

nis operibus quasi à fructibus alieni, tanto Dęmoni arctius inhę rent, quanto illos largius & profundius delectatione transitorię voluptatis circundat. Vtinam fiducia Dęmonis non impleatur, quæ ibi subsequitur, scilicet: quod sperat fluuium laicorum fidelium absorbere tanquam aquosos & infructuosos, & de hoc non mirabitur: quia habet fiduciam magnam quod influat Iordanis in os eius, nempe multi Dei ministri, multiq; sacerdotes, monachi & moniales. Et vtinam frustrata esset ista Behemoth fiducia, & oculis adimpletam non cerneremus. Nam ob regulam Dei, in quibus locis Dæmon inhabitare dicitur, quando maiorem frigiditatis vmbram & in animabus tepiditatis fecerunt Dei ministri in alijs nationibus quam nostris deplorandis diebus? Quando multi ex nobis, foris fide & religione nitidi, & intus magis operibus vacui, vt calamo similes fuimus, quā modo? Quando magis salicibus sine bonorum operum fructibus similes, quam hodie multi altaris ministri? Caueamus, ne fiducia Dæmonis nostro malo impleatur.

Quod tamen magis doleo & Deus (vt credo) grauius fert in Dei ministris, est vt habeant corda sua voluptatibus humecta ta & delicijs polluta, in quibus gratanter Diabolus quiescit, tan quam templa Dei prophanans: & quæ virtutibus & castitate splendentia & ornata esse debebant, tanto hospiti Christo digna, quotidie illum in altari recipientia, pro viribus & posse malignus polluere intendit, magis vnius sacerdotis cor, quam laicorum decem: quia maior Deo iniuria irrogatur. Quam immunda multi altaris ministri voluptate corda sua habeant ipsi sciunt & Deus qui iniuriam & contumeliam quotidie patitur: quia lenones apertos & notos oēs mulieres fugiunt: sacerdotes aūt & monachos diligunt ob dignitatem, & talis dilectio multoties tendit in voluptatem: & spiritu incipiunt (vt ait Paulus) & vt stulti & miseri & occasionibus immersi, carne cōsummantur. Quanti ex his in tormentis iacent. Lupum, quilibet homo, imo & fortis, fugit, nō tamen si in vestibus ouiū venit: nūquā Dns noster dixit, cauete à lupis, sed cauete â falsis prophetis cōcionatoribus sacerdotibus & religiosis, qui veniunt ad vos veste ouina & dignitate insigniti: & ipsi, si mali sunt, maius nocumentū inferūt quam lupi, imo & quā lenones: quia istos quilibet fugit vt lupos manifestos illos diligunt omnes cum videant tanta dignitate prędi tos, *Gala.3. A.* *Simile.* *Mat.7. C.*

& nemo se ab illis obseruat, & volũtas fertur in dignitatis bonũ.

Per viscera Christi Iesu sacerdotis summi, deprecor vos omnes sacerdotes, monachos & prælatos Ecclesiæ Dei, vt vltra omnes operemur iuxta fidem quam credimus, & circa dignitatem qua insigniti sumus: & alijs magnum virtutis exemplum præbeamus: ne locum in nobis malignus draco inueniat, cum corda nostra templa sint non solum Spiritus sancti sed etiam Christi peculiaria: ne vmbra frigiditatis animabus nostris adsit. Operemur bona coram Deo & hominibus ne calamo similes effecti simus, foris dignitate nitidi, intus operibus vacui ob quod dæmoni hospitiũ paramus. Maxime tamẽ voluptatem abhorreamus ne corda nostra tam execranda peste humectata dæmonis fiant receptacula: neq; salices infructuosæ simus, vt Iordanis non influat in os dæmonis, ideſt nos Dei ministri: sed expellamus illum totis viribus à nobis, charitatis calore cõtra vmbram tepiditatis: operibus bonis cõtra arundinis vacuitatem: castitate magna contra humiditatem, fructus sanorum operum contra salices steriles reddentes: & sic coactus erit dicere peruersus atq; callidus tentator: non inuenio requiem in his locis aridis, scilicet in cordibus sacerdotũ pœnitentiũ, neq; in his religiosis castitate & humilitate fulgentibus, reuertar in domum meam lenonum aut furum vnde exiui. Vtinam modo omnes recessissent dæmones ab omnibus Dei ministris & ad suam domum tartaream reuertissent: & quid mirum, cum religiones loca arida & inaquosa maxime esse debebãt? Arida pœnitentia, & castitate inaquosa. Reuertar in domum meam vnde exiui ait malignus insidiator: quia diaboli proprium est, & omnium suorum ministrorum & hominum peruersorum, retro semper reuerti: & ad præterita malorum vestigia iterum atq; iterum retrocedere. Attende homo ne ad delicta tua præterita, confessa & Dei sanguine abluta, consensu aut operatione reuertaris: si hoc facis dæmoni similis es, & voce illius vsus es dicens, reuertar ad pristina mea mala. Propositum firmum draconis infernalis hoc est, reuertendi ad illorum corda, qui exterius tantum apparere bonivolunt, interiorum tamen (quę soli Deo patent) nullam habentes curã: vnde talium animæ merito dæmonis domus appellari sunt dignę: quia cũ dæmon canis sit semper ad vomitum rediens, incessanter ad hos homines inuitat.

Natura

Natura beſtiarum & ſerpentium eſt ſcire ad latibula ſua, & ſpeluncas tetras & cauernas obſcuras reuertere. O maledicte ſerpens veneno plene, ô beſtia cruenta dæmon, quã proprius tuus mos eſt homines ad hoc inuitare, & ipſe velle & ſcire reuertere ad animæ latibulum & ſpeluncam horrendam, ſcilicet ad animam in qua per culpam aliquando habitaſti. Cauete homines ne locum in anima veſtra dæmoni detis per mortale ſcelus: certe in magno recidiuandi periculo conſtituitis miſeram animam veſtram: quia dæmon quando vult ad illam reuertitur vt ad propriam & ſibi notam domum. Non auditis quomodo dicit: reuertar in domum meam? Quomodo maligne, domus tua eſt, anima ad Dei ſimilitudinem ab ipſo creata? Domus tua eſt, cum ſit à Chriſto Ieſu ſanguine redempta? Quid loqueris inſane? Nõne vides illam eſſe creatam vt domum cœleſtem inhabitet, & Deus in illa per gloriam? Tacete, mea eſt tali ſanimæ domus, nõ creatione ſed imitatione: non Redẽptione ſed ſubiectione: quia prauis actibus & affectibus eam mihi acquiſiui, & meam conſtitui. O miſera anima quæ talia audire non exhorreſcis, quę cum aptanataſis Deũ in hoſpitem habere, dæmõ dicere audeat te domum ſuam eſſe: ad quam vt homo ad propriam domum ſic malignus ad te reuertitur, ſine aliquo obſtaculo? *Simile.*

Ad domum vnde exiui reuertar. Dic tortuoſe ſerpens, cũ eiectus ſis etiam nolens à cœlo & vt fulgur expulſus ad tartara, qua re non dicis vnde eiectus ſum ſed vnde exiui quaſi voluntarius? Etiã à populo Iudaico ad quem reuerſus es, priusquã inuite eiectus es, vt quid dicis exiui? Etiã ab anima per veram pœnitẽtiã te expellente renitens & ſtridens dentibus egreſſus es: quare dicis vnde exiui, quaſi voluntarie inde exieris? Quia ſemper cõſueta ſuperbia mea vtor, & ſubiectionem meã, & miſeram deiectionẽ confiteri renuo, cum humiliſeſſe non poſsim. Et etiam (quod cõſideratione dignum eſt) ab illis animabus à quibus viriliter, & magna mei deteſtatione eiectus ſum, & quæ firmiſsimum propoſitum habent ne me amplius per delictum in ſe recipere, ſed pœnitentiam veram & continuam faciunt, me odientes & deteſtantes, & omnes peccandi occaſiones radicitus extirpantes, dico me eiectum, & infame expulſum fuiſſe: cum non inueniam locum iterum ingrediendi. Tamen vt quid dicam me eiectum fuiſſe à miſera anima, quæ ad horam per ſacramen-

tum eiecit me: & quoties & quando volo ad illam per mortale ingredior? Non sum eiectus ab illa sed exiui ad instans quia mihi semper patet ingressus ad illam. Non esset abre multoties homo, ista Dæmonis verba in alio sensu cogitare dicere & operari: cum necessarium mihi sit vt reuertar in domum luteam & terrenam per mortem, vnde exiui, quia puluis sum & in puluerem reuersus ero: quia exibit spiritus meus à corpore, & reuertetur in terram suam corpus, & cum hoc certissimum sit: reuertar in domum meam scilicet Ecclesiam per gratiam in qua sum per fidem, & hoc virtute sacramentorum faciam. Vnde exiui in gratia baptismate ablutus, & ad sanctam Ecclesiam velut ad tutissimum latibulum contra omnes hæreticorum serpentes, & paganorum feras confugiam. Firmissimo cordis proposito Dæmoni culpam tibi consulenti respondeo, nolo: ne Deum meum offendam: & quia reuertar cito in domum terream per mortẽ vnde exiui per plasmationem: volo reuertere in domum cœlestẽ meam, per gratiam ad gloriam, Amen.

# Homilia Decima.

Text. ¶ Et cum venerit, inuenit eam scopis mũdatam.

DOmus vero vacans & scopis mundata & ornata (ait Caietanus) est non solũ præparata ad hoc vt habitetur, sed prouocatiua ad recipiendum hospites: nam ex hoc quod est mundata & ornata, est præparata: ex hoc vero quod habitatore vacat, inuitat ad habitandum. O domus tetra, & conscientia infelix & lacrymarum fonte lugenda, quæ non solum es præparata ad hoc vt Dæmõ in te habitet & in tuo recipiatur habitaculo: cũ sis à minimis mundata, & ceremonijs & superstitionibus multum ornata: immunda tamen & magnis sceleribus polluta, & virtutibus nuda, nulli bonæ operationi vacans: his præparata es ad hospitẽ recipiendũ malignum. Et non solum hoc, sed etiã immundos spiritus, ad ingressum inuitas cũ diuino hospite Christo Iesu careas, nec illum per gratiam habeas: quia bene operando noluisti illum tecum retinere. Vnde dicitur, inuenit vacantem

tem animam, quia omnis recidiui causa nascitur ex otio: non solum peccare debes abhorrere, sed etiam oportet recte operari, si non vis Dæmonem in hospitem habere. O vos omnes sacerdotes & religiosi, qui ad audiēda hominum delicta per confessionem acceditis, per sanguinem Iesu Christi vos adiuro, vt totis neruis & viribus incumbatis vt pœnitens satisfaciat & causas peccandi tollat & consuetudines malas, & vt illum firmissimo proposito confirmetis vt in futurum caueat, quia hoc est præcipuum confessarij munus, vt ne iterum Dæmon ingressum inueniat in animam illius. Certe finis confessionis est, pœnitentis salus (vt sapientissime magister meus Soto vt omnia alia docet) quæ præuia diuina ope in illo proposito & cautela consistit, vt summam det operam, nunquam amplius recidendi, nec domum animæ Dæmoni præparandi. Et tamen multi tam confitentes quam confessarij, totum negotium putant in hoc consistere, quod nil inconfessum prætereatur, vnde per confessionalia quæ vulgo circumferuntur confitentur, quæ fecerunt & quæ non: interim de terrore & persuasione in futurum cauendi, & integre restituendi, nec verbum vllum. Qui videntur mihi, vt in nostro textu est: domum scopis mundare, vt spiritus immundus cum suis septem satellitibus reuersus illam mundatam inueniat: & ingrediatur fortius in illam. 4. D. 18. q. 2 art. 4.

Bene Matthæus (ait Beda) hanc domum vacantem, atque ornatam dicit inuentam: mundatam, videlicet, à vitijs pristinis per baptisma aut pœnitentiam: vacantem à bonis actibus per negligentiam, & otium: ornatam fide tantum aut dignitate, seu simulatis virtutibus per hypocrisim, ecce domum conscientiæ & animæ misere, Dæmonis ingressui aptam. Vel scopis mundatam à leuioribus tantum delictis aut inanibus festucis: interim grauibus & turpissimis immunditijs pollutam Dæmon inuenit. Tales animas Dominus sepulchra dealbata appellat, intus plena rapina & immunditia. Scopa enim leuia mundat, sordes multum domus pauimento adhærentes non tollit: sunt nonnulli qui confessionis scopa tantum leuia delicta mundant, tamen sordes tenaces luxuriæ aut adulterij inueterati, aut lapides odij, offensionis aut scandali quod alijs præbent, non tangunt, neque lutosas facultates male partas: vnde superficie tenus domum mūdauerunt, culicem liquando & ex Matt. 23. C simile.

Matt. 23. C colantes, & camelum odij aut teſtimonij falſi glutientes. O miſera domus iam ad te reuerſus eſt malignus hoſpes: imo non receſsit à te, ſi vere non es confeſſus. Scopæ tantum leuia mundant & cornum relinquunt: vnde leues noxas deteſtantem intellige & illas aſpernantem, graues vero non curantem: tunc vadit malignus & ingreditur. Obſerua quæſo quod nunquam reuerti audet, niſi cum domum vacantem viderit: vnde manifeſte conſtat otium eſſe graue malum, & hortationem quandam & conuiuium & inuitationem qua animus Diabolum vt in ſe reuertatur & illius damnoſus hoſpes fiat inuitat aperte, & Dæmon ſtatim intelligit & ſine mora vocationi aſſentit, reuertitur

*Simile.* & intrat. Quemadmodum deliciæ, aues canentes, & ornamenta, & pauimenta munda quæ præforibus hoſpitiorum oſtendũtur & ianuç apertæ tranſeuntes ad ingreſſum inuitant: ſic deliciæ hominis, gaudia ſua vana, cantus ſui ficti, ornamenta externa & dignitates ſine virtute & bonis operibus, & præcipue ſenſuum ianuas apertas ſemper habere: terribiliter Dæmonem ad ingrediendum in eius animam inuitant omnia iſta.

Domus vacans à bonis operibus, nempe anima otioſa, horribiliter Dęmonem inuitat ad illius ingreſſum: nam (vt ait Diuus

*In pſal. 45. fol. 111.* Baſilius in Pſalmos ſuper illum verſum, vacate & videte) nouit & Pharao proprium eſſe liberiore & ſancto otio fruentium

*Exod. 5. C.* Deum inquirere, atque ideo opprobrabat Iſraeli dicens, vacatis otio, & ideo dicitis, eamus, & ſacrificemus Domino. Ipſa igitur bona vacatio, vtilis eſt vacanti: quietam ſuſceptionem doctrinarum generans ſalutarium: mala vero vacantium Athenię

*Actu. 17. E* ſium ad nihil aliud vacantium niſi aut dicere aut audire aliquid noui: quod genus otij hodie imitantur quidam inerti otio vitam elocantes ſuam. Talis enim vacatio immũdis ſpiritibus eſt amica. Abſit igitur fratres, vt nos per huiuſmodi vacationem aditum aduerſario præbeamus: ſed domui mentis noſtræ vacemus, vt in nobis Chriſtum per ſpiritum promereamur habere inhabitantem, & ianuam ſpiritui immundo claudamus vacando orationi & rectæ operationi, & ſic videbimus hic in ſpe & in futuro in re: hic per ęnigma poſtea facie ad faciem, quam ſuauis & dulcis eſt Dominus.

¶ Tunc

¶ Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus se- *Text.*
cum nequiores se: & ingressi habitant ibi.

QVando malignus spiritus videt animã otio vacantem, & nil boni (post cõfessionẽ qua expulsus fuit ipse ab illa) operantem: sed occasiones pristinas peccãdi diligentẽ, tepidissime viuentem, de virtutum profectu nullam curam habentẽ: mundam tamen sine solicitudine recte operandi. Tunc quando illam sic videt, vadit ad omnia mala sibi possibilia, quibus miseram animam iterum possideat, & dicit septem dæmonibus illo nequioribus: talis homo expulit me in quadragesima per confessionem, & iniuriam magnam mihi irrogauit in hoc: modo video animam illius otio vacantem, & nil boni operantem, sed causas peccandi non fugientem, sed potius occasiones diligentem. Ex quibus omnibus ianuam apertam mihi videtur habere ad iterum me recipiendum per mortale delictum: ne iterum illudat me tanquam solum & vnicum expellendo me â tali hospitio, non erit ab re, vt veniatis mecum vos septẽ me peiores Dæmones, vt ingressi omnes ad illam animam, non ita leuiter possit nos à se reijcere: & ingressi habitant ibi, quasi quieti habitatores, & pacifice possessionem domus obtinentes: hoc enim signatur per hoc verbum, habitant ibi. Sic & de populo Iudaico intelligendum est: vnde satis constat experientia Dæmones in illo quiete & sine contradictione habitare, cum videamus illum contra Christum Dominum tam rebellem & induratum.

Prius erat vnus spiritus immundus in anima tua quo facta fuit peruersa voluntas tua, & postquam illum crucis baculo lacrymis & sacramento eiecisti, iterum vias tuas iterasti prauas homo infelicissime, ita vt locum eidem maligno dedisses, vt alios septem socios nequiores se assumpsisset: dũ septem capitalia vitia omnibus Dæmonibus nequiora, & animæ tuæ nociuiora in anima tua suo sociauit nocẽdi officio. Et vide in quantũ sunt Dæmonibus nequiora septem ista vitia mortalia, & damnosiora tibi; quod omnes maligni inferni, vnũ Spiritus sancti donũ ab anima tua sine consensu voluntatis tuæ tollere non valent: ista tamen execrãda vitia septem, septiformẽ Dei gratiã ab anima expellunt

pellunt & destruunt: imo & quodlibet illorum valet te in tormenta æterna in momento mittere, & non omnes Diaboli inferni. Dicuntur septem de nouo aduenientes spiritus nequiores priori Dæmone: quia sicut in beatis spiribus & Angelicis, sunt boni & meliores & optimi: sic inter damnatos Angelos, sunt mali, peiores & pessimi. Et hoc prouenit, quia sicut in cœlestibus Hierarchijs atque ordinibus ante casum horrẽdum malorum, erant alij ex illis alijs nobiliores & excelsiores dignitate & gratia: sic post auersionẽ & casum in seipsis nobiliores, & maiores, facti sunt alijs viliores, & nequiores: quia magis ingrati Deo & maioribus eius donis. Et quo magis prudentes prius & sapientes, post casum magis maligni, & notiores: vt inter homines quotidie videmus: qui quo magis scientia aut dignitate fulgent, deteriores, & damnosiores sunt, peccatis traditi.

Isti septem spiritus septem vitia capitalia signantes septem virtutibus spiritualibus (vt ait glos.) contraria sunt: nequiores, quia non solum talis habet vitia, sed & bona simulat qui iterat vias suas malas, gratiam Dei virtute sanguinis Christi sibi collatam paruipendens. Nisi dicamus septem spiritus malignos septem bonis spiritibus contrarios esse: quos Isaias numerat requieuisse super Christũ Dominũ: nempe spiritum sapientiæ, intellectus, cõsilij, & fortitudinis, scientiæ & pietatis & etiã spiritum timoris Domini. Contra ista septem dona à Spiritu sancto procedẽtia, septẽ Dæmones septem capitalibus vitijs incessanter pugnant: quæ dona expellunt à misero homine recidiuã te. Væ fideli qui postquã baptismate aut pœnitentia Dæmonẽ exclusit ab anima, nõ enititur ad virtutum profectũ incunctanter, sed otio vacat imo & vitio: absq; dubio, septẽ alios spiritus nequã primo Dæmone nequiores sibi acquiret. Væ etiã & illi, qui semel religionis professione, Dæmonem amoris seculi ab anima sua exclusit: qui tamen in religione desidiosus & otio vacans existit, & labori virtuoso & orationi iugi non instat die ac nocte, sed ad secularia caput intentionis suæ & desiderij cum vxore Lot, & si non corpore tamẽ mente conuertit. Væ illi qui & corpore & mente implicat se negotijs secularibus, postquam se sub Christi & religionis vexillo militare Deo maximo promisit: talis infelix Domum cordis sui omni Diabolo domicilium & hospitium parat. Væ & sacerdoti officium suum

*Isai. 11. A.*

*Gene. 19. E.*

*Luc. 17. C.*

magna

magna cura non peragenti ſimilia de illo affirmo: ſi negligenter & remiſſe opus Dei fecerit: quia maledictus erit, (vt promittit Ieremias) qui opus Dei fraudulenter & negligenter fecerit. Septem ſpiritus primo nequiores, qui animam peccatoris recidiuantis ingrediuntur, quis prohibet quin ſint ſeptem nequitiæ quas inter alias præcipue committit, peccator obliuioni dona Dei tradens? Cani ſimilis ad vomitum execrandum peccati, quod prius confitendo euomuit, non eſt veritus (in Dei iniuriã & ſanguinis Chriſti conculcationem, & paſſionis eius vilipenſionem & ſacramenti ſancti pœnitentiæ irriſionem, & in animæ ſuæ notabile detrimentum, & Dæmonum honorationem) reuertere, atque non abhorret culpam quã prius deteſtatus eſt. Audi Salomonem: labijs ſuis & verbis, intelligitur Dei inimicus, cum in corde tractauerit dolos: quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei: quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius, ex recidiuo prouenientes. Quia ibi dixit, ſicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum ſic imprudens & peccator, qui iterat ſtultitiam & peccatum ſuum.

*Ierc. 48. B.*

*Pro. 26. D.*

Attende homo, & recidiuum pluſquam infernalem ignẽ abhorre, cum videas & audias has ſeptẽ nequitias, quas in illo per petras inter alias multas: quibus ſeptem Dæmones correſpondent in animam tuã ingredientes. Sit prima nequitia fractio fœderis facti inter Deum & te in baptiſmate prius, quando Dęmoni & operibus eius abrenuntiaſti: deinde in pœnitentiæ ſacramento, quando ſacerdoti locum Dei habenti promiſiſti dicens: à futuris peccatis Dei adiutorio cauebo, & præterita & Dei ſanguine abluta iterum non committam. Vbi eſt tale fœdus infelix canis, ad vomitum quotidie rediens? Vbi pacti cum Deo obſeruatio, in re adeo grauiſsima? Parũ eſt homini nobili (vt quid ſi regi grauiſsimo) verbum dediſſe aliquid faciendi iuſtum & facile: & poſtea in magnam illius iniuriam non adimplere? In confeſsione præterita, non homini nobili huius mundi, aut regi terreno, ſed Chriſto nobiliſsimo homini cœleſti, & regũ regi: verbum tuum non dediſti, & pactum cum illo habuiſti, iterum culpas ſanguine ſuo ablutas te nõ fore perpetraturum? Parum eſt fidem tanto regi fregiſſe? Pro nihilo ducis pactum te rupiſſe, iterũ atque iterum ſimilia delicta committendo, in magnam Chriſti iniuriam, & tuæ animæ detrimentum? Memento te comprehẽ

*Simile.*

ſum

ſum eſſe ingrauiſsimo dolo, punitione digniſsimo, canis immũ de, ad vomitum ciborum horrendorum ſemel & centies à te vomitorum per cõfeſsionem rediens. Heu quia non vnus tantum fidelis, ſed innumeri ſunt qui talem primã nequitiam recidiuando perpetrant: in quorũ animabus merito ſpiritus maligni peiores ingrediuntur.

Pſalm. 77. Dicat Dauid de Iudæis recidiuantibus, & pactum Dei frangẽtibus, & intelligant idem fideles iterum ſimilia peccata perpetrantes: & tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelſum tam Iudæi, quam falſi fideles, & teſtimonia eius & mandata non cuſtodierunt: & poſtquã dimiſit illis Deus peccata priora, fœdus inter ſe fecerunt ne iterum illum offendendi. Et ſeruauerunt illud Dauid? Et auerterunt ſe miſeri peccatores à facie Dei & à mandatorum eius obſeruatione, & à virtute & gratia: & ſic non ſeruauerunt pactum quod in confeſsione præterita cum Deo fecerunt, Tamen non degenerant in hoc à parentibus ſuis: quia etiam illis aſsimilando in hoc, conuerſi ſunt in arcum prauum, quo in Deum ſagittas eijciunt. Melius eſſet nõ vouere Deo aliquid, quam votum frangere: melius eſſet homini ſacros ordines non accipere, quam acceptos culpis polluere: minora tormenta manerent homini peccatori, ſi religionem Deo non vouiſſet quam poſt votum illam cõculcare: quia vouere conſiliũ eſt, præceptum vero adimplere: iuxta illud Dauid, vouete ex conſi

Pſalm. 75. lio, tamen reddite Dño Deo veſtro promiſſa, ex præcepto. Sic de omni fideli recidiuante dico, minus peccatum illi fuiſſet Deũ offendere ante pactum in confeſsione factum, quam poſt fœdus tale non adimplere promiſſum: quis audet peccatum ſanguine Dei deletum, poſt fœdus cum Deo iterare? Fere omnes.

Alias ſex nequitias breuiter diſcurremus: quia ſecunda eſt ſubſannatio miſericordiæ Dei, & deſpectio bonitatis diuinæ: miſericordiam conſecutam non cuſtodire, eſt aliud quam miſericor-

Pſalm. 2. dem Deum irridere? Sic ſermo Domini fit in opprobrium & deriſum à multis tota die, tamen in futuro Dominus illos irridebit & ſubſannabit à cœlo ſancto ſuo. Tertia nequitia eſt crudelitas in te ipſum exercita: quia iterum animam tuam & periculoſius occidis: vulnera renouas, & animæ cicatrices, corruptas & putri-

Pſalm. 37. das facis, à facie inſipientiæ tuę (vt dicebat Dauid) ſic eſt vulnus culpæ ſuper vulnus apponere. Quarta nequitia eſt creatoris

pro-

proditio, cum expellas de cordis tui domo hoſpitem talem nempe Sanctã Trinitatẽ, & Dæmonẽ in locum eius admittas. Quinta eſt ingratitudo veniæ, & benefactoris obliuio: poteſt dicere Chriſtus, obliuioni datus ſum multis recidiuantibus, tanquã mortuus à corde: quia ſic reputant me quaſi hominem mortuũ, cuius memoria cũ corpore ſepelitur, & de cuius reparatione deſperatur: nullus deinceps recordatur mei pauperis: vt ait Salomon in ſua concione. Sexta ſit perditio meritorum, temporis, gratiæ & laborũ: & aſpernatio beatitudinis promiſſæ, quã pro nihilo habuiſti. Quantum timeret homo decem millia aureorum perdere, quos magnis laboribus in Indijs perfas & nefas lucratus eſt? Vtinã ſic ego & deinde omnes perhorreſceremus, merita magna, Chriſti labore & noſtro acquiſita, per conſenſum in ſtãtaneũ deſtruere: aliter animę noſtræ eſſent diuites, & Deus à nobis honoratus. Vltima nequitia ſit, cõtriſtare te nõ verẽtẽ ſpiritum ſanctum, in quo ſignatus eras: illi contumeliam facis, & reſiſtis imo expellis, imo illum extinguis in te: & tollis omne Angelorũ gaudiũ. Vide ſi merito Dæmones animã tuã poſsidebũt nequiores ſeptem: cum tam execrandas nequitias committas.

*Pſalm. 30.*

*Eccles. 9. D.*

*Simile.*

*Ad Ephe. 4. G.*

Sociari vult iſte ſpiritus immundus, ſolus eſſe non patitur in anima recidiuante: & non vnum aut duos ſecum portat, ſed ſeptem: & non illo minores aut æquales, ſed ſe nequiores, vt deteriorem efficiant hoſpitem infelicem, quo ſunt nequiores: quia plus mali vult malignus inſidiator in homine, quam poſſit efficere. Inde appellatur nequitia, ex hoc quod maius malum velit patrare quam queat: vnde multis hominibus hoc nomen nequitia tali ratione competit, quia pluſquam opere perficere poſſunt, mente malũ cõcipiunt: & ſic Dæmoni ſimiles ſunt in hoc: & Dominus (per Ieremiam de Moab in nomine cuiuſcũque nequã hominis) dicit: plus fecit quam potuit, idcirco perierunt: quia plus mali fecit voluntate, quã potuit opere. Veniẽtes igitur octo maligni ſpiritus, hoſpes primus ſeptẽ ſe nequioribus comitatus ingrediuntur in animã recidiuantem & habitant ibi: aperte offendit Dominus, Dæmones habitare in peccatoris anima. Frequenter ob tria caſtellum ab inimico capitur, & intrat in illud: aut quia ianua mãſit aperta, aut capitur fame aut dolo. Ob iſta tria multories Dæmon in animam intrat tuam: quia ſenſuũ tuorũ ianuas clauſas habere non vis, ne mireris vt mors culpę &

*Ieremi. 48. F.*

*Simile.*

*Ieremi. 9. F.*

Dæ-

Dæmon per tales intret feneſtras: deinde animæ tuæ cibum ſuũ ſuperſubſtantialem corporis Domini, nõ tribuis niſi annuatim, quatuor argentorum & excommunionis metu: quid mirum vt fame deficiat, & ſic capiatur ab hoſte? Accedite frequenter ad talem cibum, etiam canibus latrantibus & peſsimis hominibus murmurantibus, ex conſilio prudẽtis & boni confeſſarij, ſemel in menſe: ſi curæ vobis eſt de animabus, & de profectu euchariſtiæ: aut frequentius ſi Deus docuerit. Conſilium eſt cuiuſdam noſtri temporis ſapientiſsimi magiſtri dicẽtis: ſi inter ſeculares eſſet aliqua perſona & probitate & modeſtia inſignis, nulla eſſet irreuerentia, imo deceret forte, ſemel in hebdomada communicare: alijs ſecularibus non conſulerem frequentius, quã à quindena in quindenam, ad ſacramentum accedere: væ annuatim accedentibus & tepide: quales ob diuini cibi carentiam, dolo capiat Dæmon quotidie, Deus ipſe nouit, & quantos.

*Soto. in. 4. D. 12. q. 1. ar. 1. infine.*

*Tex.* ¶ Et ſiunt nouiſsima hominis illius, peiora prioribus.

TImendus eſt hic locus (ait Beda) potius quam exponendus: ſententia terribilis eſt & tremenda contra ſemel recidiuantem, quid contra multoties vias ſuas malas iterantes peccatores erit? Valde ſtupendum verbum eſt, tamen veritatis infallibilis eſt, iudicis omnium eſt, Dei omni potentis eſt. Quod nouiſsima hominis ad vomitum peccatum velut canis reuertẽtis, ſint peiora prioribus, & quod in periculoſiori ſtatu conſtituatur, apertiſſime patet, ex omnibus tribus principijs ex quibus ſalus aut dãnatio eius prouenire debet: nempe ex Deo fonte ſalutis eius, ex ſeipſo homine libere operante, & etiam ex Dæmone continuo ad malum inuitante. Quia ex hoc quod iterum atque iterũ non es veritus peccatum dimiſſum iterare: Deus efficitur difficilior ad indulgendum, & ipſe factus es debilior ad reſurgendum, Diabolus fortior ad inuadẽdum, & te in peccato tenendum. Ex parte Dei ſunt nouiſsima hominis recidiuantis prioribus peiora, non quod ex parte ipſius Dei difficilior ſit vna grauiſsima culpa vt ſoluatur & ab ipſo dimittatur quam leuiſsima: quia cum infinita ſit potentia præditus, ita faciliter leuem, quam grauem tollit,

tollit, vnam quã multas: liceat nobis in hunc ſenſum verũ verba Ionathę adducere, non eſt Domino difficile ſaluare vel in multis peccatis vel in paucis, ideſt ita facile eſt illi. Ex parte tamen peccati, & illius grauitate aut multiplicitate difficilius dimittitur, & ideo dicebat Dauid: miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam: quia etiam ſi infinita eſt miſericordia tua, ex parte cuius ita facillime magnum vt minimum peccatum dimittis: tamen quia magnum eſt meum delictum, magno miſericordiæ tuæ effectu indigeo: aut quia ex parte peccati mei miſericordia magna opus eſt. Multa ſunt quæ in recidiuante Deum ad iracundiam prouocant: ingratitudo in primis, qua vſus eſt contra ipſum Deum talis peccator, & contra ſacramentum pœnitentiæ, contra Dei ſanguinem, contra corpus ſacratum in euchariſtia acceptum. Fecit te amicum ſuum gratia ſua ſine tuis meritis ô homo ingrate, iuſsit ignem ne te combureret, aquam ne te ſuffocaret, dæmonem ne te in culpa exiſtentem occideret: & cum hoc auſus es iterum contra Deum peccare? 1. Reg. 14. C. Pſal. 50.

Cupis videre quomodo ex parte Dei ſalus tua difficilior fiat homo, ad vomitum rediens, & quod difficilior reddatur ad indulgendum? Accipe exemplum: vocaſti medicum peritiſsimum & optimum, tuam ſalutem multũ deſiderantem, applicuit tibi multum ægrotanti medicamina magni pretij quibus conualuiſti, & tamen carnem bouinam comedens iterum contra te grauis febris prævaluit: vocatur & medicus ille, & tangens arteriam, interrogat, quid comedit infirmus iſte? Domine, tales carnes bouinas. Iraſcitur, & dicit certe ſum prouocatus illum ſic derelictum relinquere: tamen miſericordia motus & aſtantium precibus, iterum medicamina & malagmata illi applicat, quibus conualuit. Si iſte homo iterum carnem ſuillam comediſſet & vino ſe ingurgitaſſet, quo exceſſu morti propinquus redderetur: quis auderet illum medicum vocare? Accede ad illum, & narra quod factum eſt, & dicet: vocetur alius medicus, ego amplius nolo homini ſic inſano medicamina conferre, aut moriatur merito. Quoties confeſſus es peccata tua, quibus ad mortẽ infirmatus es infirme in anima? Imo quoties mortaliter peccaſti, toties animam tuam occidiſti culpa, dignam æternalis morte pœnæ. Vocaſti medicum peritiſsimum & optimum Chriſtum Dominum, & ſacerdotem illius vicem habentem: applicuit tibi diuina ſanguinis Chriſti & *Simile.*

paſsionis eius medicamina,& anima tua priſtinam gratiæ valetudinem recepit. Iterum voluptatis carnes comediſti, & ad mortē infirmaſti,& hoc non bis aut decies ſed cēties: caue ne iraſcatur diuinus medicus & dicat vocetur alius,ſi eſt qui ipſum curare valeat: ſinite illū vino voluptatis ebriū. Dñe nō eſt alius qui poſsit illi ſalutē conferre extrate. Dimittite illum iuxta deſideriū cordis eius. Væ homini qui à Chriſto medico relinquitur vt comedat omne culpę nociuū quod vult,dicēte,curauim⁹ Babylonē & hāc
*Iere.* 51. *A* animā confuſione plenā multoties in pœnitētię ſacramēto: non eſt ſanata neq; vult à nociuis & recidiuo abſtinere: derelinquamus eā,vt comedat quod vult. O diuine medice,qui quoties vere vulnera ſua per cōfeſsionē tibi detegit peccator,ſtatī illi mederis.

*2. Reg.* 14. Abſalō reconciliatus fuit cum patre ſuo Dauid ab homicidio quod in fratrē Amnō patrarat intercedēte Ioab,& intrauit ad Regē, & adorauit ſuperfaciē terræ coram eo: oſculatuſq; eſt rex Abſalō. Tñ quia,vt ingratus ad vomitū reuerſus fuit,& patrē perſecutus in ſolutione recōciliationis,& fugientē eiecit à Ieruſalē,& bellū cōtra ipſū gerere nō metuit: ſuſpēſus fuit & lāceis trib⁹ cōfoſſus. Abſalō fidelis,pulcher dū in gratia es,fœtide dū in mortali crimine iaces: peccato tuo filiū Dei, quātū in te fuit,occidiſti nō ſemel vt Abſalō ſed quoties Deus pater eius ſcit,cui iniuriā graue irrogaſti: tñ intercedēte Ioab,ideſt ſacerdote per cōfeſsionē verā,patri eterno multoties te recōciliauit,quādo adorādo pronus in terra delicta tua cōfeſſus es: & Deus pater faciē cōſciētiæ tuæ oſculatus eſt,in ſignū recōciliationis. O inſenſate Galata quis te faſcinauit? O ingrate,quę te demētia cepit,vt poſt tot beneficia auſus ſis Deū perſequi bello ciuili, & ab anima tua expellere delicto & vitijs cōtra ipſum pugnare? Ne durū tibi videat ſi in tali miſero bello occiſus fueris,& tribus lāceis cōfoſſus,ſcilicet pœna dāni,& ſenſus & vermis. Ipſe etiā homo debilior ad reſurgēdū ob recidiuū effect⁹ es,& ex parte tua cōuerſio ſit difficilior, qa obſtinatior & ingratus magis efficeris. Caueat ſacerdos ne te quotidie ad eadē delicta reuertētē abſoluat,quo vſque viderit te per aliquod tem-
*tit. ſoli de pœni. D. 3. ca. inanis ſer. 2. feri. 5. Cin.* pus abſtinente ab illis nam inanis eſt pœnitētia quā ſequens culpa coinquinat (vt ait D. Auguſt. & habetur in decretis) vulnus iteratū tardius medet & ipſemet Aug. dicit: ſi alicui pes frangatur aut manus,cum labore ſolet ad priſtinum officiū reuocari: tñ vt cunq; reuertitur: ſi tñ multoties frangitur, multis doloribus vulnera

nera ipsa curãda sunt. Similis ratio militat in animæ fracturis semel peccans faciliter medetur: heu tñ si peccatis peccata addere cõsuescit & quotidie recidiuari, vñ animę vulnera putrescere cœperint: difficillime & magnis curãtur laboribus: boni vero nec reuertebãtur ad malũ, cũ ambularẽt ad bonum. *Ezec. 1. C.*

Sed vt Dauid qui cũ sciret à Deo nõ fore à Saule capiendũ cũ jã esset à Deo vnctus: dixit in corde suo, Deũ tentare nolo, aliquãdo incidã in manus Saul vna die, nõ ne melius est vt fugiã in locũ vbi saluus sim. Etiã si scires ex numero electorũ esse homo, debere timore cõcuti toties Deũ recidiuo ꝓuocare quis scit si aliquãdo in manus eius incidas, & in tali te occidat statu? Fuge ad tutioraloca. Vide quomodo etiã dęmõ fortius te custodit in recidiuo: cõtigit carceris custodi vnũ insignẽ hominẽ vinctũ tradi: cõpedib⁹ & catenis ligat illũ: venit quidã & ait illi, ne sic te habeas cũ isto homine quia nobilis est, tolle cõpedes. Tollit cathenam & fugit vinctus, & ipse custos punitur. Magna solicitudine curat illũ captare & captũ addit cõpedes & catenas, imo in neruo ponit illum. Accede ad orãdũ pro illo: certe dicet custos, tace, ne talia dicas, quia aufugit iã semel & ego punitus sum, quid si iterũ à carcere fugisset mihi esset? Quocũq; delicto mortali, vinctus dęmonis fuisti cõstitut⁹ homo: tñ oratione virginis aut iussu Chri per sacramẽta fuisti solutus: & dæmõ qui te custodiebat à principe suo valde punitus fuit nõ semel aut decies sed millies ad eius custodiã recidiuãdo nõ es veritus redire? Quid faciet, nisi vincula tibi addere & cõpedib⁹ occasionũ & obstinationis neruo fortius te ligare, ne iterũ à manibus eius per gratiã exeas? O beata virgo, & vbera tua & lac & venter, de quo in festiuitate tua Niuiũ erit sermo: interim veniam nobis impetra, & recidiui fugã, vt Deum videamus per gloriam Amen. *Simile.*

# Ferię quartę dominicę tertię quadragesimæ Homilia prima. *Text.*

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

QVIS meli⁹ accesit ad Iesum quã mater Iesu? ad quã ipse filius Dei à Ierusalẽ cœlesti peruenit carnẽ de illa accipiẽdo, vt pacem cõponeret inter patrẽ suũ & nos homines: vt sic ad salutem animarum nos accedere valuissemus. Quare nos discipuli

filij mei fideles, trāſgredimini eccleſiæ ſanctæ & ſeniorum ſanctorum apoſtolorum & martyrum ſanctas traditiones, & iuſtas cōſtitutiones? Vt quid audetis auſu temerario, panē cœleſtē, corpus ſacratiſsimū filij Dei & mei, ſine cōſciētię lotione, & bonorū operū emundatione in altaris ſacramento manducare: in Dei in iuriā & animarū veſtrarū iudiciū? Fili mi, nō enim lauant manus ſuas & opera ſua munda portant, cū panē corporis tui māducāt. Quare chriſtiani, ſangune filij mei abluti paſsione ſua redēpti, corpore ſuo cibati & ſanguine potati: trāſgredimini mādata Dei, & legē eius diſsipatis, & hoc vt dolū veſtrū & volūtatē peruerſam ad impleatis? Omnes nos ad virginē ore & corde accedamus, vt pacē nobis obtineat, & amplius eccleſię ſanctę iuſtas inſtitutiones nō trāſgrediamur: & vt ad corpus Chriſti pura cōſcientia accedamus mandata Dei perfectiſsime in omnibus cuſtodiamus, quę omnia multū nobis neceſſaria ſunt, & ſine gratia fieri nequeūt. Virgo ſācta, impetra à patre luminū, vt filij meritis, ſpiritus ſanctus mihi advtiliter mandata Dei concionandū & omnibus ad operandū ipſam concedat: interim omnes ſalutatione angelica, ad ianuas pietatis ſuæ deuoto corde, & deſiderio magno impetrandi, pulſemus dicentes. Aue Maria.

*Tex.* ¶ Tunc acceſſerunt ad Ieſum ab Hieroſolymis ſcribæ & Phariſæi.

*Matt. 15. A 32 M. 3 D 22. 15. Aprilis.*

TVnc: quando, euāgeliſta ſacer? Tunc acceſſerūt calūniatores Iudęi ad Ieſum patris ſapientiam & bonitatem, cū fama celebris erat doctrinæ & miraculorum eius: qua de cauſa liuor, tanquā vermis peſtifer & inuidia vt tinea corda illorū rodere cęperūt. Et quia Genezaræi cum regē conſtituere voluerunt, quo autoritas eorū minui videbatur, etiā fuit cauſa maioris odij. Iſti ergo maligni, vt aliqua infamia dūm reſpergerēt nōdubitauerunt labores & longū iter (nempe à Ieruſalē nonageſimo milliario vſque ad Geneſar) perferre: & ſic acceſſerunt ad Ieſum. Quomodo tenebręiſtę, ad lucē accedere potuerunt, filij Belial ad Chriſtum? Preſertim cū dicat Paulus: beatus eſt Chriſtus & ſolus potēs cū patre & ſpiritu ſancto, potentia à ſe ipſo habita: lucē inhabitās in acceſsibilē. Quomodo igitur iſti tenebroſi homines ad illū accedere potuerunt? Nōne poſuit tenebras latibulū ſuum, ait Dauid, quomo-

*Caliſt. fol. 19. A. 1. Timo. 6. C. Pſal. 17.*

quomodo Paulus affirmat lucem esse habitaculum eius. Lucem quãtum est ex se, quia quantũ res habet de esse tantũ habet de cognosci in se: tamen quo ad nos qui noctuæ similes sumus, latibulum eius posuit in tenebris: quia illum perfecte agnoscere nõ possumus in via. Accesserunt Iudæi ad Christum solẽ iustitię, vt nicti coraces, scilicet ficti & simulati, calumniam & dolum, sub pallio obseruantiæ & religionis operientes: & sic accesserunt corpore non spiritu: causa calumniandi, non desiderio veritatem sciendi aut operandi. Accesserunt ad Iesum isti Pharisæi, sed nõ Iesus ad illos illuminando & gratiam infundendo, quia maligne accesserunt. Quoniam accessisti maligne ad dominum (populeIudaice, ait Salomon) & cor tuum plenum est dolo & fallacia: Deus reuelabit absconsa tua, & in medio Synagogæ elidet te, & confundet te sua veritate, cum mendacium diligas & simulationem, & ficte accedas ad illum, vnde non ipse ad te. *Eccli. 10. D.*

Terribile istud est verbũ & maxime tremendũ, his qui quotidie nõ verentur ad Christũ in altari accedere maligne, id est malo cõcupiscẽtię igne cõbusti: aut odij siue auaritię, & corde fallacia pleno atque dolo cõtra proximũ, sine aliquo virtutis fructu. Frater mi, quid prodest animę tuæ quotidie ad Christũ in sacramento existentẽ accedere, si ipse nõ accedit ad te gratiã infundendo, & fortitudinẽ contra vitia: quia ipse obstaculũ ob tuas prauas cõsuetudines illi ponis? Ad maius iudicium prodest, & maiorẽ condemnationem: quia accessisti maligne & sine vera pœnitẽtia ad tantum Dominum. Accedis ad Iesum? Et isti Pharisæi diuisi: sic & tu tantum veste & dignitate, non virtute à laicis diuisus venisti ad sacramentum. Osculatus es Christum in altari? Et Iudas: tamen quid illi maligne osculanti profuit? Sic & tibi. Accesserunt ad Iesum & qui scapulas eius diris vulnerauerunt flagellis, quid inde fructus collegerunt? Accessisti & ipse voluptati deditus ad filium Dei, etiam si confessus: tamen sine firmo cauendi proposito, nec occasiones tollendi, vbi fructus istius accessionis est? Caueat vnusquisque Dei minister (qui non veretur ad tantum dominum in cœlo regnantem, conscientia ficta ad illum in sacramẽto existentẽ accedere) suppliciũ graue illi expectans: & timeat ipsum met Christũ dicentẽ sibi silenter in altari: quoniã non times ad me panẽ angelorũ accedere maligne, & malo igne accensus, cũ sim Dãs tuus, & cor tuũ plenũ est dolo & fallacia contra meas *Mar. 14. E.*

creaturas quas ad malū inuitas in mei iniuriam: reuelabo abſcon dita cordis tui & audaciā, & in medio eccleſiæ elidā te: & confun dā te, vitia pluſquā me diligētē. Quia vt Iodas, me oſculo mulie- ris tradidiſti: & maligne ad me vt iſti phariſæi acceſsiſti, & volup tatibus tuis me flagellare nō erubuiſti. Vide quomodo ad Deum accedis.

Acceſſerūt ad Ieſum. Qui: Et animo maligno? Phariſæi & ſcri- bę: Phariſæi ſimulati, & ſcribę elati: quia nil magis cōtra Deū pu gnat quā ſimulata ſanctitas, & ſciētia inflata. Tales ſunt ſimiles Balę prophetę falſo ſuper aſinā ſciētiæ ſuæ turgētis ſedenti, cui
*Nu. 22. F.* Dns dixit, peruerſa eſt via tua, mihique cōtraria: ſic ſunt omnes qui exterius ſimulāt Dei voluntatē facere, interius autē pleni do
*Dani. 13. A* lo & rapina ſunt. Egreſſa eſt iniquitas contra Dñm de Babylone & ciuitate cōfuſa Ieroſolymitana, à ſenioribus iudicibus ſcribis & phariſæis: qui videbantur foris, populū regere, tamē re nō ita erat ſed deſtruebāt ciuitatē. Vtinā in multis ciuitatibus & fideliū lo- cis, ſeniores, & ſapientiores, & rectores & legis periti, & ſacerdo- tes: qui omnes videntur regere populū exterius, interius ne de- ſtruant illū ſuis conſilijs. Homines Geneſareni (vt ait gloſſa) mi-
*Mar. 6. G.* nus docti credūt in Dñm dicētes, vel fimbriā veſtimēti tui tanga mus vt ſalui ſimus: & phariſæi & ſcribę qui ſapiētes videntur, ad pugnā cōtra Ieſum veniūt & ad calūniā? Quotidie hoc ipſum & inter fideles videmus, indoctos & plebeios verbū Dei cū timore & tremore ſuſcipiētes, venerātes & amplectentes, & operātes, ſa piētes vero huius ſeculi, iuris cōſultos ſcientia inflatos verbi Dei declamatores rodentes, & detrahentes, & proviribus vim verbi Dei tollentes: & multos in dignitate conſtitutos, contra Chriſtū & veritatem inſurgentes. Phariſæi habitu diuiſi ab alijs, virtuti- bus etiam diuiſi eſſe debebant, & alijs ſanctiores, vt in præmio fuiſſent electiores: tamen vitijs & facinoribus erant ſelecti & alijs peiores: vnde in tormentis etiam erunt maioribus, omnes ſic di- uiſi dignitate, & inſigniores malignitate.

Faxit Deus & eccleſiæ ſuæ concedat, ne in noſtris calamitoſis diebus, his phariſæis ſimiles aliqui ſacerdotes aut monachi (& vtinam ne talia ſcribens primus ſim) reperiantur, habitu & dig nitate atque ſpiritus ſancti charactere à laicis diuiſi: quibus titu lis tenentur, virtutibus & ſanctitate omnibus præcellere laicis (quia infelix populus in quo laici ſacerdotibus meliores reperiū tur)

tur) vt sic in præmio magno præirent coram Domino: quos tamen timeo aliquos esse, imo oculis videmus multo peiores laicis & in voluptatibus & vitijs apertius viuentes, peierantes & ludentes, qui tamen etiam erunt diuisi in tormentis. Quia potentes & dignitate gaudentes, & cum hoc peruerse viuentes & scandala paruulis præbentes, potenter etiam (ait sapientia Dei) & fortius tormenta patientur. Quia fortioribus dignitate & cum hoc diuisis malignitate, fortior instat cruciatio: & horrende & cito apparebit vobis Dominus, & iudicium durissimum faciet contra vos qui alijs dignitate & habitu præitis, & vitio. Quis auderet ista dicere, nisi D. Anselmus (in epistolam ad Hebræos super illa verba & prolapsi sunt scribens) dixisset? Religiosos itaque, qui excogitato diu consilio nequitijs se sponte subjciunt, & in eis diutius permanēt intelligimus prolapsos: quales in monasterijs hodie sunt nōnulli: habētes quidem Paulo teste speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: & ideo pœnitentiam agere nolunt (nō possunt, dicit Anselmus) sed moderatius dicamus, nolūt quia de solo exteriori habitu gloriātur, & sanctos se esse putant, quia sanctitatis indumentū portant. Hæc Anselmus, & si duriuscula verba sunt, tamen vtinā ne sic in alijs miserandis nationibus hodie fuissent verificata: Deus, Hispaniā nostram à tali peste defende, ne sacerdotes & monachi solo habitu simus & dignitate à laicis diuisi vt isti Pharisæi, sed etiam virtute & sanctitate.

*Sap. 6. A. B*

*Heb. 6. A.*

*2. Timo. 3. B.*

## ¶ Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?

*Text.*

ECce nostri boni nūtij (imo peruersi pharisęi) ad quid à Ierusalē veniāt: quāuis in omni tribu filiorū Israel scribę & pharisęi habitarēt, illi vero qui Ierosolymis, vbi tēplū Dei erat, habitabāt nequiores ac pestilētiores erāt: vt magis obstinati, & Dei beneficijs ingrati, vt multoties in nostris tēplis videm⁹. Quia (vt optime in Machabęis dicitur) verū nō ꝓpter locū gētē: sed propter gētē locū Deus elegit. Isti igitur pharisæi Ierosolymitæ erant arrogātissimi: & simul adeunt ad Iesum, quo numerus fidem daret & astrueret calumniæ. Attendite qua ratione tot itineris patiātur labores homines: videte illorū mālitiam: à Ierosolyma ciuitate me

*2. Macha. 5. C.*

tropoli, & longe distante veniunt peruersi, vt contra innocentem Iesum calumniam ponant, & illum de mala erga discipulos disciplina incusent. Bene poterant dicere cum damnatis illi pe-
Sap 5. A. stiferi homines: lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, calumniæ & malitiæ: ambulauimus vias difficiles & laboriosas cõtra Dominum, cuius viam veram ignorauimus, nec scire illam voluimus. Quam multi his phariſæis similes inter vos fideles reperiuntur: qui vt damna proximo & vicino inferant, gaudent magnos facultatum suarũ imo salutis sumptus imo & animæ detrimentum pati. Ambulantes vias difficiles Granatenses, & laboriosas curiales, vt litibus & contentionibus fratrem destruant: libenter vnum oculum dantes, vt proximus ambobus sit orbatus: in fine tamen itineris vitæ, videbunt quid inuenient.

Quare discipuli tui non verentur seniorum sanctam & venerandam traditionem frangere? A Ieruſalem ad hoc solum venimus nos Phariſæi & literati, quia egreferunt senes videre discipulos tuos sua sana consilia conculcantes: & à concilio vniuersali ciuitatis sanctæ, & à capitulo pleno sumus missi, ad interrogandum te, quare id facere sinas discipulos tuos: aut si causam legitimam non habes, iubeas illos venerare senes, & eorum sanctiones in pretio habere. Quare? O maledicti, serpenti antiquo simiGen. 3. A. les, vnde modum illius diaboli cum interrogandi per quare, & cur præcepit vobis Deus non comedere ex omni ligno paradisi, à magistro erroris diabolo didicistis, contra magistrum veritatis. Hoc ipso quod dicitis quare, discipuli tui faciunt hoc malum, quasi ab ipso didicisse causatis, & sic illorum delictum in Deum torquere vultis: vnde non dicitis isti homines faciunt hoc, aut Petrus & Andreas & alij, sed discipuli tui: quasi dicentes, ipse peior es illis qui talia illos doces: & qualis magister tales & discipuli. Vt quid tu transgrederis seniorum traditiones, & ita discipulis consulis? Isti nil faciunt nisi quod te facere & docere vident: & sic autor es transgressionis præceptorum, quæ senes venerandi nostri nobis reliquerunt necessaria ad vitam: & per consequens non es ferendus super terram, nec audiendus: & ad hoc tam longo itinere venimus.

O ira Phariſeorum & scribarum stultitia (ait D. Hier.) Dei filium arguunt: quare hominũ traditiones & præcepta nõ seruet: ecce quomodo ex sententia Hierony. contra Christũ isti loqui

voluerunt.

volucrunt. Per traditiones Iudæorum intelligit Hiero. quandam pharisaicam doctrinam: Chryſoſ. vero, leges hominum legi Dei ſuperadditas, ac ſi incompleta eſſet. Per ſenes hic intelliguntur illi, qui ſucceſſerunt ſeptuaginta ſenibus quos Moſes mandato Dei (vt eſt in Numeris) elegit, vt cum illo iudicarent populum: qui per electionem perſeuerauerunt per multum tempus: & iſti ſenes habitabant Ieroſolymis, & legem exponebant, & dubia decernebant, & aliqua ſtatuebant vim legis habentia: quorum ſtatuta Paulus ad Galatas paternas traditiones appellat. Poſt illos ſenes in ſucceſſu temporis (vt vbique terrarum contingit) auariſsimi ſucceſſerunt & peſsimi homines, qui vna cū Phariſæis & ſacerdotibus ad auaritiam & ambitionem, declinantes, ſtatuerunt multa, magis ad lucra mundana declinantia quā ad Dei cultum: & iſta Deus appellat Phariſæorum traditiones, & eas vbique in euangelio reprobat. Quanto meliori de cauſa nos omnes fideles gemitibus & lacrymis, infelicibus Lutheranis damnatis dicere iſta verba poſſemus? Quare, draco peſtifer Martine Luthere, iam in flammis inferni ardentibus & profundiſsimis exiſtens, diſcipuli tui viperarum genimina, hæretici tui ſequaces, à te maledicta venena bibentes, tanquam à fonte tartareo: tranſgrediuntur ſanctas traditiones ſeniorum Apoſtolorum, & illorum ſucceſſorum Epiſcoporum beatorum quas ſancta & Romana Eccleſia, & concilia eius ſancta receperunt, tanquam ab ipſo ſpiritu veritatis edocta, ad fidelium regimen, & Dei laudem? Quare illas contempſiſtis? O graue malum & quale nunc proh dolor in magna Chriſtianiſsimi parte fieri cernimus: vnde vix dici poteſt quantum detrimenti fidei noſtræ & Eccleſiæ ſanctæ acceſſerit. O Hiſpania noſtra, in hoc, inter alia multa, omni laude digna es, quæ ita Eccleſiæ ſanctas ceremonias, & ſanctorum traditiones amplecteris & fide tenes: operibus ſanctis & debita impletione concedat tibi omnipotens vt illas ſerues, quas tam fideliter credis.

*Num. 11.*

*Gala. 1. C.*

Ne moleſte feras, aliqua in traditionum ſanctarum eccleſiæ commendatione audire frater mi, in tempore tam infelice, vt illas accipias libenter & maiori deſiderio cuſtodias quam vnquam: cum videas conculcatas eſſe à diſcipulis erroris: modo magis aqua benedicta vtere: modo libentius Eccleſiæ proceſsio-

ceſsionibus frequenter aſsiſtere non pigriteris. Deum immortalem & veneratione dignum, quanto dolore intrinſeco torquetur cor meum, conſiderans, quam amara maledicētia, quam execrabili temeritate quam damnabili obſtinatione, ſanctas & à ſanctis Apoſtolis & ſummis pontificibus Petri ſucceſſoribus habitas, atq; laudabiles, bonas & deuotas, & animas ad cæleſtia inuitantes, pias eccleſiæ Dei ceremonias, atq; traditiones, ſugillant hæretici impuri, deridēt & calumniantur, & damnāt. Ideo oportet nos fideles ècontra, magis illas venerari, & maiori reuerentia fide & opere amplecti: vt magis acquiramus merita, & ſui erroris illis nullam præbeamus anſam. Grauiſsimus autor (meo iu-
Lr. 13. cap. 19. dicio) Simon de Caſsia ſuper illud verbum, hymno dicto exie-
Mat. 26. C runt in montem Oliueti, dicit notanda verba in fauorem traditionum eccleſiæ. Ait enim, ex hoc mos inoleuit in ſancta eccleſia, vt poſt comeſtionem à bonis & veris catholicis exoluantur gratiarum debitæ actiones: ac per hoc omnibus expedit indubitata fide ſuſcipere, quod multa Chriſtus Ieſus geſsit cum Apoſtolis atque diſcipulis ſuis, quæ ipſi aut euangeliſtæ non manda uerunt memoriæ ſcripturarum, ſed in vita & moribus ſeruauerunt: à quibus vſque in præſentiarum ad poſteros deriuata fuerunt. Proinde omnes mores ſanctos atque honeſtos, quos nunc tenet eccleſia & eccleſiaſtici viri, de quibus neque euangelium, neque apoſtolicæ actiones, neque ſacrarum epiſtolarum textus eloquitur: à Chriſti moribus, ab Apoſtolis & diſcipulis cuſtoditis, & ab ipſorum moribus, quos poſt Chriſtum eos ſeruare docuit Spiritus ſanctus, ad nos per obſeruatores ſuccedentes, velut per alueos puriſsimos indeficientium aquarum effluxiſſe, certa & pia fide credamus.

Quare diſcipuli tui maledicte Martine, tranſgrediuntur ſeniorum ſanctorum & Apoſtolorum traditiones? Vt ait ille optimus doctor Eckius, & acerrimus malleus contra vos hæretici, in ſuo artificioſo Enchiridio & ſatis pio in titulo de ſcri-
Fol. 66. pturis, non ſunt igitur ſolum credenda & ſeruanda, quæ expreſſe habentur in diuinis literis, aut probantur ex ipſis: verum etiam ea oportet credere & ſeruare, quæ ſancta mater eccleſia credit & obſeruat. Non enim omnia tradita ſunt manifeſte in ſacris ſcripturis, ſed quam plurima eccleſiæ (quæ à Spiritu ſancto illuſtratur & gubernatur, & ob id à veritatis tramite errare

rare nequit) determinanda relicta sunt: vnde saluator ad discipulos dixit: adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo: docebit tamen vos & ecclesiam illa, spiritus veritatis qui à patre & me procedit. Multa igitur suis ritibus & ceremonijs obseruat ecclesia Dei ex familiari Spiritus sancti instinctu, & traditione Apostolorum & sanctorum patrum: quæ etsi expresse in sacris literis non habeantur, ipsis tamen nequaquam obuiant, aut ab ipsis discrepant: & sic sunt ab omnibus veris Christianis amplexanda & obseruanda: vt iubet Paulus ad Thessalonicenses dicens: itaque fratres state in vera fide, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ioannes ait, plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero me futurum apud vos, & os ad os loqui. Quid apertius dici potest, in traditionum ecclesiasticarum commendationem? *Ioan. 16. C* *1. cap. 2. D.* *2. cap. 1. D*

Sanctus episcopus & martyr Dei Rossensis in suo contra damnatum Martinum doctissimo libro, ante articulorum confutationem, veritates aliquas præiactat, quarum vna talis est: traditiones apostolicas, quanquam in scriptura nequaquam proditæ sint, nihilominus à veris Christianis obseruandas esse. Ostendit hanc veritatem ex loco illo Pauli modo citato & ait: si Paulus (qui præ cæteris Apostolis tot reliquit epistolas) traditiones, etiam à se non scriptas, iussit obseruari: non negari debet hoc à cæteris Apostolis, qui quo minora scripserunt (imo plures illorum nulla) eo verisimilius est plura tradidisse verbo. Quid enim ex Petro capite ecclesiæ & duce ab ipsomet Deo constituto, & ouium pastore, & animarum doctore: qui post mortem Christi in ecclesia vixit circiter annos triginta septem: quid inquam, in eius literis habemus ecclesiæ reliquisse præter duas breues epistolas? Quis dubitat quin alia pleraq; & saluberrima tradidisse dogmata, in tam longo tempore, quæ literis non commendauit? Tantus pastor, & tam grauissimus doctor & à Spiritu sancto edoctus, non plura debebat oues suas docere quam quæ scripsit? Non est dubitandum, quin plurima docuit per verbum, qui D. Marcũ docuit. De Iacobo & Iuda, quid præter vnicã vtriusq; epistolam accepimus? De alijs apostolis (si euãgelistas subduxeris) nihil nec verbũ qui- *Fol. 20i*

dem

dem habemus ſcriptum: tamen ſingulos ſalutaria reliquiſſe documenta, nemini poteſt obſcurum eſſe. Ioannes in fine euãgelij ſui dicit: ſunt aũt & alia multa quæ fecit Ieſus, quę non ſunt ſcripta: igitur multa per ſermonẽ & ore duntaxat à Domino & diſcipulis prodita ſunt, dicere Paulum, dominus dixit, beatius eſt dare, quã accipere: vbi eſt in euangelio? Et alia de quibus ſacri doctores crebrius admonent nos, vt Dionyſius in de eccleſiaſtica Hierarchia: de ducibus & præceptorib⁹ Chriſtianę fidei tradit: quod hi multa, partim ſcriptis, partim inſtitutionibus ſuis: iuxta qđ ſacras diffiniunt leges, nobis tradiderunt. Vide S. Cyprianum in ſermone de ablutione pedum. Damaſcenum in ſuo libro de fide orthodoxa. Origenem in Numeros.

*Ioan. 21. G.*
*Act. 20. G.*
*Cap. 1.*
*Li. 4. c. 13.*
*Hom. 5.*

Non tamen traditiones noſtræ, & ſanctæ eccleſiæ vtiliſsimæ ceremoniæ ſimiles ſunt veteris legis: etiã illis à Deo per Moſem traditis, forſan Deus ita illas Iudæis commendauit, ob noſtras neceſſarias. Quanto magis illis quas ſenes vanas adinuenerunt & futiles de quibus in noſtro textu fit mentio. Quia ceremoniæ veteris legis iam abolitæ, ſolum erant vmbræ futurorum quæ per Chriſtum erant adimplendæ (omnia enim in figura contingebant illi populo rudi teſte Paulo) vnde ſicut vmbra luce fugatur: ſic illæ ceremoniæ fugatæ ſunt per aduentum lucis mundi, ſcilicet, Chriſti ſolis iuſtitiæ. Noſtræ tamen ceremoniæ & eccleſiæ Romanæ traditiones & nouæ legis ſunt in memoriam & recordationem præteritorum per Chriſtum & apoſtolos geſtorũ: & ſunt ſigna eorum quę in patria videbimus: vnde manifeſtum eſt perfectiores eſſe: etiam ſi aduenientę gloriæ ſtatu ceſſabũt. Quid fecerunt diſcipuli mei, vt ſic tam longo itinere fatigati, ad illos ac cuſandos peruenia tis? Proximos læſerunt periurio? Alienas tulerunt vxores vi? Habent aliquos odio inteſtino? Non. Furati ſunt vaſa templi veſtri Salomonis? Minime: quid igitur fecerunt mali tam horrendi, vt illos, tanquam fractores traditionum veſtrarũ, incuſetis? Quid ego aut ipſi per petrauimus, ſceleris?

*1. Cor. 10. C.*
*Simile.*

## ¶ Non enim lauant manus ſuas cum panẽ manducant.

AVdite malum grauiſsimum quod apoſtolis imputabant: ſicti Phariſæi, maligni irriſores, hoc crimen quod Apoſtolis

ſtolis intenditis imponere, pietatem & bonitatem illorũ commẽ dat (vt ait hic Origenes) quia ex hac ficta & nugaci & puerili obiectione, vos ipſi iudices eſtis in laudem illorum, nullã reprehenſionis anſam in alio crimine illos dediſſe. Certe ſi detranſgreſſione mandatorum Dei, magiſtrum aut diſcipulos eius carpere valuiſſetis: de futilis hominum traditionis fractione & de ſeniorum mandati trangreſsione non calumniaretis eos. Tamẽ ſic inſtituit Deus & implendum eſt, vt mali, etiam nolentes, ſuis detractionibus & calumnijs bonos honorent: aut ſaltim proueniat illis ad meritum, quod ipſi ad infamiam prætendunt: ſic Ioſeph cum fratribus, ſic Mardocheo cum Aman, ſic Dauid cum Saule contigit *Gen. 41. Heſth. 6. C.* ſic & bonis, & perfectis fidelibus noſtri temporis, cum peruerſis detractoribus erit. Adiecerant Phariſæi ceremoniatici legi per Moſem datæ friuola quędam, ex quibus ne quiſcibum manibus illotis caperet: neque à foro reuerſus niſi prius corpore abluto ad menſam ſederet: perinde acſi contactus hominũ, inquinaret hominem ſine animæ conſenſu: aut quaſi purus iam eſſet intus, qui foris lotus eſſet. Hoc ſatis aperte Marcus nobis oſtendit dicens, *Mar. 7. A* cum vidiſſent Phariſæi quoſdam ex diſcipulis Chriſti cõmunibus manibus (ideſt non lotis) manducare panes, vituperauerũt illos & corã magiſtro accuſauerunt. Phariſæi enim & omnes Iudæi, niſi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditiones ſeniorum: & à foro venientes, niſi baptizentur, ideſt, lauentur, non comedunt: & alia multa ſunt quæ tradita ſunt illis ſeruare baptiſmata calicum & vrceorum & æramentorum & lectorum: his atque huiuſmodi multis ſuperuacaneis ac friuolis, onerabant ſimplicem plebem maiores dignitate ſed non virtute. Vnde multoties horum gratia quæ præceperat Deus negligebant: & vt ipſe Chriſtus affirmabat, alligabant onera grauia & importabilia, & imponebant in humeros hominũ, ipſi vero nec digito ea mouere volebant. *Matt. 23.*

Manus, ideſt, opera (ait Hieronymus) non corporis vtique ſed animæ lauandæ ſunt: vt fiat in illis verbum Dei, hoc eſt vt opere adimpleant verbum Dei quod audierunt: manus illota non cõtaminat animam, neque aquæ liquor ſordes ſpiritus abſtergit niſi ſacramento mediante, quid detractores peruerſi contra ſanctos Chriſti diſcipulos calumniatis? Qui alimẽta neceſſaria plerunque negligebãt (vt ait Chry.) quomodo his minimis animũ dediſſẽt?

Imo

Mat. 12.A Imo qui esurientes aliquando non habebant quod manducarẽt nisi spicas quas per sata vellebant, ad quid tam crebro manus lauare debebant? Sed tamen pessimis hominibus & canibus in detractione similibus, nunquam deest de quo in bonis calumnientur: ne timeas linguam horum canum homo fidelis, si Dei mandata integre custodieris, quia Deꝰ ipse pro te vt pro apostolis respondebit. Quanto maiori de causa ecclesia Dei poterat ista verba Christo sponso suo dicere, attendẽs tot altaris ministros tam impura conscientia & operibus prauis audentes panem cælestẽ corporis sacri & dominici manducare quotidie, sine aliqua vitæ suæ correctione? Domine mi, quare discipuli tui multi fideles laici audent præcepta seniorum transgredi, in hoc quod panem corporis tui manducare non verentur illotis manibus, & operibus pollutis, sine hoc quod aliena restituant, occasiones peccandi fugiant? Quare & ministri tui accedunt non solum ad manducandum panem corporis tui sed ad consecrandum, despiciendo Mala. 2.B. nomen tuum (vt ipse per Malachiam de illis conquestus es) in hoc quod offerunt super altare tuum panem pollutum? Id est corpus tuum tam impura conscientiæ manu & opere, acsi panis corporis tui esset pollutus, & non angelorum cibus? Laua prius manus ideſt opera tua sanguine Christi in pœnitentia, cum firmissimo non recidiuandi proposito: si vis digne manducare corpus illius, in militante ecclesia, & in æternam beatitudinis pane in gloria, Amen.

# Homilia Secunda.

Text. ¶ Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.

CHristus dominus non ferens tam malitiosam de re nihili criminationem, percutit illos atroclore, tamẽ veriore, crimination e, non respondens interrogationi sed malignitati illorũ. Vnde non reddit rationem, quare discipuli non obseruarent illas traditiones contrarias legi Dei: sed respondet medium rationis quo ostendit tales traditiones legem Dei peruertere, & sic à nullo debere obseruari. Falsam calumniam (ait Hiero.) vera responsione confutat, dicens: O hypocritæ, & personati scribæ, quare discipulos meos arguendos putatis quod seniorum iussa parui pendant,

dant,vt Dei ſcita cuſtodiant,cum vos ſitis adeo peruerſi, vt non timeatis ob dolos veſtros & inutiles traditiones ſancta Dei mãda ta frangere,& eius conſtitutiones diuinas violare? Quispotius au diẽdus eſt,& dẽ omnibus obediendus, Deus cõducibilia iubens, an ſenes auari irriſoria præcipientes? Clauum trudere clauo ſcio: clauũ calumniæ veſtræ clauo veræ obiectionis & iuſtæ obiurga tionis deſtruam. Quia cum ſciam abſcondita cordis,quare venia lia aliorum ãccuſatis,cum vos mortalibus ſitis irretiti? Imo quod vitium in diſcipulis meis non eſt calumniatis,non attendentes id quod in vobis mortale eſt. Quare? O quare à Deo quęſitum,præ cipue poſt vitam quando non inuenitur quia,etiam ſi cum lacry mis & gemitibus queras illud,ſi in hac vita per ſacramenta non inueniſti. Quare contempſiſti verbum domini,vt faceres malum inconſpectu meo,dixit Nathan ad Dauid in nomine Domini,& perterritus fuit dicens, peccaui domino. Quid erit quando ani ma tua à corpore egreſſa corã Chriſto iudice rigidiſſimo præſen tata audiat iſtud quare, contẽpſiſti verbum meũ faciendo malũ inconſpectu meo: & nõ poſsit iã tũc meritorie pœnitentiã agere, dicẽdo peccaui domino? Frater mi,dum es in vitæ huius via,eſto cõſentiens aduerſario tuo & iſti quare reſpõde cito,pœnitentiam vere agendo,alias tradet te aduerſarius dæmõ iudici Chriſto, & iudex carnifici inferni,& ipſe in carcerẽ trudet animam tuã: quia tunc non inuenies quia,neq; quid reſpondeas vere & vtiliter.

2. Reg. 12. B.

Matt. 5. D.

Quare,& vos? Qui poteſtate,autoritate,ſciẽtia,& religione atq; dignitate,cęteros omnes præcellitis: quæ omnia vobis data ſunt ad animarum veſtrarum,poſt Dei honorem, vtilitatem, & alio rum ædificationem,& vos illis abutimini in Dei iniuriam,& de ſtructionem proximi,& in veſtrum detrimentum? Et vos? Qui eſtis Ieroſolymitæ & ſacerdotes,ſcribæ & literati,& Phariſæi ab alijs diuiſi in cultu exteriori,vt etiã in religione humilitate & cha ritate ab alijs decreti fuiſſetis? Et vos diuiſi eſtis,ſed in auaritia,ſed in ambitione,ſed in calumnijs,& bonorum perſecutione. Et vos, duces populi cõſtituti vt per rectã virtutis viã perducatis illũ: & vtinã & vos & populũ vobis cõmiſſum ne in præcipitium detis. O quare,& vos mihi & vobis fideles, meliori de cauſa dictũ quã iſtis Iudæis, quare vos fideles ſanguine meo redempti, & ipſo multoties abluti,corpore meo in cibum quotidie vtentes, & in domo eccleſiæ meæ viuentes,tranſgredimini Dei mãdata & facitis?

tis ſcelera multa ob traditiones veſtras & dolos ſeruandos. Et quod peius eſt nil curæ vobis eſt de grauiſsimis facinoribus veſtris,& magna ſolicitudine leuia aliorum carpitis, & calumnias tegitis.Iſtis Iudæis & vobis ſimul dicat Chriſtus, qua fronte vos qui hæc leuia calumniamini, & tanti facitis humanas conſtitutiunculas,quæ nil adferunt,niſi moleſtam ſuperſtitionem:mandata grauia non à ſenibus auaris conſtituta, ſed à Deo vero, & quæ tantam ſeruantibus vtilitatem adferunt, tranſgredimini? Reſpondete quia.

Omiſsis iſtis perfidis phariſæis cæcis,quibus ſufficiat dictum domini ſaluatoris in ſupplicium ſuę audaciæ,qua minima grauiſsimè arguebant in alijs, & ſcelera magna ſua nō videbant,ad nos fideles tranſeamus:ſufficiat contra hos,illud væ à domino dictū:

*Mat.23.C* væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum,& cyminum,& reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium,& miſericordiam,& fidem: hæc oportet facere & illa non omittere:duces cæci,excolantes culicem,glutientes camelum. Et iterum,væ vobis ſcribæ &Phariſæi hypocritæ,quia mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia.Iſta grauiſsima verba à Chriſto domino prolata, ſufficiant contra iſtos ſimulatos Phariſæos: quibus verbis damnati ſunt per væ,quia decimam rerum leuium ſoluebant,relinquentes grauiora:non quia illa minima faciebāt, cum illa etiam oporteret facere,ſed quia iſta neceſſariora omittebant, leuia faciebant & relinquebāt iudicium quo vnicuiq; proprium dare debebant. Veniamus ad nos fideles, quorum multis talia verba Chriſtus dominus veriſsime vt Phariſęis illis dicere poteſt: quare & vos fideles à me ſic beneficiati, & qui innumera dona à me recepiſtis, tantā de minimis ſolicitudinem adhibetis,interim grauiora mandata legis diuinæ & præcepta mea contemnentes, conculcantes,& tranſgredientes? Væ,& væ vobis iudicium relinquentibus,in his quæ ſunt alteri debita: honorem debitum aut ſubſtantiam alienam veris dominis reddere non curatis: væ vobis quia miſericordiam & eleemoſynas deteſtamini, magna vtentes crudelitate. Væ vobis veritate in verbis veſtris,factis & promiſsis,emptionibus & venditionibus carentibus:decimatis olera (& vtinam fideliter)interim decimas tritici & agnorū defraudatis,& patenter furatis.

*Ibi.*

O cæci

O cæci homines, qui non veremini in talem peruersitatẽ manifestam incidere, & bibendo, tanta diligentia, minimam culicis immunditiam euitatis: vt non sitis contẽti simplici extractione culicis, vt solent communiter homines, sed illum excolatis per lintheum: ita vt velim dicere quod vos seruatis minima & fere nullius momenti, & tamen grauiora Dei præcepta absq; vllo timore violare nõ formidatis. Mũdatis vasa potus & ciborum, & tamen in vasis animarũ contenta sunt immũda: vtpote male acquisita ex rapina & vsuris. Mundate miseri, prius quod intus est, aut conscientiam pollutam vitijs: aut contenta in vasis, suis dominis aliena reddendo, & de nullo proximo iudicando. Duces cæci parentes, rectores, religionum prælati & animarum pastores, iudices vtriusque fori, & omnes aliorum duces & vobis ipsis cæci existentes: nonne videtis animas vestras leuia excolantes venialia & culicem ceremoniæ vanæ, interim camelum delicti magni auaritiæ aut odij, voluptatis aut adulterij deglutientes? O pharisæis cæcis similes, in prætorium non introeuntibus ne contaminarentur, sed vt manducarent pascha: & tamen non timentibus me vitam omnium morti tradere Crucis: sic & vos facitis. Videbis aliquem laicum aut mulierem ad Eucharistiam accedentem, tribus vel quinq; continuis annis in adulterio aut alio graui delicto permanentem, aut restitutioni magnæ obnoxium, sine aliquo vitium relinquendi aut aliena restituendi proposito: qui tamen si recordatus fuerit alicuius venialis, aut quia parum cibi inter dentes manentis deglutiuit, coram omnibus, & non illorum minimo scandalo, vocat sacerdotem corpus Christi in manibus iam habentem, & ibi confitetur, cæteris iudicantibus graue fuisse delictum, cum sit nullum. Pharisæe cæce, vt quid tanta cura culicem excolare inuentus es, & quod veniale non est: cum tamen mortale non dubites deglutire & cum illo ad sanctam Eucharistiam accedere non sis veritus? Munda prius cor tuum ab omni voluptate, occasiones peccãdi tolle, alia ita integre restitue: tunc de minimis curam habere te gratanter Deus suscipiet & angeli eius. *Ioan. 18. E.*

Non tamen hoc admonere negligam aut omittam, quia frequenter hoc contingere video, quod dum sacerdos est in altari iam sacram buccellam porrigere volens, non est condecens nec expedit, vt communicaturi in conspectu plebis illa quorum fue-

runt oblita in confeſsione illic publice ſacerdotem vocēt ad confitendum illa, quia alij ſcandalum ſumunt credentes graue delictum eſſe, cum nō audeat corpus Chriſti accipere ſine illius confeſsione. Sed communionem (ſi poſſunt ſine nota) differant vſq; ad aliam miſſam: vel, proponentes illico poſt communionē confiteri, ſacrum accipiant cibum. Conſilium eſt ſapientiſsimi magiſtri mei Soto, & credo recipiendum eſſe: & ſi hoc etiam verum eſt de grauibus delictis, quanto magis de leuibus, imo & multoties de ſcrupulis qui peccatū non attingūt, facere debes? Audito dæmone, ſputum ab ore proijcit alius: & nunquam ab ore illius recedit: & per trienniū non veretur in corde ſuo per mortale crimen hoſpitiū illi prębere. O cæce minimū abluens & de magnis non curās. Alius omnes Cruces quas caſu in via cōpoſitas inuenit, tollit & oſculatur: qui tamen non eſt veritus quoties occaſio offertur iterū Chriſtū ſuis crucifigere culpis: & in omnibus operibus ſuis Crucis Chriſti inimicū eſſe, & pœnitentiam abhorrere. Phariſæe cæce, prius mūda quod intus in anima eſt illā maculans, deinde facultatē habebis etiam de minimis prouidere: quid tibi prodeſt de minimis & de his quæ foris ſunt ſolicitum te præbere, & tamen de magnis & quæ animam occidunt nil curæ habere?

*4. diſt. 12. q. 1. art. 4. in fine.*

Accedit & alter ſacerdos magno cum timore ad ſacrum conficiendum, quia abluens os guttam aquæ deglutiuit nolens, per modum ſaliuæ, quod Doctor ſanctus & omnes alij pro nihilo reputant: qui tamen in mentem non reducit alterum Iudam eſſe quotidie oſculo Deum tradentem & pericula peccandi diligentem: & alterum dæmonem ad inuitādum animas ſanguine Dei emptas ad malum, effectum: qui tamen de primo confitetur & timet & de hoc grauiſsimo crimine, nec mentionem facit, ſed inuerecunde vt alter Iudas ad Chriſtum confecrandum oſculandum & recipiendum quotidie accedit. Væ tibi phariſæe cæce, ab alijs habitu & religione diuiſe & dignitate, dux cæcorum, grauiora legis relinquere non times, & camelum mortalis culpæ ſine metu deglutis: & culicem aquæ gutæ excolere ſolicitudine magna ſatagis? Quod de foris eſt mundare curas, & intus animam pollutam habere non vereris? Quare & vos (ait Chriſtus) peccatores effrontes, tam inuerecunde mandata Dei tranſgredimini, interim de minimis & leuibus arguentes vos, imo

*3. part. q. 80. art. 8. ad. 4.*

imo & proximos carpentes, quod peius est: & alijs onera grauissima præceptorum imponentes, cum vos nec digito tangatis? *Matt.23.A.*

Quid iudici supremo & rigidissimo Christo domino Monachus respondebit, qui perfectionem deuouit, vota sancta promisit, ad magna consilia Dei se obligauit: qui tamen prostratus in terram super faciem suam coram prælato veniam cum dolore confusus ab ipso petit: interrogatus de crimine, respondit se vnicum, tempore silentij loquutum fuisse verbum: cum tamen proprietarius non dubitet esse, & nummos contra promissum possidere, & odium intestinum contra fratrem per mensem in corde gerere, & nociua mulierum consortia & animæ suæ pernicioſa diligere, prælato inobedientem esse, & vota essentialia quæ Deo suo vouit non dubitat quoties datur occasio frangere? Pharisæe cæce & ita diuise ab alijs habitu & obligatione, de minimis curam habes, & grauiora violare non dubitas? Culicem venialis excolere solicitudine curas, & camelum deglutire non times? Væ tibi à Deo manet, & correctio quam contra hos Pharisæos exercuit in tua ratione suprema & vltima: si prius non mundas animam tuam à malis interioribus & grauibus, deinde quod foris est: quia illa te oportet facere prius, & hæc non omittere.

Hoc graue malum terribiliter est pictum in facto Iudæorum mecum in die passionis meæ: nam qui sine aliquo Dei timore me in horto ligare non timuerunt, & post alapas sputa & irrisiones per totam noctem mihi irrogatas vigilanti: mane non introierunt in prætorium Pilati, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. O hypocritæ, & in minimis superstitiosi, cum magna scelera cõmittere non dubitetis: solam domũ incircũcisi creditis vos cõtaminare posse animas vestras, si illam intratis: & nullam immũditiam creditis contraxisse, ex hoc quod tam indigne tractatis illum qui circũcisionem iusit Abraham? Innocentem agnũ ad mortem ducitis, & agnum paschalem creditis mundo corde manducare, si non intratis prætoriũ gentilis? Animum habetis homicidã, linguas etiã & omnia quæ in vobis sunt Deicidium sitiunt: conduxeratis proditorem & cohortem, & falsos testes, & falsa crimina, & insuper vrgetis & terretis iudicem contra Deum creatorem vestrum: & tamen cum hoc creditis esse puros dignosque vt pascha celebretis, si ab ingressu prætorij *Isaiæ.18.F.*

continueritis? Egregia plane puritas: imo ſtulta & impia cæcitas: habitaculo alieno creditis contaminari, & non ſcelere proprio? O Phariſæis ſimiles multi fideles, modo Chriſtum ligantes in proximis, percutientes & infamãtes abſq; vllo conſcientiæ remorſu: & tamen de minimis aut leuibus culpis multam curam habentes, & nolentes eccleſiam ingredi, quia cum ex communicato locuti ſunt dicentes, Deus te conuertat.

Quare & vos fideles, tranſgredimini mandata Dei, propter peruerſas veſtras inclinationes, conſuetudines atq; dolos? Habetis quia ad reſpõſionem? In principio huius materiæ, in qua de mandatis Dei eſt agendum, primum in communi deinde in particulari: maxime velim, vt homines cordis auribus percipiant dicenda, cum illorum ſalus æterna ex hoc tantum pendeat, nempe ex debita præceptorum Dei obſeruatione, teſte veritate iuue
*Matt. 19. C.* ni dicente, ſi vis advitam ingredi ſerua mandata Dei. Audiamus igitur omnes Chriſtum dominum arguentẽ nos, & interrogantem, qua cauſa ſimus tam audaces vt mãdata Dei tranſgredi non vereamur? Et prius attendamus conſideratione debita, quid ipſe de mandatorum ſuorũ inſtitutione affirmet, & de cauſa qua illa nobis præcepit. Propenſa in vos homines diuinæ bonitatis miſeratio, ne hominem quem mente & arbitrio liberum condideram, iam lapſum iam læſum, iamque ſenſu & cogitatione in malum procliuem omnino perderem: operæpretiũ duxi eundem
*Pſal. 31.* hominem præceptis conſilijs, & exemplis, velut fræno & camo maxillas eius conſtringendo, nunc ſtricto nunc laxo dirigen-
*Pſal. 118.* dum, ac in officio continendum. Et ſic volui ſemper inter homines vt eſſet viua quædã ſpecula, eorum qui in offenſe cucurrerũt viam mandatorum meorum: ne mihi dicenti, Quare & tu tranſgrederis mandatum meum? dixiſſes, ego quomodo pertranſire potero tam arctam, tamque arduam viam? Homo ſum, puluis ſum & terræ cinis, rebus egens, viribus impotens, ingenio tenui. Et iſti fideles mei, qui mandata ſeruant, nonne homines ſunt vt tu? Carne & infirmitate circundati, haud ſecus atque tu? Tecum vitam degentes in hac lacrymarum valle, & in eadem regione vmbræ mortis?

Vnde ſi vis ad vitam neſcientem mortem ingredi, ſerua mandata mea: alias mors & æterna non deerit tibi. Vita quid amabilius? Morte quid horribilius? Et tamen nec mortem ſuperare,

nec

nec vitam habere potes, sine mandatorū obseruatione: vt iuueni dixi: serua mādata si cupis ad vitā ingredi: quod dictū vt est breue in verbis, ita stringit fortiter necessitate illationis: quia si nō obseruas mādata Dei tui, vitā non attinges æternā. Quod satis aperte doceo (Ioāne teste) dicens, scio quia mādatum patris mei vita æterna est: ā cōtrario igitur sensu, vbi præuaricatio mādati, ibi nō est vita æterna: & vbi nō est vita æterna, ibi nec vera vita, quare nec vita, sed potius mors quędā. Vnde studiose aduertēdum est, non dixisse saluatorē, si vis ad vitā æternā ingredi, serua mandata, sed si vis ad vitam ingredi: quasi nemo viuat, aut vitā habeat sine mādatorū Dei obseruatione: sed omnis vita sine tali custodia potius mors dicēda est. Suo more saluator eleuando quæstionē insinuabat vnāq́, idem esse in substantia, vitā absolute, & vitā verā, vitā secundū virtutē, vitā diuinā, & vitā æternā: sicut verū & ens, conuertibiliter idem sunt: si enim verū nō est, ens esse non potest: sic vita & vera vita nō separantur. Quia si vera vita non est, sed simulata, sed fluxa, sed in offensa vitæ fontalis transiens ad vtranq́; mortē corporis & inferni, & ad modicū parens, talis non vita, sed quæ deinceps extermi- *Iaco. 4. D.*
nabitur, vapor fœtidus per instans teste D. Iacobo apparēs, & defectio in mortē potius dici debet. Vera vita esse non potest sine virtute ex fide per dilectionē operante, quod in debita mandatorum Dei obseruatione consistit: & sic quoddā diuinū esse debet, & per consequēs æternum, illud quod vera vita appellatur: quia æternus Deus & omnia quæ illius sunt æterna sunt.

*Matt. 19. C.*

*Ioā. 12. C.*

Obserua benedictā Saluatoris sententiā: vt videas obedientiam in seruādis mandatis Dei, esse vnicā veri similāq́; viā ad vitā veram sanctā & æternā obtinendā: vt habeas illā & abundantius habeas, quantum maiori solicitudine mādata custodieris: ita vt si mādata nō seruaueris, tibi ingressus nō pateat ad vitam, quæ vere vita est. Præuaricatio legis aculeus est siue stimulus mortis, sua plaga animā interimēs: sicut cuspis hostilis feriens ad interiora hominis occidit. Si tamē durū tibi ad credendū videtur, quomodo mortuus dicatur homo mādata Dei non custodiens, & legē Dei præuaricatur: cū interim spirare & respirare illum videas, ac singula vitæ officia exercere: attēde de internis auribus, vt cū videas qualē mortē animæ, inferat mādatorū transgressio diuinorū, fugias plusquā pestē, imo plusquā infernū talē mādati præuaricationē: & vehemēter timeas Christū audire in tua vltima ratione: quare & tu trāsgressus es mā-

*Ioan. 10. B.*

*Simile.*

data Dei tui, ob tuas fictas voluptates, & affectiones nociuas? Sicut anima eſt vita corporis, ſic & melius vita animæ eſt Dei Spiritus dans ei eſſe quoddã diuinũ, ſuoq; vigore intus ingenerans vitã veræ æternã, diuinæ teſte Petro naturæ conſortẽ: & hoc eſt eſſe Deũ in anima per gratiã, illã viuificare vita veriſsima, quã ſi homo non amittit peccato, illa obtinebit vitã mori neſciẽtẽ, quæ in Dei viſione cõſiſtit. Et ſicut anima corpus nõ animat, niſi quandiu in ipſo manet debita humorũ & qualitatũ proportio: ſimiliter & ſpiritus ſanctus nõ viuificat ipſam hominis animã per gratiã, niſi quandiu cõſiſtit in ordine ad legẽ æternã illã debite ſeruãdo, cũ quadã proportione viriũ inferiorũ ad rationẽ. Tolle corporis temperaturam per vulnus aut morbũ, ſtatim animã migrare cogis cũ omni ſua viuacitatis operatione: tolle per inobedientiã ſubiectionẽ quã ad legẽ Dei habere debes, & mox recipit ſe in ſuũ principium Spiritus Chriſti, & fugit ab anima tua cũ omnibus donis & chariſmatibus viuificantis gratiæ: Sapientia increata nõ intrat in animã maliuolam, imo fugit fictũ, vnde nõ manet vltra in te niſi corporea quędã vita, ſine ordine confuſa, lethali vulnere ſaucia, iuſto Dei iudicio ſubiecta legi mortis: quæ iam operatur in te quaſi exordiũ imperij ſui, depaſcens quidquid eſt boni meriti & gratiæ, qua viuebas in Deo, & ſecundum Deum.

*Simile.* *Simile.* *Simile.* *2. Pet. 1. A.* *Sapien. 1. B.*

Statim enim vbi præuaricatus fueris mandatum Dei tui, properat in te magnũ ſatellitiũ mortis: error, caligo mentis, opinionũ illuſio, falſa tui de te exiſtimatio, pruriens in malũ affectus, praua cupiditas, defectus virtutũ, paſſionũ pugnæ, iniquitas, inſtabilitas & certa diuiſio & tremenda, inter Deum tuũ & te: ſeruitus iniquitatis ad iniquitatẽ, & totius eſſe antiquatio. Quod autẽ antiquatur (teſte Paulo) prope interitũ eſt: ſic anima tua ſine gratia, quã mandatorũ tranſgreſsione perdidiſti, prope mortem æternã eſt. In anima vbi adſunt ſupra poſita mala per mortale delictũ illi proueniẽtia: nonne ibi vmbra potius, falſaq; imago viuentis, quã vera vita reperitur, & pabulũ mortis potius quam viuendi ſubſtãtia? Vides quanta mala & tremenda damna animæ tuæ mandatorum Dei tranſgreſsio adducat: homo, ſine timore Dei legem Domini diſſipans? Forſan cogitabis, horrendum eſt quod dicis. Tremendum magis quod fiet certe, niſi conſilium Saluatoris breue, ſi vis ad vitã ingredi ſerua mãdata, cito inquaris: eſt autẽ ſeruare, cuſtodire rẽ ne perdatur, aut in ſe pereat. Non igitur audias ſolum mandatũ Dei,

*Hebr. 8. D.*

neque

neque discas tantũ, sed serua, & in scrinio memoriæ tuæ seruatum custodi, in meditatione cordis, & in exercitio operis: serua ipsamet mandata, si vitam desideras. D. Augustinus contra Manichęos dicit (quam autoritatẽ adductã videbis à doctore sancto in sua theologia sancta) diabolus potestatem habet in eos qui Dei præceptà contemnunt, & de hac tam infelici potestate lætatur: quod valde adnotare debebant mãdatorum Dei contemptores transgressores, & conculcatores: & toto corpore, imo spiritu, inhorrescere, cum audiant D. August. affirmãtem: sub potestate diaboli manere ipsos, cum primum Dei præcepta contemnunt, & contemnentes violãt illa transgressione & peccato. Diabolus habet potestatem super te mandatorum Dei cõtemptor, vide quid facias. Et lætatur super te de tali detestanda potestate ipse malignus: quod valde notandum est pro mille locis scripturæ, quomodo D. Tho. consentit cũ S. Augustino, aliquale gaudium in dęmonibus esse, desumptum ex peccatis hominum: vnde etiam si dolet Satanas ex inuidia, quia non damnãtur homines iuxta volũtatem suam: tamẽ gaudet de alio, scilicet quia homines peccãt, & Deũ offendũt & legẽ eius cõculcãt. *D. Tho. 1. p. q. 64. arti. 3. in. 1. argu.*

Quare & vos trãsgredimini mãdata Dei Christiani propter adinuenta vestra? Nec promissis à Deo seruãtibus illa allicimini, nec minis cõtra frangentes terremini, vt illa custodiatis: ita vt nec formidine pœnæ aut inferni, nec virtutis amore aut Dei, mandata illius custodire velitis? Si angelus domini modo huc veniisset de cælo dicens: in nomine domini pauperibus mandata Dei plene seruantibus mille aureos promitto, & infirmis plenariam salutem: & deformibus mulieribus pulchritudinẽ optatam: & hominibus infamibus & inhonoratis magnũ honorem: solum vt decẽ Dei præcepta integre adimpleant. O sancte Deus, qua cura, qua vigilantia atq; solicitudine, pauperes, & infirmi, deformes & iniuria respersi, cauerent ne minimũ Dei frangerent præceptũ, & qua cura illa seruassent. Non ego vilis concionator, non angelus Dei, sed ipsemet angelorũ creator tibi pauper diuitias cœli promittit seruanti Dei mandata, & gloriam non finiendam: quia gloria & diuitiæ in domo eius & in beatitudine, quam mãdata Dei custodiẽti promisit: tibi infirme peccator salutem perpetuã, tibi fœtidissima mulier & peccato deformis effectã, pulchritudinẽ magnã dabit: quia de forti muliere legitur, fortitudo & decor indumentum eius: & gloria & honore decorabit te Deus. Et hoc bonũ tam supremũ, vt quid *Simile.* *Psal. 111.* *Prouer. 31.*

domine, promittis? Ob mandatorum obſeruantiã: ſi vis ad vitam ingredi, vbi ſunt omnia bona nec inuenitur aliquid mali, ſerua mã data. Non dico eſto peregrinus, eſto ſapiẽs aut diues, ſed ſerua mã data: quare promiſſa tam magnifica contemnis mandatorum Dei fractor? Vt quid paupertatem & infirmitatem, & animi fœditatẽ, & infamiam potius eligis quam Dei mandata leuia & ſuauia ad
*Matt. 11. D.* implere dicentis iugum eſſe ſuaue & onus leue? Quare & tu audes tranſgredi mandata Dei homo?

*Simile.* Alia terroris via procedamus: ſi modo omnipotens Deus in illo ſacrario exiſtens tam potens & fortis vt in cœlo, dixiſſet, homo multum iurans, caue tibi, inquacunq; hora me in teſtem mendacem dicendo, iuro per Deum adduxeris, aut odio proximum habueris, aut vxorem aut facultates vicini tui tetigeris ad furandum: ſtatim lepra plenus vſq; in finẽ vitæ manebis, aſpectu horrendus,
*2. Macha. 9. 3.* & nullus poterit tecum habitare præ fœtore, & vt alter Antiochus membra tua graui corporis colliſione vexata terribiliter erunt: ita vt de corpore tuo vermes ſcaturiant: vt nemo poſsit tecum habitare ob intolerantiam fœtoris, imo nec ipſe iam fœtorem tuum ferre poteris: & vtinam dicas cum illo, iuſtum eſt ſubditũ eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire: eia quis veſtrum audet peccare? O nos infœlices homines & ſenſibus deſtitutos, nã cuilibet noſtrum dixit ipſemet Deus, ſerua mandata mea: alias certe ſi periurus fueris, aut inimicos non dilexeris, aut vxorem proximi tui tuleris ad malum, aut fueris fur aut detractor, lepra culpæ infectus manebis, non vſq; ad finem vitæ ſed in æternum, in ſterquilinio inferni, horrendus ipſis etiam dæmonibus, & fœtidus, vermis conſcientiæ ſcaturiet contra te ex te, ita vt intolerabile ſit tecum habitare, imo nec ipſe te poteris ferre ob fœtoris intolerantiã: ſed in ſterquilinio inferni (ſi cito pœnitentia vera non fueris ablutus) perpetuo manebis. Et hoc non times? Et cum hoc præcepta Dei frangere non vereris? Quare ô fideles nec minis nec promiſsis adducimini ad mandatorum Dei obſeruationem? Quare tranſgredimini illa ob veſtras adinuentiones falſas, & veſtros dolos contra animas veſtras adinuentos?

Si vultis ad vitam ingredi perpetuã, & mortẽ fugere æternam ſeruate mandata. Sed quid eſſet, ſi mihi aliquis dixiſſet fidelis, quo
*Ad. Hebr. 5. D.* modo & vbi illa debeo ſeruare? Modo fidei rudimenta neſcis? Ad huc lac fidei tibi opus eſt dare non ſolidum cibum? Nondum ſcis

quid

quid ſit mãdata Dei ſeruare cum deberes, vt ait Paulus magiſter eſſe ob tẽpus? Secundum valorẽ aut cõditionem cuiuſcũq; rei ſic debet ſeruari & cuſtodiri: currus in via ſeruatur, quia nemo illum furatur: pars quercus in ianua cuſtoditur: ſi tamen veſtis eſt intra domũ reponis: ſi tamen vas aureum eſt maiori cuſtodia ſeruatur: ſaculus tamen aureorũ in arca clauibus & ſeris magna cura cuſtoditur: vtinam tale diſcrimẽ in bonis animæ & corporis à nobis fieret. Frater mi, omnia tẽporalia bona quid niſi paleæ aut quercus pars ſunt? Vt quid tanta ſolicitudine ſeruas, & tanto animæ tuæ diſpendio acquiris ipſa? Lex Dei immaculata, & eloquia domini caſta, argentum igne examinatũ vbi cuſtodis? Mandata Dei ſuper millia auri & argẽti, à Dauid dilecta & pluſquam aurũ & topazion prætioſiora, quã ſolicitudine & in qua recondita arca ſeruas, ne inimicus tollat illa ab anima tua per aliquod mortale? O ſiniſtra hominũ electio, ò peruerſa cõmutatio, palearum arcas, & arenæ & ſtercoris thecas ſub ſeptem abſcõdis clauibus, cẽtum videlicet argenteos: & aurum perfectiſsimum mandatorum Dei, & margaritam legis diuinæ in ianua aperta & falſa, nẽpe in ore tuo effrænato, nõ times reponere? Quid mirũ vt latrones inferni tollant illa à te per falſum iuramentũ aut detractionem? In manibus tuis Dei mãdata ponis, & non operando illa? Cito proijcies illa aut ludo perdes.

*ſimile.*

*Pſal. 11. & 118.*

Aliter & in loco magis tuto præcepta Dei ſeruabat Propheta Dauid, quãdo dicebat: Dñe mi, poſui ſemel mandata tua in oculis, & vidi mulierẽ alienã & illam cõcupiſcens, perdidi mandatũ ſextum adulterio, & quintum homicidio. Ploraui, pœnitentiam egi & nolo amplius peccare, nec tam leuiter tam pretioſa cuſtodire mãdata, nec in tali loco. Vbi ſeruabis illa Dauid? In corde meo abſcondi eloquia tua & mandata vt nõ peccem tibi: ita vt qui voluerit à me tollere vnum de mãdatis tuis, cogendo me ad illius tranſgreſsionẽ aut inuitãdo: potius obtineat à me vt cor à corpore meo extrahat & cani illud proijciat, quã vnius mãdati tui violationem: hoc eſt, antea mori patiar, quam frangere præcepta à te mihi tradita: & qui voluerit illa auferre à me, prius ſinam vt tollat vitam meam. Vt quid Dauid, mãdata mea in corde tuo abſcondiſti, & in loco ſic recondito poſuiſti? Quia tu mãdaſti, domine mi, & maxime oportet vt impleatur ab omni fideli, mandata tua cuſtodiri nimis & in corde, & ſolicitudine non pigra: & potius mori, quam aliquod mãdatorum tuorũ frangere debet eligere. Frater mi, per Chri

*2. Regũ. 11. A.C.*

*Pſalm. 118.*

*Pſalm. 118.*

ſti vulnera obſecro te, vt ſi dæmon aut malus homo, dæmone multoties peior, facultates tuas vult tollere à te, honorem, & ſalutem, imo & vitam: ſi mandata Dei ſeruando potueris te liberum reddere à malitia ſua pro viribus ſatage, ſi nõ, hæc omnia potius da, quã vnius mãdati Dei violationem. Et clama verbo & opere ad dominum cum Dauid, in corde meo abſcondi eloquia tua domine, qui voluerit aliquod illorum à me per peccatũ extorquere, tollat cor meum, mandatum tuum minime: id eſt, potius moriar. Quia ſine corde nemo viuere poteſt, bene ſine oculis aut manibus: & ſic in illo & non in his mẽbris abſcõdi eloquia tua vt potius vitam quam illa perdam: tu mandaſti, & iuſtiſsime Deus meus, & quis audebit non implere? Vt mandata tua cuſtodirentur in optimo loco, & nimis, ad ingrediendum vitam æternam. Amen.

# Homilia Tertia.

Text. ¶ Quare tranſgredimini mandatum Dei?

*Iob.1.2.c.* O Patientiſsime Iob, qui prius facultates, oues & boues camelos & aſinos imo & filios & filias, & propriã ſalutem dare voluiſti, igni, & latronibus & ruinæ domus: quã vnũ Dei præceptũ peccando: etiam ſi vxor tua petiuit illud à te, & amici conſolatores oneroſi, vt hodie ſunt in vſu.

*Gen.39.c.D* O caſtiſsime Ioſeph, qui potius pallium meretrici, & corpus carceri & te infamia reſperſum imo & morti, ſi opus fuiſſet, dediſti: quã ſextũ Dei mãdatũ. Sic & hodie cõtingit inter fideles noſtros, qui potius mori volunt quã caſtitatẽ amittere, & ſextum frangere

*Danie.13:* mandatũ vt Ioſeph: ita cõtingit innumeris inhoneſtis fœminis ho

*Iere.9.A.* die vt caſtiſsimæ Suſannæ. Imo vt plorat Ieremias, oẽs ſunt adulteri, fornicarij, & cætus præuaricatorum: & potius facultates ſuas, ſalutẽ & honorem, periculo exponunt amittendi, imo & vitam perdendi, quam ſine conſenſu recedat voluptatis tentatio: & ſi opere non adimpletur, gratias Deo referamus, qui fecit vt non eſſet tanti mali oblata occaſio. Infœlix homo q̃ ſic paſſionibus deſiderij ſui tradidit ſe: vt ſemper paratus ſit mandatũ Dei frangere, quoties occaſio datur. Non ſic ſancti martyres, nõ ſic puellæ pulcherrimæ & virgines diuites, quæ potius gaudẽter & volũtariè ad ignẽ & Crucẽ, & leones & aculeos adductæ ſunt: quam inuite ad mãdatorum Dei trãſgreſſionem, imo ad nuptias: quã ecõtra hodie cõtingit, in noſtris

nostris voluptuosis diebus. Custodi mãdata Dei & ne carni tuę fragili illorũ abseruationẽ & custodiã committas, si non vis in anima occidi. Isboseth, vt quid Rechab, & Baana frater eius interfecerũt te, & sublato capite abierunt? Quia dormiebã super stratum meũ meridie & reliqui in custodiã mulierẽ triticum purgantem & obdormiuit. O te infœlicem, & cum dormires, & meridie, non clausis ianuis: mulierem in custodiam ponebas, cum tam crudeles inimicos haberes? Fidelis, meridie in vita quando est operãdum, & merita lucrandum in peccatis dormis? Quare carni fragili mãdatorum Dei custodiã commisisti? Ianuas sensuum tuorum claudere non curas, cum habeas inimicos terribiles: quid mirum aut caput tuum tollant à te, & sine Christo per gratiam maneas in anima occisus, & tibi mandata Dei furentur? Serua mandata. 2. Reg. 4.

Nonne multũ gauderes, & in magno haberes pretio rem vnicã quã tibi ostẽderem, tã pulchrã & suauẽ: in qua omnia tibi necessaria simul inuenires, & quæ desiderari in homine possunt, tã vt hic viuas vt decet, quam vt Dei visione dignus sis? Certe res esset mirãda, & margarita magni valoris, & thesaurus in quo omnia desiderabilia cõtenta essent: de quo posset illud Saluatoris intelligi: porrò vnũ est necessarium. Ostẽde mihi hanc gẽmam pretiosam, vt quęram illã totis viribus, vsq; dum inueniã: & inuentam toto corde diligam, & dilectã magna vigilãtia custodiam ne rem vnicã & tam vtilem amittã. Accipe illam margaritã, nempe mandatorũ Dei impletionẽ: & si mihi (imo & Christo, dicẽti serua mãdata si vis ad vitam ingredi) dubitas fidẽ habere: audi Spiritũ sanctũ per Salomonem in sua cõcione dicẽtem. Finem loquẽdi omnia quæ ad vtilitatem omnium dici possunt & illorũ finem pariter oẽs audiamus: Deũ time, & mãdata eius obserua: hoc est enim omnis homo: talẽ finẽ loquẽdi audiamus omnes fideles, vt mẽte retineamus & opere adimpleamus: certe vtilissimus finis iste est, cũ doceat vnico verbo finẽ desideratissimum nostrũ, nempe Dei visionem. Audi spiritus diuini illationes per Salomonẽ intimatas: cura disciplinæ & cõcionis dilectio est: dilectio, custodia legũ, quæ est consummatio incorruptionis, incorruptio facit esse proximũ Deo. Est igitur sensus verbi: in hoc vno, scilicet, in mãdatorum Dei obseruatione, cõsistit esse & bene esse, & officiũ & exercitiũ vniuscuiusq; qui vere hominẽ agit & fidelem seruũ tanti Dei: per hoc initiũ & exercitiũ virtutis & finis legis Euãgelicæ & beatitudinis obtinetur. Hinc in

*Simile.*

*Luc. 10. G.*

*Eccl. 12. D.*

*Sap. 6. C.*

cipiunt

cipiunt hucq; recurrunt, omnia tam consilia Christi quam sancto rum, vt sit nobis spōtanea, & exacta obseruatio mādatorum Dei.

1.*Tim*.1.A. Ostendo sic: cum finis præcepti sit charitas de corde puro, teste Paulo, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo: quia

1.*Ioan*.4.C. Deus charitas est affirmāte Ioāne, quē Scopū qui attingit, is habet quæcunque ad hominis dignitatē pertinent: hoc est cūcta quæ in homine coram Deo & angelis eius alijsq; cordatis viris merito desi derari possunt: in quocunq; agat genere vitæ, & quantūlibet obscurus sit, miser aut abiectus. Nam de titulis honorū, diuitiarū, scien tiarum generū aut dignitatū, sine mandatorum Dei obseruatione: absolute possumus dicere quod nil sunt. Tamen Deum timendo mandata eius omnia obseruare: ore pleno & vero dicimus hoc est omnis homo, & perfectus homo, & cōsummatus homo, corā Deo & hominibus, hic & in cœlo & vbiq;: quod alius interpres red dit paulo lucidius dicens: Deū timeto, & mādata eius obseruato, quia in hoc consistit omniū hominū perfectio. Ac si diceret: quæ cunque à Deo hucusque dicta sunt & à Prophetis: & quæ in libris scripta, alijsque innumeris libris scribi possunt: comprehēduntur, sub vno illo, Deum timendo mandata eius plene custodire: vide quā optimā margaritam. Quare & vos Christiani, & vos sacerdo tes, & monachi mandata Dei transgredimini, perfectū hominem cum faciat illorū obseruatio, & perfectū monachum & perfectum sacerdotem prælatum & Dei ministrū: & hoc propter traditiones vestras & dolos, consuetudines prauas & obstinationes? Si cogno uissetis qualem perfectionem, mandatorū Dei fractione amittitis: forsan alia cura legem Dei seruaretis. Insuper & amicitiā meam perditis, quam promisi mandata seruantibus in nocte qua traditus

*Ioan*.15.B. fui, dicens apostolis meis in nomine omnis fidelis: vos amici mei estis discipuli, non quia apostoli, neque si tantum credideritis aut audieritis quæ præcipio vobis, sed si feceritis. De mandatis loqui aut audire siue disputare, non magni laboris est neque ponderis: ta men mandatū implere omne quod Deus iusit, virtutibusque vti & nulli tētationi assentiri: hoc iungit fœdera æternitatis, & amici tiam cum Deo, qui super omnes est.

Magna res diadema regum, maior sacerdotij dignitas, maxima apostolorum, & tamē amicū Dei (quod omni dignitate superat) solum constituit obseruatio mandatorum Dei. Igitur quid præsu mere audebitis homines mandata Dei conculcātes & inuerecūde frangentes:

frangentes. Si apostoli post tantã cum Christo consuetudinem, post mundi contẽptum, post miracula ab ipsis facta, post apostolicam functionem, audiunt à Christo domino: tũc amici mei eritis & estis, cum hoc tamen addito, si feceritis mandata quæ præcipio vobis, alias certe inimici mei eritis? Quam toto cœlo errẽt, vtinsani, desiderijs suis pessimis traditi carnales & facinorosi, qui cuncta referunt ad nudam credulitatem & ad fidem solam sine operibus: non sufficit iste solus Christi locus ad ostendendã illorum proteruiam & furiam infernalem? Opera sunt valde necessaria ad salutem & mandatorum obseruatio ad constituẽdos Dei amicos hæretici infernales: alias sine beatitudine inimici Dei perpetuo manebitis. Non habetis cordis intelligentiã quia malitia vestra & error obcæcauit vos, vnde scripturam non intelligitis, neque vim præcepti Dei, neque illius promissa: cum ipse dicat qui fecerit voluntatẽ eius qui misit me patris, non dicit qui audit aut credit tantum, sed qui fecerit operando, tam mihi charus est quam si germanus esset frater congenitaq́, soror (& quod his maius est) quam si de suis me visceribus genuisset essetq́, mater mea? Audite mandatorum Dei contemptores, tam hæretici impletionem negantes, quam fideles peccatores non operantes, quam magnam dignitatem amittitis. *Matt. 12. D.*

Eo ipso quod per baptismã Christianus effectus es, legẽ Dei & mandata illius integre adimplere promisisti: quia sine dubio profiteris talem te fore, qualẽ decet esse Christi militẽ, quod sine mãdatorũ obseruatione & legis ipsiusmet Dei impossibile est fieri. Ait D. Chrys. in imperfecto: qui sutoriam, verbi causa, aut quamcunq; alteram profitetur artem, etsi specialiter non spondeat, tamen per hoc ipsum quod sutoriam professus est artem, & opificium vel magisteriũ eius artis aperuit: videtur tacite omnibus spondisse, vt sine reprehensione adimpleat quam professus est artem. Quãto magis deuinctus erit fidelis, & magis sacerdos, & magis monachus aut prælatus artem Christianam & religiosam quam profitentur, sine reprehensione adimplere: quod sine mandatorum Dei obseruatione fieri non potest? Si scriba, si pictor, si legisperitus, imo & si præco tenetur fideliter officiũ suũ exercere, quanto magis fidelis, sacerdos & monachus? Præcepta Dei tam vtilia & necessaria: quorum obseruatio Dei amicos fratres & sorores cõstituit, transgredi audetis? Vt quid tãti pretij *Hom. 40. in Matth. 21. simile.* *similia.*

cum

cum ſint, ſuper omnia in corde veſtro non ponitis talia mãdata?
*Simile.* Quapropter ſicut in argento viuo & liquefacto, omnia ſuper natãt, ſolo auro infundũ ſubſidente: ita merito in pectore & corde hominis Chriſtiani, cuncta quæ ſub ſole ſunt honoris & diuitiarum, dignitatis & ſcientiæ: deberẽt extra proijci & ſupernata re in argento cordis puri & viui, & in Dei amore liquefacti, ſola autẽ legis diuinæ meditatio, cũ debita præceptorũ obſeruatione ad imum fundũ cordis deſcẽdere debet, vbi quiete ſedeat & pacifice quieſcat, & nullus illã furari poſsit. Quod aurũ & illo pretioſius Dei mandatũ ſit, iam diximus ex Dauid, ideo dilexi man-
*Pſal.* 118. *Sap.* 7. *A.* data tua ſuper aurum & topaziõ: dilexi ſuper aurũ multũ quia omne aurum in comparatione mandatorũ Dei & ſapiẽtiæ nihil eſſe dixi, ait filius eius Salomon, & arena eſt exigua cordi meo in collatione mandatorũ tuorum domine cũ illorũ obſeruatione, eſt idem, quod habere ſapientiam increatã per gratiã. Væ qui tribus argẽteis attractus nõ veretur ſeptimũ frangere præceptũ: væ ſine argenteo peierãti, væ blaſphemãti, væ voluptuoſo ſextum Dei mandatum violanti.

Si tamẽ immaculata Dei mãdata, ob magna commoda dicta & multo maiora quæ dici poſſunt, & ob æternã vitã, & ob promiſſa à Deo per Moſem in Deutero. cuſtodire nõ vis: quia ſi au-
*Deut.* 28. *A* dieris vocẽ domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mãdata eius quæ ego præcipio tibi hodie: faciet te dominus excelſiorem cũctis gẽtibus, quæ verſantur in terra: & venient ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ: benedictus tu in agro, & benedictus in ciuitate, & alias multas, vide ibi. Quod ſi audire nolueris & præcepta ſeruare ob benedictiones, ſaltim vt cõſciẽtiæ iurgiũ
*I. Ioãn.* 3. *D.* compeſcas quod ſola mãdatorũ obſeruatione fit teſte D. Ioãne: & vt euites terribiles maledictiones quas tibi videre licebit in Deutero. ibi. Maledictus erit fructus vẽtris tui, ſcilicet opus tuũ:
*Pſal.* 118. maledicti à Deo erũt, ait Dauid, omnes qui declinant à mãdatis tuis, ne adimpleant illa: quã terribilis ſit vltima Dei maledictio
*Exo.* 20. *C.* in ſecũda Dominica Aduẽtus vidiſti. Frater mi, ſi veniens Deus,
*Actu.* 7. *E.* angelo mediante, teſte D. Stephano, legem veterem & mandata ſua rudi populo & rebelli daturus, tanto terrore venit & tonitruis etiam fulgoribus: nam monserat terribilis & ſonitus buccinæ paulatim creſcebat, & cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem Clangorque

buccinæ

buccinæ paulatim creſcebat, & vehementius perſtrepebat: & timuit populus qui erat in caſtris. Cūctus populus videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ montemq; fumantem, & perterriti ac pauore concuſsi, ſteterunt procul dicentes Moſi: loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Et quod populus rudis, & vulgus imperfectus talia diceret tremētes, trāſeat: ſed quod dicat Paulus ad Hebræos, ita terribile erat quod videbatur, quod Moſes, vir perfectione præditus & Dei valde amicus ac familiaris, dixit (etiam ſi in Exodo non legatur ſufficit vt Paulus dicat) exterritus ſum & tremebundus: ſed nolite timere, vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis ne peccaretis. *Heb.12.F.*

Placuit omnia iſta minantia & terrentia hic adiungere, vt timeas mādatorum Dei violator, & cogites toto corde: ſi tantis ministantoq; terrore Deus ad legem dandam, angelo mediante, venit: quādo occurrat tibi in morte tua ad rationē exactam exigendam, de legis diuinæ impletione, ipſemet filius Dei, quid terroris & doloris erit contra te mandata conculcantem? Heu, quanta tentationum tonitrua, quam grauis metus tubæ & ſentētiæ diffinitiuæ iudicis dicentis, veni benedicte, aut abi maledicte: quomodo iam inferni fulgura micabūt: dæmones accuſabūt: quādo iuſtus vt Moſes exterritus manet & tremebūdus, nā vix iuſtus ſaluabitur, impius & peccator mandatorum contemptor vbi parebis ait princeps apoſtolorū? Certe res tremenda eſt, audire dicta aliquorum ſanctorum prope mortem exiſtentiū, qui tamen pleniſsime mandata Dei obſeruauerunt, cū vidiſſent ſe iam prope rationem. Quid dicam de illo, S. Hilarione, qui cum in deſerto ſanctiſsime à quindeno anno vixiſſet vſq; octogeſimū ætatis ſuæ annū, infirmus in horto iacebat: iamq; modicus calor (referēte D. Hieronymo in vita Hilarionis, & deinde D. Antonino) in pectore tepebat, nec præter ſenſum quicquam viui habens ſupererat, & tamen apertis oculis loquebatur: egredere, quid times anima? Egredere, quid exire dubitas ò anima, ſeptuaginta annis Chriſto ſeruiuiſti, & mortem times? In hæc verba exhalauit ſpiritum. O confuſio peccantium, ò duritia legis Dei tranſgreſſorum: qui cum omnia Dei mandata, per totam vitam diſsipent & conculcent, non timent horam mortis cum iſto Sancto Hilarione: quid de illis erit? *I. Pet. 4. D.* *D. Hie. 1. To. fol. 252. 2. p. Hiſ. tit. 15. c. §. 3.*

Certe

certe homo, parui pendens Dei ſancta præcepta frangere, in hora mortis, ſi veram non feciſti pœnitentiam, ſatis exterritus eris & tremebundus. Et cum illo populo Iudaico dices, non Moſi ſed cuilibet angelo, imo & dæmoni, loquere tu mihi & exige à me mandatorum rationem quantumuis rigidam, dummodo ne loquatur mihi Chriſtus dicens: quare & tu fidelis ribalde, non es veritus mandata Dei ob tuas deliciàs atq; dolos tranſgredi? Ne loquatur mihi dominus, ne forte æternæ morti me ſubijciat. Væ tibi, ſi talia dicens anima à corpore tuo receſſit, certe iam non erit angelus neque Moſes, neque concionator, neque confeſſarius, qui tibi dicat: noli timere, ſed valde time, quia abſq; vllo timore mãdata Dei violaſti: nã Chriſtus dominus non venit iã vt te probet; ſed vt oſtendat tibi qualis fueris: & terror illius nõ venit modo vt amplius non pecces, neque vt mandata ſerues, ſed quia pec-
*Pſalm. 88.* caſti, & ſancta illius mandata conculcaſti, corruet ſuper te. Ipſe filius meus (ait pater æternus) in nocte paſſionis inuocauit me dicens, pater meus es tu, in quantum & ipſe Deus ſum, & Deus meus in quantum ſum homo: & ego primogenitum ponam illum in multis fratribus, quibus multa bona conferam, ſi legem meam ſeruauerint: ſi autem filij mei fideles legem meam dereliquerint, vitia ſectando, & in iudicijs meis non ambulauerint ſed in vijs ſuis prauis, ſi iuſtitias meas prophanauerint, & mandata
*Pſalm. 2.* mea non cuſtodierint, certe viſitabo in virga iniquitates eorum,
*Iere. 1. C.* & in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringam eos: & in illa virga, quam Ieremias vidit vigilantem, contra mandata mea conculcantem: & in verberibus viſitabo peccata eorum. Quare tranſgredimini mandata Dei ô fideles?

*Simile.* Si tanto timore quilibet Iudæus percuſſus erat, & valde tremebat in deſerto vnum è tantis præceptis frangere, ne terra promiſſa careret: quare ipſe fidelis non times mea præcepta frangere, ſcieris & fide catholica credens, quod ſi in vno mãdatorum Deũ
*Iaco. 2. B.* offenderis factus es omnium reus (vt ait Iacobus) & ſi in tali fractione mortuus fueris, abſq; dubio eris dãnatus? Nam quo reatu & damnatione obligatur & ad ipſam met damnationem æternã, & viſionis diuinæ carentiam, ille qui plura mandata & ſæpiſſime tranſgreſſus eſt: eodem reatu & damnatione obligatur & fit reus qui in vno mãdato offenderit: hoc ſenſu, quod ad idem ignẽ inferni ibit, & eodẽ ſummo bono carebit: non tollendo tormentorum

torum discrimen, sicut cõcedimus præmiorum: cum sint multæ mansiones in cœlo: & stella à stella, ideſt, beatus à beato differat in gloria iuxta meritorum differẽtiam: sic & damnatis cõtingit: nam grauius supplicium portat, qui in pluribus mandatis aut sæpius offendit quam in vno aut rarius peccat: scriptum est, pro mensura peccati erit & plagarum modus. Si me de diuinis præceptis concionante, aliquis vestrum surgeret dicens, ne loquaris mihi de mandatis Dei: alius dixisset, nolo audire illa: alius bene possumus illa frãgere: alius, licet nobis peierare festos dies frangere & inhonorare parentes: alius: non est mortale peccatum odio habere proximum, neque vxorem illius aut facultates subripere: quid de huiusmodi fidelibus tam execrãda verba dicentibus pij Christiani diceretis? Quid de illis sentiretis? Imo quid domini inquisitores iudicassent, de huiusmodi blasphemijs contra sancta Dei mandata prolatis? Certe tales homines supplicio graui dignissimos damnassent. Quare vos, & vos, etiam si verbo non estis ausi contra Dei mandata supra posita verba maligna dicere: vt fascinati & insani non veremini sine Dei timore & inferni tremore, mandata illius opere nefando violare, transgredi, & conculcare? Veniens venit & non tardabit contra vos generalis inquisitor Christus dominus, qui scit delicta vestra & rationem exiget à vobis grauem, & adignem æternũ omnes in peccato mortali inuentos dijudicabit. Quid angeli dicent, quid sentient dæmones de te fidelis, quota hora non solum verbo sed cogitatione & operatione tam sancta Dei mandata frangente? Maledictus eris, quia declinasti à mandatis Dei. *Ioãn. 14. A.* *1. Cor. 15. F.* *Deu. 25. A.* *Simile.*

O fideles qui sancta Dei præcepta in corde seruatis, & plenarie adimplere gaudetis, ad vitam mortis expertem, certe ingressi eritis, si vsque in finem vitæ perseuerantiam habueritis: beati eritis quia vt immaculati in via huius vitæ in lege domini ambulastis. Audite promissum à me filio Dei vobis mandata mea custodientibus & me diligentibus: qui diligit me sermonem meũ seruabit: nam in operis exhibitione ostenditur amoris probatio, & in mandatorum obseruatione Dei dilectio ostenditur. Quale præmium à te accipiet domine mi, qui te diligere ostendit mandata tua seruãdo? Pater meus diliget eum, & tres diuinæ personæ ad animam eius veniemus per gratiam, & multa dona illi conferendo, & non erit aduentus noster ex transitu, sed man- *Psal. 118.* *Ioãn. 14. D.*

ſionẽ apud eum faciemus, quouſq; alicuius mãdati violatione, aut tranſgreſsione (ſuo malo grauiſsimo) homo ab anima ſua
1.Ioãn.3.D. expulerit nos. Qui ſeruat Dei mãdata in ipſo manet (ait Ioãnes) per Charitatem, & Deus in ipſo per gratiam & amicitiam, & in futuro alter altero per beatitudinem ſociabitur: quare & vos ſanguine Chriſti inſigniti fideles nec virtutis & præmij amore, nec pœnæ & inferni timore non veremini Dei mandata immaculata frangere. Quia ſingularia magis quã communia corda hominum pertentefaciunt, non erit abre in tempore ſic infelici, in quo peruerſi fideles violatione & damnati hæretici diabolica in uentione, ſancta Dei præcepta violant & conculcant, ad aliqua illorum, quæ frequentius contemnũtur (Chriſti adiutorio) deſcendere. Quare & vos ad regnum cœlorum ſic peculiariustantis
*Primum mãdatum.* donis vocati, Chriſticolæ, non timetis primum & maximum mandatum, ſcilicet vnum cole Deum tranſgredi, ac ſi ipſemet
*Exo.20.A.* Deus per angelũ non dixiſſet, non habebis Deos alienos coram me? Si quælibet mandati trãſgreſsio animam coinquinat, & immundam illam reddit: quanto magis Deum maximum & optimum atque beneuolum, nõ colere fide ſpe & charitate, quod in primo iubetur mandato?

Et ſi vulgo dicitur primum Dei præceptum, eſſe Deum ſu-
*Deu.6.A.* per omnia diligere, imo dominus in Deutero. dicit: diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: quæ verba Chriſtus dominus referens in
*Matt.22.D.* Matthæo dicit, hoc eſt maximum & primum mandatum: certe vnum cole Deum fide, ſpe & charitate primum Dei præceptum eſt. Dilectionem Dei ſuper omnia Chriſtus vocat primum, in intentione legiſlatoris intelligitur: quia præcipue intendit hoc (vt ait Caieta. ibi in Matthæũ) & quia virtualiter continet reliqua præcepta ad Dei honorem pertinentia: ſicut diliges proximum tuum ſicut teipſum, & ſicut debite & licite diligere te debes, illum diligendo, ſeptem alia præcepta ad vtilitatem proximi adimples: vnde forſan (ſi mea alicuius momenti eſſet autoritas) hoc inſinuare voluit Chriſtus dicens, diliges dominum Deum tuum eſt primum mandatum, ideſt fundamentum & principium mandatorum ad Dei honorem pertinentium: quia ſtatim addit, ſecundum autem ſimile eſt huic in dilectione etiam conſiſtens proximi,

& ſun-

& fundamentum aliorum ſeptem ad amorem proximi pertinentium. Denique omnia decem præcepta in vero & perfecto Dei & proximi amore conſiſtere Chriſtus Dominus nobis hominibus oſtendere voluit.

Primo igitur Dei præcepto nobis latria Deo debita præcipitur, ſcilicet ſeruitus, adoratio, honor, & reuerentia ſoli Deo exhibenda, quæ fit corde per fidem, ſpem, & charitatem, & corpore per adorationem, & laudem Dei vocalem, ſacrificium & ieiunium, & alios geſtus in honorem Dei cedentes. Per fidem enim præcipitur tibi fidelis, vt implicite credas omnia quæ ſancta & Romana Eccleſia proponit credenda, & explicite articulos fidei, & illos ſcire cum decem domini mandatis, & quinque Eccleſiæ præceptis: & etiam ſcire debes ſacramenta Eccleſiæ ſaltim illa quinque neceſſaria ſine quibus nemo ſaluari poteſt, in re vel in voto ſuſceptis: vt communiter dicitur, quinque ſunt neceſsitatis ſine quibus nemo ſaluari poteſt, ſi aliquod illorum ex contemptu relinquat. Tenẽtur tamen omnes fideles ſaltim à quatuor decimo anno iſta quatuor ſuprapoſita explicite ſcire: alias peccato mortali quemlibet illorum damnat, ſapientiſsimus magiſter Soto, in ſua doctrina Chriſtiana, in qua viſcera charitatis ſuę oſtendit: quando tam grauiſsimus homo & ingenio peracutiſsimo, ad tam humilia (ſed neceſſariſsima) ſe inter alta ſtudia inclinauit.

Hinc ſequitur iſto primo præcepto (ex hac parte qua fide colendum eſſe Deum iubet) omnes ſuperſtitiones prohiberi, vana mulierum veneficia, & verba ſuperſtitione plena: hæreſes & omnes contra veram fidem errores. Per ſpem præcipitur nobis in Deo firmiter confidere, omnia nobis non impedientibus neceſſaria ad ſalutem prouentura, præcipue beatitudinem ipſam & ſui claram viſionem. Tamen debemus confidere quod ex ſua miſericordia & gratia, intercedentibus noſtris operibus bonis in ſua amicitia factis, æternam viſionem ſuam nobis donabit. Vnde grauiſsime peccant de miſericordia Dei deſperantes, cum Iuda, & Cain: & etiam qui peccatis peccata accumulant. Qui vt peccatis liberius vacent: nolunt ſibi ſuaſum fieri, iam poſſe remiſsionem peccatorum ſuorum obtinere. Etiam grauiter delinquunt, qui deſiderant de medio tolli, & mori quocunque mortis genere: *Matt. 27. A* *gene. 4. C.*

quia illis nõ ad votum aliquid ſuccedit, aut in laboribus viuunt. Per charitatem prȩcipitur nobis Deum ſuper omnia diligere ex toto corde & vere pro viribus & poſſe: & omnia opera talem dilectionem oſtendentia continuo exhibere: ita vt non ſimus dæmonis fallacibus, & mundi iniurijs, & carnis blanditijs ſeducti, & à tali Dei amore ſeparati, etiam ſi neceſſe prius ſit animum à corpore ſeparari: & forſan hoc eſt, illum ex tota anima diligere.

*Secundum mandatum.*

Quare & vos fideles mei, tranſgredimini tam inuerecunde & frequẽtiſsime ſecundum mandatum ſanctum primæ tabulæ: ad honorẽ patris mei & Spiritus ſancti, & ad meam laudem val de pertinens, in quo vobis imperatũ eſt à ſummo Deo, & vnicuique veſtrum in lege dictum, non aſſumes nomen domini Dei tui in vanum? Nec enim habebit inſontem dominus eum, qui aſſumpſerit nomen domini Dei ſui fruſtra: & in Deutero. non vſurpabis nomen Dei tui fruſtra: quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomẽ eius aſſumpſerit: & in Leuitico: nõ periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego dominus ſcilicet, impero qui imperatoribus, imo & angelis & omnibus creaturis impero. Placuit mihi illa quæ in lege antiquata de iſto præcepto iuſſa erant adducere, ſi poſſem homines dæmoniacos periuros & blaſphemos perterre facere: ne vltra ſic effrænate nomen ſanctiſsimũ Dei mei ſuis pollutis linguis maculent quantum in ſe eſt: abſque dubio teneo, ex tribus partibus damnatorum fidelium, vnam eſſe illorum qui inuerecũde miſeram conſuetudinẽ iurandi à diabolo didicerunt, & maledicendi Dei creaturas ſine ſolatio.

*Exo.20.B.* *Deut.5.B.* *Leui.19.C.*

Si autem dixeris iſta quæ dicta ſunt, contra ſecundum Dei præceptum frangẽtes, in lege veteri ſcripta ſunt iam antiquata. Illa quæ ſunt iuris naturæ (etiam ſi non in quantum legis veteris ſunt, debeant cuſtodiri & hoc contra illos qui affirmant moralia legis Moſi remanſiſſe cum iam dominus dixit conſummatum eſt, & Paulus, tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. De quo magiſter Soto) frater mi, ſemper in quacũque remanent lege, vnumquemque hominem obligantia ſunt: quãto magis cum ipſa veritas incarnata illa homines docuerit. Audi Chriſtum dominum in Matthæo dicentem, audiſtis quia dictum eſt antiquis Iudæis in locis præallegatis, non periurabis: reddes autem domino iuramenta tua? Ego Deus verus & perfectus

*Ioann.19.F.* *Heb..7.B.* *Matt.5.F.*

ctus homo, qui possum dicere, & iubere, & transgressores punire, & tale mãdatum adimplentes magnis afficere beneficijs, ego (inquam) dico vobis fideles mei, sanguine meo redempti, non iurare omnino: neq; per cœlum, quia thronus Dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum eius: neq; per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neq; per caput tuũ aut salutem aut vitam iuraueris, quia nil horum tuum est sed meum. Probo hoc, quia non potes vnum capillum nigrum album facere in capite tuo, nec album nigrum reddere, ergo nihil est tuum. Domine, qui sic ora hominum claudis ad omne iuramentum, non poterũt aliquo verbo veritatem suam affirmare? Sit autem sermo vester, est, est: scilicet quod est, dicite hoc est ita. Non, non: quod non est dicite, hoc non est ita. Et certè ita est. Potestis dicere & in veritate sic se res habet, & in fide hominis boni: quod autem his abundantius est à malo est, à quo nos libera domine, gloriam tribuendo. Amen.

# FERIAE QVARTÆ Dominicæ Tertiæ Quadragesimæ

## Homilia Quarta.

¶Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem: & qui male dixerit patri vel matri, morte moriatur. Text. *Matt.15. A*

SALVTATIO AD VIRGINEM.

O Deipara virgo, quam vere & perfecte non solũ Dei mãdata, sed etiã sancta cõsilia sua semper obseruasti: cum D. Augustꝰ. de peccato agens, non sit ausus de te aliquã mẽtionem facere: mãnus, ideſt, opera tua semper mundissimæ fuerunt: quam multoties panẽ cum filio altissimi manducasti, quem ipsa prius sudore & labore acu & colu parasti vtrisq;. Nunquam fuit mater filium tam prudẽter nutriens nec tãta solicitudine custodiẽs vt ipsa virgo virginum fuisti: nec

inuẽtus eſt filius ſic matrẽ in vita & vſq; ad mortem honorãs vẽ Chriſtus angelorum rex te honore eſt proſequutus? Labijs tuis ſemper Deũ bonoraſti, corde tuo caſtiſsimo illũ dilexiſti: imo tã prope illũ erat cor tuũ in dilectione ſicut fuit in vẽtre in concẽptione. Quid hoc eſt virgo ſancta vt tã inuerecũdi, inter fideles, filij reperiãtur erga patres, & tã effrõtes filiæ erga matres? Quare parẽtes adeo negligẽtes & torpore nociuo preſsi circa filios alendos eſtis? Quare & vos filij tranſgredimini Dei mãdata ob ſcelera veſtra & parẽtes nec labijs honoratis nec corde diligitis? Ipſa mater ſanctiſsima obtineat à filio vt ſpiritus veritatis mihi ad cõpetenter neceſſaria parentibus & filijs dicẽdum, & vobis ad operandum, quod nobis opus eſt concedat. Gratia certe indigemus. Labijs & corde ante virginem proſtrati, angelicam ſalutationẽ illi proponamus dicentes: Aue Maria.

Quare & vos fideles, tam ſine fronte & ſine vllo Dei timore, mãdatum ſecũdum primæ tabulæ trãſgredimini, iurãdo vana & nomen dñi in teſtem mẽdacij adducẽdo: ac ſi non dixiſſet vobis Deus, non aſſumes nomẽ Dei tui in vanũ? Sit ſermo veſter eſt id quod eſt: non, id quod non eſt: audite dñm dicentem in noſtro Euãgelio, de corde exire periuria, & blaſphemiãs, quæ maxime coinquinãt hominẽ & animã polluũt & immũdiſsimã reddũt. Quod amplius eſt & vltra eſt, eſt, non nõ, & certe & in veritate, à malo eſt, ait dñs Ieſus. A malo eſt homine non credẽte ſimplici veritati ſed ad iurãdum inuitãte ſua incredulitate: cuius generis ſunt multi duri ad credẽdum, vnde maligni dæmonis internũtij fiũt ad iuramẽtum extorquẽdum. Aut à malo eſt homine, ſine cauſa iurãte, cum tamẽ ſimpliciter veritatem affirmãti fidem haberent homines. Hoc patet experientia, & Deus abſq; dubio ordinauit & hominũ cordibus infixit, vt non iuranti ſed ſimpliciter dicenti, ita eſt hoc, fides habeatur ab hominibus: cum tamen frequenter iuranti etiam verum dicenti non credatur: imo talis aſsignatur ratio huius veritatis. Ab initio cum homines eſſent veraces, non erat in vſu iuramentum, niſi in re graui & magna ſolennitate ornatum: vt ait magiſter Soto in de Iuſtitia & iure: reputabatur olim inhoneſtum admitti ad iuramentum non ieiunum, etiam ſi prorſus non eſſet neceſſarium: quaſi ad ſacroſanctum altaris ſacramentũ: ſic ad iuramẽtum accedebatur. Nempe vt iuraturus attentiori animo ſecum reputaret certiſsimum ne eſſet,

*Lib 8. q. 1. Artic. 6.*

ęſſet, id quod ſub iuramento aſſerturus accedebat: quapropter, & alijs circunſtantijs exornabatur iuramentum: videte irriſionem illius noſtro tempore.

Non debebat fieri niſi in templo, & ſuper altari, & libro Euangeliorum attacto, quæ ſacerdos in manibus teneret: quaſi ante tribunal Dei tremebundus iuramentū præſtaret. Vnde D. Chryſoſt. ad populum ſic ait: non ita gemo & deploro quoſpiam in vijs iugulatos audiens: ſicut gemo & lacrymis proſequor, & horreſco, cum video quēpiam prope menſam hanc, ſcilicet, altare, venientem, & manus imponentem, & Euangelijs iurantem attactis. Veni modo Chryſoſtome ſancte, & in vijs & plateis & in triuijs & domibus, innumeros periurio iugulatos reperies, ſine loci diſcrimine tēporis aut rationis peierātes. Cum tamen apud Ethnicos ſeruabatur (vt inter Romanorū problemata apud Plutarchū extat) vt nemo Herculem ſub tecto iuraret: ſed ſub dio, quaſi in Iouis præſentia: vt iuraturus admoneretur quantum iudicium præſtando iuramēto deberetur. O malitia tēporum noſtrorum & iurandi abuſio vſquequo peruenies? Non poteſt locus non deplorari in quē Chriſtiana religio hac parte deciderit. Cum igitur iam omnis homo fallax ſit & mēdax, & defecit ſanctus Saluum me fac dñe, & diminutæ ſunt, ait Dauid, veritates à filijs hominum, & fere ſemper mendacium proferāt: non illis datur fides neq; verba illorum creduntur: vnde cum ſint deperditæ vitæ mendaces in ſtateris, non ceſſant Deum in teſtem adducere vt ſibi credatur. Qui tamen cum mēdacio ſint aſſueti non verentur etiam in teſtem mendacij Deum in medium reuocare: inde etiam iurantes per Deum non creduntur. Nam dicere, hoc eſt ita iuro per Deū, ſi falſum eſt, vult dicere: quia mihi non habes fidem hoc mendacium affirmanti, veniat Deus in teſtem & affirmet eſſe verum quod falſum eſt. Vide qualem iniuriam Deo irroges periure: nam ſi omnipotens eſt vinci non poteſt (ait tibi Auguſtinus) falli non poteſt, neque mentiri: qua audacia imo impudentia vermicule inferni Deum non ſolum mentiri poſſe, ſed velle affirmas, cum mendacium, iuramento confirmare non vereris?

*Homi. 15.*

*Pſalm. 11.*

Ego ſum vermis terræ & parui ponderis, & nullius fere momenti & autoritatis, tamen etiam ſi conſcientiæ diruptæ ſum, auderes ad me accedere dicens: ſcito fratrem meum diuitem obijſſe

*ſimile.*

ſine teſtamento & ſine hærede neceſſario: veni & coram iudice affirma iuramento me bonorum ſuorum & facultatum hæredem conſtituiſſe tepræſente. Minime re vera auſus eſſes talia mihi dicere: & ſi vt audax tale peſtiferum non timuiſſes ſuadere conſilium: valde contra te eſſem iratus, quaſi non minima iniuria à te reſperſus, & vt leo fremens dentibus dilacerare te vellem dicẽs: perfide homo, in tam praua ſum apud te æſtimatione vt credas me adeo deperditum eſſe hominem quod velim mẽdacium tuum verum eſſe aſſerere? Diſcede à facie mea ſi non vis pœnas audaciæ tuæ dignas reportare. O domine Deus meus
*Roma. 3. A.* verax & omnipotens, imo (vt ait Paulus cum Dauid) es Deus
*Pſal. 115.* verax: omnis autem homo mendax, cuius maieſtatem angeli timent cuius poteſtatem archangeli tremunt, & mirantur omnes cœlicolæ: quid cauſæ eſt, vt homũculus ribaldus moribus deperditus, audeat ſe tecum habere, vt mecum non audet? Quæ inſania & temeritas grauiſsima homines inuaſit, ita vt me vermiculum non audeant teſtem mendacij adducere, & te omnipotens, ſumme bone & ſapiens, quoties occaſio offertur nõ verentur ad ſuum mendacium in teſtem inuocare, dicentes iuro per Deum hoc eſſe verum: cum falſiſsimum ſit? Obſtupeſcite cœli, & omnes habitatores veſtri: contremiſce terra, & omnes incolæ tui, de patientia & longanimitate Dei optimi & maximi: & de impudẽtia hominum ſeruorum eius per creationem, & emptorum per redẽptionem. Omnes angeli, inceſſabili voce Deum laudãt, & proclamant ſanctus, ſanctus, ſanctus dicentes: omnes creaturæ rationis expertes ſuo modulo ipſum creatorem laudare non ceſſant: ſolus homo peſtifer, periurus & blaſphemus
*Ad Roma. 2. D.* Deum irritare audet, & inhonorare illum non veretur? Vnde nomen Chriſti blaſphematur inter gentes paganas dicentes: qualis eſt dominus Chriſtianorum, ſic illum infamia periurijs & blaſphemijs reſpergentium: cum nos Machumetum mulionem nunquã ad teſtificandum mendacium adducimus?

Obſtupeſcite etiam omnes angeli Dei, de tenuiſsimo hominum amore erga Deum benevolum: audientium tam dira verba, & infamia plena contra creatorem ſuum ab hominibus ſerpentibus peioribus, & dæmonibus audacioribus: & ipſum in teſtem mendacem frequentiſsime, de cœlo in terram, quantum in ſe eſt, ſerpentino ſibilo adducentibus: cum tamen nullus iraſcatur

catur contra periurum, neq; ſtomachetur, ſicut ſi ipſum ad teſti
ficandum mendacium inductus eſſet. Cõuincitur ex hoc facto
omnis homo qui ſic iraſcitur contra inuitantem eum ad teſtimo
nium mendacij, & non contra peierantem, magis ſe quã Deum
diligere. Ante omnia (ait D. Iacobus) fratres mei, nolite iurare, *Iacob. 5. B*
neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque
iuramentũ. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: vt non ſub
iudicio decidatis. Ante omnia nolite iurare, nõ quod hoc ſit gra-
uius præcedẽtibus malis, ſed quia ad iuramentũ proniores vos
video: aut ante omnia ideſt in principio cuiuſlibet verbi aut fa-
cti nolite iurare: vt multi praua cõſuetudine decepti, qui ſtatim
in principio cuiuſlibet confabulationis prorumpunt in iuramẽ
tum: appetitum iurandi prohibeo non actum neceſſarium. Vn
de gloſſa, ideo adiurationis culpam compeſco, ne frequenter iu-
rando vera, aliquando in periurium cadatis: quod nil commu-
nius inter frequẽter & aſsidue iurantes videmus, quam peierare
conſpicere. Quia fere impoſsibile eſt homini iuramentis cre-
bro dedito, à periurio liberari: ideo qui vult longius à periurio
ſtare, nec vera iuramento affirmet niſi neceſsitas cogat.

Quia licet iurare in ſe malum non ſit, periculoſum tamẽ eſt,
quia ad malum inclinat, & ad periurium, & irreuerẽtiam nomi-
nis domini: ſicut præeſſe malum non eſt, inclinat tamen ad ma-
lum elationis & ſuperbiæ, vnde periculoſus ſtatus eſt, & ideo vo
luntas tranſiens ſuper actus tales eſt inordinata & libidinoſa, ni-
ſi ad bonum finem actualiter ordinetur. Audi Salomonem ex *Eccle. 23. B.*
mandato Dei tibi conſulẽtem: iurationi non aſſueſcat os tuum:
multi enim caſus in illa: ſi in iuramento multos caſus inuenies ò
homo, quid in periurio & blaſphemia erit? Nam (vt ait Auguſti
nus teſte D. Thoma in hunc Iacobi locũ) iuratio falſa, pernicio-
ſa: vera, periculoſa: nulla, ſecura: ſed dicite vbi debetis dicere, eſt,
hoc eſt aliquid affirmare, dicatis, eſt: ſimiliter vbi debetis dicere,
non, hoc eſt aliquid negare, dicatis, non: vel ſic, ſicut eſt in corde
eſt, aut non, ſit etiam in ore. Quaſi dicat, veritatem puram dica-
tis ſine iuratione: vt non ſub iudicio decidatis, ideſt deorſum à
ſtatu gratiæ cadatis, & ſic iudicemini condemnationis iudicio:
mendacium dicendo, aut peierando.

Vir multum iurans (ait Salomõ vbi ſupra) implebitur iniqui
tate, & non diſcedet à domo illius plaga: & tamen non dicit, vir

peierans, ſed iuramento aſſuetus malitia & culpa impletus erit, & à domo ſua & à conſcientia plaga non deerit in hac vita & in alia. Talis: vt hominum malitia eſt & ad mendacium pronitas: facillime falſum iuramẽto comprobare contẽdit: vnde infamia & paupertate & vilipenſione talis conſtituitur vulneratus: & merito cum non vereatur ſua lingua ſacrilega in cœlum ſpuere, & ipſum Deum, quãtum eſt in ſe, verbis execrandis vulnerare. Et non ſolum in alia vita periurus audax plaga percuſſus erit crudeli & igne perpetuo: verum etiam in hac vita multa incommoda domus eius experiri comprobatur: vt eſt videre in promptuario in titulo de blaſphemia: & quia filius Dei multũ ſentit matris ſuæ iniuriam dicitur ibi. *Exemp. 3.*

Duo luſores (iſti ſunt canes blaſphemi pro maiori parte) cum vni eorum male ſuccederet inſurrexerũt ad blaſphemiam: alter fortunæ alterius inuidens vt furori ſuo ſatisfaceret: cõtra Deum cepit verba euomere contumelioſa: quem ſocius eodem ſpiritu maligno inflatus compeſcere incepit dicens: file, tu neſcis male dicere, & Deum blaſphemans, in matris eius ſanctiſsimæ iniuriam prorupit. Statim vox de cœlo audita eſt: meam iniuriam quocunque modo ſuſtinui: matris autem meæ cõtumeliam nequaquam tolerabo. Moxque ſuper ipſam tabulam vulnere viſibili inuiſibiliter percuſſus ſpumans expirauit. Videte & timete audaces ſerpentes, pœniteat Virginem Mariam dicere non verẽtes & per virginitatem eius falſe iurantes, quale ſupplicium vobis hic & in futuro reſeruatur: non recedet à domo conſcientiæ veſtræ plaga. Quare ſine vllo Dei timore aut inferni terrore aut cœli amore tranſgredimini hoc ſecundum mandatum, ne iures vana per Deum, fideles inuerecundi, blaſphemi & periuri, ac ſi non eſſet iudicium. Dic mihi blaſpheme, quam excuſationem corã iudice Chriſto in tuæ animæ egreſsione prætexere poteris quare tam contumelioſe nomen ſanctum eius polluiſti lingua tua execranda? Fur (etſi fruſtra & inutiliter) reſpondebit iudici interroganti: Quare ſeptimum mãdatum fregiſti? Domine, ob neceſsitatem aut ob nummorum auaritiam. Quare tu homicida, quintum trãſgreſſus es præceptum meum? Domine, ob vindictæ deſiderium. Quare feſtorum dierum prophanator, tertium mandatum meum, frangere non es veritus. Domine, vt aliquid ad filios meos alendos eſſem lucratus. Quare adulter in-

ſanc.

ſane, ſextū præceptum meū, polluere nō timuiſti? D ñe, friuola & futilis eſt cauſa, tamen ob illam momētaneā delectationē ſimul & ob fortē tentationē. Inutiles ſunt reſpōſiones iſtæ, & nullius ponderis vt nō ſit damnatus quilibet in iudicio Dei inuentus in aliqua mandati Dei tranſgreſsione.

Non tamen poſſumus negare, aliquo modo culpam minuere iſtas cauſas quātumuis vanas: tamen dic amabo periure effrons, quādo anima tua, cōtra Deū in vita cōiurata & ex parte ciuium infernaliū per blaſphemias effecta, à corpore egrediatur & à dæmonibus ſociata corā illo benigno ſaluatore tibi tamen rigidiſſimo iudice, præſentata ſit, & ab ipſo ſit interrogata: quare tranſgreſſa es ſecundū mandatū meū anima inuerecūda, nec timuiſti iurare vana frequenter per nomen meū venerādum, nec veritates me in teſtē mēdacij quoties tibi occaſio oblata fuit adducere: & quod horrendū eſt dictu, auſu infernali me Deū angelorum multoties blaſphemare, officiū dæmonū in vita exercens? Quare? Dic, ſi quia tibi ſupereſt. Quid dices, aut quid tāto domino à te infamato reſpōdebis, cū nil vtilitatis, aut voluptatis, aut lucri in tua maledicta blaſphemādi cōſuetudine poſsis vere aut ficte prætexere? Si piſcem hamo captū interrogas, quomodo cepit te iſte hamus miſer piſcis? Reſpondebit, ſi fari ſciret, & intelligeret, non ſum adeo ſtultus vt ab ipſo nudo captus eſſem, niſi pane, aut lumbrico, aut alia eſca contectus mihi in flumine proponeretur. Canis, quomodo in patibulo vinearum ſub lapidibus & fuſtibus acutiſsimis cecidiſti? Quia panem aut caſeum ibi poſitum odore percepi: alias non eſſem tā ſtupidus vt ſub lapidibus & fuſtibus acutis ad mortē me ſupponerem. Columba, aut perdix, quare laqueo capta es? Quia grana tritici poſita inueni, dicet colūba aut quia altera perdix inuitauit me, reſponderet perdix: alias non ſum ſic inſana vt ad laqueum irem.

*ſimile.*

*ſimile.*

*ſimile.*

Quare & tu homo, piſcis pice nigrior captus es à dæmone ſub iuramenti hamo ſine aliqua voluptatis aut lucri eſca? Reſponde mihi iudici Chriſto: auicula ſtulta vbi ſunt deliciarum aut honoris grana, quibus malignus in blaſphemia decepit te? Canis rabide, contra dominum tuum lingua maledicta inceſſanter oblatrans: vbi eſt panis voluptatis, aut dignitatis caſeus quo draco infernalis in ſocietatem ſuam per horrendas blaſphemias ad terribilem carcerem ſuum induxit? Non poteris homo

iuramen-

iuramẽtis aſſuere, & blaſphemijs tradite, verbum aliquod iudici
*Pſal.106.* tuo reſpõdere: ſed iniquitas tua magna oppilabit os conſcientiæ
tuæ: & velut impius in tenebris peccatorum repertus cõticeſces
*1.Reg.2.B.* (vt dicebat illa beata Anna Samuelis mater) quãdo dominus di
cat tibi, quare tranſgreſſus es mandatũ meum maieſtatem meã
blaſphemijs conculcando? Quid dices illi?

*Pſalm.30.* Erubeſcãt impij (ait regius propheta) qui laudabat dñm in om
ni tempore ſemper laus eius erat in ore ſuo, & omnes pueros ad
laudẽ Dei inuitabat videns ſenes blaſphemos dicẽs, laudate pue
ri dñm, qui neſcitis iurare Deum cito à patre diſcetis, & male-
*Pſal.112.* dictionem à matre, laudate nomen Domini: ſit nomen dñi bene
dictũ ex hoc nunc & vſq; in ſeculum) & deducantur in infernũ,
muta fiant labia doloſa: quæ loquũtur aduerſus iuſtũ iniquitatẽ
in ſuperbia & in abuſione: quã magna multitudo dulcedinis tuę
Dne, quã abſcõdiſti timentibus te. Erubeſcãt corã hominibus &
angelis & dæmonibus impij baſphemi, erubeſcant, & corã ipſo
Deo, qui tam inuerecũde nomẽ Dñi ſua venenoſa lingua pollue
re non ceſſant, ex parte ſua, periurijs & blaſphemijs: deducantur
cito à ſocijs ſuis dæmonibus in infernum & locum illũ horren-
dum, vbi talis conſuetudo blaſphemandi reperitur. Muta fiant
tua labia doloſa corã iudice Chriſto, nec habeas reſpõſum dum
interrogat, quare nomẽ meũ blaſphemaſti? Quo hamo lucri aut
voluptatis in tam deteſtanda peierandi conſuetudine diabolus
decepit te? Muta erunt labia doloſa tua quæ ſic contra Deũ hic
inſurrexerunt, & aduerſus iuſtum ſaluatorem iniquitatẽ locuta
*Matt.22.B.* ſunt, & tacebis miſer & damnate cum illo veſte nuptiali carẽte.
Modo cõtra Deũ tacentẽ & ſimulantẽ, & acſi nõ audiſſet, nõ te
punientẽ, loqueris omnia quæ ad os tuũ impurũ dæmõ adducit:
veniet cito & non tardabit altera hora quando coram Chriſto iu
dice præſentatus taceas, & ipſe loquatur, audias terribilem aduer
ſus animã tuam ſentẽtiam, & appellatione carebis. Audi ipſum
*Iſai.42.C.* talia dicentem, ſi mihi fidem habere recuſas: tacui ſemper, ſilui,
patiẽs fui, ſicut parturiẽs loquar: diſsipabo, & abſorhebo ſimul.
Tacui ego cum tu homo, contra me blaſphemare non ceſſabas:
ſilui ſemper nec dixi, vt quid me teſtem mendacij adducere non
vereris? Patiens fui non iubens terram vt te viuum deglutiret me
*Num.16.F.* liore titulo quam D tiam etiam ſi ibi dicit Moſes, ſcietis quod
blaſphemauerint Dominum, ſi terra deglutiat eos.

Modo

Modo tamen ad iudicium meum accedēs time vehementer, quaſi parturiens quæ magnos clamores & dolendos emittit, ſic ego cōtra te loquar, & terribilem & ſtupēdam ſententiam profe rā & pariā & ipſe tacebis: & ſentētiæ velis aut non aſſenſum præbebis. Quia diſsipabo te, à cœlo exulem te cōſtituēdo, cū nolueris cū cœlicolis in vita me laudare: & abſorbebo ſimul, dæmonibus imperādo vt in carcerē blaſphemātium te cito perducant: & merito cū potius elegiſti me blaſphemare. Et vnde prouenit Dauid, vt labia doloſa hominū, aduerſus iuſtū dñm, iniquitatem & malitiā & periuriū & blaſphemiam loquātur? In ſuperbia, & in abuſione. Quia ſuperbus eſt talis homo & amore ꝓprio ductus, nō timet Deū inhonorare: & dummodo ſibi placeat, nō veretur Deo diſplicere. In ſuperbia, ideſt, ex ſuperbia tā graue malū procedit: & inſuper ex abuſione, & maledicta iurādi conſuetudine: re vera ex his duobus & infernalibus parētibus, ſuperbia & abuſione, maledicta filia, & execranda naſcitur blaſphemia.

Qui blaſphemauerit nomen domini (iuſsit dominus in Leuitico) morte moriatur: moriatur morte pœnæ æternæ malus homo qui blaſphemia non timuit morte culpæ animam ſuam occidere, & Deo optimo tam grauem iniuriam irrogare. Cum populus Iſrael per deſertum in terrā promiſſam pergeret ſub duce Moſe, ecce egreſſus eſt filius mulieris Iſraelitidis, quē pepererat de viro Egyptio inter filios Iſrael, ò mixti, qui iurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraelita. Cumque blaſphemaſſet nomen domini, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moſem, & miſerunt eum in carcerē donec noſſent quid iuberet dominus. Domine, quid faciemus de hoc homine nomen tuum blaſphemante? Dixit dominus ad Moſem, (audite ſententiam contra vos omnes blaſphemi, de cœlo à Deo ipſo prolatam) educ blaſphemū Moſes, extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt ipſum blaſphemantem manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus: & ad filios Iſrael loqueris, qui blaſphemauerit nomē domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi: & ſic ille miſer blaſphemus lapidibus obrutus fuit ob vnicam blaſphemiam. Ponebant manus ſuas ſuper caput blaſphemi (ait Lyra ibi) tanquam teſtes dicendo, malitia tua te ad mortem induxit non tamen nos. *Leuit. 24. C.* *ibi.*

Si iſta Leuitici lex in noſtra modo Hiſpania eſſet in vſu, ò bone

bone Deus, quam innumeros lapidum aceruos paſsim reperiremus, multos cooperientes blaſphemos. Re vera ſicut in fide ita in moribus credo Hiſpaniam noſtrã omni præcellere nationi: quia fides caſta multum inuitat ad optimos mores: & econtra quãdo aliqua natio circa fidem naufragat peruerſis vt aſſueſcat vitijs ne ceſſe eſt. Tamen valde doleo in natione noſtra (adeo in fide munda, & à Deo ſic adiuta contra paganos Mauros & Lutheranos & in fide vera ab ipſo conſeruata) videre tot blaſphemos, & audire talia verba contra Deum maximum, quæ contra me vermiculũ terræ audire non poſſem. Præcipue illa quinq; verba in Hiſpa-
*Libr. 8. q. 2. art. 3.* nis damnata (vt ait magiſter Soto in de iuſtitia) nõ credo in Deũ: ſeu vt fingunt de Deo diſcredo: item de Deo renego, quod eſt ipſum abnegare & abiurare: & peſe, hoc eſt Deo diſpliceat, eũq; tædeat huius aut illius rei: ac demum per Dei vitam, ideſt ſubijcio Dei vitam ſuomet ſupplicio: quæ blaſphemiæ ſunt ſupra quam dici poteſt enormiſsimæ, & cor pauet in ſola illarum prolatione. Gratias tamen Deo noſtro immenſas, aut ſaltim poſsibiles reddamus, qui officium ſanctum inquiſitionis de cœlo, per manus Regum Catholicorum ad nos tranſmiſit: quo velut diuino freno maxillæ blaſphemantium conſtringuntur, vt ſi amore ad Deum accedere nolebant blaſphemi, ſaltim timore tam inuerecunde illum non percutiant dictis execrandis. Vnde notiſsima eſt hominibus correctio blaſphemantium inter nos Hiſpanos, imo opprobrio datur iuranti etiam militi & lenoni, & niſi homo infimæ claſsis raro audies iam iurantem, ſed re vera dicentem aut in veritate: non parum ſed multum, ad effugandum tam deteſtandum abuſum, grauiſsimus rex noſter Philippus ſuis legibus & pragmaticis & ſupplicijs, veriſsime cõduxit.

Nam in pragmatica ab ipſo conſtituta in curia regali anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, tertio die menſis Maij: & ibi octauo die cum ſolennitate conſueta diuulgata: iubebat vt ſeruaretur data anno quinquageſimo ſecundo, quæ in ordinatione ſeptima ſic ait: item imperamus quod vltra corporeas pœnas per regni noſtri leges ac pragmaticas appoſitas contra nomen Dei blaſphemantes, iubemus vt quicunque nomen Dei blaſphemauerit per decennium ad remum damnetur: & pro blaſphemijs ob quas homo ad linguæ fixuram damnatur: vltra illam pœnam, per ſex annos ad remum mittatur. Timete homines,

homines, re vera exequutioni mandãtur iſtæ leges adeo iuſtiſsimæ. Imo vtinam modo in vſu eſſet lex illa ſancti Ludouici Francorũ regis, nam (vt refert D. Antoninus in ſua hiſtoria) fieri fecit edictum, cõtra blaſphemantes nomen dñi vel virginis glorioſę, adijciens pœnam igniti cauterij in fronte tranſgreſſoris imprimẽdi: cuiuſcũq; cõditionis generis aut nobilitatis eſſet blaſphemans. Et cum ſemel quidã ſecundum ſeculũ generoſus, in hocvitium lapſus denuntiatus fuiſſet in iudicio: multis orantibus pro illo vt nobili, reſpondit ſanctus rex: ne deprecemini pro ipſo homine, nam nobilis non eſt qui ſic Deo iniuriam irrogat: ego talem legem conſtitui vt tam execrandus abuſus à regno meo expulſus eſſet: pro gratia reputarem mihi vt tale ſignum in fronte mea poneretur, dũmodo tam graue ſcelus à regno meo extirparetur. Tamen lex poſita eſt & iuſtiſsima, nobilis aut ignobilis quicũq; illam trãſgreſſus fuerit illã ſubire debet: & ſic cauterio ignito fuit talis generoſus inſignitus. Heu ſi modo eſſet in conſuetudine talis lex, quam multi vt nigri haberent in facie cauterium, & quam aliter cauerent à tam nefandis dictis homines impuri, timete tamen ab infernali cauterio ſatis crudeliore.

3. Partit. 19 cap. 9. §. 4.

Exemplum.

Quia ſemel cæpi de iſto venerando præcepto agere contra illius conculcatores, & Dei contẽptores paulo fuſius agendũ eſt, vtſi poſſem hoc vitium peierandi, à noſtræ Hiſpaniæ finibus abigere & blaſphemias dãnatis in inferno exiſtẽtibus relinquere: Quia vt ait Ioãnes blaſphemauerũt Deũ homines damnati propter plagã grãdinis, ſuper ipſos cadentẽ: & comedũt linguas ſuas præ dolore, & in pœnã blaſphemiarũ ſuarũ: vt quid homo fidelis officium damnatorum in vita iſta exercere non vereris, cum ſic Dei miſericordia & bonitate indigeas? Si in infernũ ire debes, æterni blaſphemãdi Deũ tibi anni remanent, & tunc ſatiaberis, modo ne ipſum creatorẽ ferias talibus dictis: ſi ad cælũ pergere deſideras & ad beatitudinem es iturus, certe confuſus maneres, ſi dolor eſſet in cœlo, cũ videas inceſſabili voce ab omnibus beatis laudatum, quem ipſe in valle lacrymarũ, non es veritus vituperare. Obſecro vos fratres, per fel & acetum à Chriſto domino in Cruce potatum, vt nemo veſtrum ſit, quin iurãdi conſuetudinem, velut draconem & infernum & potius abhorreat.

Apo. 16. D. Ibi. C.

Quantum Dei amici, iniuriã Dei per blaphemiam illi irrogatam abhorruerint, non ſatis à nobis oſtendi poteſt: dicattamen

ſpiritus

*Eccl.27.B.* spiritus veritatis per Salomonem, loquela multum iurans, horri
pilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio auriũ.
Ac si dixisset, cuius fidelis capilli non accipiunt horripilationẽ,
cum nomen Dei audit à blasphemo contemni? Quis non obtu-
rat aures suas, ne contra dominum suum tam execranda audiat
verba? O benedicte sancte Ludouice fili regis Sicilię, qui ad ordi
*vbi supr.tit.* nem minorum peruenisti. Et (vt ait D. Antoninus) tam sanctus
*24.c.4.§.1.* vir eras & sic blasphemiam diuini nominis audire horrebas, vt
etiam dum adhuc obses in Aragonia tenereris, pro patre Carolo
Secundo: non tantum blasphemantes grauiter arguebas: sed
etiam eos qui de tua familia nomen Dei irreuerenter tractabãt,
cùm primogenitus esses; comedere ad terram panem & aquam
irreuocabili pœnitentia obligabas. Nec in hoc deferebat alicui
nisi fratribus suis, quos comedere in aliqua mensa, sine tobalea
tamen, concedebat.

Quid tamen demiror Deum iussisse blasphemum lapidari, re
gem nostrum Philippum mitti ad remum, & regem Ludouicũ
vt cauterio ignito signaretur, si attente consideremus legẽ quam
cõtra blasphemos rex Nabuchodonosor gentilis promulgari in
regno suo fecit, quia vidit tres pueros à fornace ardẽte illæsos exi
*Dani.3.G.* re? A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus tri-
bus, & lingua quæcunq; locuta fuerit blasphemiã contra Deum
Sidrach, Misach & Abdenago, dispereat, & domus eius vaste-
tur: nequeenim est alius Deus qui possit ita saluare. Audite iu-
dices fideles, quid rex paganus contra blasphemos iusserit in
regno suo diuulgari, cum tamen de salute sua dubitetur, qui con
uersus fuit in bestiam secundum phantasiam sui & aliorum (vt
*1.par.tit.3.* ait Diuus Antoninus in historia sua) & de illo dicitur quomodo
*c.5.§.1.* cecidisti Lucifer, quę verba habent duplicem literalem sensum:
*Esai.14.C.* vnum de diabolo ex superbia ruente, & sic est prophetia de præ-
terito: alterum de Nabuchodonosor superbo, & ex his verbis
videtur damnatus in inferno. Diuus Augustinus in libro de Prę
*Cap.15.&* destinatione & gratia, & habetur in decretis, dicit, Nabucho-
*hab.23.q.4.* donosor pœnitentiam meruit fructuosam. Diuus Hierony. in
*ca. Nabucho* Commentarijs super Danielem super illa verba, peccata tua elee
*donosor.* mosynis redime & habetur de pœnitentia distinctione prima
*D. Hieron. in* capite quamobrem: dicit quod bonũ misericordiæ perdidit ma-
*Danie. 4.* lo superbiæ.

Sit

Sit tamen damnatus aut saluatus edictum contra blasphemos inspiciant omnes iudices Christianæ reipublicæ: vt per illius tenorem & rigorem vtinam sic blasphemũ punirent, vt domus eius esset vastata & sale respersa, & ipse destructus esset: cũ non sit alius Deus qui possit nos saluare nisi dominus noster. Tamen vtinam leges regales nostras multi iudices silentio non præterijssent & sine supplicio blasphemantes, humano fauore munere aut priuato amore reliquissent. Ipsi tamen iudices aliquando in capite suo soluent: & audiant interim dominum de illis conquerentem per Isaiam: dominatores eius, nempe Christianæ familiæ, inique agunt. In quo domine, iudices male agunt? Quia delicta relinquunt impunita furtorum? Quia internũtias libere sinunt viuere? Quia lusores non puniunt? Quia otiosos in foro ad labores non mittunt? Quia causa viduæ & pupilli nõ habet ius apud illos? Quia scribæ & procuratores omnia destruunt sine supplicio? Quia non inuenitur iustitia à paupere? Ob ista & alia inique agunt: tamen quod maxime illis obijcio tanquam graue malum est, quia iugiter tota die nomen meum blasphematur, illorum desidia, quia valde remissi sunt in legibus contra blasphemantes positis exequendis & adimplendis. Tamen aliquando ipse qui loquebar in legibus, dicam blasphemis & iudicibus desidiosis, ecce adsum, vt vindictam de vtrisque capiam. *Isai. 52. B.*

Non audistis effrontes blasphemi, suppliciũ quod Deus contra milites Assyrios ob vnicam blasphemiam accepit? Legite Regum libros & in Isaia: audite, egressus est angelus domini & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia ex fortissimis Assyrijs ob vnicam blasphemiam Rabsacis nuntij Senacherib regis Assyriorum cõtra Deum prolatam. Glossa ordinaria ait, tot ab vno angelo vna nocte cæduntur, & absque vulneribus mors sæua discurrit: & non deest qui affirmet in cinerem fuisse redactos armis illęsis permanẽtibus: & merito cum cinis & puluis terræ, nempe homo, ausus fuerit os suum contra Deum eleuare. Ista pœna puniẽdus eris cinis & terra putrida homo vilis, qui non veueris contra Deum blasphemijs insurgere. Dixit Dauid & dicã ego, iniqui, nolite inique agere: delinquẽtes, nolite exaltare cornu superbiæ vestræ cõtra cœlum: nolite loqui aduersus Deum iniquitatem, blasphemiã, aut periurium: *4. Reg. 19. G.* *Isai. 37. G* *Psalm. 74.*

quia neq; ab Oriente neq; ab alia mundi parte non poterit homo periurus fugere iram iudicis Christi, sed bibet calicem iræ illius de quo bibent omnes peccatores terræ: quia valde abundãs est. Beatus qui Deum hic laudauerit & in gloria, Amen.

# Homilia Quinta.

Text. ¶Quare & vos transgredimini mandatum Dei.

*Tertium mãdatum.*

QVare & vos fideles, absq; vllo timore transgredimini mãdatum meum tertium de festorum obseruatione traditum à me, ac si non dixissem: memento vt diẽ Sabbati sanctifices, sed recordare vt dies festos frangas? In nullo alio præcepto dixi memẽto, nisi in isto festorũ: quia videbam quam obliti futuri erant homines, in illorũ obseruatiõe dierũ. Trãsgressores huius tertij præcepti, videtur immemores esse triplicis operis Dei, creationis naturæ, & redẽptionis. In creatione rerum Deus requieuit ab opere: vt ipse in memoria tuæ creationis bonis operibus & nõ seruilibus dies festos sanctificares: quod tamen non adimplens, ostẽdis te creationis tuæ oblitũ esse: quia laboras & peccas, & nõ oras nec bonis operibus vacas. Es etiã oblitus rerũ naturaliũ ad tuum vsum à Deo creatarũ, qui dies festos violare non times: opera naturæ arguũt te, cum vegetabilia fructificãt, & suo modo laborãt in vere, æstate & autũno: quæ tamẽ in hyeme quiescere videtur, quodãmodo requiem festorũ tibi consulentia. Oblitus es etiam operis redẽptionis, cum filius Dei in septima ætate in vtero Virginis requieuit: vt ipsa fatetur dicẽs, & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Vnde colligitur festorũ fractores creationis operis & redẽptionis oblitos esse contra quos in iudicio arbores insurgent. Imo quodammodo dæmonibus similes sunt de quorum quolibet dicitur: laborabit in æternum in carcere tenebroso tormẽta patiens crudelia, & viuet vt magis laboret & tormẽta patiatur adhuc in finem, & in æternum: & in tali pœna dæmonis erit festorum fractor qui contra Dei præceptum in die festiuo laborauit, & per hebdomadam otio & ludis vacauit.

*Gene. 2. A*

*simile.*

*Eccle. 24. A*

*Psam. 84.*

*Ezech. 22. B*

Conqueritur dominus de vobis festorum violatores per Ezechielem dicẽs: Sanctuaria mea spreuistis, & Sabbatha mea voluptatibus

ptatibus & vitijs polluistis, & vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem: & maiore inuerecundia & frequentatione peccatis in diebus mihi sacratis quam in alijs. Ob quam causam re vera timeo, Deum permisisse dies festos nostros ab hæreticis & paganis irrideri, imo hoc plorat Ieremias dicēs: obliuioni tradidit dominus Siō, & videtur Ecclesiæ suæ oblitus quia dissipauit, hoc est, dissipari à dæmoniacis hæreticis, & ab infernalibus Mahumeticis, quasi hortū tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: & obliuioni tradidit, id est, permisit tradi à fidelibus festiuitatem & Sabbathū: & hoc quia fideles in talibus diebus non recordantur Dei nec mandatorum eius, & sic dedit in opprobrium & indignationem regem & sacerdotem. Memēto vt diem Sabbathi sanctifices. De hoc mandato alibi diximus, de alijs etiam multoties disseruimus: modo tamen de quarto præcepto de parentum honoratione, quod peculiariter à domino in nostro tangitur Euāgelio agamus: quia re vera est materia scitu dignissima & vtilissima. *Thren. 2. B*

Quare & vos filij & filiæ transgredimini Dei mandatum de parentum honoratione debita acsi non esset iudex in cœlo? Deus dixit, & non alius, honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam dominus tuus dabit tibi: & si non vis amore virtutis & præmij hoc adimplere præceptū, saltim formidine pœnę, nā ipsemet dicit, qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Velim, auxilio diuino adiutus, parēti bus ostēdere quid erga filios suos teneātur impendere tā ex lege naturæ quā diuinæ: & inde melius & apertius cōstabit, quid honoris & obsequij filij erga parētes præstare teneātur: vt inde constet quā multi illorū tam parētum quam filiorū sint lōge vt offi cium debitū adimpleāt. Adiuua me fili Dei, valde matrē tuam semper honorās: exurge in adiutoriū meum virgo & mater, tam solicite filium tuum nutriens. Primum ad quod teneris quicūq; filios habes, lege naturali & diuina, est, vt pro viribus & posse quādiu sub tua sunt cura vt illos alas, & tribuas victū & vestitū necessarium iuxta statum tuum: si tamen in hoc fueris notabiliter negligens in probabili periculo damnandi es, etiam si omni alia culpa careas. Audite hæc parentes, ocio continuo vacantes imo ludentes, cum interim familia vestra non minimum detrimentum desidia vestra patiatur: & filij vestri, in- *Quartū mādatum.* *Exod. 20. C.* *ibi. 21. C.*

fames & famelici, & ideo ad furta procliui aluntur. Quia cum vos infidi parentes, non ſolum per opus licitum & laborem iuſtum familiæ veſtræ neceſſaria non tribuitis & inueſtigatis, ſed ludis vacando & otio, victum & veſtitum illorum quotidie dilapidatis & deſtruitis: inde vxores multæ fidelitatem vobis debitam non ſeruant, & fili, ad ludos, imo quod peius eſt, ad furta confugiunt.

Contra vos parẽtes, circa filiorum curam valde & pernicioſe negligentes, ſunt ſancti illi patriarchæ & omnes viri religioſi & familiæ ſuæ conſulentes: qui iuſtis & licitis medijs filijs ſuis de neceſſarijs prouidebãt, & illis ſupererat vnde adiuuarent homines neceſsitatem patientes. Quid iudici Chriſto reſpondebis infelix luſor, & dotis vxoris tui deſtructor, qui non ſolum labo rare renuis vnde alere filios deberes: ſed inſuper taxillis aut aleis potius vis deſtruere dotem, quam filijs prouidere? Lex naturalis clamabit contra te, & omnia bruta animãtia cuius legis ſunt participantia inſurgẽt in iudicio aduerſum animam tuam: lupi vlulatibus, leones fremitibus, tauri mugitibus, ſerpentes ſibilis, & aues garritibus: cum omnia iſta animalia pro viribus & poſſe labore & ſudore, & nõ minimo vitæ diſpendio, catulis ſuis & pullis, imo & geniminis viperarum neceſſaria ad vitam tranſeundam adminiſtrant. Solus ipſe homo rationalis es ſine ratione in hoc, imo cum fidelis ſis in hoc fidelitatem naturalem filijs debitam non vereris non habere: inſurgat plorans Ieremias & dicat in nomine domini contra huiuſmodi parentes filiorum curam
*Thren. 4. A* non habentes, & cuilibet illorum animæ dicat: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto: ſed & lamiæ nudauerũt mammam lactauerunt catulos ſuos. Quæ Paſcaſius in hunc locum, contra phariſæos adnotat, optime poſſumus contra parentes circa filiorum curam negligentes retorquere. Filia populi mei crudelis, anima populi Chriſtiani, filia mea per creationem, & aliquãdo per gratiam, modo tamen crudelior ſtruthione & lamia, cum filijs tuis ſanguine meo redẽptis ob deſidiam tuam neceſſaria prouidere nolis.

*Simile.* Struthio mox vt oua ſua expoſuit, deſerit nec recolit ea, ſed
*Lib. 7. Cap. 69. §. 4.* contemnit & obliuiſcitur, & in ſabulo abſcondit: tamen (vt ait Berchorius) vbi pullum nõ ſua virtute ſed ſolis & arena natũ intelligit, & vbi plumis indutũ & quaſi iam ſibi ſimilem in deſerto reperit,

to reperit, ipsum cõtinuo recognoscit, & eum diligit atq; nutrit. O fidelis struthione crudelior, qui cum primum natus est tibi filius, deseris illum atque contemnis, devictu & vestitu illius nullam curã habens: sed illius, imo & Dei oblitus, post ludos & otia & desideria tua praua per huius mundi syluas discurris. Aperimentis oculos homo crudelissime, & vide virtute Dei fuisse natũ & sanguine suo redemptũ filiũ tuũ, & in baptismate plumis donorum indutũ: recognosce illum quem genuisti, & Deus tantum dilexit. Vide illum tibi similem dilige illum vt sic nutrias ne sis struthione crudelior: alias quid in iudicio respõdebis? Non te pudet homo, desidiosam filiorum tuorum curam habens audire talia de crudeli struthione? Non es inuitatus ad opus? Audi insuper Ieremiã contra te: sed & lamiæ nudauerũt mammas, nam (vt ait Plinius) est bestia quæ in medio ventris duas habet mammillas. Lactauerũt catulos suos: ait glossa in Threnos, lamia dicitur quasi lania, quia dicitur catulos suos laniare ex crudelitate: tamen cum hoc illos lactat: & quidam Hebræorũ (vt ait Pascasius) vnã de furijs suspicantur lamiam esse: quæ parcæ dicuntur quia nemini parcunt. Abscondere sub terra crudelis parens, lamia crudelior & ipsa furia furiosior: quæ cũ laniet catulos suos lactat illos: & ipse maligne parens, vt otio & ludis vaces, finis Dei filios quos sanguine redemit & corpore suo nutrit in sacramento: fame deficere, & ad vitia & latrocinia confugere, quia illis necessaria ad salutem non tribuis.

Audisti parens otiose, quomodo ex lege naturæ teneris facere quod in te est vt filios nutrias juxta statũ tuũ, alias struthio mordebit te in ratione vltima, & lamia animã tuam dilaniabit? Audi etiam legem positiuam contra te insurgentem, cui nil curæ de filijs tuis est, & interroga sacrum Conciliũ Gangrense qua pæna dignus sis, & in distinctione trigesima decreti translatam inuenies responsionem tibi dicẽtem: si quis reliquerit proprios filios & non eos aluerit & (quod pietatis est) necessaria nõ præbuerit, sed sub occasione continẽtiæ negligendos putauerit: anathema sit. Quid de te erit miser homo, qui nõ cõtinentiæ occasione sed otij & luxus imo & ludi, filios contemnis, legem humanam & naturalem conculcas, & de necessarijs illis prouidere renuis? Audi etiam quid contra te parens desidiose, lex diuina à Paulo promulgata pronuntiet. O Timothee, valde timeo multos parentes circa

*Con. Gan. c. 15. hab. 30. D. Cap. Si quis.*

tes circa familiam alẽdam eſſe negligẽtes: argue illos & increpa
1.Timo.5.A & dic in nomine meo imo in nomine domini: ſiquis autem ſuo
rum maxime domeſticorum curam non habet: quid fecit talis
Paule? Fidem negauit, ideſt, fidelitatem familiæ debitam, & eſt
infideli deterior. Terribilis eſt locus iſte contra parentes nullam
curam filiorum, quanto magis conſanguineorum, habentes: vi
Homi.14. de D. Chryſoſ. in hunc locum optima dicẽtem. Curæ nomine,
prouidentiam animæ corporiſque ſignificat, qui de genere ad
ſe pertinentiũ curã non habet, præcipue filiorum, infideli dete-
rior eſt. Quia infidelis etſi alienos deſpicit, propinquos tamen
Iſaiæ.58, B. nequaquã aſpernatur. Et Iſaias ait cum videris nudũ, operi eum,
& carnẽ tuã ne deſpexeris: Chryſ. vbi ſupra legit domeſticos ſe-
minis tui ne deſpexeris. O crudelis parens, cũ carnẽ tuam: à lum
bis tuis procedẽtem in filijs tuis exiſtentẽ, deſpicere nõ vereris.
Diuinas plane leges violat, & iura naturę (ait ibi Chry.) q negli
git ſuos, & fidẽ negauit, hoc modo: nõ quod amittat illã crudeli
tate, cum fides hæreſi aut infidelitate amittatur, non quocũque
mortali: quia Deum ſe ſcire confitetur per fidem, & ita eſt, & ta
men Deum imperantem, carnem tuam ne deſpexeris, negare vi
detur, cum domeſticos ſuos & filios alere recuſat: cogitemus iſta
qui pecunijs parcimus, propinquoſq; deſpicimus. Deus idcir
co vincula propinquitati inſtituit, vt multiplex ſubeſſet accaſio,
nos mutuo diligendi, beneficijſque confouendi: quando igitur
quod infidelis facit erga filios & conſanguineos, tu facere negli-
gis, nonne quodammodo fidelitatem, negaſti: & illo es deterior
in hoc facto? Non igitur in ſola confeſsione, ſed multo magis in
effectu operis fides oſtenditur: porro ſi is qui ſuorum non habet
curam fidem abnegauit (vt ait Paulus) & infideli deterior eſt:
qui ſuos violat & ſpoliat & ludis in paupertatem redigit: quo no
mine appellabitur, & vbi conſtituetur? Cumquibus aſsiſtet?
Reuera nõ pauci hodie inter fideles reperiũtur lupis crudeliores,
qui proprios domeſticos ſpoliant taxillo, & cõſanguineos vſu-
ris pauperes faciũt. O beati omnes parentes, hic in ſpe, & in cœ-
Pſal. 127. lo in re qui timent dominium (ait Dauid) & ſic ambulant in vijs
Lucæ.1. A. eius & mãdatis vt parentes Baptiſtæ ſine querela: quia tales labo
res manuum ſuarum manducabũt, nõ ludo aut furto acquiſita:
beati erunt hic & bene illis erit in iudicio. Vxores eorum abun-
dantes erunt virtutibus & bonis operibus, & humiles vt vitis, &

filij

filij eorũ vt nouellæ oliuarũ in circuitu menſæ ipſorum habẽtes alimenta & quibus tegãtur. O infelices parẽtes, Deũ non timentes, nec homines reuerentes, qui ambulant in vijs dæmonis, otio vacantes & ludis, panem furtiuum comedentes, nec familiæ ſuæ prouidentes, hic infames erũt, & in iudicio damnati: & merito: quia ſua deſidia & malitia, vxores fidelitatem illis debitam violauerunt, & filij eorum ad voluptates & latrocinia fugerunt.

Audiſti paterfamilias, triplici lege te eſſe deuinctum ad vxõrem & filios victu & veſtitu alendos? Intellexiſti per legem naturæ, te omni fera crudeli crudeliorem eſſe, ſi deficis in tali obligatione? Anathema eris, per legem humanam: infideli deterior iuxta legem diuinam, ſi pro viribus & poſſe domui tuæ de neceſſarijs non prouides: attende tamen ne in aliud, non minus ſed maius periculoſum extremum incidas: ſi licitis & iuſtis medijs non fueris vſus, ad talem victum filijs tuis inueſtigandum: dæmon ſemper homines extrema tanquam vitioſa docet, vt in omnibus virtutem fugiant, quæ medio ſemper gaudet. Sunt enim in alio extremo multi parentes, qui vt filios ſuos delicate & abũde nutriant, & honorifice vltra ſtatum ſuum matrimonio copulent, & diuites in populo relinquant: non verentur Deum inhonorare, proximo iniurias inferre, ſancta Dei mandata violare, & per fas imo nefas illicitis contractibus ſanguinem pauperum deglutire. Vnde periurijs Deo iniuriam irrogare nõ timent, dies feſtos per ſe & ſeruos ſuos frangere non reformidãt: nemini quã tũis vicino, aut cognato ſiue amico parcũt: vnde quid boni, ab huiuſmodi hominibus expectabitur, cũ ſibi ipſis crudeliſsimi ſint? Quid mirũ vt nemini profis, cũ tibi adeo peſsimus ſis? Vt filios rebus male partis nutrias, animã tuã famelicã & pane gratiæ deſtitutã in ore dæmonis relinquere non dubitas, homo tibi ipſi peſtilens, quid pauper famelicus à te ſperabit, lupe vorax?

Vt filios tuos veſtibus alienis cooperias, animam tuam charitatis veſte ſpoliaſti: quam ſpem habebit nudus egenus quod illum cooperies? Vt filios diuites in mundo relinquas: non times in tenebras horrendas pauper virtutibus deſcendere, & prius coram iudice tremendo apparere? Inſane, vt filios matrimonio iungas vltra tuum ſtatum: non perhorreſcis diuortium animæ tuæ à ſummo Deo ſine fine futurum? Vt filios honoratos per horam in valle lacrymarum ex iniuſte acquiſitis relin

quas: non times ſtulte, infamia æterna reſperſum te in inferno videre? Vt illos purpura veſtias, igne infernale epulonis, non abhorres? Infelix pater, quiſquis huiuſmodi es, qui corpora filiorum pluſquam animam tuam diligis: imo faſcinatus es, cum fami caninæ non reformides animam tuam tradere, & auibus infernalibus qui deuorabunt te morſu amariſsimo (teſte Moſe) dummodo ſanguinem pauperum filijs tuis iniuſte tradas: vt quid tam væſana cupido animos mortalium, imo fidelium, inuaſit? Quis non odio proſequitur lupum voracem & merito? Quia ſi natura docet omne animal pro filijs alendis cibum quærere: quærat crudelis lupus talem victum, in pratis vt equus & bos: aut ſi carne delectatur in leporibus aut perdicibus, & non ſumptu ouium innocentium & agnorum manſuetorum. Deteſtãde parens, iã ſcio te ad filios alẽdos (vt diximus) triplici lege teneri, tamen victũ & veſtitum quære filijs modo licito & iuſtis medijs, nec panẽ illis acquiras ſanguinis pauperum diſpẽdio: & vt quid alios ſpoliare & nudos relinquere curas, vt plumis alienis domeſticos tuos & genitos velut corniculam ornes? Certe anima tua à gratia ſpoliata, & filij ab alienis veſtibus, cito manebunt: ex male partis nũquam gaudet tertius hæres, quia ſanguis pauperum vt merces operariorum (teſte Iacobo) clamat in cœlum à Deo vindictam petens.

*Deu. 32. D.*

*simile.*

*Iacob. 5. A.*

Lupe vorax, quære tibi & catulis tuis rapacibus cibum à carnibus beſtiarum in ſyluis occiſarũ: vt quid ouium innocentium & agnorum, catulos tuos & famem tuã ſanguine ſatiare conaris? Animalia neminem lædentia, & omnibus proficientia, vis perdere, dummodo catulis tuis ſint in eſcam? Hoc nefas eſt, hoc non poteſt ſuſtineri, præcipue à paſtoribus fidem ouibus ſeruantibus, & aliquam dilectionem ad illas habẽtibus: vnde tales perſequuntur lupos, & retibus & neruo capere ad mortem pro viribus & poſſe deſiderant, & multoties optatum obtinent. Sic oportet, vt faciant animarum paſtores contra raptores pauperum vſurarios, rapaces. O lupo crudelior pater auare, iniuſtis emptionibus continuo vacans, vt quid indignaris ſi multi odio te proſequantur, cum lupis ipſis pernicioſior ſis, atque illorum crudelitatem ſuperans? Si natura ad filios tuos alendos inclinat (vt verum eſt) quære illis cibum ſine pauperum ſanguine, & filiorum eorum gemitu. Vide multum à Deo dilectos eſſe pau-

*simile.*

pères

peres ſpiritu cum ſint beati: & coram illo aſcendere gemitus illorum, & lacrymas puerorum innocentium fame deficientium: ſunt enim hominum genus nulli damnum irrogans vt oues, & multis proficuum ob vitæ ſynceritatẽ. Time lupo atrocior, victum horum innocentum, tuis catulis ſubripere dolis tuis: & caue ſupplicium magnum tibi minans, & futura pœna grauiſsima delicto tuo æqualis abſque dubio tibi continget. Si forſan dixeris, nil timeo in hac vita, quia paſtores tam eccleſiaſtici quam ſeculares (quo ad multos illorum dico) cæci ſunt ſpeculatores (vt ait Iſaias) & concionatores ſunt canes muti non valentes nec contra me lupum auarum latrare volentes, ſed plaudentes & adulatione vtentes: nil contra meos illicitos contractus loquũtur, & impune me furari permittunt: caue & time lupe rapax, manẽ in hac vita comedens præda, & pauperum ſanguine catulos tuos luporum alens: in morte velis aut non diuides ſpolia, hæredibus facultates male partas, vermibus corpus, dæmonibus animam. Quia etiam ſi paſtores multi, tam ſpirituales quam ſeculares, ſomno vitiorum indulgeant: & multi iudices videant te furem auarum & currãt tecum impunem telinquendo: aut quia ſimilia alia via ipſi faciũt aut quia ſpolia innocentũ cum ipſis iudicibus diuides: vnde ſanguinem pauperum deuorare ſinunt, & filijs tuis adducere ſubſtantiam ouium: expecta pauliſper.

*Matt. 5. A*

*Iſai. 56. D.*

*Gene. 49. D.*

Eſt dominus omnium in cœlo, imo, & vbique, furta tua conſiderans, & paſtorum princeps Chriſtus inceſſanter latrocinia tua videns, eſt iudex contra te: qui gregem ſuum cuſtodit & dormire neſcit, ſed ſemper vigilat, dolos tuos attendens, & oues ſuas admonens dicit: cauete à lupis iſtis auaris ad vos venientibus in ouium veſtimentis & ſub prætextu boni operis, ſanguinem veſtrum fugere volentibus: nam quia ſolutionem prolongant, multo plus accipiunt quam res ipſa valet: & certe volunt vos mactare & perdere. Tamen captio quam vobis pauperes mei & oues paſcuæ meæ iſti lupi abſcondunt, apprehendet eos (vt per Dauid affirmo) & in laqueum cadent in idipſum: & incident in foueam quam contra vos faciunt: & ſanguinem & facultates veſtras de manu imo & de animabus illorum requiram. Horrende & cito illis apparebo: venient illis laquei quos ignorant: ponam in neruo infernali pedes eius lupi rapacis, quia

*Matt. 7. B.*

*pſal. 34.*

*Sap. 6. A.*

*Isai.48.A.* (vt dixi per Isaiam) sciui enim quia durus es tu auare iniustissi me, dolo victum filijs tuis parans, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Vnde nil mirum, vt tanquam lupum neruo ferreo captum in foueam infernalem immittam. Si Phassur in *Iere.20.A.* iustus percussit seruum meum Ieremiam & misit eum in neruum: quanto magis ego iustus Deus, te crudelem neruo capiam? Ex huiusmodi parentibus lupis crudelioribus, nascuntur & filij rapaces & auari per fas & nefas: nam (vt ait D. Chry. in *Homi.42.* imperfecto) pulli serpẽtium statura breuiores sunt parentibus, *Simile.* veneno tamen illis sunt coæquales: & catuli luporum adhuc teneri constituti, etsi venationem exercere non possunt, iam tamen sanguine gaudent ouium, & morsibus cum agnis ludunt. *Simile.* O genimina viperarum & auarorum imo serpentium filij, sic à *Matt.12.C.* domino & Ioanne appellati, qui cum adhuc pusilli sitis & sta- *23.D.& 3.* tura breues: iam fere coæquales parentibus vestris in veneno ra- *B.* pinarum & venditionum & in fraude similes estis. O catuli luporum, qui cum nondum, ob ætatis defectum, venationem iniustam emptionum & venditionum iniquarum frequentare possitis: tamen sanguine pauperum iam gaudetis, & morsibus carnes innocentum dilacerare contenditis: neruus ferreus & claui rigidissimi, quibus confossi sitis, absque dubio vobis omnibus, tam lupis, idest, parentibus, quam catulis & falsis hæredibus manent.

*Simile.* O pessime milue, quam merito mulieres te detestantur, qui pullum quem tanto labore raucedine & sanguinis sumptu in lucẽ edidit, indefesso labore gallina: vnguibus rapis, & per aera misere garriẽtem ad pullos tuos trahere non dubitas: gallina dolente & maxime post te acclamãte. O auare, miluo crudelior, & ipso satis pernicioſior: cum absq; vllo timore victum tanto dolore & labore à pauperibus parentibus partum, quo filios suos alerent, sanguinis sui & sudoris dispẽdio, rapis, & filijs tuis ad deuorandũ tradis, interim acclamãte in cœlum miserorum sudore, & à Deo vindictam contra te & filios tuos petente. Et merito cum ex hoc facto dæmoni similis factus sis miluo infernali, rugienti & incessanter quærẽti pullum, idest, fidelem: quem pia mater & gallina diuina Christus Deus noster fauces raucas habẽs sangui- *Psal.68.A* ne suo in lucem gratiæ edidit, & tanto cruciatu parturiuit: nam *Psal.47.E.* ibi in cruce dolores illi fuerũt vt mulieris parturiẽtis (ait Dauid)

& illum

& illum deuorare malignus curat: sic & ipse auare rapax, dilacerare pauperem omni solicitudine satagis vnde dæmoni similis es in hoc. Liceat nobis tanti patriarchæ factum in hunc deducere sensum vt timeat auarus parens, vltra medijs iniustis victum suis quærere filijs: vt si animam suam non timet igni infernali tradere, dummodo filios diuites & honoratos in mundo relinquat, saltim, filiorum animabus consulat, neque tanto illas periculo exponat. Tulit Abraham de nocte consurgens ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, vt combustus esset illis lignis, & pater portabat contra filium ignem & gladium: & si Deus aliter non prouidisset, revera gladio illum occidisset pater, & igne & lignis combussisset: tamen hoc faciebat Abraham Dei præcepto vt obedientissimus. *Gene. 22. A*

Quis te fascinauit auare parens, Dei & filij tui & animæ tuæ inimice, & hostis crudelis, qui contra Dei mandatum de non furando, & de filios honeste diligendo, & animam tuam à malo custodiendo: non vereris ignem inferni, nec præmia cœlestia diligis, sed intrepide ligna facultatum in nemore alieno pauperum, iniustis emptionibus cædere non times? Et postquam huiusmodi ligna à veris rapuisti dominis, super filiorum tuorum humeros, & super illorum conscientias, quo ad restituendi debitum, imponere non dubitasti, quibus lignis & facultatibus, igne auaritiæ ardentibus illorum animæ in tormentis æternis ardeant, gladio iudicij Dei damnatæ. Itaque vni co auaritiæ ictu, tria vulnera grauissima infligis: Deo primum cui iniuriam irrogas, mandatum illius frangendo: proximo quē lædis, deinde animæ tuæ & filiorum, quas restituendi vinculo, aut igni infernali obligas. Quia siipse cor non habes ad restituendum, qui furasti, & iniuste acquirere non dubitasti, & cuius anima in pœnis perpetuis soluere tenetur, nec vis à tanto malo illā defendere: quomodo filius tuus restituet, etiā si ad id tenetur? Vnde ille portat ligna, scilicet, facultates à te illicite partas, & tu gladium iudicij Dei contra te & ipsum, & ignem auaritiæ quo animam tuam & filij incendas: nisi cito & in tempore, arietem sacrificio tradideris facultates alienas vero domino reddendo, & ex proprijs pauperibus largiendo: vt sic peccata tua (ex consilio Danielis) eleemosynis redimas: ne filium tuum, & teipsum in holocaustum & ignem infernalem omnia deuorantem tradas: *Dani. 4. F.*

das: si de anima tua dolorem non concipis, saltim animæ filij tui miserere, & ne illam tam crudeli incendio committas. Restitue in tempore, vt ipse & filius tuus diuitijs quæ sunt in domo Dei & gloria fruamini. Amen.

# Homilia Sexta.

Text. ¶ Deus dixit, Honora patrem & matrem.

MVltoties etiam mater (cũ mulier animal auarum sit quia imperfectum & lucrari nescięs, nec laborare valens) multũ conducit ad incendẽdum rogum istum, contra filiorum animas per fas & nefas aliena acquirendo, aut saltim restitutionem impediendo. Ne videatur hoc à proprio procedere cerebro, audite dominum nostrum quid Ieremiæ prophetæ dicat, valde conquerens de populo vbi tales parentes habitant, facultates filijs iniustis medijs acquirentes. Tu ergo amice, & propheta meus, noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi volẽti illos punire tuis precibus & lacrymis, quia nõ exaudiã te. Domine mi, quid fecerunt homines contra te quia sic te habent iratum, vt oratio iusti non prosit vt de illis vindictam non accipias? Multa fecerunt in his dolendis & detestandis diebus homines fideles contra me, quia multi fidem veram reliquerunt, & alij fideles permanentes, innumeris vitijs se tradiderunt, & maledictionibus & blasphemijs & voluptatibus se totaliter dederunt. Sed tamen de quo modo conqueror hoc est: nonne vides Ieremia, & concionator vigilans, & speculator curam debitam animarum habens: quid isti fideles multi faciunt in ciuitatibus Iuda, id est, in populis Deum verum per fidem confitentibus: & in plateis Ierusalem, vbi frequenter falsæ perpetrantur emptiones? Quid faciunt domine? Vterq; parens & filij, omnes sunt in furto & dolo: filij colligunt ligna, & patres succẽdunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, cum farina (ait Hieronymus ibi) vt faciant placentas siue chaouns, siue præparationes, vt omne genus ostendat sacrificij, & hoc reginæ cœli, quam lunam debemus accipere secundum

*Ierem. 7. C*

inter-

interpretationē Hieronymi: & libēt dijs alienis & me ad iracundiam prouocent Deū ſuum & benefactorē. Nunquid me ad iracundiā prouocāt? Nonne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui?

Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur ſuper locū vbi talia fiunt, ſuper viros, & ſuper iumenta, & ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur & non extinguetur: quia maxime ad iracūdiam me prouocaſtis auari parētes, & filij rapaces. Quia filij colligunt ligna, ideſt alienas facultates illicitis medijs à parētibus edocti, & iniuſtis emptionibus: patres ſuccendunt ignem auaritiæ & ſimoniæ filios ad hoc inuitando, & à pueritia docēdo, & ad hoc inclinando: & mulieres conſpergunt adipem, quia matres, cum auaræ ſint, ad acquirēdum quocunq; medio filios inuitant, & rogum auaritiæ ſuis verbis quaſi adipe & pice & ſulphure incendunt: vide ſi ardebit lignum igne & adipe incenſum. Et ſic accenſa erit anima igne auaritiæ à patre procedente, & adipe falſi conſilij à matre veniente cōtra filium: vnde hic culpæ igne & in futuro pœnæ ardebit talis anima. Vt quid igitur tanta ſolicitudine filius ligna alienarum facultatum adducit, & pater ignem auaritiæ & mater adipem conſilij peſſimi? Tantum vt faciant placentas reginæ cœli, ideſt, lunæ & mundo iſti mutabili placeant, & illi tortas ſacrificent de furtis contra dominum: pauperum defraudantes victum: & libent dijs alienis & dæmonibus & auaritiæ idolo: & me Deum ſuum ad iracundiam prouocent talia facientes. Nec intelligunt miſeri (ait Hieronymus, ibi in Ieremiam) quod talis cōtentio & malitia ſua non me lædat, quem nunquam ira commutat: ſed ſemetipſos in confuſionem vultus ſui, & in ignominiam ſempiternam. Quicquid igitur facimus mali, non Deum lædimus: qui lædi non poteſt, (etiam ſi quantū eſt in nobis iniuriam peccando illi irrogamus) ſed nobis interitum præparamus, theſauri zantes iram in die iræ: ideo autem diuerſa officia filiorum patrumque & matrum poſuit, vt ſcias nullam eſſe ætatem quæ ab impietate diſſenſerit, ſed omnes auaritiæ ſtudēt à maximo vſq; ad minimum, à lupo vſque ad vulpeculam & catulos, ſcilicet à parente vſque ad filios & matrem. *Ieremi. 6. C. 8. D.*

*Simile.*

Omnes vulpeculam abhorrent & merito, cum videant illam victum ſuis catulis fœtidis & rapacibus, agnorum diſpendio & gallinarum iactura parare: contingit tamen vt laqueo illam capiat pa-

piat paſtor ſolicitus pro agnis, & viuam excoriet vt riſui pueris ſit & tandē turpiter occidatur. Mater auara, vulpecula crudelior, ſanguinem agnorum & filiorum pauperum ſitiens, & adfuran dum illum, lupum, ideſt, maritum tuū inuitans vt inde catulis tuis victum prębeas, quia otio cōtinuo vacare diſponis, nec labo res manuum tuarum māducare, ſed lanas ſinis eſſe rudes, nolens filias imperatorū Caroli magni & Octauiani in labore lanarum imitari. Venien.s venies & cito ad paſtoris Chriſti manus valde pro pauperibus ſoliciti, & laqueo mortis captam, iubet te exco riari: & nudam omni gratia & argēto pueris infernalibus ad illu dendū tradi, & ibi torqueri vſque dum ſoluas vltimū quadrantem: & cum primum ſoluere nō valeas, quia ſine Dei gratia eris, quādo vltimum ſolues? In æternū in carcere manebis, vide quid conſulas mulier. O fœlices parentes qui labore honeſto & iuſto filijs ſuis neceſſaria ad victum & ſtatum licitum acquirūt: ſicut *Simile.* oues quæ agnos ſuos, imo & dominos ſuos, ex iuſte acquiſitis la cte & lanis alunt, ex herba ſcilicet ſibi cōceſſa & riuorum aqua. O parentes boni, qui ex herba frumenti licite à vobis parta, & non minimo labore adinuenta, non ſolum vobis & filjs neceſ ſariatribuitis, ſed etiam præpoſitis veſtris victū acquiritis: imo & Deo veſtro in pauperibus exiſtenti panem confertis & veſtē. *Matth. 25. D* Vnde vt oues eritis ad dexteram Dei in iudicio collocati audien tes, venite benedicti patres familias qui iuſto labori in vita vaca ſtis, vt vobis & filijs & mihi in paupere famelico exiſtenti ne ceſſaria præberetis. Et vos matres honeſtæ & labori iuſto conti nuo deditæ etiam ſitis benedictæ à me omnium domino: quia *Prouer. 31. B* quælibet veſtrū fuit illa fortis mulier quæ lanam & linum quæ ſiuit, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, & dedit victum domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis: vnde panem otioſa non comedit, vt multæ aliæ maledictæ matres vulpeculæ ſimiles.

Satage igitur parēs, cœleſtia bona deſiderās, vt terrena neceſ ſaria filijs tuis atq; omni familiæ tuæ iuſtis & ſanctis medijs pro uideas, ne ſis infideli deterior, & beſtijs crudelior, &, & auibus im *Orati. 18. fo.* prouidior. Audi D. Baſilium in quadā oratione dicētem: nemo *842.* eſt enim omnino ſic prudētiæ inops, qui non ſumma infamia di gnum iudicet, ſe ab auibus & beſtijs quæ longiſsime à ratione abſunt, virtute ſuperari: attendite parētes, nam ſi leænæ cordi eſt fœtus, ſi lupus pro catulis decertat, & medijs etiā iniuſtis, ſangui

nis

nis ouium dispendio, cibũ illis omni periculo postposito administrat vorax cum sit, quid quæso iudici tuo Christo dices homo familiã habens, & filios ab ipsomet iudice tibi vt pedagogo, ad alendos traditos, tanquam sanguine suo redemptos: qui præceptum de educãdis filijs negligis & naturam peruertendo, etiã diuinum mandatum conculcare non times: dum non solum labore iusto illis non prouides, sed quæ Deus tibi ad alendos redẽptos suos præbuit otio & ludo & vitio dilapidas? Cui similem te affirmem esse, aut cui comparabo te, naturæ destructor, legis Dei contemptor, & humanæ consuetudinis conculcator? Similis es aquilæ, quæ in educando partu iniustissima existit: cum enim duos pullos exclusit, alterum pennarum ictibus in terram deijcit, alterum vero tantum suum esse ducit: auersando id quod procreauit propter pastus difficultatem. O parens iniuste, tali aquilæ crudeli similis, qui inopia coactus, aut quia spe in Deum dantem escam omni carni cares, aut potius quia laborare negligis sed otio & ludo vacare, vnde prouenit difficultas alendi: exponis infantes tuos ianuis aliorum ad stipem & à nido domus tuæ verborũ ictibus expellis, & vt seruiant alijs vt iumenta conducis illos, solum quia laborare ipse non vis, & ipsos ad laborem domesticum inuitare. *simile.* *Psalm. 135.*

O homo aquila crudelior, qui filios tuos aliquos pauperes & mendicos alienæ seruituti tradis, etiam ex hoc quia primogenituram instituis vnicum diuitem relinquendo filium, alios miseros & inopes derelinquendo vt Cantabrici, ita vt multi illorum esuriant, dummodo vnus tantum diues & ebrius sit. Iniquissimus in diuidenda hæreditate existis, vt aquila alterum pullorum nutriens, alterum vero vnguibus & rostro à nido & cibo miserandum reijciens: inique parens, Deus non dedit ex parte sua vnicuique filiorum tuorum ex æquo vt esset, animam ex nihilo creans illorum? Christus sanguinem suum & vitam æqualiter pro illis effusioni & morti in Cruce non exposuit? Solem suum oriri, & aquam pluit super omnes sine discrimine non fecit? & ipse pater Dei adiutorio & solis & vxoris tuę, sine aliqua differentia esse filijs tuis non communi casti generãdo? Vt quid etiam ea quæ ad vitam tuendam pertinent, æqualiter eis non præbes atque diuides? Quæ te inuasit ambitio dira vt cæteros filios infamiæ & paupertati, & per conse- *Matth. 5. D.*

conſequẽs ludis, imo & latrocinijs exponas: dum modo vnicum diuitem & extra tuum ſtatum honoratũ, & periculo ſuperbiẽdi traditum relinquas? Vtinam tãto nocumẽto & damno obuiam venias dñe Ieſu, vt parentes ſciant filijs prouidere, omittamus regem ſic neceſſario exiſtẽtem & reipublicæ proficientem. Alij ſunt parentes feritate ſic præditi, qui non verentur aues aduncitate vnguium dotatas imitare: quæ cum pullos ſuos animaduertunt iam in poſterum volare poſſe, eos ex nido eijciũt, pœniſq; verberant & pulſant, nec de inceps eis vllo modo conſulunt. O crudeles parentes coruis & lupis in hoc ſimiles, qui non timetis filios omnino à vobis expellere, & à veſtra cura, cum primum laborare poſſunt, & nuptijs illos traditis: nec amplius neceſſaria illis tribuere vultis. Vnde potius leuamen ſuæ paupertatis à vicinis & conciuibus inueniunt quam à vobis parentes duro corde: cauete nam multoties fit parentibus huiuſmodi retributio, vt à filijs derelinquantur, cum primis parentibus non indigent.

In cœlum ferenda eſt cornicis in pullos charitas, quæ etiam volantes iam comitatur, eiſque paſtum (ait ibi Diuus Baſilius) diu parat & præbet: o boni parentes, qui non ſolum debito victu & veſtitu filios paruulos nutriuiſtis, ſed etiam nuptos adiuuare non quieſcitis, vt melius in Dei ſeruitio viuant: fiet certè à filijs retributio, & ſi non, à Deo ipſo amore cuius ſic filios alitis. Væ iniquis parentibus nec filios paruulos nutrientibus, nec illis neceſſaria prouidentibus, ſed à nido domus cum aquila crudeli verberibus & verbis duris in ſeruitutem reijcientibus: filij, qui ſic à parentibus opprobrioſe reijcimini, ne contra illos irascamini vt Deum ne offendatis: ſed leuate oculos veſtros ad patrem cœleſtem neminem à menſa ſua reijcientem, ſed eſcam omni creaturæ dantem in tempore opportuno, & ipſe ſua prouidentia donabit vobis gubernatorem ſufficientem. Si aquila eſt tam crudelis & iniuſta vt pullum quem genuit à ſe proijciat, nolens vt otioſa illum alere, non deeſt alia auis oſsifraga vocata Latine, quæ Græce Phane dicitur, & Hiſpane Quebrantahueſſo: quæ miſericordia mota & in laborenõ pigra, talẽ pullũ à parẽte aquila reiectum, mori fame non patitur (teſte Baſilio ibi) ſed illum ſuſcipit, & vna cum ſuis educat, & ad omnia neceſſaria illis infinitus prouiſor ſufficienter adiuuat. O crudeles parentes otio & ludo vacantes: vnde filios veſtros fami & infamiæ exponere non

non dubitatis. Et hoc, quia sine hæreditate relinquitis. Filij sic contempti & in paupertatem, naturæ inimicam missi, sperate in domino & facite bonitatem, & absque dubio ipse vos enutriet per se: aut prouidebit virum industrium, & parentem pium & solicite laborantem, & medijs debitis non solum filijs proprijs necessaria administrantem, sed & vos etiam vna cum filijs suis recolliget, & alet, Deo sic disponente, vt omnium creatore & parente: vt nullus sine necessario maneat cibo: & meritum, quod ipse crudelis & vagabunde parens amittis, alter verus fidelis & Dei amator & chatitatis suo bono opere lucretur.

Diuus Basilius, in illud Psalmi, si reddidi retribuentibus mihi mala, dicit: debetur namque liberis à parente secundum naturalis amoris affectum, sustentandæ vitæ prouidentia siue prouentus: parentum enim est (teste Paulo) colligere siue thesaurizare filijs: vt præter hoc quod ad vitam illos genuerunt, etiam viuēdi subsidia subministrent. Idem Basilius in Hexaemeron, inuehitur contra parentes naturam adulterantes, cum bestiæ tantam susceperint curam pro filijs alendis: & sic ait, vnde fit vt in ouium tam copioso numerosoque grege è stabulis exiliens agnus matris suæ continuo percipiat vocem, ad eamque properet: atque lactis fontes proprios recta petat, papillisque maternis contentus sit, etiam si per parum habeant succi, præteritis atque contemptis haud paucis vberibus aliarum ouium lacte distentis. Quin mater ipsa inter tam multos numerosos agnos, eum internoscit vt proprium: vna vox omniū est, vnus idemq; sæpenumero color vnus etiam penitus odor, quatenus odoratus nostern nouit discernere: atque istis ouibus inest quædam sentiendi facultas, nostra nimirum longe exactior, qua suum cuiq; proprium facile dignoscere licet: & vnde hoc, nisi vt parentes à brutis admoneantur, qui mulci illorum filios non agnoscunt, & si agnoscunt alere illos recusant, contra brutorum naturam operantes? Vnde necessitate compulsi filij furtis & ludis se tradunt, & alia innumera perpetrant mala: quod præter hoc quod filij damnationi æternæ se exponunt, parentes absque dubio vapulabunt multis, cum sint causa tanti damni. Quare & vos parentes transgredimini mandatum naturale & diuinum, de alendis filijs vestris medijs iustis & laboribus honestis? Attendite quo-

*Psalm. 7.*

*2. Cor. 12. F.*

*Homi. 9. fol. 43.*

modo vinculo magno ad hoc eſtis deuincti, & etiam vt iuxta poſsibilitatem veſtram honeſtum ſtatum illis acquiratis ad viuendum in hac mortali vita.

Ad vos ò parentes ſunt modo ſermones mei, & ſi aliquanto longiores, tamen meo tenui ſuffragio & iudicio valde neceſſarij, quia hinc fere pendet cõiugum ſalus, in recte filijs nutriendis: & inde liquide conſtabit quid filij erga parentes facere teneantur. Auribus cordis percipite verba oris mei omnes qui genuiſtis & qui filios & ſeruos ad alendos & regendos ſuſcepiſtis: quia poſt illa quæ de victu & veſtitu & ſtatu debito diximus, ad quæ vos vinculo naturali & lege diuina fortiter tenemini vincti erga filios: inſuper ad ipſos inſtruendos & legem diuinam docendos ab infantia eſtis obligati, & ad mores ſanctos imbuẽdos, & malos repellendos, vt ſciant in omni tempore (vt ait eccleſia in baptiſmatis officio) laudare nomen Domini. Vide parens, ne gligẽtia plene, quid facias cum de hoc nec verbum vllum in domo tua per totum annum audiatur: & quod ad hoc tenearis patet euidenter etiam homini ruſtico hanc rationem audienti: filius tuus ex duobus cõſtat partibus, & ex anima & corpore plaſmatus eſt. Cum extra agnum & vitulum animam rationalem habeat, etiam ſi corpus cum iſtis habeat commune: & margaritam precioſam, animam nempe rationalem & ſpiritualem Dei gratiam valentem habere & beatitudinis & Dei viſionis capacem: quam Deus immenſus filius altiſsimi Chriſtus non auro & argento, terræ ſcilicet ſtercore, ſed ſanguine ſuo immaculato redemit, paſsione & morte crucis liberauit à dęmonis poteſtate: inde eſt quod non tibi ſat eſt parens, filio tuo neceſſaria quoad corpus præbere, vt ouis agno prouidet, aut vitulo vacca, ſed in ſuper in ſpirituali diciplina illum inſtruere, & legem Dei illum docere, vinculo neceſſario teneris, vt inde ſciat media quibus ad viſionem Dei peruenire poſsit.

*1. Pe. 1. D.*

*Simile.* Quemadmodum parœcius & animarũ paſtor, tenetur omnem plebem ſibi cõmiſſam articulos docere fidei & decalogum & eccleſiæ mandata, & ſacramẽta ad ſalutem neceſſaria: vt ſciat fidelis quid credere debet explicite, quid facere & quibus medicinis vti: alias vbi grãdis eſt negligentia in hoc peccatum eſt illis mortale, teſte magiſtro Soto in de iuſtitia & iure: ſic & pater familias qui etiã eſt paſtor particularis animarũ familiæ ſuæ, tenetur hæc

*Lib. 10. q. 1. art. 3.*

tur hæc eadem familares & filios docere, vt saltim ab anno quatuordecimo quilibet illorũ filius sciat ista ad salutem valde pertinẽtia. Ideo ecclesia in baptismatis sacramẽto patrinos admonet, vt ista filios quos ex fonte eleuãt doceant: & parentibus proprijs sacerdotũ verbo talia patrini commendant: vt qui tẽporalia corporibus administrare debent, spiritualia docẽdo necessaria administrent. Quomodo hoc in Dei ecclesia fiat, Deus optimus scit: gratias Christo reddamus, qui suscitauit homines charitate plenos: qui nostris tẽporibus doctrinam christianam docentes, multos parẽtes à tam graui vinculo liberos reddiderunt. Quis numerare poterit bona quæ parentibus ex filijs eruditis in bono, & in lege Dei instructis proueniũt hic & in futuro? Heu quam innumera damna ex filijs indisciplinatis & stultis, parẽtibus suis huc usque cõtigerunt, & indies proueniẽt: si mihi fidem habere vt parum experto, & fere nihil de virtute scienti non vis, audi spiritum diuinũ multa de hoc per Salomonem dicentẽ: filius sapiens lætificat patrẽ: filius vero stultus mœstitia est matri suæ, & despicit illam. Bene scio per sapientem, in sacro eloquio virtute prędita intelligi iuxta illud, vir sapiens plebem suã erudit, & fructus sensus illius fideles sunt: vir sapiens, ideſt, bonus implebitur benedictionibus, alias multi sapiẽtes sunt in inferno maledicti si pro sapiẽte bonus non intelligeretur: & videtes illum laudabũt: sicut pro stulto peccator intelligitur, vt aperte constat ex illo loco, peruersi difficile corrigũtur, & stultorum infinitus est numerus, ideſt peccatorum: infinitas stultias quotidie faciunt.

*Ex Iesu familia*

*Pro.10. A.*

*15.C.*

*Eccl.37. D.*

*Eccle.1.D.*

Merito sapiens dicitur bonus homo quãtumuis rusticus sit, cũ sciat Deo placere & mandata illius custodiendo ad illum tendere: quo beata visione fruetur. Quia vulgo dicitur, qui saluus fit ipse scit, alter vero nil scit sed stultus saris in Dei iudicio manebit: & Aristoteles lumine naturali illustratus, intelligens hoc dixit, omnis malus est ignorans & stultus, cum nesciat operẽ & virtute media accipere quibus finem suum optatum & à bonis desideratum, nempe Dei visionem, obtineat. Igitur ad nostrum reuertendo locum filius sapiens & eruditus in lege Dei & cum hoc bonus, lætificat patrem suum carnalem illi obediendo & mandata sua custodiẽdo: imo & patrem cœlestem illi in omnibus seruiendo: filius autem stultus legem Dei ignorans & peccator existẽs magnã mœstitia est matri suæ carnali, illum

ſuſpendio & infamiæ & damnationi expoſitum videri, & cum hoc deſpicit illam talis filius. Heu ſi per iſtam matrem Eccleſiam ſanctam intelligamus, quam triſtis eſt & afflicta, filios peccatores videns ſine diſciplina & mandatorum ſcientia: ſine virtute &
Pro. 19. B. obedientia, à quibus quotidie ſe contemptã videt. Dolor patris tam carnalis, quam ſpiritualis paſtoris, imo & dolor patris cæleſtis ſi capax doloris eſſet, filius ſtultus eſt (ait Salomon) ſine ſcie-
Ibi. 29. C. tia & virtute: erudi filium tuum pater (dicebat ipſemet Salomon) & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ in hac vita & in alia: alias ſi legem Dei illum docere negligis, quid miraris vt carnifex tuus ſit in hac vita, & in alia teſtis ſerpentinus in iu-
Eccli. 30. A dicio contra animam tuam? Qui docet filium ſuum laudabitur in illo, legimus in Eccleſiaſtico capite trigeſimo, & vide totum caput mira de hoc adnotans: proh dolor quam inſipientes ſunt modo filij in bono & in virtute & quam ſimplices in lege Domini: quam è contra prudentes ſicut ſerpentes in rebus huius ſeculi, in emptionibus & venditionibus, in ludis & fallacijs, quia iſta & non illa à parentibus traduntur ipſis, à pueritia ſua.

O Suſanna ſancta caſtitatis ſpeculum & fortitudinis ergà virtutem exẽplum, vnde prouenit animæ tuæ tam virilis animus vt tam laude digna verba proferres: imo ab angelis commendanda, coram ſenibus & iudicibus populi & presbyteris mortem tibi minantibus ſimul & infamiam & dehonorationem, quãdo
Dani. 13. C. dixiſti, anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi voluptati conſenſum præbuero, mors mihi animæ eſt: ſi nõ, manus veſtras non effugiã nec mortem corporalem infamiã plenam. Quid igitur cogitas faciẽdum honeſta mulier? Quid facere decreuiſti? Non opus eſt mihi ad hoc cogitare ſed ſtatim dicere: melius eſt mihi abſque opere malo incidere in manus veſtras ſenes deprauati, & in infamiam, & mortem, quam peccare in conſpectu domini. Vnde tibi tãta virtus ſimul atque fortitudo prouenit delicata & pulchra fœmina? A Deo ſemper parato auxilium præſtare contra vitia in virtutis fauorem pugnãti viriliter, & magis mori quam peccare in Deum deſideranti: & etiam non parum mihi profuit ad virtutem eligendã vitæ diſpendio, quod Daniel in principio hiſtoriæ meæ à ſpiritu diuino edoctus ſcribit: parẽtes enim Suſannæ cũ eſſent iuſti, erudierũt filiã ſuã ſecundum legem Moſi-

O paren-

O parentum nostri temporis confusionem, ò filiarum eorum perditionem: parentes Susannæ legem Mosi docuerunt illam: & vos legem Christi suauem & breuem docere cõtemnitis? Nil mirum vobis videatur, neq; durum, si filia vestra magis voluptatem quam castitatẽ eligat: etiam honoris vestri imo & Dei, dispendio, & vitæ suæ tam corporalis quam spiritualis iactura. Et (vt ait D. Antoninus in sua theologia) nunc autem parentes, quia ignorãtes sunt & parum Deũ timentes, nec filios sciunt per se erudire, nec magistris ad erudiendum tradunt. Et quod peius est, nulla illis est cura filios ad conciones mittendi: sed interim ludis vacare sinunt filios, filiæ vero domi manent, vtinam ne malæ societati traditæ: vnde in fine anni aut imprægnata aut cum filio ante nuptias inuenitur filia tua pessima mater: aut simul horum illi contingit, vt bestia syluæ ad coniugium accedit, & vt bestia viuit, & vt talis filios, & filias sine debita eruditione nutrit: & sic interitus iumẽtorum, vt ait Salomon, est eorum. O sancte & optime pater Tobia senex, qui vnicum habuisti filium & sic in lege domini docuisti illum, & ab infantia timere Deum, vt & sanctus ipse esset. Vtinam centum filij tibi fuissent, & centum parentibus nostri temporis siniſtri, vnicus non esset filius: quia ipse omnes docuisses timorem domini, & legem illius melius quam isti vnicum: & credo quod meliorem rationem coram Deo de centum filijs dedisses, quam isti centum de vnico: sed factum tuum ad vltimam differamus homiliam, interim lachrymis deprecemur vt Deus parentibus & filijs gratiam suam conferat vt faciãt necessaria ad beatitudinem obtinẽdam. Amẽ.

3. part. tit. 1. c. 1. §. 6.

Eccl. 3. D.

Tob. 1. B.

# Homilia Septima.

¶ Honora patrem tuum. Text.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

O Virgo, sine aliqua simulatione Deum semper honoras labijs & corde magna causa interfuerat vt ipsum coleres, & doctrinam filij tui & illius sancta mandata homines & Euangelistas docentes: cum esses ange-

lorum doctiſsima, & ſapientiæ diuinæ theſauraria. Magna ſolicitudine cor tuum ab omni malo illæſum ſeruaſti, & animam tuam immaculatam: quia nec ore comediſti aliquid vetitum, neque ex corde tuo puriſsimo veniale fuit egreſſum quo polluta eſſet anima tua. O virgo prudentiſsima, quæ nunquam verbo aut facto alicui ſcandalum præbuiſti: ò planta iuxta decurſus aquarum & donorum cæleſtium à patre æterno plantata Spiritusſancti virtute, vt fructum ventris tui nobis in tempore dares, Ieſum nempe angelorum plaſmatorem: quam clara viſione prædita es domina mundi, quæ cæcis lumen obtines, & filiũ tuum omnia vidẽtem in AEgyptũ duxiſti, & illi ducatum præbuiſti: & poſtea filius coram te triſtis in Cruce manſit vt nos miſeri in foueam infernine deſcẽderemus, ſed à fouea peccati educti eſſemus. Adhuc vos homines, ſine intellectu eſtis, nolentes verba filij mei intelligere? Vt quid animas veſtras tot delictis coinquinare nõ dubitatis, quas filius meus ſanguine mundauit? O cæci & cæcorũ duces, quomodo pergitis ad foueã tenebroſam. Profer lumẽ cæcis virgo ſancta, obtinẽdo à patre vt amore filij Spiritus cõſolator faciat me dono ſuo ducẽ gratũ ſibi & multũ videntẽ, vt verbo & opere ducatum præſtem iſtis cæcis, quo ad gratiæ viſionẽ perueniãt, ad cõtritionẽ inuitati: vt facias dicamus, Aue.

Quia coniugatorum ſtatus vniuerſum replet mundum, & ex illis boni aut mali monachi aut ſacerdotes, oriuntur, nemo moleſte ferat ſi in docẽdo neceſſaria tam parentes quam filios immoremur ſemel in vita: quia ex iſta radice pendet multum religio noſtra Chriſtiana: & ſi radix ſancta eſt & rami, id eſt, filij pro maiori parte ſunt ſancti & è contra: etiam ſi (vt ait Diuus Antoni. in theologia ſua) habere filios filiaſq; bonas nõ eſt in poteſtate parentum: ſed Dei miſerentis & etiam ipſius filij ſe ad hoc diſponentis: nihilominus multum iuuat filios aut damnat, bona ſiue mala parentum cura. Etiam ſi in ſcriptura ſacra legimus ex peſsimis parentibus filios bonos ortos fuiſſe, & econuerſo ex bonis malos: teſtis ſit Ezechias rex Iuda optimus qui tamen filium ſceleratiſsimũ habuit Manaſſem: & peſsimus Amõ bonum Ioſiam. Sanctus Abraham malum Iſmahelem: ſanctus Iſaac peſsimũ Eſau: & cum eſſet ex ſancta Rebecca. Iacob filios genuit ipſum valde offendẽtes: & experiẽtia hoc nobis conſtat, & ego multos agnoui filios bonos ex malis parẽtibus, & ecõtra.

*Ad Rõ. 11. B 3. p. tit. 1. c. 2. §. 6.*

D. Hiero-

D. Hieron. in epistola cõtra Rufinũ, & habetur in decretis sic ait: Iephte inter viros sanctos apostoli voce numeratus, meretricis est filius: Esau de Isaac & Rebecca hispidus tam mẽte quam corpore, quasi bonum triticum inter lolium auenasq; degenerat: quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum. D. August. in sequenti decreto in illa distinctione: sponsus ille qui vocaturus erat ad nuptias (nempe Christus dominus) bonos & malos congruens inuitatus, nasci etiam voluit de bonis & malis: quo exemplo discant filij parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse: si ipsi illas non sequuntur. Communiter tamen, ex regula saluatoris bona arbor bonos fructus filiorum facit: vnde Chrysost. dat regulam parenti filium nubere volenti: vt attendat ad sponsæ parentes, & præcipue ad matrẽ, eũ qua frequẽter filia versatur: vnde de moribus matris faciliter agnoscimus filiam: etiam si (vt dictum est) ista non sit semper regula vera, quia ex bona Lia, Dina multa sibi & alijs damna intulit.

*Dist. 56. c. na sci. de adulterio.* *Ad Heb. 11. f.* *Matth. 7. C.* *Gene. 34.*

Quia in exẽplo Tobiæ in calce precedẽtis homiliæ mãsimus, quo multos parẽtes cõfusione dignos aperte ostẽdemus nolẽtes filios suos legem Dei ab infantia docere: dicamus quid faciebat iste venerãdus homo vt ex sancta scriptura accepimus: filiũ suũ ab infantia timere Deũ docuit, & abstinere ab omni peccato. Et vos parentes filios vestros à pueritia timere Deũ docuistis? Imo à iuuentute, eruditis illos in lege dñi vt ab omni peccato abstineret? Nil minus cogitauimus, quã filios docere timorẽ dñi: non est timor Dei in cordibus nostris, imo nec ante oculos, quomodo filios doceremus? A nullo abstinemus peccato nos senes & Dei iudicio propinqui: qua fronte filios abstinere ab omni peccato & blasphemia & ludo doceremus? Absq; dubio fontalis causa qua filios vestros nec timere Deũ docetis neq; à peccato abstinere, est quia vos inuoluti estis delictis & facinoribus multis. De isto sancto parẽte Tobia narrat nobis sacrũ eloquiũ talia: viã veritatis nõ deseruit, & nil puerile gessit in opere, & solus fugiebat cõsortia omniũ, tã ludẽtium quã detrahẽtium: & pergebat ad Ierusalem, ad tẽplum dñi & adorabat Deũ. Eia parentes, videte cordis oculis an similia vos faciatis, & tũc credam similia vos filios vestros docere: heu tamen si quotidie viam veritatis deserere non timetis ludis blasphemijs & voluptatibus: quomodo filios docebitis

*Tobi. 1. B.* *Psalm. 13.* *Ibi. A.*

immaculatos per viam mandatorum Dei ambulare? Omne opus veſtrum eſt puerorum, quia vt pueri rixas diligitis, ludos & nænias, & pueri effecti eſtis in iudicio ſenſuum, quod opus vi
*Pro. 1. C.* rile filios veſtros docebitis? Vſquequo paruuli diligitis infantiam?

Paruuli in virtute, inueterati in diebus malis & peccatis, vſq; quo puerilia diligetis & troco ludetis? Quid filios veſtros docebitis, ſi eſtis pueri maledicti & centum annorum? Quæ vos facitis mala abſque dubio in illorum cordibus imbuetis. Frequenter in mala atque nociua eſtis ſocietate otio vacantes & detractioni: quid laboris aut orationis infelices filij veſtri diſcent inde, aut quam vtilem doctrinam? Raro ad Eccleſiam pergitis, orationem nunquam nec labijs tetigiſtis: ſacramẽta niſi præcepti vi coacti non recipitis: quid mirum vt in hoc ſimiles filios enutriatis? Le-
*Pſal. 118.* gem Dei cõculcatis & mãdata eius frangitis: quomodo iuuenes filij veſtri, tempore faciendi non diſsipabunt legem domini? Vnde prouenit vt in fine vitæ, mille reſtituendi laqueos in teſtamento filijs relinquatis, quibus captiui ad infernum teneantur: nam ex male acquiſitis non gaudet tertius hæres, non ſic teſtamentum ſuũ componebat iſte venerãdus ſenex Tobias credens ſe iam morti propinquum: vt eſt videre in quarto ſuæ hiſtoriæ
*Iob. 1. B.* capitulo, quod adnotatione dignum eſt. Iob patientiſsime, qua cura filios alebas, & in lege Dei inſtruebas? Offerebam holocauſta per ſingulos diluculo, dicens: ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint, ideſt, maledixerint Deo in cordibus ſuis: & ſic faciebã cũctis diebus, & ſanctificabã illos. Vnde Origenes
*Libr. 1. in Iob. fol. 422* ſuper iſta verba optime dicit: vitulũ Iob corã filijs ſuis pro peccatis illorũ iugulatũ oſtẽdebat: vt videntes filij innocentẽ occiſum pro ſuis delictis, metuentes ac pauentes, à peccatis declinarẽt animam occidentibus. O vos noſtri tẽporis parentes, quãdo orationem, quanto magis holocauſtum, pro filijs veſtris obtuliſtis ne Deum blaſphemarẽt, nec creaturas eius maledicerent? Si vos primum cũ Iob Deo in omnibus benediceretis, melius quam ipſe filijs veſtris poteratis oſtendere vitulum ſaginatum, & in ara crucis immolatum, Chriſtum nẽpe dominum pro hominum peccatis occiſum dicentes: videte filij, quã horrenda ſit mortalis culpa, quæ ſanguine tanti vituli debuit expiari: vt ſic parentes & filij metuentes peccare, culpas fugeretis, & virtutes inſequeretis.

Audite

Audite quid parens optimus Iob dicat (ait Origenes) ne forte filij mei aliquid mali in corde suo cogitauerint aduersus Deum. O synceritas patris, ô dilectio parentis: ô studium genitoris, non tantum pro corpore solicitus erat, sed plus de anima cogitabat. Ne forte, inquit, filij mei qui in disciplina nutriti sunt, qui in Dei timore exercitati sunt, in mente in animo, in sensu, in cogitatione aliquid cogitauerint cõtra dominũ. Quomodo permiserat Iob aliquid mali in verbis aut factis in filijs contra dominum omnium parẽtem: qui sic solicitus & timoratus de cogitationibus illorũ erat? Disce pater, officij tui oblite ab isto patriarcha Iob, qui hæc non reminisceris, qui filios ab infantia exterminas & ab incunabulis non erudis: non corripis à iuuẽtute, non prohibes mala, non odis pessima in te quanto magis in illis: nec admones timorem Dei nec comminaris iudicium gehennæ, nec vitæ æternæ introitum doces. Si filiorum blasphemias & periuria non carpis, quia ipse nil aliud loqueris, quomodo cogitationes illorum malas impedies? Si ludos & furta & voluptates non prohibes, quia adulter es, vitijs deditus: quomodo pro absconditis cordium filiorum Deum obsecrabis? Talis quicũque es filios non erudiens in Dei timore, & ipsorum animas igni inextinguibili in interitum tradis, & temetipsum in furorem iudicij Dei demergis. Omnia enim quæ tua desidia & incuria filij tui deliquerint in Deum, à te Deus exquiret, & sanguinem eorum de manu tua requiret: teneris filios tuos necessaria ad salutem docere: & à vitijs abigere, non solum verbo sed etiã virga & flagello: si non vis vt multa flagella super te veniant.

Audi Salomonem, virga atque correctio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur volũtati suæ, cõfundit matrem suam, qui delicate à pueritia nutrit seruũ suum, aut corpus aut filium: postea sentiet eum cõtumacem cõtra se & contra spiritũ suum, & contra dominũ cœli. Vnde (vt ipse alibi ait) qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit: parcis flagello pater insane, nõ corrigendo filiũ, & inde vitam illius & honorem odio prosequeris, quia suspendio tradis illum, aut, quod peius est, inferno: beatus pater qui cõtinuo erudit filium legem domini flagello adhibito, si opus est, vt frequenter cum pueris contingit. Sicut tenellum virgultum potest quis & rectum aut curuum facili studio cõponere, aut in furcam dirigere: *Prou. 29. C. D.* *Ibi. 13. D.* *Simile.*

quod tamen iam durũ, id fieri minime poteſt, alias frange illud: ſic & filium tenellum poteris facili negotio verbo & flagello rectum in Deum cõponere ipſius patris cœleſtis auxilio: aut curuum & ad furcam aptum, ſi illum iuxta parua deſideria ſua ſine correctione & virga ambulare concedis: ſi tamen grandeuus fit, frangere poteris & occidere, non tamen rectum componere, ſi in malis eſt aſſuetus. Audite parentes ſanum domini cõſilium, per
*Eccle.7.C.* Salomonem vobis collatum: filij tibi ſunt? Erudi illos, & curua illos à pueritia illorum, ſi non vis vt furca curuet illos, & ipſe ſoluas. Filiæ tibi ſunt? Serua corpus illarum, magna cuſtodia & vti nam & cum hoc non ſe tradãt voluptatibus: & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. Audite ſpiritus Dei cõſilium parentes: non enim vult vt coram filia veſtra rideatis ne inde anſam libertatis & mali accipiat inuerecunda filia: ſed grauitatem & rigorem oſtendite illi ne audeat malũ perpetrare: & trade filiam
*Simile.* nuptui & grande opus feceris: quia vas vitreum in tanto non eſt periculo conſtitutum, vt filia innupta præcipue ſi pulchra eſt.

Veneratione digna ſunt omnia quæ ſanctus eccleſiæ doctor
*Tomo.1.fol.* eximius D. Hieronymus nobis legenda reliquit: tamen certe in
*56.* epiſtola de inſtitutione filiæ, quã ad Lætam dirigit multa nota tu digniſsima conſcripſit, quæ parentes in corde retinere debebant: vt filias ſuas aliter Deo nutrirent, & non lenoni & vitio. In
*Similia.* ter alia audi mater, ſi ſolicita prouides, ne filia percutiatur à vipera, mordeatur à cane, aut ne in ignem cadat: cur non eadem cura prouidebis, ne feriatur à malleo vniuerſæ terræ, iam cõfracto
*Iere.50.D.* à Chriſto & in Cruce cõtrito (vt ait Ieremias) nẽpe diabolo? Sic tenet gloſſa ordinaria in hunc locum Ieremiæ dicens, malleus vniuerſæ terræ diabolus eſt, confractus à Chriſto in tentatione lapidum, & in paſsione Crucis contritus. Vt quid mulier, tanta ſolicitudine non curas ne filia percutiatur ab interuntia, vt à vipera? Cuſtodis illã à canis morſu, & nõ à lenonis verbo rabido? Ne cadat in ignem omni cura cuſtodis filiam, & de igne luxuriæ
*Iere.51.A.* nil curas? Caue ne bibat de aureo calice Babylonis & voluptatis,
*Gene.34.A* ſaltim vt caueres ne veneni potum biberet. Ne egrediatur cum Dina, etiam ad videndum alias mulieres ſuæ regionis, ne ludat pedibus: tibi Deus commiſit filiam ſuam ad nutriendum, vide qua cura illã nutrias: qui claudã & mutilam, & qualibet ſorde maculatam obtulerit Deo hoſtiam, ſacrilegij reus eſt: Quanto

magis

magis si filiam tuam pollutam aut inhonestam, maledicam & inuerecundam amplexibus regis cœlestis paras, punita eris mater negligens? Mementote vos parentes, magis filios vestros exemplis bonis doceri posse quam verbis: cito flores teneri pereunt ab aere frigido aut corrupto, cito violas & liliũ & crocum pestilens aura corrumpit: tamẽ magis cito filiæ corrupto matris exemplo destruuntur, & filij ob vitia parentum. Nusquam filia tua absque te procedat in publicũ: basilicas martyrum, & ecclesias sanctas sine matre non adeat: nullus ei iuuenis etiam cognatus arrideat: discat & lanam facere, tenere colũ, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere: nunquã deniq; ipsam patiaris otiosam: Vtinam omnes parentes in filiarũ educatione talia prudẽter egissent: certe non esset inter nos tãta filiarum corruptio. *simile.*

A societate mala & colloquio prauo filias vestras custodite, & etiã à bono colloquio, à suspectis procedẽte personis: venena nõ dantur, nisi melle circũlita: & vitia nõ decipiunt (ait ibi Hiero.) nisi subspecie vmbraque virtutũ. Sed inquies, quid mihi parenti minaris de peccatis filiorum meorum: cum scriptum sit, pater non portabit iniquitatem filij, & econtra, sed anima quæ peccauerit ipsa morietur? Intellige verum homo, nam hoc de his dicitur qui possunt sapere, de quibus scriptũ est in euãgelio, ætatem habet loquatur pro se: qui autẽ paruulus est & sapit vt paruulus donec ad annos sapientiæ veniat, & pythagoræ litera, Y, eum perducat ad biuium, tam bona eius quam mala parentibus imputantur: audi Hieronymum sanctum parens, nolens filium erudire flagello, nec filiam in moribus componere, super te descendet ira Dei & solues omnia. Si mihi fidem habere non vis, aut di sacram scripturam quam velis aut non veram esse fateri debes, postquam vir Dei Samuel dixit Heli quanta Deus illi fecerat, minatur illi dicens: ecce dies veniẽt: & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua, sed in præmatura ætate occidam illos & in medio dierũ suorum: duo filij tui in vno die in bello morientur. Et infra dixit dominus ad Samuelem, ecce ego facio verbũ, ideſt, factum: in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius, incipiam & cõplebo: ideirco iuraui domui Heli, quod nõ expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum: vnde *Ezech. 18. E* *Iuan. 9. E.* *1. Reg. 2. G.* *Ibi. 3. C.*

ceciderunt

*Ibi.4.B.* ceciderunt de Israel triginta millia peditũ, & arca Dei fuit capta, & duo filij Heli mortui sunt, & nurus in partu mortua est, quia irruerant in eam dolores subiti: & deniq; ipse Heli cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.

O res horrenda contra parentes negligenter se habentes circa filiorum suorum eruditionem, & nolẽtes flagello coercere illos
*Psal. 31.* atque in camo & fræno maxillas eorum cõstringere, vt ad Deũ virtutibus approximẽt. Quare tanta mala simul contra te Heli, glomeratim descenderunt, & tanta ira de cœlo? Non legimus te peccatorem fuisse lusorem auarum aut superbum: sed potius
*1.Reg.3.D* dicentem, dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat: quid fecisti? Vt quid tanta mala simul vidisti? Propter filiorum meorum scelera venerunt ista contra me. Iam non arguisti illos,
*Ibi cap.2.E.* dicens: quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei: non enim est bona fama quam ego audio, vt transgredi faciatis populum domini: si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Vtinam talia verba multi parentes hodie filijs suis scandala populo Dei præbentibus dicerent, quid fecisti? Non audierunt me filij mei & flagello non corripuii illos, vnde audi dominum dicentem causam
*Ibi cap.3.C.* suppliciorum super me & filios venientium: hæc & illa veniẽt contra Heli, eo quod nouerat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos: igitur non sufficit tibi pater nudo verbo filios tuos corrigere, sed flagello & verberibus fuste & pugno. Iudicium durissimum manet vobis parentes negligẽtes, circa filiorũ educationem desides, quando corã tribunali Christi stitis præsentati: postquam dæmones de multis quemlibet vestrum accusauerint, & peccata vestra cõtra vos clamauerint: surgẽt filij vestri vt viperarum genimina, & dæmonibus terribiliores vobis, iudici dicẽtes, Domine iuste & verax, in ignem ætaceum, & dæmonũ visionem & perpetuam damnationem mitte hunc parentem nostrũ: qui nouit nos inique agere ludere, & iudicare, & otio vacare & voluptati: & semijoco dicebat, nolite filij mei, talia facere, neq; corripuit nos dure flagello & alapa, dãnat illum in perpetuum. Vide quid cõtra te dicent filij quibus in iustis medijs diuitias lucrasti, sudore & labore, & nutriuisti, & in honore nuptijs tradidisti. Surget filia tua quam ornasti mater perdita, & quam delicate

otiosam

otiosam esse in domo permisisti, sine labore & oratione dicens contra te similia, & addens, mitte hanc matrem meam domine, cum illa in honesta Herodiade, quæ magis docuit me choreas du cere & mundana canere, quam ieiunare & orare. *Marci. 6. C.*

*Sapi. 4. B.*

Audisti parens, quomodo postquam de vita tua durissima ex igatur ratio, statim de filijs tuis exigenda est exactissima: & quo modo ipsimet filij tui erunt testes crudelissimi contra te? Dices forsan, vnde ipse scis hoc? Es tertius Cato qui de cælo cecidisti? Non sum, sed vermiculus terræ, tamen ego ab ipsomet iudice scio tale esse futurum, & in suo eloquio sancto lege illud, si filios non pauisti medijs iustis, si non docuisti legem domini, si virgę pepercisti, & non animæ tuæ: Audi spiritum domini per Salomonem loquentem & contremisce pater negligens: confringentur enim rami incõsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilũ apti: quia (vt ait ibi Holcoth) mali & indisciplinati filij sunt à Deo diuisi & ideo merito vocantur rami incõsummati: & tales confringentur morte pessima ad ignem inferni: quia fructus operum illorum inutiles & sine merito, imo acerbi ad manducandum, & ad nihilum bonum apti. Confractio importat violentiam in diuisione: & sic mali filij violenter à vita auferentur, & tanquam vas figuli confinges eos domine (ait Dauid.) Deinde, quia artifex materiam solidam quem intendit in ædificio collocare, curiose & caute secat, illum vero quem igni scindit, nil sua refert vt frãgatur: sic artifex cœlestis bonos ædificio cœlesti reseruatos, caute à vita ista in aliam secat & solicite à vita tollit: malos vero tanquam igni reseruatos, non dolet vt fractos videat. *Lectio. 46.*

*Psalm. 2.*

*Simile.*

Ex iniquis (scilicet) parentibus (ait ibi Sapientia diuina) omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua: quia prolesindisciplinata & filius à patre non eruditus verbo & flagello, reprendit parentis confusionem iniudicio Dei, & panem quem dedit soluet contra illum insurgendo, & vindictam de illo pętendo. Sed nota quod ait ex iniquis, parentes mali quomodo filios virtutem docebunt? Dicet Christus filio tuo, quare legem meam nescisti? Domine, parentes mei non docuerunt, mitte illos in gehennam ignis. Quare mandata mea non custodisti? Pater meus non corripuit me nec ad bonum etiam flagello inuitauit. Do. Chry. in imperfecto, dicit, quis *Homi. 50. in*

*Matth.24.* cit, quis est quitād gloriam Dei nubit? Qui accipit vxorem propter desiderium bonorum filiorum, aut periculum peccati timens. Et quis est iste? Qui postquam habuerit filios, circa Dei disciplinam continet eos: alioquin qui filios negligit, talis non desiderauit Deo illos generare, sed diabolo, cui nutrit illos. Vides quare filios negligas? Quia nupsisti vt libidini tātum vacares & non vt Deo seruires: vnde filios non Deo sed dæmoni ge
*Psalm.1.* neras. Infelices parentes qui filios non eruditis Deo: beati qui in lege Domini meditari die ac nocte facitis illos, & exemplo & verbo docetis illos.

Visis ad quæ parentes erga filios teneantur, & si paulo fusius tamen iudicio meo valde necessarium, modo intret dominus Iesus verbis nostri textus filios indisciplinatos percutiendo, atq; dicendo: quare vos filij, transgredimini mandatum Dei, de ho-
*Leuitic.19.* norandis parentibus, qui ad tanta facienda vobiscum tenentur, & hoc ob vestram traditionem & proteruiam, auāritiam & ingratitudinem? Respondete si quid habetis: & attendite postquā audistis ad quanta & grauia parentes vestri teneātur erga vestrā educationem, & videre ad qualia & vos etiam sitis obligati. Audi fili, & vide, & inclina aurem tuam & parentibus obedietiam præsta: nam eodem triplici vinculo quo parentes tui ad te procreandum, alendum, & docendum, & necessaria tibi præbendum diximus teneri: eodem & ipse ad illos honorandum & obediendum, & si opus est illis subueniendum deuinctus es, vere se.
*Exod.20. C.* Præceptum diuinum de hoc iam in lege audisti, honora patrem tuum & matrem, vt sis longeuus super terram promissam: hic vi
*Eccle.7.C.* des à Christo domino esse confirmatum, & promulgatum: audi Salomonem, honora patrem tuū, & gemitus matris tuæ in partu habitos ne obliuiscaris: memēto quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Si tamen dicis, si per hos parētes nō essem, per alios essem. Falleris certe, nā ipse nō poteras esse nisi per hos tuos parētes: & si per alios fuisses iam tu nō esses qui es, sed alter homo. Videte filij ad qualem honorē erga parentes vestros sitis deuincti, quia in isto præcepto, non tantum includitur honor salutādi illos, & locum honoratiorem illis dandi, sed etiam vt illis subueniatis, & necessaria conferatis: contra filios aliter facientes, præceptum est naturale, cum natura doceat maiores honore prosequi, præcipue parētes: & hoc in aui-

bus &

bus, & brutis videmus, beneficia parentibus impendentibus.

Debes parentes tuos honorare, obediendo illis in omnibus licitis & honestis: & teneris illos alere in necessitate constitutos, si habes vnde illis necessaria tribuas: & in tantum hoc est verum, quod non solum ante nuptias patrem tuum alere tenearis iusto labore tuo, verum etiam postquam vxorẽ accepisti, si pater tuus in necessitate graui est constitutus, & etiam vnicus filius tuus, & vni illorum tantum succurrere vales, parentis necessitati teneris obuiare, filio aut vxore relictis fami aut morti. Ista conclusio in limpidissimis Salmanticensibus scholis cum Doctore angelico publice legitur atque defenditur tanquam verissima & tenẽda, etiamsi Buridanus super Ethica aliter sentiat: sed nos dicamus cum Diuo Ambrosio in argumento, sed contra. ibi à Sancto Thoma citato, primo Deus diligendus est: secundo parentes, inde filij post domestici: igitur & isto ordine sunt honorandi, vnde in extrema necessitate parentes filijs sunt præferendi. Patet hoc etiam ex Aristotele affirmante in Ethicis, rationabiliter facere filium si moriatur fame, vt vitam conseruet parentis, quia illi debet esse & vitam post Deum: igitur multo potius tenebitur filium in extremis relinquere, vt patrem conseruet. Deinde primum debitum, lege diuina & humana, tenemur antea soluere quam secundum aut tertium: sed debitum erga parentes habitum, est prius contractum, quam erga filios, igitur prius soluendum. Item cui plus debemus antea illi tenemur succurrere, quam illis qui potius nobis sunt deuincti: parentibus debemus multa, & filij à nobis receperunt beneficia: igitur plus & antea debemus benefactori parenti subuenire, quam filijs beneficiatis à nobis.

2.2.q.26.ar. tic.9.ad.3. & q.31.ar. 3.ad.4.in Ethic.lib.9. q.3.

Lib.9.cap.2.

Quid dicit ad hæc crudelis filius, qui cum habeat vnde parẽtibus succurrat, & filios honeste alat, fame perire finit parentes: dummodo extra suum statum filios nuptijs tradat, & seruos & ancillas emat, & quotidie splendide opuletur? Surgat ciconia contra te fili, Nerone crudelior (vt ait D. Basilius in quadam oratione, quã Ibem vocat ibi) contra patrem tuũ ingratitudine intoleranda vtentẽ, quæ prouidentia & naturali amore, matri iam senio cõfectæ prouidet necessaria prębendo. Et tale ciconiæ factũ, non te præbet amãtem & benefactorẽ erga tuũ parentem efficit fili ingrate? Quid in Dei iudicio respõdere poteris aue durior?

Oratio.18.fo lio.842.E.

Bercho-

*Lib.7.c.20. §.10.* Berchorius de Ciconia refert ex Ambrosio in Hexaemerō quod ex Basilio sumpsit, quod etiam dicunt Solinus & Isidorus: mire diligere pullos suos: quia ex solicito accubitu super eos plumarum suarum vestibus denudatur: sed è conuerso quando ad senectutem parens venerit, pulli sibi vicissitudinem recompensant, eumq; in nido senectute fessum releuant: & quousq; vires deperditas recuperet, circa illius educationem tendunt, & diligentius laborant. Attende ista homo, & considera dolores atque labores quos pater tuus amore tui passus sit in tua educatione, & quātas facultatum plumas vt te educaret & doceret perdidit: ideo vice versa in senectute sua & paupertate existentem refoue & humiliter famulare, & necessaria omni charitate illi tribue: quid mirum vt talia facias homo & fidelis, cum parente tuo Christiano, quæ auicula cum matre gerit? Si ita facis Deus erit tibi remunerator, hic per gratiam & in futuro per gloriam. Amen.

# Homilia Octaua.

Text. ¶ Honora patrem tuum.

*simile.* MVltos filios etiam inter fideles reperimus hœdis fœtidis similes: isti enim quandiu lacte capreæ matris suæ indigent, signa dilectionis ostendunt ad illas, & illas diligere videntur: cum tamen hoc solum faciant vt lac & sanguinem & substātiam matrum fugant. Patet hoc, quia cum primum hœdus per se viuere valet sine matris auxilio, & herbam pascere nosse: nec matrem diligit, neque aliquod dilectionis signū ad illam ostendit: imo (quod grauius est) nec agnoscit. O homo crudelis, hœdo similis valde corā Deo fœtidus es, cum parētes tuos quandiu illis indiguisti, aliquo modo dilexisti, & signa dilectionis, imo adulationis, ostendisti: ne credatis tali filio parentes, qui tanto labore & sudore, & vtinam ne iniustis contractibus, diuitias illi acquiratis festos dies frangendo sacrum in illis non audiendo, peierando fallendo: & postea ingratitudinem illius etiam in vita experti eritis. Si modo aliqua dilectionis signa erga vos ostendit, est vt sanguinem vestr[um] fugat, & sudores denoret, & substantiam vestram bibat: in domo sua consistens vxorē & filios habens, & iam vobis non

indigens:

indigens: non ſolum ſigna amoris ad vos non oſtendet, ſed ingratus exiſtens negabit vos agnoſcere, præcipue ſi in neceſsitate conſtitutos viderit. O hœde infernalis, ad ſiniſtram cum maledictis conſtitutus eris in Dei iudicio, fili crudelis & damnande, qui viſcera miſericordiæ erga parentes tuos habere noluiſti: & quia obturaſti aures tuas ad clamorem pauperis parentis tui, & ad gemitus matris tuæ indigentis, & oculos clauſiſti ne videres illos, & manus ligaſti ne eleemoſynam illis dares, ſed famelicos & nudos reliquiſti & infamiæ expoſitos: & ipſe clamabis ad Chriſtum iudicem miſericordiam petendo, & non eris exauditus, vt in ſcriptura legimus. *Matt. 25. C.* *Prou. 21. E.*

Filius Dei, ſic matrem ſuam honorans, nolet te videre ſed dicet, diſcede à me ne te oculi mei videant, qui noluiſti parentes videre: abi ligatis manibus & pedibus ad famem caninam infernalem, qui panem parentibus dare contempſiſti. Scriptum eſt, qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre, ex his quæ neceſſaria ſunt illis, & dicit hoc non eſſe peccatum: particeps homicidę eſt. Intelligis delictum tuum fili contumax, & crudelis, nolens parentibus ſubuenire? Certe pluſquam fur & ſuſpendio dignus es male fili, qui nolens a liuuare tuos parentes in dolore infirmitate & indigentia conſtitutos: & allegas inutilia verba dicens, frater meus illis alimenta præbeat, qui tenetur vt ego: aut laborent ipſi ſenes vt ego facio. Saltim velis aut non, fateris te eſſe deuinctum ad illis ſubueniendum, & cum hoc non vis neceſsitatem illorum tollere: ipſe in neceſsitate clamans non eris exaudi tus. Si Diuus Ioánes dicebat, qui habuerit ſubſtãtiam huius mũdi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Certe non manet, ſed culpa. Quid dixerat contra te inuerecunde fili, ſic viſcera pietatis erga parentes, qui te in viſceribus ſuis habuerunt claudentem: vt videas illos ſenes, & infirmos, & infamia plenos, & neceſsitatem patiẽtes grauem, & non illis ſubuenias? Dixiſſet Ioannes, non ſolum in te non eſſe Dei charitatem, ſed neq; naturalem affectum qui etiam in brutis, & auibus rapinæ multoties inuenitur. Si claudis viſcera pietatis matri tuæ, quæ per tãtũ tẽpus in vtero ſuo habuit te & ex ſua ſubſtantia aluit, & non recordaris, quę & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo, (vt admonebat Tobias filium ſuum matrem illi commendans) *Ibi. 28. D.* *1. Ioan. 3. C.* *Tob. 4. A.*

cui aperies miſer Nero, & quis in morte tua miſerebitur tui, quã do in viſceribus terræſis receptus?

Talis ingratitudo ſufficiens eſt ad priuandum te fili crudelis hæreditate cœleſti, quanto magis terreſtri, & vt à nido beatitudinis excluſos in perpetuum ſis. Pelicanus eſt auis fœminea quæ ſuſcitat filios ſuos à ſerpente occiſos, iuxta Iacobi de Vitriaco ſententiam, referente Berchorio: quia eſt quidam ſerpens in deſerto qui inimicatur Pelicano, & ideo nidum ſuum intrat dum eſt ad paſcua, & pullos eius inuenenat & occidit: rediens Pelicanus eos per triduum deflet, & ſe in coſta percutiens & callidum ſanguinem ſuper illos infundens, ipſos ad vitam reſtituit. Tamen ipſa ita debilis fit, vt pulli naturali inſtinctu, non omnes ſed aliqui illorum, matris beneficia ſentientes, illam debilitatam paſcunt: alij autem degeneres, nullam eius penitus curam gerunt: ſed mater ſana effecta & ad proſperitatem veniens, pullos gratos tenerrime diligit, & ſollicite nutrit: alios vero vt ingratos & degeneres deijcit à nido, & expellit, & ſecũ viuere non permittit. O beati filij, qui videntes parentes veſtros debilitatos, & fere in paupertatem redactos amore veſtri, & infirmos: non quieſcitis nec ceſſatis illis benefacere, & à nido domus veſtræ, ſi opus eſt exire non dubitatis ad laborandum pro mercede qua parentes alatis: ab ipſis parentibus & à Deo eritis benedicti, & tenerrime dilecti: & ſolicite curam de vobis habebit illa pia mater, quæ in cruce ſanguine ſuo nos viuificauit, Chriſtus nempe Dominus, & ad beatitudinis nidum gaudẽter admittet vos vt filios pios erga parentes & circa Deũ gratos. Quid facietis ingrati filij, in iudicio nouiſsimo, qui tanta crudelitate contra veſtros progenitores vti auſi fuiſtis illis neceſſaria non dando: poſtquam pater ſudorem & ſubſtantiam ſuã vobis dedit, & mater ſanguinem ſuum & proprium nutrimentum ita vt debiles & pauperes manerent, & infirmi mortiq; propinqui? Quare pulli Pellicani ingrati mandata Dei tranſgredimini de honorãdis & alendis parentibus, ob veſtram duritiam & ingratitudinem? O fili degener, quid reſpondebis?

*Simile.*

*Lib. 7. cap. 58. §. 1.*

Sunt & alij filij maligni, qui nõ ſolum in vita parentes neceſſitatem pati ſine auxilio ſinunt: ſed etiam morientes, quãtunuis diuites ſint, ab hæreditate illos excludunt, & filios ditant, & ſacella inſtituunt, & hoſpitalia dotant, capellanias erigentes: inte

rim

rim parentes mendicitati & infamiæ relinquentes. Non prohibeo diuinum cultum, quem maxime augeri desidero, præcipue his nostris infelicibus diebus in quibus cõtra illum falsi hæretici insurrexerunt, gaudeo de templis ædificatis, de capellaniarum institutione, & missarum frequentatione: hæc oportet facere, sed illa opera erga parẽtes debita non omittere tanquã valde necessaria, & legis grauiora maxime velim. Vnde primũ legatũ post animæ tuæ cõmendationem ad Deũ, antequã corpus humi mãdes ò fili, debet esse, vt parentibus illa quæ advitã transigendam illis sunt necessaria mandes, ante filiorũ tuorum legata, imo antequã templorum. Si Absalon suspensus est capillis suis, & cor illius tribus cõfossum lanceis, eo quod patrem suum Dauid persequebatur, & vitã tollere volebat: quid expectas fili miser, qui patrẽ persequeris illi non obediendo, & ipsum occidis necessaria ad vitã illi non conferendo? Ait Ambrosius, pasce fame morientẽ, & si non pauisti occidisti, quantum est in te, & suspendio dignus es: quanto magis si parentem tuum paulatim deficere ob necesitatẽ finis, & ob cibi defectum mori? Certè si non resipiscis, in aere cum dæmonibus suspensus eris, ex capillis tuis, id est, superfluis facultatibus, quas parẽtibus tribuere noluisti: & cor tuũ lapideum vt cor Nabalis & emortuũ tribus lanceis erit affixum: prima erit pœnæ dãni, secũda sensus, tertia vero vermis semper viscera tua rodẽtis & dicentis: ò ingrate, ò duro corde, esto in paupertate & fame æterna, qui noluisti parẽtibus tuis necessaria conferre: & quia mandatum Dei contẽpsisti de parentum honoratione, ne Dei faciem videas: & quia argentum plusquam genitorem dilexisti, ignis comburat te.

2. Reg. 18. c

1. Reg. 25. d

Contra vos filij inhonorantes parentes statutum est decretũ in Concilio Gangrensi, & habetur in decretis, sic dicens: si qui filij, parẽtes maxime fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc iustum esse iudicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint: vt hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt anathema sint. Quomodo adimplebunt Dei mãdatum, & cõcilij Decretũ, filij lusores & voluptatibus dediti, quotidie à parentibus necessaria ad familiam alendam furantes, & cum filio prodigo viuendo luxuriosè bona parentum dissipantes? Huiusmodi fures sunt, quando res est magni ponderis, ita vt pater merito censeatur inuitus, & tale est vere furtum: præ-

*Cap. 16. & hab. D. 30. c. si qui filij.*

*Luc. 15. B.*

cipne si ob hoc pater sufficie nter familiam alere non valet vt ad
§.11. notauit Syluester in verbo furtū. Teneris fili, ad restitutionem, si peculium habes castrense, hoc est militaria stipendia, aut alia bona propria & libera: aut saltim postea in diuidenda hæreditate, teneris id cęteris hæredibus patefacere vt habeant ipsi partes æquales tecum. Tamen si crediderim, quantum ad excommunicationis censuras, nunquam præsumendum esse patrem tam acri spirituali mucrone filios sauciare velle. Tenetur etiam ad restitutionem, non filio sed patri, quicunque in ludo lucratus est aliqua istorum bonorum quæ filius furatus est à patre. Quāti in inferno iacent sine restitutione, quia à filijs familias lucrati sunt bona paterna: teneris ad restitutionē qui dono accepisti à filio, imo qui illum ad furtum consilio aut auxilio, aut opere & occultatione adiuuasti: imo quod magis est, si à filio tali quatuor aut quinque tritici mensuras emisti, etiam si illi dedisti quod ex rigore iustitiæ valebant, teneris patri suo aut triticum aut verum valorem reddere, sub pœna damnationis. Videte quanta & quā grauia retia animabus vicinorum ponatis filij furtis vacantes.

Dixi si res magni ponderis est, nam vbi res non est tanti pretij, & præcipue si ad vsum sibi necessarium filius à domo patera accipit, parente de necessarijs ad vestitum decentem prouidere nolente: tunc non censetur talis acceptio furtum, eo quod nō fiat inuito Domino, vel saltim ex se non debet fieri: vnde filius
*Lib. 5.q.3. art.1.* non tenetur ad restitutionē. Est doctrina magistri Soto in de iustitia & iure: & etiam tunc per consequens crediderim, nullum alium auxilium præbentem aut ementem talem rē paruā ad restitutionem teneri: secus forsan esset de illo qui ludo lucratur illam à tali filio. Etiam si à ratione absonum non sit, quod duos aureos quos filius familias potest à patre accipere per annū iuxta statum suum, ad expendendum quomodo voluerit: poterit
*Ibi. lib. 4.q. 5.ar.2.* etiam & illos ludere, & per consequens alter lucrari. Quia idē magister dicit, credibile esse pupillum posse paruam aliquando quantitatem respectu sui status ludere: vt qui centum ducatos quotannis exponit, si quatuor aut quinque ludo dispendat, verosimillimum est patrē suum habere ratum: nam probè sciūt
*Cap.19. Nume.9.* vix iuuenes posse sine illis dispendijs viuere. Cum magistro Soto tenet doctor peritissimus Nauarro in summa sua Hispana: ista diximus ad tollendos scrupulos multorū. Filius tenetur parenti-

rentibus in omnibus licitis rebus obedire, & præcipue in statu recipiendo coniugali, vt parentibus credat tanquam expertis, & sine passione existentibus. Discat ab illo sancto patriarcha Isaac vxorem non petente, neque quærente, sed pater suus solicitudine non pigra, & grauitate & circumspectione magna matrimonium filij procurauit: non vt multi parentes nostri temporis, incogitanter & ridicule filiorum coniugium incipientes, vnde similem habet euentum. Caueant tamẽ parentes ne inuite & coacte filios statum aliquem accipere curent, præcipue sacerdotalẽ dignitatem, aut religionis ordinem: cum tanta cœlestia auxilia sint necessaria, ad talem dignitatem sancte & iuste exercendam: sed suffragium filiorum & voluntatem liberam attendant in statu recipiendo, & ne filias coactas & pugno in monasterijs gratia sumptus includant. *Genes. 24.*

Audiant tales parentes sanctum Concilij Tridentini decretum, anathemati sancta synodus subijcit omnes, & singulas personas cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, seculares, aut regulares, aut etiam qualibet dignitate fungentes: si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium: vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem: quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint. Quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere: quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel cõsensum, vel autoritatem interposuerint. Non vult homo vilis vxorem inuitam, & Deus coactam accipiet sponsam? Simili quoque anathemati subijcit eos, qui sanctam virginum voluntatem veli accipiendi: quoquo modo sine iusta causa impedierit. Quare & vos filij transgredimini mandata Dei parentes non honorando? Illos non alendo? Neque in iustis rebus obediendo. Et quid dicam de filijs parentes verbis & factis subsannantibus? Ne glorieris in contumelia patris tui (ait Salomon) non enim est tibi gloria sed cõfusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij, pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui: & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: eleemo- *Sessio. 25 cap. 18.* *Eccle. 3. B.*

*Geneſ.9.D* ſyna enim patris non erit in obliuione. Recordare fili, patris ſubſannator aut matris, quomodo fuit maledictus Chã, & ſeruus ſeruorum factus, quia patrem ſubſannare non timuit: maledictus eris à Deo & ſeruus dæmonum factus, ſi patrem tuum, Dei locũ habentem, irridere volueris.

*Epiſt.2.2.q. 7.ca. qualis. Genc.9.D.* D. Clemens in Epiſtola ad Iacobum, & habetur in decretis, qualis condemnatio eis immineat, qui in patres peccant, diuina ſcriptura oſtendit dicens: ſi enim Cham quia non operuit pudẽda patris maledictus eſt: multo ampliori condemnatione digni ſunt, qui patribus legatione Dei fungẽtibus cõtumeliã inferũt.

*Prou.30.C.* Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ. Quid Salomon, contra illum veniet? Effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ: dæmones alij, coruis nigriores ſuffodiant â facie tua talem oculum, patrẽ ſubſannantem: & alij dæmones aquilis crudeliores, dilacerent illũ, irriſor genitoris tui, & per conſequens Dei. Citans Diuus Thomas

*2.2.q.75.ar 2.in cor.* hunc locum Prouerbiorũ dicit grauiſsimum eſſe Deum irridere & ea quæ Dei ſunt, vt omnia quæ ſancta docet eccleſia: iuxta il-

*Iſai.37.D.* lud Domini per Iſaiam, cui exprobraſti, & quẽ blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem? Ad ſanctum Iſrael? Nõ ibis impunitus: deinde ſecundũ locũ tenet parentum irriſio poſt Dei irriſionẽ: & poſt miniſtrorum altaris ſubſannationẽ. Heu quot irriſores in mũdo. Audite verbũ Dei filij illuſores, & parentum veſtrorũ irriſores, attendite quale ſupplicium vobis maneat corã iudice Chriſto patri ſuo vſq; mortẽ obedientes, & matrẽ ſuã vſq;

*Ad Phil. 2. A.* ad vitæ vltimã horã oculis & lingua honorante: audite quid lex

*Ioan.19.D.* illa rudis iubebat olim: ſi genuerit homo filiũ cõtumacẽ & pro-

*Deut.21.D.* teruũ, qui nõ audierit patris ac matris imperiũ, & coercitus obedire contẽpſerit: apprehendent eũ, & ducẽt eũ ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portã iudicij, dicentq; ad eos: filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contẽnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis. & morietur, vt auferatis malũ de medio veſtri. & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat.

O vtinam iudex omnium talem ſententiam in auribus cordis omnium filiorum contumacium, vnum Angelum reſonare iuberet, dicentem: fili contumax & proterue, parentum imperium contemnens, mandata Dei conculcans, time vehementer:

cito

cito in hora quã neſcis, ductus eris in morte coram illo iudice Chriſto antiquo dierum, imo patri coæterno, & apprehendent te inferni carnifices, & in porta iudicij, ideſt, in morte, præſentabunt te coram illo dicentes: iſte filius fuit proteruus contra parentes ſuos, & contumax contra te fili Dei, & monita tua de parentum honoratione audire cõtempſit: ſed comeſſationibus, ludis & voluptatibus, blaſphemijs & detractionibus vacauit inuerecunde, quid vis vt de illo fiat? Lapidibus eum obruat omnis populus infernalis: & moriatur pœna ęterna, qui ſic in vita mortali, proteruus & contumax fuit & morte culpę occiſus: & auferatur tam graue malum de medio fidelium meorum: & vniuerſus Iſrael & populus fidelis & omnis filius Chriſtianus tã graue ſupplicium audiens pertimeſcat, & ſimilia facere exhorreſcat. Sit tali filio tam grauis pœna in ſupplicium & omni filio in exemplum: heu Domine mi, ſi modo eſſet in vſu iſtud lapidandi ſupplicium contra filios proteruos noſtri temporis, contumaces, luſores raptores, maledicos, & parentibus non obedientes: ſed potius ipſos miſeros ſenes & pauperes irridentes, & diuina tua mandata contemnentes: certe paſsim multos lapidum aceruos in vijs ſuper tales filios inueniremus, in plateis, & in ciuitatibus & paruis oppidulis. Vbique reperiuntur tam proterui & inobedientes filij, & in magno & paruo ſtatu, & inter diuites & pauperes. Non tamen ideo ſitis gaudentes filij contumaces, & parentibus non obedientes, quia tale lapidandi ſupplicium non eſt in hac vita in vſu: quia abſq; vlla ſimilitudine magis grauiſsimũ in morte veſtra eritis experti (vt diximus) & æternum, & crudeliſsimum. Quia ideo in illa lege iam abolita tam grauis pœna corporalis a Deo contra filios ingratos poſita fuit, vt eſſet figura terribilis ſupplicij filijs Euangelij proteruis futuri poſt mortem.

Gaudete in Domino ſemper filij optimi Deo primum in omnibus obedientes, deinde parentes veſtros honorantes, verbo, & opere, & ipſos in neceſsitate ſua nutrientes: ò fœlix Ioſeph, qui cum eſſes in Ægypto conſtitutus ſuper omnem terrã & dominator illius: tamen patrem tuum ſenem non contẽpſiſti, nec te filium eius eſſe negaſti, ſed dignatus es coram rege patrem tuum eſſe confiteri, etſi paſtorem & cibarijs indigentem, dicens, pater meus & fratres venerunt de terra Chanaan & alebat *Geneſ. 41. E.* *ibi. 47. A*

bat patrem & fratres, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis, & sic patrem vsque ad mortem aluit, mortuum q;
*Ibi.50.A.* cernens ruit super faciem illius, flens & deosculans eum: præcepitque seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem & amore Ioseph fleuit eum Ægyptus septuaginta diebus. Et cadauer illius in terram Chanaan deportauit, & omnes senes domus pharaonis cum eo, & cuncti maiores natu terræ Ægypti, & facta est turba non modica: & celebrantes exequias plāctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies, ita vt mirarētur habitatores terræ. Libuit hanc Ioseph honorationem erga patrem suum tam fusius adducere, tam in vita quam in morte, contra filios ingratos, & in confusionem illorum qui in vita parentes suos fame perire sinunt: & si filij diuites sunt aut in aliqua dignitate constituti, parentes ignobiles, aut pauperes contemnunt, imo (vt audiui de aliquibus) coram alijs esse parentē suum negant, sed seruum aut famulum suum. O malitia aliquando punienda, & cito: alij vero parentes defunctos obliuioni tradunt, nec suffragiā pro illis offerre curant, imo nec de illorū morte magis dolent, quam si nec amici essent, necdum parentes. O fœlix ille filius qui in omni statu cū Ioseph parentes suos honorat in vita & in morte, illis necessaria prębendo, & de infortunijs suis infirmitatibus aut morte valde dolēdo: talis benedict⁹ erit à Dño, & similia cū filijs suis inueniet: sicut & malus cū filijs suis.

Salomon rex fuit valde sapiens & cum esset tantæ potentiæ vide quomodo matrem suam honorauerit: cum venisset Beth-
3. Reg. 2.C. sabee ad illum vt loqueretur ei pro Adonia, surrexit Salomon in occursum matris, adorauitque eam, & sedit super thronum suum: positusq; est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius, & dixit ei, pete mater mea: neq; enim fas est vt auertā faciē tuā. Quis filius non discit à rege Salomone parentes honorare, & illis obedire, & nil petitionibus suis iustis negare? Si à Salomone discere nō vis talē parentum honorationem, disce à Christo
Matt. 12.D Salomone sapiētiore, nam ecce plusquā Salomon hic, & à rege regū & Dño potentissimo: qui in throno crucis existēs clauis affixus, & ideo non valens huc aut illuc se vertere, & sic nō potuit exire in matris mœstissimæ occursum iuxta crucē existentis: tamen inde, veneratione qua pōtuit, oculos ad illā videndū, & linguam ad illam alloquendū libēter tribuit: nam cætera membra

dolo

dolores illa obtinebant. Tamen oculis illam vidit, cū vidisset Ie- *Ioan. 19. E.*
sus matrem, dixit Ioannes qui aderat, dixit illi verba satis dolen
da, tamen quomodocunq; consolatoria, si filius afflictus matri
mœstissimæ solatiū aliquod tunc dare poterat. O mulier & ma
ter mea fidelissima, vere multum de mea vita solicita fuisti, & of
ficiū maternū super omnes mulieres erga me filiū tuū digne &
prudēter, & debite exercuisti: habitu humanitatis me induisti,
sanguine tuo aluisti in vtero: deinde labore licito manuū tuarū
acu & colu in pueritia & iuuentute in Ægypto & Nazareth nu
triuisti vt ouis innocens ex herba nō prohibita pascit agnū suū
quia panem otiosa non comedisti. A lupo Herode, scilicet, cura *Prou. 31. D.*
vigilāte me seruasti, optima cōsilia semper alijs dedisti, etiam si
ego cum sim patris mei sapientia & bonitas, non opus fuit mihi
tua doctrina & correctio: & sic optime docuisti omnes parentes
officiū quod erga filios suos exercere debebāt. Ego tamē etiā si
in vita mea semper tibi subditus fui, imo & nutritio Ioseph teste *Luc. 2. D;*
Luca & in omnibus honoraui te vsq; ad mortē: velim modo an-
te quam spiritū emittā ostendere omnibus filijs & filiabus quā
necesse illis sit in omnibus obedire parentibus suis, & vsque ad
mortem subuenire, & ideo oculos & linguam ad te conuerto.

In assumptione tua mater, quando venias ad gloriam vt sis
miserorum aduocata, & pro peccatore loquaris, surgam à thro-
no meo, vt fecit Salomon, in occursum tuum omni curia cœle-
sti comitatus, & recipiam te ad me omni veneratione cœle-
sti: ponā te in throno ad dexteram meam: vt astes regina à dex- *Psal. 44. C.*
tris meis in vestitu deaurato charitatis, circundata varietate do-
norum & beatitudinis, & dicam tibi, pete mater mea: pete quod
vis à me etiam omne regnum meum: nec fas est vt auertam fa-
ciem tuam, cum sic vsque ad mortem crucis me comitata es. Au
distis parentes, quomodo virgo filium aluit? Vidistis filij, pro-
terui inobedientes, quomodo filius altissimi, matrem suam vs-
que ad mortem crucis honorauit, & postea in cœlo magnifi-
cauit? Discite saltem à Christo in cruce pendente, parentes in
necessitatibus non relinquere: sed illis necessaria tribuere, etiam
sanguinis vestri dispendio. Quare & vos filij scelerati, & qua
fronte, qui leuia delicta in alijs calumniamini, violatis vel ma-
ximum Dei præceptum, ex his quæ ad proximum spectant
& ideo primum ordine positum? Siquidem Deus naturæ legē

corroborans: iussit vt quisque patrem suum ac matrem honoraret: vos autem consulentes auaritiæ vestræ plus quã animabus vestris, & diuitijs terrenis potius quam cœlestibus, dicitis, quod Deo offertur summo parenti recte collatum esse, etiam si parũ sit: & ob hoc quod licet parentem in sua necessitate deserere, vt melius habeant sacerdotes, & vos minus tribuatis Deo quam parentibus dare tenemini: & hoc ob traditiones vestras friuolas & auaras, & sic grauiora legis contemnitis.

*Eusia. li 8. cap. 27.* Multos vidi & audiui (ait quidam doctor) ministros confessionis & pœnitentiæ, qui pœnitentibus & confitentibus multa ex proprio cerebro imposuerunt non multum vtilia: & ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ non eos reduxerunt, imo de hoc nec verbum vllum, quod primum faciẽdum erat, sed alligant onera grauia illis, & importabilia, vtinam ne friuola, & prima legis omittunt. O bone doctor, si modo multos confessarios Ecclesiæ vidisses quam verius ista dixisses: accedit alter pœnitens restitutioni obnoxius, & ait confessarius ignarus, imo pestilens auarus, da mihi triginta argenteos vt totidem sacrificium altaris pro te & debiti Domino Deo offeram, & sic à restitutione eris immunis. Falsum est & tu auarus, quia nõ dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum: & non vult Deus talem oblationem ex sanguine pauperis sibi oblatam: & hoc insinuat hic Dominus quãdo affirmat, magis Deo placere vt filius det patri suo debitum victum, quam quod offeratur in templo. Est offerre munus de rapinis. *Malach. 1. D*

Vos autem dicitis: quicunque dixerit patri vel matri: mumunus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatũ Dei propter traditionem vestram. Subobscura sunt ista verba Dñi, vnde oportet sensum literalẽ explanare: alias sine tali fundamento, nulli prudenti ædificiũ allegoriæ aut moralitatis quã tumcunq; pulchrũ placebit. Origenes in hoc loco ait: cum audirent parentes à filijs, quod ipsis dandũ erat in sua necessitate esse corban, hoc est, Deo consecratum, & quod magis illis prodesset quam si acciperent: & quod iam viderẽtur sacrilegium cõmittere cum rem Deo dicatã tollerent. Hoc negociantes sacerdotes tẽpli cum filijs, vt si parentibus duas mensuras triticidare debebãt vnam templo offerrent, & sic liberi manerent à parentum subuẽtio-

ione. In hoc fallacia ista constabat, miseri parentes, eti am si val de necessariorum inopia premebantur, iam nolebant tale donum Deo sacratum à filijs accipere, etiam si fame deficerent: ne sacrilegium & furtum de re sacra perpetrare viderentur: & hoc sacerdotes & seniores introduxerant in populũ, quod Christus Dominus hic acriter carpit: quia potius vult vt filius patri necessaria prouideat, quam illa templo offerat aut Deo. Diuus Anselmus hic in Matthæum ait: vos autem sacerdotes, dicitis filijs parentes pauperes habentibus: ò iuuenes, vouete oblationes de rebus quibus pauperes parentes vestros alere debetis. Et si erant, vt quatuor, date nobis duo, & sic absque obligatione parentibus subueniendi eritis. Et si pater alimenta petierit à vobis: dicite illi, iam Deo vouimus quod tibi dare debebamus: & hoc est quicunque, ideſt quisquis vestrum ò filij, dixerit, ideſt, dicere potest vel dicat patri aut matri necessaria à vobis petenti: ò pater, munus quod tibi dare debebam Deo consecraui, & tibi proderit. Aut, admirando, munus quod iam Deo deuoui proderit tibi? Modo debebat in tuos cedere vsus? Certe non debes sumere ne sis reus sacrilegij. Vel per eclipsim, quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me tibi dandum tibi proderit in templo oblatum: & non subuenerit illi, non honorificat patrem, nec mandatum Dei adimplet. Beatus qui vere Dei præceptum seruauerit invita, talis fruetur gloria. Amen.

# Homilia Nona.

¶ Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias. *Text.*

VIr hypocrita monstrum est, cui simile quid nunquam natura fecit: quia nec vult esse quod videtur, nec vult videri quod est. Vnde Iob, gaudium hypocritæ ad instar puncti: punctus geometricæ sumptus, est minima pars lineæ: vt scias breuissimam & modicam lætitiam manere tibi hypocrita, quia tũc gaudes cum laudatus es, & lætaris cum aspexeris, & totum hoc modicum durat. Punctus autem grãmaticaliter sumptus, si sub est damnat: si supereſt, signat: si interponitur diuiditur, si apponitur *Iob. 20.*

*Fe. 4. cine. tex. sicut hypo. tristes.*

nitur sententiam finit. Sic & hypocrita, perpunctabile gaudium illius, damnatur ad pœnas, signatur Dæmonis signo, & à consortio diuiditur beatorum: post finem sustinens sine fine pœnam. O pessimi simulatores, simulantes quod non estis, more personæ theatralis. Alibi de his.

*Mat.* ¶ Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me.

*Isai.29.D.* ISaias sic ait, & dabitur liber nescienti literas dicenturque ei, lege: & respondebit, nescio literas, & dixit Dominus, eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me: & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit sapientia à sapientibus eius. Diuus Hieron. ibi notat Apostolos & Euangelistas, quasi in lege instructos, non esse interpretatos verbum de verbo, sed sensum. Appropinquabat populus Iudaicus ore & labijs suis Deo, quia vnius Dei cultum habere se gloriabatur, & idola respuere: cor tamen eius longe erat à Deo, cum recipere Iesum Christum noluit: & qui non recipit filium nõ recipit patrem qui misit illum, & e contra. Hypocrita fidelis, bene prophetauit de te Isaias, qui ad Ecclesiam & concionẽ, & corpus Christi ore & labijs & pasibus appropinquas, & audis verbum Domini: & tamen cor tuum longissime est à Deo tuo & ab amore proximi, & potius leges hominum & minas times quàm Dei tui. Tamẽ ecce ego Dominus tuus, admirationẽ faciã in punitione tua in hora mortis: quia labijs & lingua me patrem vocas, & corde & opere vulneras me tuo peccato non dubitas. Non sic ego omnium creator, honoro vos labijs tantum vt vos me: sed corde & opere, infirmis sanitatem præbeo, cæcis visum, mortuis vitam.

*Luc.9.F.*

*Matt.27.D*

Bene prophetauit de vobis Isaias falsi Iudei, quod ore me laudare debebatis, & corde odio habere me, & opere percutere. Sic testis de hoc Euangelista Matthæus: nam vnam expræcipuis iniurijs, à vobis ficti pharisæi mihi irrogatis, quis dubitat hãc fuisse: quando foris & labijs me honorare videbamini in spinarũ coronatione, & sceptro regio arũdineo, & in genu flexo ante me, & dicen-

dicẽtes labijs auẽ rex Iudæorum: cum interim cor veſtrum tam longe erat à me, & ab amore mei, quod expuentes in faciẽ meã, arundine caput meum ſpinis vulneratum percutiebatis? O hypocritæ peruerſi, labijs vocatis me regem, & pugno faciem, & arundine caput ferire non dubitatis? Cor veſtrũ longe eſt à me: imo omne cor hominis in mortali exiſtentis delicto, diſtat á me rege regum per infinitum ſpacium. O Chriſtiane, talia de Iudæis audiens non perhorreſcis? Non doles de Chriſto magiſtro Angelorum & tuo redẽptore? Non iraſceris contra illos peruerſos labijs illum regem vocantes, & genu flexo illi illudentes, & ſpuentes: & caput corde infecto percutientes? Quis non ſtomachatur contra illos? Caue ne & ipſe vnus ſis ex illis ſimilia contra creatorem tuum quotidie exercẽs: caue ne de te etiam bene ſit ab Iſaia prophetatum: homo hic? Iſte fidelis? Venit ad ſacrũ miſſæ officium audiendum, intrat domum regiam templum nẽ pe Dei: & genu flexo adorat filium altiſsimi in manibus ſacerdotum exiſtentem, dicens, adoro te Chriſte & benedico te, quia tuo ſanguine mundum redemiſti, & animam meam. Oſtende cor tuum an illud habeas fidele erga Dominum tuum, & proximum. O dio proximi eſt infectum, voluptatibus traditum: longe eſt certe à Domino tuo, quia longe à peccatoribus ſalus animarum nempe Chriſtus. O phariſęe, labijs Chriſtum honoras, & genu flexione, & corde & opere non dubitas in faciem illius ſpuere? Hypocrita, bene prophetauit de te Iſaias, hic fidelis, labijs & fide me honorat, corde tamen & opere lancea me confodit. Recede à templo Domini, & domo regia cum ſis proditor regis in corde & ipſe ſcit & vidit, aut eſto quod foris appares intus, aut appare quod es. *Pſalm.* 118.

Si Iudæus hypocrita talis contra Chriſtum non eſt ferendus, nec falſus Chriſtianus ſic labijs Deum honorans, & corde feriẽs non eſt tolerandus: heus ſacerdos, & altaris miniſter, monache Deo ſacrate, Eccleſiæ prælate, & animarum paſtor, quid erit de te quotidie horas labijs tuis recitante, & Deum orationibus, & pſalmis & hymnis laudante: & veſtibus ſacris ſacerdotem Ieſum repræſentante: & quod maius eſt, quotidie corpus eius ſacratum & ſanguinem lingua tua conſecrante, & tamen cor per amorem longe ab ipſo habente, & ab altari, & à virtute, & à gratia Dei? O hypocrita, dicat ipſemet Ieſus, labijs me honoras, in

horis

horis recitandis,& in officio ſacro peragendo,& corde & opere faciem meam conſpuis,& alapa percutis? Bene prophetauit de
Pſalm. 49. te Iſaias & etiam Dauid, quare tu enarras iuſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum nouum & vetus per os tuum, vt labijs me honores:ſi videndo furem auxilio curris cum eo, & cũ adulteris,verbo aut voluptate,aut conſenſu portionem tuam ponis? Aut corde me dilige vero,aut quare ſolis labijs me honorare ex
Pſalm. 77. terius vis?Bene prophetauit etiam Dauid de vobis hypocritæ dicens,Deus ſemper magna beneficia contulit illi populo Iudaico,& Deus excelſus redemptor eorum fuit, & ipſi dilexerunt eum in ore ſuo,& lingua ſua mentiti ſunt ei:quia cor eorũ non erat rectum cum eo nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. O vtinam de fideli, aut Dei miniſtro iſta vere dicere non poſſemus: qui tanta dona à Domino recepit, cum redemptor eius fuit Deus excelſus, & ipſe fictus fidelis aut ſacerdos diligit eum in ore ſuo,ideſt,videtur illum diligere, quando conſecrat & pſalmos aut hymnos in laudem eius decãtat: ſed mẽtitus eſt in lingua ſua,quia aliud habet in corde, cum non ſit rectum cum Deo ſuo,nec vere opere, ſicut vere fide, fidelis inuenitur in teſtamento eius.Nec recordatur die qua redemit illum in caluario ſanguine ſuo,de Pharaone & Dæmone,& de manu peccati tribulantis:tamen ſicut tradidi in captiuitatem virtutem populi iudaici labijs me honorantis, & corde infamantis, & pulchritudinem eorum in manus inimici: ſic vobiſcum hypocritæ fideles,& ſacerdotes ficti me habebo. Videte quod ore & corde dilexi vos homines,& laui vos ſanguine meo,ne cor veſtrum lõge faciatis à me,quod valde ſentio.

Apoc.3. A Ioannes Euangeliſta, & diſcipule dilecte, ſcribe Angelo, ideſt epiſcopo Eccleſiæ Sardis, hæc dicit qui habet ſeptem ſpiritus Dei,& ſeptem ſtellas: ſcio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es. Eſto vigilans, & confirma cætera quæ mortitura erant: non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Si ergo nõ vigilaueris, veniam ad te tanquam fur: hęc dicit qui habet ſeptem ſpiritus,ideſt, ſeptem Spiritus ſancti dona,ſiue ſpiritum ſeptiformem nempe Chriſtus, non ego,ait Ioãnes: iſte ſermo non eſt meus, ſed Chriſti poteſtatem habentis ſpiritum dandi cui voluerit ſanctum cũ ſit filius Dei à quo & à patre ſpiritus veritatis procedit. Quid dicit? ſcio fidelis,opera tua

fim-

ſimplici notitia nõ approbationis, quę videntur bona & ſimpli citer non ſunt, quia ſunt hominis ficti ore Deũ laudantis & corde iniuriantis: quia nomen habes Chriſtiani, ſacerdotis, aut epiſcopi quo viuas in mundo honoratus, & quo in gratia viuere poſſes, ſi fide aut dignitate opere vt decebat vſus eſſes: qui tamen mortuus es culpę gladio & in templo meo, cũ ego mortẽ ſubij vt ipſe viueres. O infelix homo in Eccleſia, & in dignitate conſtitutus, & cum hoc mortuus exiſtens: quia vita gratię caret in corde, etiam ſi labijs & fide Deum videatur honorare: tamen nemo, niſi ſit amicus, Deũ vt decet honorat. Quia (vt ait Salomon) à mortuo quaſi nihil, perit confeſsio: cõfiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum. A mortuo in anima per culpã, perit confeſsio Deo facta ab ipſo: & laus non eſt ſpecioſa in ore peccatoris, quia non eſt à Dño miſſus: eſt quaſi nihil talis peccatoris laus: lauda Deũ viuens in gratia, viuus & ſanus ſine culpa. Viuens viuens ipſe confitebitur tibi Domine (vt dicebat Ezechias) quia viuens in hac vita mortali & viuẽs in gratia, ipſe laudat Deum meritorie: peccator vero, labijs honorat Deum & ſine fructu, quia cor habet elõgatum ab ipſo in infinitum: & ipſe mortuus eſt. Ait Iſidorus de ſummo bono, vita corporis anima eſt, vita animæ Deus: & ſicut corpus ſine anima mortuũ eſt, ita anima ſine Dei gratia. Eſto vigilans corde & ore, fide & opere, & confirma opera mortificata, quæ moritura ſunt, ſi in gratiam non fueris conuerſus: quia nõ ſunt opera tua plena coram Deo: quia etſi fuerunt bona, culpa illa vacua feciſti: alias veniam ad te cito per mortem vt fur ad iudicium in hora in qua non ſperas, & quia fures honorem meum furripiens, veniam ad te vt fur, & vt talem puniam te: honora me corde vero.

*Eccleſ. 17 D*

*Ibi. 15. B.*

*Iſai. 38. D.*

*Libr. 1. Apoc. 3. A.*

Hypocritæ, pingo vos veſtris coloribus in illa parabola de duobus filijs quos habebat pater quidam: & accedens ad primum dixit: fili vade hodie operare in vineam meam: & dixit nolo: qui poſtea pœnitentia motus abijt. Accedens autem ad alterum dixit ſimiliter: at ille reſpondens, ait: eo Domine: & non iuit, iudicate vos ipſi, quis ex duobus filijs voluntatem patris fecit? Dicunt ei, primus. Ita eſt, recte iudicaſtis: & ego iudico vt omnium iudex, quia publicani & meretrices præcedent vos Iudæi in regno Dei: quia vos ore & labijs dixiſtis Deo (ad vineam iuſtitię virtutibus excolendam inuitanti & dicenti, fili,

*Matt. 21. C*

fili, populeIudaice, vade hodie per diem vitæ, & operare in vineam meam virtutis, & meriti ad gloriam) eo Domine, labijs tã tum & non corde: patet, quia nõ iuisti. Populo gentili dixi etiã vt ad virtutum exercitium iret per meos prophetas ad hoc inuitans, qui dixit, nolo: tamen statim pœnitentia ductus venit ad me fide & opere, & ore laudat me & corde: talis populus nõ præcedet vos in regno Dei dicite Iudæi, etiam si ex publicanis & meretricibus constet? Quando ista contra Iudæos perfidos scribo, me ipsum ferio simul & multos in Dei Ecclesia existentes, dignitate insignitos religione decoratos: qui est filius à Deo multum dilectus talis populus consecratus, cui Dominus quotidie dicit: fili sacerdos, aut religiose siue prælate, vade hodie (vnicus tantum dies est, omne huius vitę tempus, & in virtute labor) operare in vineam meam virtutum & iustitiæ corde & opere. Eo Domine, ore & labijs recitando horas, sacrum peragendo altaris: & tamen non iuit opere & corde vero, & peccandi occasionem fugiendo, & scandalum tollendo, nec odium à corde deponendo. Et cum primis adulter laicus, & auarus audit me per cõcionatorem dicẽtem, aliena restitue si saluus esse cupis: adulter, regnum Dei non possidebis: etiam si ore dixit nolo ire ad laborandum in tali vinea restitutionis: statim tamen pœnitentia ductus vitia reliquit, aliena reddidit. Iudicate vos sacerdotes & religiosi, quis horum fecit voluntatem meam: qui ore & labijs honorare me se putant, & corde mandata mea frangere non verentur: an qui etiam si non recitent horas, nec sacrum peragant, ad vineam iustitiæ opere vero pergunt mandatum meum adimplentes?

Vosmet dicetis etiam nolentes, conscientia vestra saltim si non ore, laicos adulteros & auaros pœnitentes, & recte operantes, meam voluntatem perficere: & vos ore laudantes me, & opere & corde iniuriantes Dei ministri, voluntatem meam esse cõculcantes. Et ego dico vobis, multos peccatores publicos, & innumeras meretrices præcedere vos in regno Dei, & maiora merita habituras quam vos: quia feruentius pœnitentiam fecerũt, & me ore & corde perfectius honorauerunt. Hypocritæ, labijs & corde, fide & opere honorate Deum, si vultis vt non vos præcedant publicani, imo si vultis in cœlo Deum incessanter laudare: alias infernus expectat vos, vbi ore Deum inhonorabitis, & cor-

& corde illum odio habebitis. Et merito, labijs me honoratis cõ mendando exteriorem munditiam, nullam curam de interiori habentes: & sic cor vestrum longe est à me tanquam immundũ, imo in infinitum à me vera munditia distans (vt ait Anselmus) ecce cor à te elongans se Domine, peribit. Forerius in hunc Isaię locum, dicit hunc sermonem præcipue ad sacerdotes esse: quod si istorum sanctitas reijcitur, qui speciali nomine sancti dicebantur, quid de reliquo populo & maligno sentiẽdum est? Sine causa colunt me, idest, non vt decet, quia labijs tantum & non corde: mandata hominum etia friuola custodiunt pro viribus, mea diuina ore laudant, & corde conculcant. Aliquando mandatum seu institutio hominum in malum accipitur, sicut Dominus notat hic mandata, quæ nihil habent diuinum, ideo dixit hic Dominus mandata hominum: neque ex lege Dei aut institutis eius pendent, neque quicquam ad pietatem conferunt: qualia prope infinita habebant Iudæi, vt est videre in libro talmud execrando. Talia mandata friuola hominum reijcit Christus: non sanctas Ecclesiæ constitutiones, & patrum sanctorum traditiones, in quibus non posthabetur fides sed ante habetur cum spe & charitate, misericordia & iustitia cæterisque virtutibus. Caue fidelis, ne in cyllã lutheri maledicti cadas sanctas Ecclesię ceremonias reprobando. Cupiẽs vitare Charybdin traditionum mere humanarum friuolarum & sine aliquo fructu. De quibus intelligitur caput finale decreti distinctione nona, sana quippe ratio: quod aliqui Diuo Augustino alij vero Diuo Cypriano tribuunt: casus capitis verba vltima sunt: constitutiones ergo, vel Ecclesiasticæ vel seculares si naturali iuri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ. *Li. 1. de ciuit. capi. 22. Cypria. libr. 2. epist. epist. 3.*

Populus hic Iudaicus labijs me honorat tantum in hymnis & canticis, & corde me persequitur: non sic ego me habui cum illo, qui ore & opere valde honorauit illum à Pharaone liberãdo, portenta magna illius amore duce Mose operando: per mare illi vias ostendendo, pane cœlesti in deserto alendo, à tot inimicis ipsum custodiendo, aquam de petra illi prębendo: quid vltra debui facere illi? Vt quid labijs me honoras, & corde me tanquam sagitta vulneras? Si talia verissime populo Iudaico obijcere poteras Christe Iesu, quid dices modo cuilibet fideli credenti, & male operãti? Quid altaris ministro incessabili fere voce te hymnis

nis & pſalmis honoranti,& corde peruerſo ſe vulneranti? Quid dicã,aut quid tali homini fideli, ſacerdoti aut religioſo obijciã audite:homo iſte Chriſtianus,aut præcipue ſacerdos vt quid labijs & fide me honorat & dignitate, qui tamen opere & corde & malignitate perſequitur me:non ſic ego labijs tantum & verbo honorauite fidelis, præcipue ſacerdos,ſed opere & veritate & innumeris beneficijs. Nõ per Moſem ſed per memetipſum à dæmonis imperio & dura tyrannide,non Pharaonis liberaui te,& à peccatorum tenebris non ab Ægypto: per mare ſanguinis mei rubri eduxi te in baptiſmate,& in pœnitentia eodẽ ſanguine abluite.Non manna,ſed corpore meo angelorum pane reſeci te:aquam petræ ad bibendum tibi non præbui, ſed ſanguinem meum:à multis inimicis defendendo vt in terram cœleſtẽ tandem peruenires:vt quid ipſe fidelis labijs & fide tantum honoras me,& corde & opere infamas?

Si tam iuſte Deus conqueritur de te fidelis illum labijs honorante,& corde perſequente,quomodo conqueſtus erit de perfido blaſphemo,periuro & maledico in vltima ſua ratione, corde valde ab ipſo elongato,& opere nefando iniuriã illi irrogante, & etiam ore polluto & execrando illum infamante & labijs ſceleſtis optimum Deum inhonorante: ac ſi iam cum ſocijs ſuis dãnatis in carcere infernali adeſſet? Dicet certe Chriſtus angelis & beatis: fidelis hic?Non ſolum corde fuit longe à me, ſed labijs me infamauit. Proh dolor, ſi tam iuſte de quolibet fideli Deus conqueri poteſt,quid de me ſacerdote,& de te monache facier, qui omnia iſta & multo plura ab ipſo quotidie accipim⁹:qui tamen ore tantum laudamus illum in hymnis & pſalmis,& corde & opere longe ſumus ab ipſo? Quia longe à puritate ſua,à caſtitate & humilitate,à charitate & bonitate,& valde propinqui ſuperbiæ detractioni,& voluptati: & vtinam ne ſit aliquis altaris miniſter de quo etiam poſsit conqueri, quod nec labijs ipſum honorat,quia blaſphemus & maledicus eſt & ad malum pauperculam inuitans. O ſacerdos,labijs Deum honoras ſacramenta exercendo,corpus Chriſti conficiendo,& audes cor elongatum ab ipſo habere,& opere maligno tantum dominum offendere? O fidelis,Deum labijs honorans in ſacro audiendo, & ibi aliquas orationes recitando non times tam dolendum verbum à Chriſto contra te prolatum, ſi opere ipſum inhonoras, & corde ab

de ab ipso es elongatus? Audi dominum tuum his verbis de te conquerentem, & de omni fideli ad sacrum missæ officium pergente, corde tamen peruerso & à Dei gratia multum per culpã elongato, & auerso.

Fidelis hic? Labijs & signis exterioribus honorare me videtur, tamen corde certe iniuriam mihi irrogat, venit ad templum meum pasſibus externis, & ad infernum internis pergit: quia corde ad voluptatum & ludorum domos, & ad Sodomam cum vxore Loth reuertitur. Intrat in templum, qui à templo animæ suæ expulsit me: dicit, aqua benedicta sit mihi salus & vita, cũ cor maledictum habeat, & maledictioni æternæ propinquum. Flectit corporis genua, qui cordis inflexibilia per superbiam habet: dicit venialium confessionem, qui mortalia quotidie adaugere nõ timet: dicit ter kyrieeleyson ad patrem, & terad filium & terad spiritum Sanctum, ideſt, Domine miserere: cum tamẽ nec Dei miseretur ad illum non offendendum, nec pauperis ad subueniendum, nec ipsius met animæ in Dei ira existentis: sed crudelis sibi ipsi, ore, corde & opere existit. *Geneſ. 19. C.*

Fidelis iste Labijs me honorat gloriam in excelsis Deo dicẽs qui tamen corde imo & ore blasphemijs me inhonorare, in terris nõ cessat: & proximum infamia respergere: & magis vult sibi quam mihi laudem honoremque: labijs dicit, Alleluia, & me corde suis vituperat moribus & laudem meam tollit: labijs epistolam dicit, & corde diuinum non recipit verbum, aut inspirationem cœlestem. Euangelium ore dicit, aut aure percipit, & corde prædicationem, & nuntium cœli audire & operari contẽnit: cantas graduale sacerdos, & per malorum gradus corde ad ima tristissima descendere non vereris, nolens ad bonum ascendere? Quo ore dicis versum, cum habeas cor tuum à tuo Domino auersum, & ad terrena & nociua conuersum? Quid cantas sacerdos tractum & tu laice audis illum, cum ad vestra placita contra me sitis attracti, & corde peruerso ad culpas trahimini? Cantas labijs, Sanctus, sanctus, sanctus, & tamen corde, ore & opere, non times sanctum sanctorum inhonorare. Et Trinitati hanc laudem decantas, qui in Trinitate virtutum theologarum, & potentiarum tuarum & trium pœnitentiæ partium deficere non times, & labem pessimam portas?

Quomodo labijs, per omnia secula seculorũ Deo la? ab omni

bus detur, dicere præsumis: qui per omne vitæ tempus corde laudem meam tollere non vereris? Ore, Dominus vobiscum dicis, & corde Dominum expulsisti & loco illius odium voluptatem, & superbiam in ipso constituisti. Labijs honoras me alios ad suprema cogitandum inuitans, dicendo, sursum fratres mei, corda habeamus: & cor tuum in fœcibus peccatorum fixum, & in stercore putridũ possidere non abhorres, aduersus ipsum Deũ? Et populus fictus (quo ad aliquos fideles in peccato existentes) labijs respõdet, habemus ad Dominum, cum contrariũ & aduersum sibi habeant ipsum Dominum, & contra illum corda sua putredini culpę subdita. Labijs dicis, gratias agamus Domino Deo nostro: cum corde sis ingratissimus & opere tantis ab ipso acceptis beneficijs? Dignum & iustum est, velis aut non ore populè hypocrita, respondes, & corde & opere nil minus quam Deo gratias reddere curas? Eleuato corpore sacro meo, pectus exterius tundis, & cor durum & ad bonum inflexibile contra me habere non reformidas? Adoro te Christe, & benedico te, quia tuæ cruce mundum redemisti labijs dicis: & corde iterum me cruce peccati tui occidere, quantum est in te, non dubitas, quoties occasio tibi offertur? In manus tuas commendo spiritum meũ labijs dicis: & corde vitio & Dæmoni, & inferno miseram animã tuã dare non erubuisti? Pater noster dicis ore, cum corde factus sis Diaboli filius, volens in omnibus tam execrandi patris desideria contra me perficere, vt de Iudæis dixi? Quid labijs affirmare audes, pax Domini sit semper vobiscum: cum bellum gerere contra me & creaturas meas continuo non verearis, & pax impijs non sit cum inimicitias gerant contra regẽ regum? Vt quid misericordiam petis & pacem ab agno Dei mundi peccata sanguine suo tollente, nempe à me Christo Domino ore tuo polluto, cum corde & opere quota hora me agnum, sine vlla misericordia vulneres, & pacem meam habere non vis? Si de quolibet fideli hypocrita exterius & ore Deum honorante, & interius corde & opere vituperante, ista verissime dicere potest Christus Dominus: quanto magis de sacerdote aut religioso, quotidie sacrum peragente, & corpus eius consecrante (si fictus & hypocrita est) corde immundo & conscientia impura non verente sancta Symbola decantare ore, & polluere corde & opere? Abominabilis certe talis cantus apud Deum est, magis quam porci grunitus,

*Ioan. 8. F.*
*Isai. 48. D.*

nitus, vt ait Diuus Augu. Terribilis Dei indignatio manet contra omnes istos ore & labijs Deum honorantes exterius, & intus corde vulnerātes illum: audi Dauid prophetam: ne simul tradas me cum peccatoribus Domine, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me: quæ est hæc iniquitas Dauid? Qui sunt hi iniqui? Qui loquuntur pacem cum proximo suo, & cum fratre suo Christo labijs & in horis recitandis, & in sacro peragendo: mala autē & odia, & voluptates in cordibus eorū: da illis Deus, secundum opera eorum non iuxta illorū verba, & secundum nequitiam adinuentionū ipsorum: destrues illos & nō ædificabis eos: quia molliti sunt sermones eius super oleum lene, ipsi autē sunt iacula in malitia & in corde contra Deum & proximum. *Psalm. 27.*

¶ Et vocatis ad se turbis, dixit eis, audite, & intelligite: non quod intrat in os coinquinat hominem? sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. *Vers.*

TVrbas simplices vocat Christus, pharisæis tumidis & elatis reiectis à doctrina sua, vt abscondat cum patre suo mysteria cœlestia sapientibus & prudentibus seculi, & de se præsumentibus, & illa paruulis & non calumniantibus reuelet: cibus per os intrat, ex se quomodo animā coinquinabit, si alias prohibitus non sit? Tamen verba maligna ab ore infernali procedentia contra Deum & homines, ista sunt quæ turpiter animam inficiunt & pollutam reddunt. In Diuo Bonauen. in canonizationis eius relatione ait quidā iuris peritus: nullus potus sicut nec cibus (secūdum se cōsideratus) est illicitus, iuxta illud, non quod intrat per os coinquinat hominem: nisi per accidens, vel ex conditione bibētis cum à vino de facili lēditur, vel ex speciali voto obligatur ad vinū non bibendū, aut ex modo bibendi, scilicet excedendo mensuram, aut ex parte aliorum qui scandalizantur ex cibo tuo aut potu: aut quia Ecclesia tibi cibos taes interdixit, & plusquam semel in die comedere. Ista sunt verba Diui Thomæ: & alibi dicit, possunt aliqui cibi per accidens inquinare animam: in quantum contra obedientiam, vel votū, vel ex nimia concupiscentia comeduntur, vel in quantū prebēt fomen- *Matt. 11. D*

*To. 2 fol. 10. col. 4.*

*2. 2. q. 149. ar. 3. in cor. 1. 2. q. 102. ar. 6. ad 1.*

fomentum luxuriæ, ob quod aliqui à vino & carnibus abstinẽt.

Luc.16. D. O quam innumeri sunt in inferno cum diuite epulone, quia in hac vita animas suas polluerunt verbis iniquis ab ore procedentibus. Beati immaculati in via huius vitæ per gratiam, quia perpetuo in gloria gaudebunt, Amen.

# Homilia Decima.

Tex. ¶ Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur

Leuit. 11. DOmine, scis pharisæos esse ceremonijs deditos, & à lege multos cibos illis esse prohibitos, quomodo non debent scandalum pati audientes te dicẽtem quod intrat per os nõ hominẽ polluere? Igitur possunt indiscriminatim cibos quoscũq; comedere sine culpa? Domine, scis quod Lutherani audito verbo hoc ieiunia tollent, & cibos ab Ecclesia prohibitos in vigilijs sanctorum & in die veneris deridentes, vt quid Dñe tale verbum affirmas? Sinite illos vt cęcos, quia nõ sunt plantationes ad cœlum electæ, alias intelligerẽt mentẽ meã non esse ieiunia sancta tollere, nec legem soluere modo veterem donec in cruce dicam consummatum est. Et Ecclesia mea instituet ieiunia meo consilio, & prohibebit licite cibos aliquos, in his vel illis diebus, & væ ieiunia frangenti sine causa, væ tales inhibitos comedenti cibos. Ego autem solum dico, cibos ex se per os intrantes animam non polluere, aliud est si prohibiti sunt ab eo qui potest:

1. Cor. 10. E cauete à malo verbo ab ore procedente. Diuus Hieronymus quare ergo Domine, idolothitis non vescimur? Et illud Pauli, non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorũ: dicimus omnem creaturã Dei per se mundã esse, sed dæmonum inuocatio eã facit immundam. Et isto sermone Christi omnis superstitio obseruationum Iudaicarum fuit elisa, quæ in

cibis

cibis ſumendis abominandiſque religionem ſuam ſitam arbitrabantur. Vnde Petro dictum fuit à cœlo ſemel & ſecundo, quod Deus ſanctificauit, tu ne commune dixeris: commune dicebatur quod lex prohibebat & eius vſum interdicebat: tamen vt ait Auguſt. Machabęos cum ingenti admiratione ſuſcipimus, quia eſcas quibus nunc licite Chriſtiani vtuntur, attingere noluerint: de ligno ſcientiæ boni & mali etiam Deus prohibuit primis parentibus eſum: non quia malum erat lignum, cuncta enim quæ Deus fecerat erant valde bona: factum fuit tamen mortiferum præcepto Dei. Carnalis (ait D. Auguſt.) audiēs iſta Chriſti verba gulam parat voracitati: iuſtus vero audiens illa, & à ciborum diſcernendorum ſuperſtitione munitur, comedens omnia quæ Deus aut eccleſia non prohibet. *Actu. 10. B.* *2. Mach. 7.* *Gene. 2. C.*

Tu Domine, prophetam Ieremiam iuſiſti plantare dicens: ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gētes, & ſuper regna: vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes: igitur omne quod plātauit Ieremias erit eradicatum quia pater cœleſtis non plantauit? Ergo & quod plantauit Paulus & Apollo rigauit? Abſit, quia Deus incrementum dedit: & ipſe plantauit per ſanctos ſuos, qui operatur in nobis, & velle & perficere. Sed quia omnis planta & anima quæ à Deo non eſt per electionem æternam plantata, eradicabitur & in cœlo non erit tranſplantata, ideo iſta dicit filius Dei. Aut peribit omnis inſtitutio (ait Anſelmus) quam homines ad ſuum quęſtum, & ad gloriam ex ſeſe non ad veram pietatem commētiſunt: cum non ſit à Deo plantata, nec ad eius honorē inſtituta. *Iere. 1. B.* *1. Cor. 3. B.*

## ¶ Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum. *Tex.*

NOn teneor tale ſcandalum euitare, cum ipſi vt cęci ſibi met ipſis ex malitia ſua lignum & ſcandalum quo cadant parant: non eſt attendendum quid os loquentium iniqua loquatur, dum verbis aut factis noſtris non recedamus à tramite veritatis. Xenophō Socraticus dicebat, conſcientia teſte didici maledicta contemnere: & Diogenes, ſuperat conſciētia, quicquid mali confinxerint linguæ. Domine ipſe non dixiſti, væ illi per quē ſcandalū venerit? Quare modo dicis ſinite illos ſcandalum pati? Triplex ſcandalum à doctoribus aſsignatur: cum *Mat. 18. A.*

2.2.q.43. art.1. scandalum sit, (teste Diuo Thoma ex Hieronymo in hunc locum) Græcum, nos offensionem, vel ruinam & impactionem pedis possumus dicere. Contingit enim, quandoque aliquem obicem poni alicui in via cui impingens disponitur ad ruinam: & talis obex dicitur scandalum: & similiter in processu vitæ spiritualis, cõtingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem, per dictum aut factum alterius: in quantum aliquis sua admonitione vel inductione aut exemplo siniſtro trahit ad peccandum proximum: & hoc proprie dicitur scandalum. Dupliciter accipitur scandalum translatum ad spiritualia, vno modo large pro omni impedimento quod alicui præstari potest: siue impedimentum illud sit peccatum siue non: & hoc modo accipitur à Matt.16. D Domino dicente ad Petrum, vade post me Satana scandalum es mihi, idest impedimentum. Nitebatur enim Petrus propositum Domini impedire, non tamen malo animo sed bono. Alio modo accipitur proprie, & potest sic definiri: scandalum est dictum vel factum vel omissum, minus rectum: præbens alteri occasionem ruinæ. Et sic est duplex actiuum & passiuum: scandalum actiuum est factum aut dictum minus rectũ coram alio factum inducens ad peccatum, siue alius peccet aut non: passiuum vero est peccatum proueniens ex occasione data vel accepta, vel facto alterius: & sic aliquando contingit scandalum actiuum & passiuum esse simul.

Scandalũ actiuum accipitur dupliciter, vno modo formaliter & perse, & est dictum aut factum &c. cum intentione aliũ inducendi in ruinam siue ad peccatum: & secundum hoc scandalum est speciale peccatum, sicut adulterium aut homicidium, cũ habeat specialem rationem deformitatis, scilicet, inducere ad peccandum: vt vir mulierem ad fornicationem inuitans aut ad vindictam. Finis enim in moralibus dat speciem & opponitur beneficentiæ, quæ habet facere & ad bonum inducere, & scandalum ducit ad malum: contrariatur etiã correctioni fraternæ à Deo iussæ, quæ retrahit à peccato. Et si peccans venialiter intendit aliũ inducere ad veniale peccat venialiter: si tamen per dictum aut factum mortale intendit inducere ad mortale, peccat mortaliter: vt patet ex loco citato, væ homini illi per quem scandalum venit: væ enim mortale insinuat. Scandalum actiuum si accipitur materialiter cum aliquis non intendit alteri esse causam ruinæ

suo

ſuo dicto aut facto, ſed ſuæ ſatisfacere voluntati: tunc non eſt ſpeciale peccatum: quia quod eſt per accidens, non conſtituit ſpeciem ſed eſt circunſtantia aggrauans. Scandalum autem paſſiuum non eſt ſpeciale peccatum, quia ex dicto aut facto alterius contingit aliquem ruere ſecundum quod libet genus peccati: nec hoc quod eſt occaſionem ſumere, dat rationem peccati, nec eſt circunſtantia aggrauans, ſed infirmitatem peccantis demonſtrans, & aliquo modo excuſans.

Scandalum iterum ſubdiuiditur in ſcandalum ex infirmitate quod dicitur puſillorum: & in ſcandalum ex malitia, quod dicitur Phariſæorum. Scandalum ex infirmitate, eſt quod prouenit ex ignorantia vel paſſione: ſcandalum ex malitia, eſt quando aliquis de bono ſcandalizatur: vt Phariſæi in noſtro textu poſiti. Propter ſcandalum Phariſæorum non ſunt omittenda ſpiritualia quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, ſiue quæ cadunt ſub præcepto: ſicut ſacrum audire diebus Dominicis aut feſtiuis, confiteri aut alia huius modi. Et ſic debet intelligi dictum Diui Grego. in Ezechielem: ſi de veritate ſcandalum ſumitur: vtilius ſcandalum permittitur, quam veritas relinquatur. Spiritualia vero, quæ non ſunt de neceſsitate ſalutis, propter ſcandalum puſillorum ſunt occultanda vel interdum differenda, vbi periculum imminet, quouſque reddita ratione, attenta capacitate infirmitatis, ſcandalum ceſſet: nunquã tamen ob quodcunq; ſcandalum, debet homo prætermiſſa veritate, falſitatem docere: ſi tamen poſt redditam rationem, & ſcandalum intellectum duret, iam videtur ex malitia prouenire, & ſic non ſunt ſpiritualia bona, ob ipſum dimittenda. Non tamen tenetur homo propter ſcandalum & peccatum mortale vitandum in proximo, ipſe venialiter peccare: quia veniale diſponit ad mortale: & non *Ad Ro* 3. B ſunt facienda mala vt eueniant bona: licet ab illo (quod alias eſſet veniale ob aliquam circunſtantiam aduenientem ſcandalo, illa circunſtantia auferetur, & non eſſet iam veniale) non fugere rationem vitandi mortale in alio. Sicut verbum otioſum eſt peccatum veniale, quando abſque vtilitate dicitur: tamen ſi ob ſcandalum vitandum dicitur, iam non erit otioſum, neque peccatum. Secus eſt de mendacio officioſo quod nulla circunſtantia poteſt non eſſe peccatum. Quia ſemel hanc neceſſariã materiã ſcandali, & animabus, valde cõducibilem cœpi, & multoties cõ-

cionatori se offert & Euangelium expostulat præcipue nostet textus: libet aliquas conclusiones verisimas & in scholis purisimis Salmantinis tanquam aurum in fornace probatas hic apponere.

Præcepta naturalia negatiua nullo modo sunt omittenda ob scandalum: vt non peierandum esse mentiendum aut furandũ. Patet hoc, illud quod est intrinsece malum, nullo modo est faciendum, sed omittere præcepta negatiua est intrinsece malum, vt ait Diuus Thomas in quodam opusculo: quod ea quæ sunt de iure naturæ, ideo præcipiuntur, quia bona: & negantur quia mala: igitur nullo modo sunt omittenda talia præcepta ob scandalum. Sit tamen secunda conclusio: aliquando præcepta naturalia affirmatiua sunt ob scandalum pusillorum omittenda: vt pauperi dare eleemosynam: si aliquis pusillus scandalum ex hoc sumit, est occultanda aut differenda, vbi non esset graue periculum, quousque scandalum tollatur: quia ista affirmatiua præcepta non obligant ad semper, etiam si semper, & pro tempore conueniente, quod non est quando scandalum sequitur. Præcepta tamen iuris diuini positiui, sunt dimittenda ob scandalum pusillorum: vt sunt illa quæ Deus in nouo testamento præcepit nobis dum in hac vita in terris fuit visus & cum hominibus conuersatus: vt sunt sacramenta. Et ista conclusio est intelligenda & probanda vt præcedens: confiteri peccata & illorum circunstantias est de necessitate salutis, & tamen ob confessarij scãdalum sunt in casibus omittendæ præcepta tamen iuris diuini positiui quæ necessaria sunt ad salutem, nullo modo sunt omittenda ob scandalum pusillorum: nam si paruulus est in extrema necessitate, baptizandus est etiam si sequatur scandalum: quia illa quæ sunt nobis necessaria ad salutem, non sunt omittenda ob aliorum salutem. Præcepta tamen iuris humani sunt omittenda propter pusillorum scandalum. Quia si præcepta iuris naturalis affirmatiua sunt omittenda, à fortiori ista, in quibus credendum est, legislatorem dispensasse si viueret: præcipue quia huius modi præcepta sunt bona, quia præcepta, & mala quia prohibita.

*Opus. 61. cap. 48.*

Vltimum dicamus ob scãdalum Phariſæorũ nullum præceptum est omittẽdum: quod ex nostro textu patet cum dicat veritas patris, finite illos quia cæci sunt & ipsi sibi scandalum sua ma-

malitia parant. Probatur ratione, si opus aliquod est omittendum ex hoc est quia est alicuius scandalum & ruina: sed in scandalo Pharisæorum nulla est ex parte operis causa ruinæ, cum ipsi sua malitia ruãt, & obstaculum ponant: igitur tale opus bonum tunc non debet omitti. Væ tamen illi qui scandalum peccandi alicui præbuerit, ad malum inuitando illum terribilis Dei indignatio manet super illum: cum lignum sit maledictum positum ad ruinam parandam fratri, cuius amore Christus sub crucis ligno cecidit vt ipsum à peccato subleuaret. Libera me Deus vsque ad mortem, à tam graui scandali malo, ne mihi væ sit. Diuus Basilius in regulis breuibus in quadam responsione, sic ait: sane scandalizat quicunque dictis aut factis legem violans exemplo suo alium ad legis violationem inuitat & inducit: similis maledicto serpenti antiquo Euam ad mandati Dei transgressionem inducenti: vnde quicunque fratri suo non fuerit veritus peccandi ruinam parare, expectet in vltima sua ratione illas maledictiones horrendas quas serpens subijt, quia Euæ scandalum præbuit. Scandalizator proximi, & ad malum inuitator, maledictus eris inter omnia animantia terræ & bestias illius, cum istæ raro interfese scandalum aut ruinam parent: & ipse fuisti Dæmonis laqueus, quo fratrem tuum aut sororem captaret: super pectus tuum gradieris in flammis edacibus reptans, quia proximum in culpam cadere fecisti: & merito, quia Diaboli officium vsurpare non timuisti, nempe animas à creatore suo furari, & à gratia illas elongare, vt sic culpæ & inferno contra Christi sanguinem & mortem facillime tradas. *Respon. 64. fol. 440. Gen. 3. A.*

Quam bene & dolenter sentiebat graue malum scandali, ille concionator egregius Paulus doctor gentium, quando dicebat: & peribit infirmus & fragilis mulier, in tua conscientia, frater, cuius amore Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes eorum conscientiam infirmam, in Christũ peccatis. Quapropter si esca quam ego comedo scandalizat fratrem meum, nõ manducabo carnem in æternum, ne fratrẽ meũ scandalizem. Gaudebis ipse, quod mea causa pereat vnus agnus gregis tui, aut vnus pullus tuus? Quo igitur corde audes proximum ad malum inuitare, & illi ruinæ scandalum præbere? Quid Christo in ratione respõdebis, quando videas hominem infir- *1. Cor. 8. D. Simile.*

infirmum & ignorantem aut fragilem mulierem pereuntem in æternum, quia ipse ad malum inuitasti illam: & dicat tibi iudex, vt quid tuo verbo aut exemplo damnati hunc hominem aut mulierem causasti, cuius amore ego filius Dei post alapas & flagella ad crucem damnatus fui à Pilato? Vide quomodo peccando fratrem tuum & ad malum inuitando, percutiendo conscientiam illius infirmam: in me Deum verũ peccasti (quia sanguinem meum deperdi in te & in fratre quem scandalo occidisti) facere non timuisti hoc?

O quis mihi daret & à Deo obtineret animæ meę, vt cũ Paulo vere dicere possem: si esca quã comedo aut vinũ quod bibo, scandalum alicui creaturæ præbet & peccandi ruinam, non manducabo carnem, nec vinum bibam in æternum, ne fratrem meum propter quem Dominus meus mortuus est scandalizẽ. Heu tamen, quam multi sunt inter fideles, vtinam ne inter Dei ministros, qui potius eligunt Christum & beatitudinem illius in æternum perdere: quam ad horam abstinere à carnis manducatione per voluptatem veneream contra Dei præceptum, & in alienæ mulieris scandalum infamiam & ruinam. Noli frater mi, quicũque es (ait Paulus) cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est: non blasphemetur ab alienigenis bonũ nostrũ fidei & religionis veræ, si viderint nos fratribus ruinã parare. Noli cibo tuo frãgẽdo ieiuniũ Ecclesię, & alĩ ad hoc inuitãdo, perdere fratrẽ, tuũ spiritũ nẽpe, aut alterius pro quo Christus felle & aceto potatus in cruce emisit spiritũ: noli cibo voluptatis tuę destruere alienã vxorẽ aut filiam, ob quam post flagella dira agnus Dei in crucis lecto stricto & duro spirauit. Ipsemet Christus soluet tibi scandalũ tollenti, & optime præmiabit animam tuam donis, si velut à colubro & ab inferno scandalum dare fugeris: & certe duram à te exiget rationem omnium animarum quas scandalo perdidisti, & verbo tuo ad malum inuitante tanquam gladio occidisti. Væ tibi, si tua causa scandalum & ruinam culpę frater passus est: væ tibi mundo immũde, ait ipsemet mundi plasmator, & væ & hoc scandalorum ratione contra te venientiũ: væ mundo à scandalis, & laqueis innumeris ab hominibus inuicẽ positis quibus alij alios captent, & sic Dęmoni tradãt. Potius elige homo, ignẽ comedere, & in mari submergi, & à canibus deuorari, quã fratri scandalũ ponere. Audi ipsum iudi-

Rom. 14. 1.

Matt. 18.

cem

cem dicentem ibi: ne scandalizes vnum de pusillis fidelibus qui in me credunt, ne ad ruinam peccati inuites, alias expedit magis tibi vt suspensus sis à mola asinaria vt exire non possis, & sic demersus sis in profundum maris, vt à balenis, & alijs bestijs deuoratus sis. Certe grauius malum erit tibi, scandalum fratri danti, si in profundum inferni ligatis manibus & pedibus inter bestias infernales fueris immissus lapide obstinationis onerátus vnde nunquam exeas.

Si corde pauere, & corpore exhorrescere debet omnis homo talia Christi verba audiens, contra ruinam peccati fratri dantem: quid cogitas faciendum Dei minister, & religioni dedite, qui à Deo electus es, vt seculares tuo verbo & exemplo continuo ad virtutem prouoces, & in Dei honorem inuites: si ipse plusquam laicus obstaculum animabus continuo paras, ne per viam mandatorum immaculate incedant, sed scandalum es illis, vt frequenter in peccati foueam contra Dei sanguinem cadant? Magnum facinus hoc est, grauissimumque scelus: qui sanguinem tuum effundere debebas vt homo miser aut mulier fragilis, Christi sanguinem non cõculcaret peccato, & vitam morti exponere tuam, ne aliquis filium Dei iterum delicto crucifigeret, non solum hoc non facis, sed vitæ tuæ & honoris Dei dispẽdio, omnibus vijs & modis verbo & violentia miseram animam peccare nolentem ad iniuriam Dei prouocas & inuitas? Et quod magis dolendum est, suades & obtines, vt sic ambo in foueam cadatis: quomodo fugies iram Dei animarum venator vt à Christo tollas illas & Dæmoni tradas? Væ tibi per quem tale scandalum venit, in profundum inferni submersus eris, si cito à tam execrando officio Diaboli, non resipiscis, & pœnitentiam magnam de præteritis agis.

Cum sacerdos aut monachus sint dignitate decorati, magis à Dæmone tentantur ad malum, imo & à sua propria concupiscentia: quia magno se æstimant pretio, & nil volunt negare desiderio suo, quasi digni vt omnia obtineant. Accedit ad hoc quod cum voluntas bonum habeat pro obiecto, id quod melius est magis diligit: & cum dignitas sacerdotalis aut monachalis ex se bona sit, inde prouenit vt omnes illam habentes, homines in pretio habeant, & mulieres magis illos diligant. Vnde colligo, si sacerdos aut monachus scandalum præbere

vult

vult & ad malum inuitare: multum detrimentum posse in grege Christi inferre, & forsan mille laici in loco vno tantum detrimenti animabus non præbent, nec tam graue scandalum, quam viginti sacerdotes si non sunt compositis moribus. Reuera centum lupi, tot damna miseris ouibus absque pastore non conferunt, vt mali sacerdotes aut monachi indisciplinati animabus: vt in alijs nationibus experientia videmus: & vtinam in nostra Hispania tale ministrorum Dei scandalum non inueniatur. Cor meum sagitta acuta ferio cum ista loquor, nam de omnibus Christi ministris nescio scandala animabus data, quæ de me solo agnosco & confiteor: quis scit, de alio delicta quæ de se? Et sanguineis lacrymis delere, valde cupio & toto corde desidero. Tamen quia res magni momenti est & de scandalo agere cepimus, & nos Dei ministri multum bonum, si debita agimus, possumus facere, & graue nocumentum, si malitiam scandali & grauitatem eius ignorantes, vt equi effrenati ad malum, Dei creaturas inducere volumus: ideo veniam mihi concedat minister altaris scandalum pusillis quotidie præbens, de bono sacerdote de monacho religioni dato, nec verbum vllũ loquor, nisi vt oret pro me: quos super cor meum pono.

Video etiam Deum meum cõquerentem de hoc contra nos sacerdotes, & hoc nobis opponens tanquam præcipuam causam: quare laici paruipendant nos & fere linguis suis conculcent, & nomen nostrum denigrent. Quare & ego seruorum eius minimus & primus ingratus, & in scandalizandi officio dux: non insurgã contra Dei ministros scandala præbentes, saltim vt me ipsum vulnerem, & ad dolorem delicti mei prouocem: & in futuro plus à scandalo quam à Dæmone fugiam, & malo exemplo dando magis quam à carcere infernali? Audite omnes Dei ministri, iudicem vestrum ac Dominum facultatem habentem ad vos admonendum corrigendum, increpandum, & arguendum: ego vermis & non homo, imo opprobrium hominum, quomodo audebo Christos Domini tangere correctione, & illos arguere meo sermone? Et nunc ad vos mandatum hoc (ait Dominus per Malachiam) ô sacerdotes: si ab alio correctionem audire renuitis, & contra cõcionatorem vitia vestra corrigentem, & scandala vestra arguentem detractione & ira & odio insurgitis, dicentes non esse iudi-

*Psalm. 21.*

*Mala. capi. 2. A.*

cem

cem vestrum: ego volo concionem facere ad vos qui sum iudex & Deus vester cuius potestatem in terris habetis, & officiū exercetis. Ad vos mandatum hoc meum ò sacerdotes ò monachi, ò prælati, episcopi, & omnes in dignitate Ecclesiæ constituti: si nolueritis audire vocem meam, & vocē concionatoris mei, et si nolueritis ponere super cor consilium meum & doctrinam meam vt detis gloriam nomini meo, & non amplius scandalum vni ex pusillis qui in me credunt detis, mittam in vos egestatem, & male dicam benedictionibus vestris, ideſt, male faciam vobis sacerdotibus, indigne exercentibus tales benedictiones. Et sicut eadē actio (vt ait Diuus Tho. in tertia parte suæ theologię) in quantū fit ex praua intentione ministri, potest esse mala: bona autē in quantum fit ex bona intentione Domini. Ita benedictio vestra sacerdotes, si estis mali, in quantum fit à vobis est maledictione digna (& quasi infamia seu blasphemia, & nō oratio reputatur) in quantum autem profertur ex persona Christi, est efficax ad sanctificandum: & sic dicit vestris benedictionibus maledicam: non tamen malitia vestra sacramenti virtutem tollet. 3. *p. q.* 82. *art.* 5. *ad.* 3.

Labia vestra sacerdotes, custodiunt scientiam meam, vt sacrarium, & legem requirent laici de ore vestro: quia quilibet vestrum Angelus Domini in officio, qui à Deo missus exercituū est, quare recessistis de via mandatorum meorum illam conculcando? Respondete quia. Et si hoc agere voluistis ad vestrā dānationē, & mei inhonorationē: vt quid scandalizastis plurimos in lege mea, ruinā peccandi illis præbendo, & ad malū inuitando? Graue malū est hoc, & ideo ne miremini si paruipendēt vos laici, quia propter hoc scandalum quod alijs exemplo vestro præbetis, ego dedi vos contemptibiles, & humiles & abiectos omnibus populis. Igitur de te conquerere sacerdos, scandala mulierculis dare non timēs, quia in nihilum redactus es coram populo, & velut quilibet de media plebe imo magis infamis sis habitus: cum Deus hoc dicat se permittere, omni sacerdoti scandalū dare nō verenti. Audiamus omnes sacerdotes patrē Basilū in resp̄- 64 *fol.* 440
sione regulæ supra posita dicentem: cæterum cū res adeo formidabilis sit, in his quę in potestate nostra sunt fratrē scandalizare: quid de his dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis loquendis ve scandalizant, & maxime quando vel scientia aut dignitate quadam maiore præditus est qui scandalizat: vel in sacro gradu

ali-

aliquo censeatur? Qui cum sit tanquam regula & virtutum exẽplar cæteris datus, væ illi si vel minimum quid eorum quæ scripta sunt neglexerit, aut eorum quæ interdicta sunt fecerit, aut eorum quæ iussa omiserit: aut aliquid dissimulanter præterierit: vel in hoc vno tantum illud iudicium commeritus est quod
*Ezech.3.E* Dominus minatur per Ezechielem: quia sanguis peccantis de manu tua requiram. Audisti magnum Basilium sacerdos? Intellexisti monache. Non timuisti prælate? Non abhorruisti concionator? O væ nobis si cito non resipiscimus: væ si vt sol & lux sic alijs non lucent opera nostra bona vt tali exemplo glo-
*Matth.5.B* rificent patrem misericordiarum & ad bonum inuitentur homines, sicut hucusque malo scandalo à nobis posito corruerunt. Væ si verbo & opere ad laudem Dei non promouemus quos ad ruinã incitare non timuimus. Tamen Sancti Basilij verba imo nec concionatoris regij supremi Pauli de scandalo doctrina, sic cor meum contremiscere facit, vt verbum iudicis, vę illi per quẽ
*Matt.18.B.* scandalum venit.

Sinite tamẽ Phariseos malitia plenos, qui scandalũ sibi ipsis parant ex omni opere bono vestro: permittite eos (vt ait Anselmus) suo libero arbitrio, vt eant iuxta cordis sui desideria, quia irreuocabiles sunt: vę illis miserandis hominibus qui ad talẽ obstinationis peruenere statum, vt dicat Deus eorum redemptor & pater: finite illos peccare aut facere volita vos concionato-
*Iere.51.A.* res, confessarij, aut pastores: curauimus illos, vt Babylonem, noluerunt sanitatem recipere: derelinquamus eos modo ad horam viuere ad libitum misereamur illis. Postea omnia simul fine fine soluẽt. Infelix miseratio, & tristis derelictio, quæ à Deo erga hominem peccatorem fit, & scandalum de omni opere proximi accipientẽ ob malitiã suam: ò fœlix ille homo qui Deũ vere diligit, cui scandalũ non contingit vt ait Dauid, de illis qui re-
*Psalm.118.* cto sunt corde. Pax multa est Dñe mi, diligentibus nomẽ tuũ & potentiã tuã amantibus: pax in corpore & in anima tecũ secũ & cũ omni creatura: vide quã magna pax illi sit, quia nõ est illi scãdalũ neq; ruina ex aliqua re, aut proximi culpa aut verbo malo. Quia omnia aliena facta quãtunuis mala appareãt semper in meliorẽ iudicat partẽ: etsi euidenter peccata sunt dolet de illis vt de proprijs, & omnibus modis curat vt de illis pœnitẽtia agatur: & si illi ponitur scandalũ, Dei adiutorio & eius dilectione fortiter

libe-

liberatur ab illo. Væ non diligenti Deum, omnia in ſcandalum cõtra illum conuertuntur: quia ſimile vt aranea venenum etiam de bonis operum floribus nõ vt apes mel de ſpinaram flore educens ſuo peruerſo iudicio elicit, in ſiniſtram partem iudicando: & bonos tanquam malos eſtimando, ſe tanquam ſpeculo vitreo vtendo, ad alios videndum.

¶ Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. *Text.*

O Duces cæci & cęcorum paſtores, & prælati ignorãtes, vno ſcientiæ oculo carentes, & altero bonitatis: vnde ſic cæci effecti quo ducere poteritis miſeros ſubditos, vtroque oculo ſcientiæ & virtutis carentes? In foueam peccati, in foueam ſcandali, conſuetudinis prauę obſtinationis: & denique ambo prælatus & ſubditus, pater & filius, Iudex & popularis in foueam infernalem abſque dubio cadetis, dum cęci cum ſitis, non dubitaſtis cęcorũ duces fieri. Audi Chryſoſ. hic: qui cum cęcus ſis non times cæcorum dux fieri: ſi enim periculoſum eſt cæco ductore carere quanto magis illi erit damnoſum, ſi alijs quoque loco ducis præeſſe voluerit? In ſtatu periculis pleno reuera eſt, qui cęcus per ignorantiam cum ſit, audet dux aliorum eſſe, & viam ſalutis oſtendere: væ duci cæco, vę paſtori ignoranti, vę etiam ouibus ab huiuſmodi cęco duce ductis. Magnos & claros oculos animę vt habeat fidelis ouis oportet, quę cęcum habet paſtorem, ſi in foueã inferni cadere non debet: quia (vt ait Zepherinus papa in epiſtola ad epiſcopos Sicilienſes, & habetur in decretis) ſicut ſtellas cœli non extinguit nox: ſic mentes fidelium lucem gratiæ à ſole iuſtitiæ Chriſto communicantes, non obſcurat mundana iniquitas: tamen malitia ducis multum nocet milites: ignorantia paſtoris magnum detrimentum ouibus præſtat: & infidelitas ductoris, damnum confert cęco. Sic & melius malitia & ignorantia prælati, graue detrimentũ animabus præbet. Si quilibet ſacerdos debet ſcire quę in illo decreto D. Aug. ponũtur quod incipit, quę ipſis ſacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, ex quibus omnibus ſi vnum defuerit, ſacerdotis nomen vix in eo conſtabit: quid de audentibus duces aliorum eſſe iudicabimus, cum valde periculoſę

*Hom. 52. Simile.*

*Epiſt. 1. D. 38. ca. ſicut ſtellas. Simile.*

*38. D.*

culosæ sint minæ euangelicæ quibus dicitur, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. (Vnde monet idem Augu. cap. 10. de pœni. D. 6 ca. qui vul. devera & falsa pœnitentia & habetur in decretis, qui vult cõfiteri peccata sua, vt inueniat gratiã quærat sacerdotẽ scientem ligare, & soluere: ne cũ negligẽs circa se extiterit, negligatur ab illo qui cũ misericorditer monet, & petit ne ambo in foueam cadant, quam vt stultus euitare noluit, væ ignaris confessarijs.

In vltimis euangelij verbis docet Christus, quomodo corporalis cibus si alibi vetitus non sit, non potest animam maculare, cum corporea res in spiritualem non agat nisi ratione præcepti & hoc dicit Paulus nihil reijciendum esse quod cum gratiarum 1. Timo. 4. A. actione percipitur, idest non fuerit vetitum: quia tunc iam comederetur cum Dei offensione. Et quia de his quæ animam coinquinant in primis homilijs, cũ de præceptis ageremus aliquid diximus iuxta quod mei ingenioli patiebantur angustiæ, hic superfedendum duximus. Solum dicimus quod nil coinquinatũ intrabit in illam ciuitatem cœlestem, & Deum hic dicere, animã Apoc. 21. g à peccato coinquinari, & ex corde suo procedere, vt homo peccator ne causam culpæ suæ dæmoni semper tribuat, sed sibi imputet vt autori non suggestori maligno. Si tamen principalis animæ sedes in cerebro sit aut in corde (quod videtur hic illius artifex insinuare) adhuc sub iudice lis est. Vtinam sic Deum labijs & corde honoremus, vt simus explantis bonis, vltra animas non coinquinantes, vt sedes illarum sit in hac vita gratia, & in futura visio beatifica. Amen.

# Feriæ sextæ dominicæ tertiæ quadragesimæ Homilia prima.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

Gen. 21. B. QVIS quamuis duro corde, ad compassionem motus non esset, videns in agro Agar, etsi ancillam errantẽ, & in solitudine cum filio suo sitim, consumpta aquã, patientem? Cuius viscera ad dolorem non essent permota, cũ vidisset Ismahelẽ puerum, etiam si ancillæ filiũ, abiectũ à matre

à matre ſubter vnam arborem, quæ ibi inſolitudine erat, ſiti deficientem & iam morti propinquum exiſtentem? Abijt tamen mater eius, ſeditque è regione pueri procul, quantum poteſt arcus iacere: dixit enim, non videbo morientem puerum, leuauit vocem ſuam & fleuit: tamen angelus venit, quia Deus audiuit vocē pueri, & dixit, quid agis Agar? Noli timere, vide puteum aquæ & bibe, & da puero. O homines duro corde, quid Agar ancilla cum virgine ſancta angelorum regina, quę nunquā ad inſtans ſeruat peccati reperta eſt? Quid Iſmahel filius ancillę, cū filio altiſſimi, homines à peccati ſeruitute liberante? Venite ò homines, & videte Dominum veſtrum fatigatum ex itinere amore veſtri exiſtentem, & famelicum & ſitientem. Heu tamen quis non præ dolore deficit, conſiderans alio die filium in cruce exiſtentem & de ſiti ſe conquerentem, & tamen cum pia mater ibi ſtet dolore confixa: non poterit illi potum lacrymarum præbere, etiā ſi multas effundet. Videbis certe poli regina, puerum tuum ſitis dolore morientem, nō tamen angelum fontem oſtendentem cum ipſe eſſet puteus aquarum viuentium & fons hortorū. Hanc & illā ſitim paſſus eſt filius tuus domina mundi, vt nos aquam delicia rum noſtrarum illi daremus vltra non peccando, ſed vere confitēdo. Date igitur illam filio meo per confeſsionem, & ego aquā gratiæ vobis obtinebo quam vere pœnitentibus hic filius promiſit. Mulier ſancta, da nobis bibere talem aquam, dicētibus tibi angelicam ſalutationem, Aue Maria.

*Ioan. 19 E.*

*Can. 4. D.*

## ¶ Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.

*Text.*

RELIQVIT Ieſus Iudęam & iterum venit in Galileā (ait Ioannes) & hoc, quia iam erat diſſenſio inter audientes Chriſtū & Ioannem, quis illorū plures diſcipulos faciebat. Fideles, operamini verbū Dei omni humilitate, & nolite contendere verbis, quem concionatorem plures ſequātur audientes, aut quem nō: ne faciatis fugere Ieſum ab animabus veſtris: cum omnes cōcionatores ſint Dei & vnicam fidem eccleſię, & pœnitentiam prędicent. Vnum laudando, aliū ves vituperare neceſſe eſt & ſic cōtra ipſum Deū loquimini dicētē, qui vos cōcionatores ſpernit me ſpernit: vñ nil mirū vt Chriſtus recedat ab anima illū detrahēte

*Ioan. 4. A. A. 31. M. 4 D. 3. 27. Aprilis.*

*Luc. 10. C.*

hente in concionatore suo. Sequi mini medicum, quem vulneribus peccatorum vestrorum vtiliorem experti estis: audite concionatorem vos ad pœnitentiam & virtutem magis mouentem, & nolite de alijs loqui imperfectiones veras aut falsas: alias fugiet Iesus. Nolite etiam contendere ad inuicem inter duos sanctos quis illorum sanctior sit, atque Deo in cœlo propinquior: vt exempli gratia quotidie fit, præcipue à stultis monialibus inter Ioannem Baptistam & Euangelistam, multoties ad manus veniẽtibus, & pugno quæstionem soluentibus, quo stultius quid potest esse? Rixæ & dissensiones oriuntur in animabus vestris ob sanctitatem tantorum Dei seruorum in cœlo in vltimo & supremo angelorum Choro regnantium, interim vos nec à limine aliquam virtutem illorum castitatem aut humilitatem salutantes? Attendite mulieres, parum cordatæ, in quanto periculo animas vestras ob istam friuolam & audacem quæstionem ponatis: cum quælibet vestrum sit sui amatrix, vnde talis detestanda oritur quæstio, vult obtinere intentum: ad hoc autem fere impossibile est, iuxta modum quod à vobis agitur, quin alterum sanctorum aliquo modo dehonoret, quę alterum defendere, & honorare curat.

Quale igitur seruitium Regi cœlorum facies mulier, quando seruum illius vnum à se dilectissimum honorando: alterum non minus dilectum, tuis verbis vituperare non dubitas? Tu quis es, qui alienum, non seruum tantum, sed filium Dei per gratiam, & in maxima constitutum gloria iudicare præsumis tua temeritate? Vestigia sanctorum operibus bonis sequi stata ge ô homo, aut mulier, & de sanctis & eorum meritis iudicare fuge: alias iudicis cœlestis officium vsurpare audes, quod tibi in bonum non proueniet: Dei solius est merita hominum iudicare, iuxta illud Salomonis, hominis est animam preparare, Domini gubernare linguam. Omnes viæ hominis patent oculis Dei: spirituum ponderator & meritorum illorum est Dominus: non homo, non monialis. Neque concionatoris indiscreti, qui publice declamando vt vnum sanctum exaltet, alios non timet infamia respergere (vt audiui de aliquo) quod reuera si in mulieribus est detestandum: in concionatore est abominandum, imo & puniendum. Lauda sanctum cuius laudes ostendere vis, quia maior est omni laude nec certe laudare de-

*Ad Rom. 14. A.*

*Pro. 16. A*

re debite poteris: non tamen aliorum beatorum honorem ſubri pias: quod eſt ſacrilegium. Præpara animam tuam virtutibus, & ſanctorũ veſtigia ſequere & aduocati tui virtutem pro poſſe: ſine alios ſanctos beatitudine frui, alias Ieſus fugiet ab anima tua, vt hic fecit.

Reliquit etiam Iudæam, partim ne magis exacerbaret illorũ inuidiam, ſi illis veluti contemptis, diutius ibi fuiſſet immoratus, & ſic magis contra Deum peccarẽt: vnde ne Deus magis ab illis eſſet offenſus fugit. Vt diſcas omni via offenſam Dei abſcindere *Ad Ro. 12. d* & impedire, & dare locum iræ, & inimicos tuos fugere, ſaltim ne Deus magis offendatur ab illis: & tu ne in periculo peccandi animam tuam ponas. Partim fugit vt doceret facto, futurum cito, vt euangelij gratia à Iudæis repulſa ad profanos populos, & gentiles deferretur. Hoc ipſum in noſtro deplorando tempore oculis contingere vidimus: quia multæ fidelium nationes, euangeliũ à ſe creditum & receptum & à maioribus illarum opere ſancto adimpletum à dæmone & luxu deceptę & faſcinatę repulerunt illud perfidia abnegantes: iubet Deus vt ad Indos & barbaros transferatur, vt dent fructum operum in tempore ſuo. Reliquit Iudęam & venit ad Galileam: & cum oporteret venire per Samariam, regionem exiſtentem in medio Iudæę & Galilæę, venit in ciuitatem Samariæ nomen totius regionis habentem. Iſta erat magna ciuitas ædificata in monte ab Amri rege Iſrael: & ſic ab iſta ciuitate tota prouincia denominata eſt: vnde dicti ſunt Samaritani nouem tribus & ſemis Iſraeliticorum, qui ſeceſſerunt in regionem illam, ab eo quo ſe deſeruerunt altrinſecus, tempore Roboam filij Salomonis, remanentibus in Ieruſalem & circa, duabus tribus & ſemis: ſcilicet Iuda & Beniamin, & media tribu Manaſſe. Antiquitus (vt ait Lyra) dicebatur Sichem, in qua contigit famoſa ſtupri & doloſæ circunciſionis hiſtoria, & deſtructio à filijs Iacob facta ob Dinæ ſororis ſuæ violationem: vnde cum Dominus ad ruinam reparandam venerat, accedebat ad loca vbi deſtructio contigerat, vt doceret ſe ad redimendum veniſſe, & ſaluare quod perierat: venit ad Sichar, concluſio aut ramus (ait Gloſſa) ideſt ad gentilem populum ſub peccato concluſum, & ramum de oleaſtro exciſum & oliuæ fideli inſerendum. *Genes. 34.* *Roma. 11.*

Tex. ¶ Iuxta prędium quod dedit Iacob filio suo Ioseph. Erat autem ibi fons Iacob.

LYra, cesit in possessionem Iacob, quando propter raptum Dinæ occisi sunt habitatores illius ciuitatis à filijs Iacob: & dedit illam terram Ioseph filio suo morti propinquus dicens: do tibi partem vnã extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhęi Gen. 48. D in gladio & arcu meo: quando filij mei inuaserunt & illos occiderunt: aut in fortitudine mea, ideſt in pecunia quam multo labore acquisiui. Erat ibi fons Iacob, puteus, vt ait Lyra, quẽ ipse foderat ibi habitans: merito dicitur fons Iacob (ait Glossa) vt scias filium Dei puteo appropinquantem esse fontem diuinæ sapientiæ à patre suo fortissimo, per generationem procedentem æternam: fontem de fonte diuino, lumen de lumine.

Text. ¶ Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.

IAM incipiunt mysteria (ait D. Aug.) & magna reuera arcana inciplunt: nam quod secretum maius, quam Iesum saluatorẽ & fatigatum videre, & viam omnium lassam ex itinere cernere, & fontem diuinum supra puteum sitientem aspicere? Tamen saluator fatigatur, vt laborem tollat peccatoris, & quiescat iam agere peruerse: viam lassam vidimus, vt ipse velis per viam mandatorũ incedere, & sis iam defessus peccandi: fontem viuum sitiẽtem audis, vt cœlestium patiaris sitim, quibus satiatus eris, si voluptatum potum abhorres. Ex hac Christi fatigatione, collige Dei clementiam, & peccati malitiam, cum videas iuuenem diuinum Deum & hominem, lassum ex itinere & fatigatum ex labore, & sudore repletum, famelicum fine pane, cum sit angelorum panis, sitientem fine aqua puteus cum sit aquarum viCan. 41. D. uentium: & hoc vt patri obediret, & tibi salutem acquireret, quietem & cibum, & beatorum consortium. Attende Christum fatigatum ex itinere, quomodo iumentis non est vsus equorum creator, nec faustum amauit, nec luxum dilexit: sed inopiam, & laborem, & dolorem à iuuentute sua in pretio habuit

habult:ô vanitas hominum, quo vſque procedes? O ſuperfluitas mortalium quo peruenies? Dominus laborem otio prætulit, & homo tota die vitæ otio & ludis vacat? Chriſtus fatigatus eſt, ob noſtra delicta, nos requiem in omnibus caducis eligimus? Filius Dei oppidò laſſus eſt vt patris iuſſum perficiat & noſtram redemptionem: & nos peccati ſerui nec ad horam ob Dei honorem, & noſtram ſalutem in virtute & pœnitentia laborare volumus?

Cũ filiũ Dei videas, eiſdem affectibus obnoxium tentatũ per omnia, abſque culpa, vt ipſe homo es: ſatis euidenter tibi de ſua humanitate tui amore ſumpta conſtat. Vide ineffabilem eius charitatem, qua ita nobiſcum paſſus eſt, vt etiam nobiſcum laſſus eſſet, & infirmitates noſtras & languores ipſe tuliſſet ad ſoluendum: vnde (vt ait D. Auguſt.) gallinæ comparauit ſe, quæ infirmatur cum pullis. Melius quam Paulus poteras dicere animarum ſalus Chriſte Domine, quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur inter fideles meos & ego non vror? Quis illorum fatigatur & ego non potius? Venite ad me laſſum omnes laborantes, & qui eſtis preſsi ære alieno & amaro animo: & ego laſſitudine mea requiem animabus veſtris præſtabo: non habetis pontificem, qui non poſsit, nec velit compati infirmitatibus veſtris, laboribus & neceſsitatibus, cum videatis me primo laſſum & laborantẽ, & tentatũ per omnia huius mundi tædioſa, abſque peccato. Miratur valde D. Aug. in Ioannem, de iſta Chriſti fatigatione & ait: Ieſus, & fatigatus? Quomodo iſta duo ſimul conſtare poſſunt? Saluator, & laſſus? Deus, & feſſus? Audito Ieſu, ecce virtutem, audito fatigato ecce infirmitatem. Quid hoc eſt fratres angelorum requies fatigatur? Fons diuinus ſitim patitur? Panis cœleſtis caret cibo famelicus? Vt filiũ Dei & hominem verum aperte illum eſſe agnoſcas. Non tamen fruſtra fatigatur Ieſus virtus Dei, non fruſtra fatigatur beatorum quies, per quem fatigati peccatores recreantur, quo deſerente fatigãtur, quo præſente firmantur. Conſpice cordis oculis iuuenem ſanctum & fatigatum ex itinere: quomodo plane (ait D. Bonau.) fatigatus incedit: nam ſæpe fatigatus eſt, & tota vita ipſius laborioſa fuit.

Ieſu mea redẽptio & amor, vt quid fatigatus ſedes? Quis tãtũ onus humeris tuis ſanctis impoſuit, vt ex itinere ſis tam laſſus? Virtꝰ Dei es & potẽtia, quomodo ſic afflictꝰ manes? Nõ ex forma

*Ad. Heb. 4. D.*

*Mat. 23. D 2. Cor. 11. G.*

*Matt. 11. D.*

*1. Re. 22. A Heb. 4. D.*

*Tract. 15.*

*In vita Chriſti ca. 31. to. 2. fo 348.*

Dei fatigatus ſum, qua angelos recreo, & beatos facio, ſed ex forma ſeruili quam pro ſeruis meis culpis fatigatis ſumpſi: & quia ipſi iumentis ſimiles per culpam facti ſunt ſuum honorem non in-
Pſal. 48. telligentes, ego non ſum vſus ſubiugalibus, vt illos ad priſtinum reſtituam honorem, & ſic fatigatus ſum. Et me verum Deum & hominem eſſe oſtendo, quando, angelorum ſolatium cum ſim, ex itinere ſum laſſus: acſi nil ſolaminis vnita conferret diuinitas. Et fatigatus ſum ex itineribus mihi aduerſantibus. Quia pro malis
Pſal. 118. & peruerſis hominū vijs in quibus vnuſquiſque illorū errauit, vt ouis quæ perijt: ego fatigatus exiſto, vſque dū ad crucem perueniam, dummodo peccatores ſequantur me. Fatigatus certe ſum ex itinere, quia homo verus, quia delicatus, & nobili plaſmatione cōpoſitus: quia ieiunus, quia ſitibūdus, & quia pedeſter veni per montes & colles. Tamē certe magis animo quam corpore ſum fatigatus: conſiderans hic fatigatus ſedens varias peccatorū vias, & praua itinera illorum: & quomodo ieiunia eccleſię conculcāt. Grauiter torquent me fatigatum ſcelera hominū à quibus quieſcere nolunt: vnde certe ſarcina peccatorum illorum, magis quā itinere ſum fatigatus: nec quieſcam, donec illam ſuper crucis lignum fatigatus, & crucifixus incendam & deſtruam & à ſuis animabus tollam tantum peccatorum pondus.

Vt quid fatigatus iter facis angelorum ſolatium, & beatorum quies? Animarum amor, quas tantis laboribus quæro, me fatiga-
Simile. tum tenet. Non vidiſti aliquando hominem amore captū, & eius vinculis ligatum, erga aliam perſonam, quam feruenter & ſupra modum diligit? Conſideraſti illum, non paruo dolore & labore, illam vſque ad corporis & animi fatigationem quærentem, vt rem valde amatam, donec illam ſudore fame & timore, per varios caſus & rerum diſcrimina inueniat? Sic & ego, animam vniuscuiuſque hominis quæro, vt rem quam valde diligo, tanquam ad ſimilitudinem meam factam, cum ſimilitudo cauſa ſit amoris. Vnde quouſque inueniam illam, quocunque labore ſudore & dolore imo & morte, poſt famem & ſi-
Simile. tim, non quieſcam donec optatam animam inueniam. Si mercenarius finem dici deſiderat vt à labore quieſcat, & mercedem inueniat: quanto magis ego deſiderabo, prēmium laborum meorum inuenire, nō vt à labore quieſcam, ſed vt animas mihi reperiam? Paſtor ouiculam vnam, ſcabie infectā, magno diſcrimine,

labore

labore atque ſudore quærere non dubitas: & ego paſtor bonus zelo ouium mearum comeſtus, animas Dei viſionis capaces, omni labore & ſudore poſtpoſito, non quęram quantumuis ſcabioſæ ſint, turpique culpæ ſcabie & lepra reſperſas? Oues meas quæro ſudore & fame errantes pervias prauas, vnamquãque in viã voluntatis ſuæ iniquæ deambulantem, vt dolore & labore humeris meis flagellis vulneratis illas ad beatorum caulas reuertam in crucis rubo inuẽtas ego fatigatus paſtor. Fratres meos quæro, dixit innocens Ioſeph, à patre miſſus, viro interrogãti quid quęreret, fratres ingratos quęro labore nõ minimovt nũtia patris mei illis oſtendã: ſudore & fatigatione quęro quos inueniã mihi crudeles & ſatis aduerſos. Quid quęris innocens Ieſu, per hos Samariæ terminos ſudore madide, & labore & fame deficiens. Fratres meos quęro vitia brutalia paſcentes, & ab omni virtute deficientes. Caue angelorum decus, quia inhonorabunt te. Bene ſcio, ſed dummodo aliqui illorũ à patris mei iniuria quieſcant, libẽter ab alijs infamiam patiar: ſcio & bene ſcio multos illorũ mihi aduerſarios reperturos, alapa percuſſuros, flagellis & clauis occiſuros: tamẽ fratres meos quęro, veniat quod venerit ſuper me dum modo illos patri meo inueniam, & ad ſanam mentem conuertam.

*Iſai. 53. B*
*Luc. 15. A.*
*Gen. 37. D.*

Infirmos quæro fratres, ego medicus cœleſtis, vt ſãguinis mei diſpendio ſalutis & vitæ, ſanitati gratiæ reſtituam illos: & miraris vt me fatigatum ex itinere ſupra puteum me ſedere videas? Milites meos contrarium & infernalem ducem ſequentes per varia malorum deſideria, & opera praua, quęro ego per itinera laboriosa: & in cruce moriar dummodo aduerum crucis vexillum reducam ipſos. Et ſtupore videris repletus, quia famelicus ſedeo laſſus, iuxta fontis huius oram? Ipſi homines quos quæro, non ſatiantur peccatis, & ego famelicus non ero & ſiti fatigatus? Laborare, & ſudare, & famem & ſitim, faciunt in peccatis ſuis, & ſermonib⁹ vt ait Malachias, me pati fratres mei: & ipſi vuam peccati acerbã comederunt & dentes mei tanquam fideiuſſoris, obſtupeſcunt: nec habent quid manducent. Nondum inueni ouem centeſimam in agro voluptatis ſuæ errantem: nil mirum vt in agro ſim aberrans famelicus & fatigatus, donec in caluariano agro in ſicco crucis puteo, fatigatus & clauis confoſſus, illam moriendo inueniam. Fratres meos quæro, & dragmam decimã, quã ipſi ſuis culpis amiſerunt, nempe mandatorum Dei obſeruationem, &

*Malach. 2. d*
*Ezec. 18. A*
*Luc. 15. B.*

venlam huius transgressionis: & sic nil mirum vt supra puteum fatigatus & lassus sedeam, qui donec ego lux mundi & lucerna ardens in crucis candelabro positus fim famelicus & infamatus,
Matt. 5. B. talis drachma inuenta non erit. Quæ omnia libenter patiar, dum modo homines tam diuinam margaritam inueniant, obseruatio nis mandatorum Dei, vt sic anima fidelis operantis in thesauris cælestibus recondatur: & ego dicam patri meo & Spiritui san-
Luc. 15. B. cto, & omnibus angelis: congratulamini mihi, quia si animam perdideram fratris mei, ob fractionem mandatorum ab ipsa factam, iam dolore & sudore, & morte inueni, cum mandata adim-
Luc. 12. F. pleat fideliter. Heu tamen quomodo coarctor & fatigatus sum, vsq; dum perficiatur, hoc quod valde desidero, & inueniatur in animabus ista vera & perfecta mãdatorum obseruatio: cum tam care à me sit empta, & homini tam vtilis sit.

Iter Iesu, carnis est assumptio, qua iter ad nos fecit, in qua est fatigatus, idest, infirmus factus, vnde releuet hominem infirmũ peccato, quem creauit potentia: & sic fatigatur ex itinere (ait glossa) quia si carnem non assumpsisset, fatigatio illi non contigisset. Fatigatus est iuxta humanitatis proprietatem (ait Euthymius) cum enim pedester incederet, adeo vehemẽter & celeriter ambulabat, vt etiam fatigaretur. Ait Theophilatus, strenue incedebat non ignauiter, quomodo fatigatus es domine Iesu beato-
Sapi. 5. A. rum requies? Iam in Sapientia audistis peccatores dicentes, lassatos fuisse in via iniquitatis & perditionis, & vias difficiles valde ambulasse, & viam dominii ignorasse: & modo homines non cessant, per tam laboriosam viam ambulare quotidie peccantes, & delictis delicta, suo malo, accumulantes: magno suæ quietudinis & vitæ dispendio: ideo vt ego agnus innocens soluam, quæ peccator, per has vias prauas cõmisisti, fatigatus sum ex itinere tuo, vt quiescas per tam laboriosas peccati vias incedere, & agere per
Esai. 2. B. uerse, vt tandem in pace secura sedeas. In illa Salomonis vnica concione, meliori de causa de hoc conqueror quam ipse dicens: dum video laborem & sudorem frustra à me erga multos impensum: cũ me conuertissem ad vniuersa opera quę fecerant manus meæ, creando homines, alendo, gubernando, defendendo, incarnando prædicando, & illis benefaciẽdo. Et cum oculos inijciam modo in ista putei ora, ad labores & famem sitim & infamiam, in quibus frustra, quo ad multos fideles sudaueram: certe magis in

corde

corde doleo, quia ſine fructu, in multis video me illos pati, quã in illorum ſufferentia. Ne dicas domine mi, te fruſtra labores pro hominibus pati, nam multi ſunt qui tui amore ieiunijs laborant, lacrymas ſudant, ob pœnitentiam feſsi ſunt, & potius mori quã amplius vni peccato aſſenſum præbere decreuerunt: & tot martyres futuros vides: ne dicas fruſtra te laboraſſe, nam valde torquetur cor meum tali verbo.

Maiori dolore cor meum eſſet percuſſum, in conſideratione iſtius verbi, in quibus fruſtra ſudaueram, ſi doloris capax eſſet modo quam omnium hominum. Tamen ſi Salomon ibi addit, ſtudioſiſsime laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens, aut ſtultus futurus ſit, bonus aut malus: & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui & ſolicitus fui. Quanto magis ego ſapientia patris pluſquam Salomon prudẽs, dicam dolens fatigatus ex itinere: ſtudioſiſsime pro hominum ſalute laboraui hucuſq; & vſq; ad crucis mortem non pauci labores, imo & ſanguinei ſudores, mihi manent, habiturus hæredem laborum meorum & flagellorum & ſanguinis mei, fidelem voluptati deditum, & auaritiæ & odio traditum, quem non ignoro ſtultum futurum, & non ſapientem: peccatorem & non iuſtũ, ingratum & crudelem: non recte, tam ſacram & ditiſsimam hæreditatem diſpenſantem me habiturum: dominantem, imo & luxuriantem, in laboribus meis, fatigatione mea & ſudore, & tantos meos labores ludo & voluptati & vitio non dubitantem exponere: hoc mihi laborem cauſat, hoc fatigationem & dolorem. Audite me per Iſaiam conquerentem, & ego dixi in vacuum, & fruſtra pro multis laboraui: & vane fortitudinem meam cõſum pſi. Bone Deus, ne talia dicas mihi dolorem cauſantia: in vacuum laboraſti, quaſi finem redemptionis à te intentum non obtinuiſſes: obtinuiſti certe & perfeciſti, vt quid te in vanum laboraſſe & ieiunaſſe conquereris? In vacuum laboraui erga multos, quia vacui virtutibus manent: vane fatigatus ſum & laſſus circa peccatores, à quibus fatigatione mea & ſudore finem ſuum non obtinui, vt ſalui fiant. Et ipſi operibus ſuis videntur dicere me fruſtra paſſum fuiſſe, & vane fortitudinem meam conſumpſiſſe. cum ipſi labore meo abutantur. *Iſai. 39. A.*

Venite angeli & videte faciem quam videre deſideratis, nunquam illius viſione ſatiati, ſudore & puluere plenam accedite *1. Pet. 1. C.*

Apoſtoli,

Mat. 17. A Apoſtoli & conſiderate faciem in monte Thabor tanquam ſolem reſplendentem, modo ſudore madẽtem. Virgo vbi ades? Veni & terge ſudorem & puluerem à facie ſacratiſsima filij, & conſidera illius amorem, erga homines ingratos, & dole de filij labore fuga & dolore. Certe ſi vidiſſes Eliam filij tui ſeruum fidelem, & concionatorem feruentem, Iezabelem fugientem triſtem & fatigatum, ſubter vnam iuniperum famelicum & ſitientem, & animæ ſuæ, ideſt vitæ, vt moreretur petentem: ad compaſsionem mota eſſes, vt viſcera tua miſericordiam redolent, ſicut quæ infinitam miſericordiam intra ſe nouem menſibus circundederunt. Tamen dedit illi angelus panem ſubcineritium ad manducandum, & aquam ad bibendum dicens, ſurge, quid ſedes, cum tam grandis & longa & laborioſa via tibi reſtet vſque in montem Oreb? O fili mi Ieſu, doleo ſuper te pharisæos relinquentem, triſtem & ex itinere fatigatum, non in vmbra ſed ſupra puteum famelicum & ſitientem, non paruo labore ſedentem: & tamen pauci fideles cibum eleemoſynarum & reſtitutionis tibi ad manducandum præbent: nec panem ſubcineritium mortales & cinerem ſe eſſe conſiderando: rari potum lacrymarum tibi conferunt, firmum habentes propoſitum iterum non peccandi. Doleo ſuper te fili mi, quia longa tibi doloris & infamiæ reſtat via, vſque in montem Caluarium, vbi ſuper crucis arborem clauis confoſſus famelicus & ſitibundus maneas. Et tamen quod valde ſentio eſt, peccatores videre nolentes à vitijs ceſſare, ſed te fili mi, quantum in ſe eſt, ſuis delictis fatigare. Surge iam à peccato ò homo, grandis & laborioſa tibi reſtat via vſque ad Dei iudicium, & montem cæleſtem: conſidera Ieſum ob hoc tui amore fatigatum.

Similè. Quid de regis clementia ſentires, ſi ab equo ſuo deſcendentem vidiſſes, & labore & ſudore fatigatum ex itinere: ſolum vt ſeruus illius ingratus non paſſus eſſet tantum laborem? Non audiui hucuſq; talem regis benignitatem. O Chriſte Ieſu, regum rex, ſecundum fidem catholicam hoc de te credo, quod de cælo deſcendiſti manens in illo, & mundo per carnis aſſumptionem apparuiſti, vt nos in cælum aſcendamus: & fatigatus ex itinere famelicus & ſudore plenus ſuper puteum ſedes, vt nos miſeri peccati ſerui ſine fame & ſiti in æterna quietudine quieſcamus.

3. Reg. 19. A.

Quare

quare Domine, mi ob ingratum ſeruum ſic fatigatus ſedes, cum ip ſi nulla fere cura de te erit, & tam vilis ſit naturæ? Ego dicã. Erat Ionas non parum triſtis, quia Niniuem ego Deus non ſubuerte ram, cogitabat enim eſſe illi dedecus, cum verbum ſuum non im plebatur: præparaui illi hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ vt eſſet illi vmbra & protegeret eum quia laborauerat: percuſsi hederam & exaruit: vnde Ionas æſtuans calore ſolis petiuit ani mæ ſuæ ideſt vitæ, vt moreretur dicẽs: melius eſt mihi magis mo ri quam viuere. Cui dixi, putas ne bene iraſceris tu ſuper hede ram? Bene iraſcor vſque ad mortem, & ira vellem mori, & vſque ad mortem iratus ero. Tace Iona, tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti, neque plantaſti, neque feciſti vt creſceret, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte perijt: & ego non deberem dolere de tot hominum millibus, & parcere Niniue ciuitati mag næ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa? *Ion. 4.*

Interrogas me, quomodo tam fatigatus ſupra fontem famelicus panis cœleſtis exiſtam? Doles ipſe & fatigatus magno labore, ar gentum male partum quæris & vna nocte mortalis delicti inue nis, & in morti nocte amittis: & tanto dolore vnicam voluptatis horam inueſtigas, vitæ & honoris diſpendio: quæ habita ſtatim fugit, & nata continuo moritur quem fructum habuiſti tunc? Et non inuenitur niſi reatus ex illa manens & pœnarum obligatio: & doles ſi non obtines illam, cum ſit mors tua & venenum. Et miraris vt ego animarum creator & amator, per aliquod tempus ſim fatigatus & dolens, vt innumeras animas in æternum duratu ras, ſine Deo in inferno aut cum illo in beatitudine, à deſtructio ne perpetua liberem? Laſſus ſum & in cruce fatigatus ero, dum modo pater meus ciuitati magnæ mundi parcat, & nõ pereant pluſquam millia millium animarum, hominum & puerorũ: qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam: & dummo do non damnentur & ſubuertantur iumenta multa, ideſt, pecca tores iumentis brutis comparati, ſed cõuertantur & viuant. Vide tur tibi ſi merito ſum fatigatus ob tantorum quietem & ſalutem cum ipſe ob gaudium tuum caducum contriſteris & doleas ſi nõ obtines illud? Nõ doluiſti Iona, de hedera verme percuſſa, ob hederę amorẽ, ſed quia ipſe refrigerio in æſtu caruiſti. Nec ipſe pec *Ad Rom. 6 D.* *Pſal. 48.*

cator

cator sentis Dei honorē nec graue dānū animæ tuę, peccati vredine & calore voluptatis & igne cōcupiscētiæ aduſtæ: ſed quia herbam luxuriæ tuæ obtinere quando volebas non potuiſti: & ego animarum plaſmator non ero fatigatus, & fame percuſſus, & laſſitudine exhauſtus, videns quod meis doloribus tot animas voluptati deditas redimere debeo, á tam graui igne concupiſcētiæ, & ab alijs innumeris malis? Audite Auguſtinum ſeruum meum fideliſsimum, multoties amore animarum laſſum & fatigatum, quid ad fratres Eremi dicat: ſaluator ecce venit regens ſidera, & tamen noſtri amore fugere voluit verbera: ipſe qui panis eſt vt noſter fieret cibus eſurire voluit: ipſe fons, vt potum nobis ſalutarē daret, ſitire diſpoſuit: ipſe lux dormire, vt ſomnum culpæ à nobis tolleret: ipſe quies fatigari, vt nobis laborantibus in culpis, & in via iniquitatis laſſatis requiem præſtaret. Ipſa veritas occultari, vt à mendacio mundi liberaret homines vanitatem diligentes, & mendacium quærentes, graui corde exiſtentes: & tandem voluit iudex viuorum & mortuorum cum eſſet, à mortali iudice cō demnari, vt bene nobis eſſet cum illo in iudicio noſtro finali: ò Ieſu ſaluator quę te vicit pietas ad hoc? Vt vos ſitis in gratię quie tudine & gloria perpetua. Amen.

*Ser. 12. B.*

# Homilia Secunda.

*Text.*

¶ Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat:

*Ierc. 14. B.*

*Simile.*

INgrediatur Ieremias & veniat in ſpiritu ad Ieſum dominum ſuum, & omnium in agro exiſtentem laſſum & famelicum & hoſpitio carentem, & per montes errabundum ſine loco, ſine domo, & dolenter interroget illum: quare domine mi, angelorum cælum, futurus es in terra & iam video te, & es velut colonus alienæ prouinciæ, non habens hic ciuitatem manentem? Quare es quaſi viator pedeſter & laſſus & pauper declinans ad agrum ad manendum? Quia caret nummis ad panem emēdum, neq; vt in hoſpitio recipiatur, quia non habet vnde hoſpitium ſoluat. Olim diues eras, & modo etiā

modo

cum angelis beatitudinem & hoſpitium cæleſte præbeas: quomodo es in hac hora velut vir vagus & errabundus, declinans ad feras ad manendum cum illis, non audens inter gentes habitare? Quid feciſti, aut quid commeruiſti vt ad ciuitatem non audeas pergere? Vade domine angelorum, ad populũ inter homines: & ibi hoſpitium inuenies: etſi nummos non habes, perge in pauperum hoſpitalem. Quare vt colonus & vir vagus manes in hoc agro laſſus. Vt fortis, qui nõ poteſt ſaluare ſe, videris. Es fortis ad ſaluandũ nos, & ipſe fatigatus & famelicus, quaſi non valens famẽ & ſitim tuã tollere, es in agro iſto ſuper hunc fontẽ. Tu aũt in nobis es domine, cõſeruando in eſſe, & nomen tuũ inuocatũ eſt ſuper nos & in omni neceſsitate adiuuas miſeriam noſtrã, ne derelinquas nos vt videris derelinquere te, labori & fami expoſitũ. Quæ verba eccleſia ad completorium aſſumpſit pro capitula.

Ne mireris Ieremia, vidẽs me in populũ nõ ire inter homines, ſed in agro cũ beſtijs manere: quia in locis eſt magna peccãdi occaſio, & etiã ſi ego peccare nõ poſſum, velim homines docere vt ſi ſaluari cupiunt occaſiones delinquẽdi fugiant: & potius eligãt fatigationẽ ſolitudinem, & famem triſtitiã & laſsitudinem deſerti, vbi non eſt peccandi occaſio: quã omnem lætitiam ſaturitatẽ, & mũdi honorem & quietudinem, ſi in periculo peccandi ſunt. Eligite homines potius cũ feris crudeliſsimis in mõtibus viuere, quã in populis cũ peruerſis hominibus omni beſtia crudelioribus: potius inſpeluncis obſcuris cũ ſerpentibus veneno plenis in agro viuere eligatis, ſi cælũ & angelorum conſortium vultis filij Adæ, quã in domibus cũ mulieribus, aliquomodo reſpectis, vbi aliquid periculum peccãdi immineat animabus veſtris. Idco ego quaſi colonus in agro maneo, & quaſi vir vagus ſine hoſpitio vt de tam graui re admoneam vos, & veri imitatores mei, erunt, in ſolitudinibus errantes (teſte Paulo) & in ſpeluncis. Et deinde, quia pauper ſum ego à iuuentute mea, non habeo niſi nummos, ex mulierum eleemoſynis, quos miſi ad panem emendum, & ſic ad hoſpitium non pergo. Et etiam (vt ibi in Ieremia, reſpondeo) patior iſta, quia populus fidelis dilexit mouere pedes ſuos & affectus ad malum, & ad peccata perpetranda, & non quieuit nec ceſſare vult, & domino ſuo patri meo non placuit, imo valde diſplicuit. Ideo autem vt quieſcat à malo & non moueat pedes ad culpam & patri meo placeat

*Ad Heb. ii.*
*Pſal. 87.*
*Luc 8. A.*

ego

ego æqualis patri ſecundum diuinitatem, iuxta humanam natu
ram quam aſſumpſi, quaſi colonus ſum vt homines ſint ciues
ſanctorum: & quaſi vir vagus vt ipſi ſint domeſtici Dei, & abſq;
*Ad Eph. 2.* hoſpitio fatigatus ſedeo in terra, vt illis labore & dolore meo eę
*D.* lum in hoſpitium ſim lucratus. O Deus meus, cuius miſericordię
non eſt numerus, & iſta pietas tua nō obtinet nec ſatis eſt, vt om
nes peccatores à malo quieſcamus? Quid igitur facies, vt iam in
omnibus tibi & patri tuo à nobis placere obtineas, ſi tanta pietas
& labor non ſufficiunt?

*Simile.* Item, non vidiſti Ieremia, aliquem parentem bonum & ſenē
diuitem & prudentem, & in domo ſuavalde honeratum & quie
tum: & ab omnibus domeſticis ſuis famulatum accipientem, &
in omnibus abundantem? Contingit vt filij ſui aliquod graue de
lictum commiſerint, & videbis illum domum propriam relin-
quentem: & per vias & montes ambulantem ſudore plenum laſ-
ſum, & aliquando famelicum, in agro diætam facientem, & no-
cte ibi ſine hoſpitio manētem, & ad curiam labore & dolore per
gentem. Vbi multos maiores patitur dolores, atque labores, ab
vno conſilij regalis ad alium de mane euntem videbis, & dein-
de ad præſidem, ſuarum rerum & ſalutis diſpendio: accede ad il-
lum ſuſpiria mittentem & lacrymas tanquam potum bibentem
& gemitus emittentem, & interroga illum: quare vt vir vagus es
& ſine famulatu, homo dies & in domo tua ſatis honorate? De
*Iob. 16. C.* licta filiorum meorum (dicet tibi) ad talem me deduxerunt ſta-
tum: & ad horam ſextam ſine cibo. Ego ille pluſquam Iob, quon
dam opulentus in cælo, altiſsimi filius, omnium hominum pa-
rens per creationem, dies & honoratus, & ab angelis circunda-
tus magna me profequentibus laude, & in omnibus abundans,
repente contritus ſum: contigit vt homines filij mei, graue deli-
ctum contra patrem meum perpetrarent, & quia homo factus
ſum ad litem ſuam defendendam, ſatis diſpendio meo, reliqui do
*Ierē. 12. B.* mum meam (vt ipſe dixiſti) cæleſtem, manens in illa ſemper, ſed
per carnis aſſumptionem mundo apparens, dico quod reliqui il
lam, & dimiſi hæreditatem meam angelorum: cum tamen ſem-
per illos beatificem, & veni in hanc lacrymarum vallem, quaſi
vir vagus ſudore & dolore plenus, famelicus & ſitibundus & in
*Luc. 6. B.* agro pernoctans frequenter in oratione. Si cauſam ſuſpiriorum
meorum quæris, & vt quid gemitus loco panis manducem, &

lacrymas

lachrymas in potum, in promptu eſt: quia delicta filiorum meorum hoc meruerunt, & litem ſuam vitæ meæ diſpendio defendam: vnde addo, dedi dilectam animam meam, ideſt, vitã in manum inimicorum eius. Nam quid doloris eſt hoc quod vides, cũ illo quando de domo Annæ ad domum Caiphæ ligatus & alapa percuſſus deducat infamia plenus? Deinde à domo Herodis veſte illuſus, ad præſidem Pilatum, vbi flagellis diris vulneratus ad mortem, ſententiam crucis pro filiorum delictis ſubeam ego iudex?

Fatigatus, & laſſus & ex itinere, & famelicus ſedes in agro ſine hoſpitio Domine cœli? Veniat rex Dauid ad te in ſpiritu dicens: quam dilecta ſunt tabernacula tua Domine virtutũ & Angelorum, cum ſedeas in thronis cœleſtibus & Angelicis: concupiſcit anima mea regnum relinquere & ire in atria tua Domine, niſi quia deficit à virtute neceſſaria ad tã ſacra tabernacula poſſidendã: & quia clauſa erant hominibus vſque ad aſcenſionẽ tuã admirabilem: vnde cor meũ & caro mea exultauerunt in te Deũ viuum, venientem ad lares noſtros. Doleo tamen, quia te video vagantem in agro, ſine domo, ſine hoſpitio, ſed laſſum & fatigatum ſupra fontem ſedentem famelicum: quare ad populum nõ pergis Domine? Ibi domum inuenies ad habitandum & quieſcẽdum, abi hinc. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidũ in arbore vbi ponat pullos ſuos: & ego filius altiſsimi ſum ſicut paſſer ſolitarius hoſpitium in hominum cordibus non inueniens: & cum ſim turtur gemebunda pro alienis delictis, & triſtis incedens, quia homo occidit ſpiritum ſuum, neque in nitidis poto vndis nec in arbore viridi ſedeo, ſed ſupra fontem iſtam: rariſsimam inuenio animam in qua nidum ad habitandũ pergratiam componam, vbi pullos meritorũ reponã: ideo quaſi vir vagus hic in agro laſſus ſedeo & ad locum non pergo. Altaria tua Domine (ait Dauid) ſunt virtutum, & in animabus virtutibus ornatis tanquam in altari quieſcis: & cum rariſsime homo virtute decoratus inueniatur, nec mirum vt in agro maneas cum in populis non habeas tabernacula virtutũ inter homines: rex meus, & Deus meus: rex regum & ſine domo virtutum in terra? Deus meus & vbi caput inclines in cordibus hominum, ob bonorum operum defectum, non habes? Rex meus, & Deus meus. *Pſalm. 83.*

Perijt ſanctus de terra (vt dico per Micheam) in quo habita- *Mich 7. A.*

bo ego ſanctus ſanctorũ? Rectus in hominibus non eſt, quomodo inter illos conuerſabor? Omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur, cito homines ſanguinem meũ erunt inſidiati, imo effundẽt: quomodo potius cum beſtijs mihi non lędentibus, quam cum hominibus non habitabo? Viri perueꝛſi ad mortẽ cito me quærent, & in horto venationem de me facient ad crucem: nonne melius mihi eſt famelicum & fatigatum cũ ſerpentibus habitare venena ſua mihi non infundẽtibus, quam cum viris ſerpẽtibus crudelioribus? Fuge nociuã ſocietatem ſi ſaluari cupis ò homo, alias ne mirũ tibi videatur, ſi mortem incurras æternam: quia multi animam tuam inſidiãtur. Et ibi infra, qui optimus in hominibus eſt, quaſi paliurus eſt, ideſt, herba ſpinoſa & carduus, quaſi hærens pallio: vnde Virgilius in bucolicis, carduus & ſpinis ſurgit paliurus acutis: ſi qui inter homines videtur optimus eſt paliuro ſimilis, quid de aperte male viuentibus dicam? Quis lectum ſuum ſtrauit ſuper ſpinas? Quo modo ego delicatus iuuenis, & Deus ſimul, ſuper corda hominũ paliuris & tribulis crudeliora, hoſpitium recipiam? Et qui rectus videtur inter homines, quaſi ſpina de ſepe eſt. Vbi habitabo iuſtus Deus niſi in agro, cum in populis tã raros vere bonos inueniã? Altaria mea ſũt virtutibus ornata vbi ego quieſcere de ſidero, virtus perijt in omnibus fere hominibus, & non eſt qui tantum malum recogitet: quomodo in campis non ero? Dicamus cũ Eccleſia in defunctorum proſa quadam, deſiderio & cordis lacrymis Chriſto duci & paſtori noſtro laſſo ſedẽti & fatigato: quærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus, tãtus labor non ſit caſſus, in me & alijs fratribus domine mi.

*Simile.*

Igitur noſter redemptor fatigatus ſedebat, vt ſi ad illum accedere vis pro venia petenda & gratia obtinenda, nõ dubites quin illum inuenias cum ſedeat, & fatigatus ſedeat. Si dixiſſem pauperi homini & famelico & maxime regis indigenti auxilio: veni, ſi ad regem accedere cõcupiſcis, iuxta talem fontẽ adeſt non longe à loco iſto, expectans te vt magnã eleemoſynam tibi prębeat. Dices forſan, erit in equo veloci, aut curru agili quando ipſe pergam illuc, iam ipſe longe erit à loco in quo illũ vidiſti. Non erat in equo, pedeſter tui amore venit. Si ſtabat iam receſſerit. Erat ſedẽs, & fatigat⁹: perge ipſe & abſq; dubio illũ inuenies. Si hac veritate ſuppoſita talis ad regem ire noluiſſet, nonne merito

*Simile.*

rito pauper & mendicus & miſer maneret? Quid mirum vt pau perſis meritorum homo fidelis, & gratiæ inops, cæcus non vi dens mala tua, & charitatis veſte nudus, cum nolis ad regē regum accedere feruenter, vt ab ipſo virtutum & donorum eleemoſynam capias, valde deſiderante diuitem meritorum te face re? Eia pauper, veni quia rex expectat te, cuius auxilio maxime indiges, & cum ſit ditiſsimus dominus, multa dona tibi per ſe promittit, ſi vis venire ad ipſum pœnitentiæ paſsibus. Vbi eſt? Vbique. Si eſt in cœlo, quis aſcendet ad illum? Veni quia iam tui amore deſcendit in terram ſi eſt in curru igneo vt Elias, quis audebit accedere ad illum. Veni quia pedeſter eſt. Si iam diſceſsit. Non, quia ſedens & fatigatus fuit, & modo ſupra fontem ſacramentorum eſt, expectans te ſedens vt ſedem tibi in cœlo cōferat: fatigatus fuit vt tollat peccatorū tuorū laborē: ſitiens fuit vt aquam gratiæ tibi conferat: famelicus vt panem beatitudinis præbeat. 4. Reg. 2. b.

Surge à culpis miſer, voluptatis mendice, perge cito ad tantum regem, dum tibi facultas conceditur, & ſedentem ipſum inuenies, quem ſi mors tibi venerit, iam ad ſalutem non repe ries: vade ad illum antequam ad Galilæam pergat. Si non vis ad illum ire ſupra fontem ſedentem ſudore madidum, perge in oli uarum hortum vbi in qua nocte traditus eſt, fatigatus in agonia, non ſedens, ſed ſuper faciem proſtratus orans & plorans, ſudore ſanguineo correptus expectauit te an orares, & in virtute vigilares vt ne intrares in tentationis conſenſum, vt ſic in agonia tua bene tibi eſſet. Veni cito & innumera dona tibi conferet ibi, & nō fugiet qui obuiam exijt inimicis volentibus illū ad mortem ligare, duci nempe maligno ludæ & ſuis peruerſis militibus: quomodo fugiet à te ſi vis merita paſsionis eius pœnitendo, vigilando, reſtituendo, & plorando, obtinere? Si alegatiā à fonte receſſiſſe, iā ab horto captū ductū fuiſſe, abi in caluarium locum, vbi illum non ſupra fontem ſed in cruce, non ſedentem ſed clauis affixum vnde non fugiet inuenies tamen ſe dens Chriſtus ſic fatigatus, laborans. & famelicus & te expectās vt dona conferat tibi & à malis defendat: conqueritur de tua de fidia, qua petere neceſſaria tibi negligis dicens per Dauid, perijt fuga à me ſedente ſupra fontem, ſudorē inter oliuas emittente, Luc. 22. E. Ioan 18. A Pſal. 141.

& in crucis lecto clauis confoſſo exiſtente, & expectante homines vt dona à me petant: & tamẽ quod ſint tã ſui obliti filij Adę vt non ſit ex illis qui requirat animam meam & vitam meam, vt à me animæ vitam recipiant?

Sedeo ſupra fontem tanquam omnes mundi voluptates calcans & contemnens: vt ſcias homo omnia mundi gaudia vana & velut aquam tranſeuntem cõculcare & nihilo pendere, & ſub ter te habere: vnde quia è contra fideles facere video, vana in pretio habentes & ſuper animam ſuam: vtilia contemnentes & virtutes conculcantes: vitia ſuper caput ponentes, me caput eorum ſubter pedes habentes, acſi illorum amore fatigatus & laſſus nõ eſſem: ideo magis hoc quam laborem meum ſentio. Vnde dicebat quidam, vere omnibus ſuperſedet Chriſtus ſedẽs ſupra fontem, omnia intelligit, omnia nouit, & amor eius ſuper dominatur rebus, non ſubiacet: nam ſpiritus eius ferebatur ſuper aquas, velut amor non ſubiacens rebus, ſed prælatus exiſtens. Sedebat ſuper aquæ fontem velut nouus magiſter, nouam cathedram tenens: docturus in aquis tormentorum aliquo die in cruce ferendis ab ipſo, contemptum omnium rerum labentium, omni labore poſtpoſito. Alter iſte noſter Moſes ſanctus, imo lõge melior illo qui fuerat ab aquis aſſumptus: cum nunquã in peccati aqua per inſtans, etiam quo ad humanitatem fuerit, nec poterat eſſe, qui ſub pedibus aquas habebat: & vox illius ſuper aquas, vt verbo illas conſecraret ad ſordes animarum abluendas: docẽdo nos omne caducum conculcare, & tribulationum & dolorum aquã, contemnere.

*Gene.1.A.*

*Exod.2.B.*

Sedebat igitur ſupra fontem & fatigatus, & addit Euangeliſta notabile, ſic. Quid vis nobis ſignificare Ioãnes dicendo ſedebat ſic? Quomodo ſedere debebat? Sedebat ſic, quieſcens corpore pro vt erat fatigatus ex itinere: laborem ex itinere, quietẽ corporis ex ſeſsione oſtendens. Sedebat ſic (ait Euthy.) videlicet, prout ſeſe locus offerebat: vel humi, quia omni faſtu carebat. Sedebat ſic: quomodo ſic? Sic, tãquã laſſus, vt defeſſus: ſic vt fatigatus: ſic vt famelicus: ſedebat ſic vt ſitibundus: ſic vt dolens de noſtris vijs prauis, à quibus quieſcere nolumus: ſedebat ſic fatigatus, vt amplius ad malum pergere nolis: cum videas gaudiũ tuũ momentaneum tam care emptum à Domino tuo: tantoque ſudore ablutum, tanto labore ſolutum. Item ſedebat ſic, vt vnuſquiſq;

quiſque illo opus habet & indiget. Quo ſitu & quo modo tu homo Deo indiges? Vt me fatigatū pœnitētiæ auxilio adiuuet. Sedebat ſic fatigatus, vt te reficiat & pœnitentiam veram perficias. Quomodo illo indiges? Vt famem caninam rerum tranſeũtium quam habeo in me tollat. Sedebat ſic famelicus, vt in hoc adiuuet te, & vt fortitudinem ieiunandi conferat: ſedebat ſic labore feſſus, vt laborare in virtutibus diſcas: ſi pauper es, pauper ſedet Chriſtus: ſic ſedet vt tibi in omnibus opus eſt. O vtinam ex hac Chriſti Domini ſanctiſsima ex itinere fatigatione, omnis fidelis diſcat itineribus mentis ſe fatigari: cogitando futura, & præterita plorando, & in vtriſque magnam cautelam ſeruando. Eſto homo & ipſe fatigatus pauliſper, in cogitatione tali, quo modo inceſſanter ad mortem pergis & Dei iudicium: onera corruptionis portans, frequentans peccatorum vias, quibus inuitabiliter motu proprio & peruerſo pergis in infernum, ad illos damnatos qui ambulauerunt vias difficiles & malas: nam lubrica ſunt veſtigia tua ad malum, videntur tibi, ſi oculos habes, itinera iſta parũ moleſta, quorũ cõſideratione nõ debeas fatigari: cũ cauſa iſtorum itinerũ tuorum magnus gigas Chriſtus ſic fatigatus ſedebat, cum eſſet Deus & omnipotens, & fortiſsimus homo? Quid ipſe vilis & homo fragilis cogitas faciendum in vijs tam difficillimis? Sede à culpis, & ſede conſiderando tam moleſta itinera, vt ſic ad horam fatigatus ſedeas. *Sap. 5.*

Fatigatus iã ſede ex tã nociuo itinere, quomodo hucuſq; ambulaſti, cum nil rectum, nec Deo dignũ fere in vita tua præterita feciſti: ſed ambulaſti vias ſcelerũ difficiles, atq; labore plenas, & viã Dñi ignoraſti: non incedis iter rectum ſed tenebroſum mortis caligine coopertum: infames fuerunt greſſus tui contra Dei honorem, & non in laudem tuam: peruerſæ ſunt viæ tuæ, cũ ſint Deo & animę tuę aduerſę. Pedes tui veloces ſunt ad omne malũ, tardi ad opera charitatis exercenda: curſu agili curris ad ſanguinẽ pauperũ effundendum, & malis contractibus fugendũ, imo ad conculcandum Chriſti ſanguinem: & ſi vides fures honoris, mulieris alienæ, aut rerum, ſtatim verbo aut conſenſu, aut opere curris cũ ipſis, adiuuando cõſilio, & opere imitando: nec vis immaculatus perlegẽ Dñi ambulare: non ne tibi videtur, iſtas eſſe magnas fatigationis doloris & lacrymarũ cauſas? Põdera iſtatria litera ſic, vt ſic Deus dilexit mũdũ. Fatigemur igitur omnes, iſtis malo- *Prou 2. C.* *Pſalm. 49.* *Ioan. 3. B.*

malorum itineribus tali consideratione in intimis nostris, cum omnes declinauimus à via recta: fatigetur & corpus nostrum vestigia saluatoris imitãdo pro posse, cum illo fidelissimo Dei ser-
*Iob.23.C.* uo Iob patientissimo dicente: vestigia eius secutus est pes meus viam eius custodiui, & non declinaui ex ea. Fœlix ille homo fidelis, qui ita vere cũ Iob poterit ista proferre verba dicẽs: vestigia Christi spiritualia mẽte, & corporalia laboribus & ieiunijs secutus est pes mei affectus: viã mandatorũ custodiui, nõ declinaui
*simile.* ex ea peccãdo, postquam Dei adiutorio ad veram pœnitẽtiam perueni. Sedebat deniq; sic diuin⁹ magister, vt auceps facer qui cõsiderat ceruã veratro infecta sagitta percussã, quę ad fontẽ venire debebat aquã voluptatis desiderãs, vt verbi sui sagitta, ex co
*simile.* rito aut pharetra cordis sui educta, elleboro tincta amoris, ipsam percuteret, vt sanaret illam. Sedebat supra fontẽ, velut auceps aues rationales aucupaturus in retibus verbi sui, in quib⁹ vna mulier fornicaria pręcapta, index ad capiẽdas alias vt colũba facta est, vnde si à Christo per gratiã capi desideras, anis paupercula & anima fornicaria, quæ ad voluptatis potũ quotidie pergis, & à
*Psal.90.* laqueo venantiũ dęmonũ liberari: ad fontẽ sacramentorum cito veni debito modo, nam ibi absq; dubio stat filius Dei sedẽs sanguinem suum dare desiderans & merita suæ passionis.

*text.* ¶Erat autem hora quasi sexta.

IAm transeunt vltra mysteria & vt ait Augustꝰ. fatigatur autẽ Iesus & fatigatur ab itinere, & sedet, & iuxta puteũ sedet, & hora sexta fatigatus sedet: omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt magna intentos nos faciunt, vt pulsemus hortantur, ipse ergo nobis veritatem aperiat, qui dignatus fuit fatigatus tali hora nostri amore sedere. Sedet hora sexta, quia in sexta ętate venit filius Dei mundum redimere: & quando à Pilato morti adiudicatus & cruce onerosa fatigatus exiuit Iesus per portam iudicia-
*Ioan.19.C.* riam, in eum qui dicitur caluariæ locum, dicit idẽ Ioannes, erat hora quasi sexta: vt intelligas lassitudinem Iesu & iter eius, esse ad nostram redemptionẽ. Quis dubitat quin recordatus es Domine Iesu, quando fatigatus tali hora sedebas supra fontem ipsiusmet horæ sextæ, qui, non peractis duobus annis in alia feria sexta fatigatus, non sedens sed clauis affixus, stare debebas

non

non certe in fonte ſed in cruce de ſiti cõquerens, diſcipulis fugiẽ tibus non vt cibos emerent tibi, ſed vt ſolatium vllum tibi non relinquerent: quando non mulier Samaritana adfuit ad aquam præbendam, ſed Synagoga felle & aceto potando te: & forſan hac de cauſa euangeliſta horæ ſextæ mentionem fecit, hanc fatigationem cum illa conferens. Ioan. 19. E.

Hora autem erat quaſi ſexta, hoc eſt inſtabat meridies: quia iuxta Iudæorum morem, ſexta hora meridies eſt: partiuntur enim diem in duodecim horas ab ortu ſolis ad occaſum. A circunſtantia temporis videtur euangeliſta ſignificare ſitim Chriſti: ſolet calor diei meridie maxime feruidus eſſe, ac ſitim inducere: & dominum non ſolum itineris labore, verum etiam æſtu meridiano denotat fuiſſe fatigatum: cum iam ſol vergẽs admeridiem, æſtu ſuo laboris moleſtiam conduplicet. Sed magno myſterio nõ caret quod hora ſexta Dei filius fatigatus exiſtat, p. hominũ ſalute: ſexto die homo primus factus eſt: & eodem peccauit & damnatus ad exilium eſt: quaſi hora ſexta ad auram poſt meridiem, audiuit dominum: ſexta ætate à Chriſto eſt requiſitus: hora ſexta quaſi colonus & exul ſedet fatigatus ſupra fontem, & hora ſexta in crucem eleuatus, vt ſic cœleſtis & ſecundus Adam primum terrenum & nos fideles ad patriam noſtrã reduceret. Gene. 3. B.

¶ Venit autem mulier de Samaria haurire aquã. Text.

LYra dicit Samariam non ciuitatis nomen ſed gentis vel regionis fuiſſe: quia iſta mulier erat de ciuitate Sichem, quæ tunc metropolis erat Samaritanorum: quia Samaria iam deſtructa erat, & reædificata dicebatur Sebaſte: lege de his Ioſephum. Detractores, canes rabidi, diſcite à ſacro euãgeliſta neminẽ, quãtunuis malũ infamare: quãuis mulier iſta ſcortũ eſſet, honeſtius tamẽ vocat illam mulierem: ô charitas quæ doces aliena delicta velut propria occultare: imo facis propria cõfiteri, & aliorũ cooperiri: doces te poſsidentem neminem iudicare, quantunuis peruerſum, quia paruo tempore Deus ex maligno in bonum, & ex ſcorto in honeſtam reddit mulierem. O malitia hominum noſtri tẽporis. quæ non ſolũ peccatores infamia reſpergit, ſed etiam iuſtos inhonorare non ceſſat: o detractores Deo Lib. 11. Cr. 13. antiqui. Ad Rom. 1. D.

odibiles,conſiderate mutationem & viciſsitudinem Dei, vt infamare nolitis aliquem etiam malitia plenum:cito enim poteſt, Dei gratia,in ſanctũ cõuerti. Aperite oculos fideles,qui degentibus ad Chriſtũ veniſtis per verã fidẽ, vt operemini iuxta credita:quia in iſta muliere iam Eccleſia ex gentibus ſicut in Chananea veniebat ad Chriſtum Dominum:non iam iuſta, ſed iuſtificanda vt mulier ipſa: & inde non ſic admiratus eris quare tam ſacrum,profundum & admirabilẽ dialogũ ſapientia patris & altiſsimi filius cum muliere peccatrice habuerit. Quia typũ Eccleſiæ à gentibus venientis gerebat deſiderio magno, quam diligere nec dum alloqui imo pro illa mori debebat: & omnis anima à Deo electa ad viſionem ſuam,facultatem habet cũ ipſo Deo ſuprema negotia tractare:præcipue ſi quod in ſe eſt fecerit.

Veniebat mulier iſta ad aquam hauriendam quæ ſitim potatã extinguebat ad horam,non tamen ad ſemper , quia cito alia maior ſitis inſurgit: & tamen inuenit creatorem aquæ viuæ,& illam ſibi gratis & vltro promittentẽ:aliud quod inuenit quærebat,aliud quod merebat accepit. Multoties certe,ob Dei bonitatẽ,multi peccatores vitia quærentes & culpam,virtutes & gratiã
*Actu.9.* inuenerunt,vt in Paulo patet & Matthęo:&cũ digni omni ſup-
*Matt.9.8.* plicio eſſent beatitudinẽ inuenerunt vt latro in cruce pendens.
*Luc.23.F.* Et multi aquã voluptatum, non ſatiantem animæ capacitatẽ, quærentes in ſubitaneo tempore à Deo mutati ſunt:vnde aquã
*1.Reg.9.c.* gratiæ ſalutarem receperunt. Saul quærebat aſinas patris, & reg
*&.10.A.* num Iſrael inuenit: & multi vitia paterna ſectãtes, à Deo tracti ſunt & conuerſi,vnde regnũ gratiæ hic & poſtea gloriæ à Deo optimo accepunt. Interrogare tamen cupio hanc mulierem vnũ verbum : multoties ad puteum iſtum vel fontem veniſti ad aquam hauriendam labore brachiorum & pedum : hauſiſti aquam,bibiſti,ſitim ad horam tuliſti:quomodo iterum venis ad hauriendam aquam & amphoram vacuam reportas? Quia iſta aqua non tollit ſitim perpetuo & ad ſemper,ſed ad paruũ tẽpus: interrogo te voluptati venereæ tradite, nonne multoties ad puteũ luxurię fœtidũ veniſti,vt inde aquam voluptatis cœnoſam multo cum labore haurires? Veni,& hauſi, & bibi,ſatis honoris mei & vitę diſpẽdio. Tuliſti cõcupiſcentię ſitim bibendo & maledictã cogitationem opere adimplẽdo ? Ad horam miſerã viſa fuit quieſcere ſitis. Quare & modo amphoram animæ tuæ omni

ſola-

ſolatio vacuam reportas: iterum ad tam mortiferam voluptatis aquam tanto diſpendio hauriendam? Quia ſtatim vacua manſit anima maiorem ſitim concipiens. O ſtultitia tam nociua quam vſitata: nõ diſces homo exemplo huius mulieris ad puteũ reuertentis amphoram vacuam portantis: vt vltra delicias fictas bibere renuas animam vacuam omni virtute relinquentes? Heu quã plena aere & cœno immundo eſt omnis anima hominis adulteri, quamque omni virtute vacua.

Quid aqua putei (ait gloſſa hic) niſi voluptas huius ſeculi, quę quaſi de profundo (dico ego inferni) extrahitur, ſubmiſsis & inclinatis ad eam hominibus, ſcapulas cœlo & Deo, & virtuti vertentes, præmiſſa concupiſcentia quaſi hydria: imo & anima ſubmiſſa ad inferni tenebras: tamen ſemper illam vacuam inuenies in fine voluptatis & in fine anni velis aut non, vnde ſatiatus non eris: & ſic cum hac muliere iterum ad putridam voluptatis ciſternam animam omni ſolatio, & gratia, & lætitia vacuam & deſtitutam reportabis. Caue ne in tali ſtatu ductus ſis ad Chriſti tribunal animam vacuam habens virtutibus & gratia: alias tormẽtis & amaritudinibus repleta erit. Iſta mulier etſi vacuam portabat amphoram, venit in tempore ad Chriſtum fontem viuũ potentem & volentem animam mulieris replere bonis, vt & fecit: accede & ipſe peccator ad ſacramentorũ fontẽ vbi Chriſtũ inuenies ſanguine ſuo animam tuam lauantẽ, & donis illã ditantem. Audacia magna fuit huic mulieri vacuam corã Chriſto amphoram animæ ſuæ portare: tamẽ maior abſq; ſimilitudine eſt, velle coram ipſo Deo illam aqua voluptatis replere, cum audeat corã illo tot laboribus aquam ex puteo haurire animam non ſatiantem. Vtinam multi audientium me non fuiſſent, qui hanc audaciam multoties ſint perpetrati: malum & dolendum eſt, te aquã voluptatis tãto labore & animæ tuæ diſpendio, & ſanguinis Dei flagellis effuſi iactura quærere: ſed quod deteſtandum eſt, & in ſtuporem vertit, eſt te ſemper vacuam omni bono animã tuam coram Chriſto portare, & in præſentia tanti iudicis non vereri iterum atq; iterum tam fœtidiſsimam voluptatis aquam hauire: in magnam illius injuriam, & in graue animæ tuæ damnum, & aliarum multarum detrimentum. Et audiens iſta audebis amplius coram Domino (non audens coram puero) talem educere aquam? Iſta mulier ſemel auſa fuit coram tanto rege aquam

non ſatiantem haurire, & non amplius, ab ipſo admonita: quæ inſania cor tuũ inuaſit infelix homo, vt non timeas Dei præſentiam nec homines reuerearis: quin non ſemel ſed multoties coram iudice rigidiſsimo hoc vetãte, audeas tam execrandã aquã haurire? iam igitur prima voluptatis aqua diſparuit, alias non venisses haurire aliam, vt iſta mulier, ſic erit de alia & alia aqua interuertere, & dimitte audaciam coram tãto Domino tam toxicatam haurire aquã: vt præbeat Ieſus mihi & vobis aquam gratiæ ſalientis in vitam æternam. Amen.

# Homilia Tertia.

Ioan. ¶ Da mihi bibere.

Vm primum mulier ad puteum acceſsit, amphoram ligauit, ſine ſalutatione ad Ieſum, quia ipſa poſtea de hoc arguit illum, quare loquebatur illi: dimiſit in puteum & hauſit aquam, & cũ iam vellet recedere onerata ex aqua, ſitim ad parum temporis tollente: diuinus medicus modeſtia ſua vtens, & miſericordiam exercens erga infirmam auiculam, vertit oculos ſuę pietatis ad illã, quã ſic allocutus eſt. Incola ego ſum, & quaſi vir vagus in terra, fatigatus certe ex itinere longo, quia pedeſter veni: expecta mulier ne tam cito recedas quia opus mihi es, & ego magis tibi ſum neceſſarius: quieſco laſſus ex labore, famelicus ſine pane, & tamen etiã ſi ieiunus ſum, magis à ſiti torquetur cor meum: quia ſitis magis quam fames hominem affligit, ob calorem naturalem fortius agentem contra humidum radicale ratione ſitis quã fames, vnde leuius toleratur fames quam ſitis ab homine: & quia, vt vides, ſol in altitudine diei eſt radios ſuos calidos aduerſum nos emittẽs. Socios ad ciuitatem ad panẽ emendum profecti ſunt & morã faciunt, ego hic fatigatus ſedi, expectãs ſi quis aquã ad hunc fontem educturus accederet: voluntas Dei fuit, vt tu primo me hic ſedẽte ò mulier, aduenisſes: ſitio certe ob itineris laborem, & ieiunij ratione & caloris, oro te vt des mihi parũ aquę vt refrigerem linguã meã, quia crucior hac ſiti. Parũ eſt quod peto, maiora tibi conferre poſſum: imo qui daturus

rus ſanguinem meum tibi venì in mundum peto aquam à te, vt maiora à me petas. O Chriſti bonitatẽ qua motus, minora ſemper à nobis petis vt maiora nobis tribuas: iſtam mulierem irretire ad petionem magis deſideras, quam corporis tui ſitim extinguere. Non enim legimus poſt omnia ibi habita potum aquę ab iſta te ſumpſiſſe: non tibi tantæ curæ aqua illa erat, quãtũ optabas fatigatus ex itinere in animarum potu refrigerium accipere: non in illius aquæ hauſtu ſic ſolatium tuum conſtituebas, ſicut in tollenda ab illius anima voluptatis ſiti ob quam ipſe fatigatus, & famelicus atque laſſus eras.

Baſilius in epiſtola ad Amphilochium epiſcopum: da mihi bibere, vox eſt corporalem neceſsitatem exprimens: & tamen is qui petebat non erat caro inanimata, ſed deitas carne animata vtens. Quid tamen hoc eſt mãſuete agne, fons hortorũ cœleſtiũ, à fontali paterno per generationem manans ab æterno, & Angelos ciues cœleſtes tuis donis inceſſanter irrigans, & montes beatos de ſuperioribus tuis bonis: quare prius ipſe aquam petis à muliere, cui magis gratiæ potum dare deſideras, quam ipſa à te petat? Expecta Pauliſper Domine, vt ipſa prius aquam gratiæ à te petat viuam, & tunc facilius obtinebis ipſam, aquam voluptatis ſuæ quam valde optas extrahere ab illa: huc tendit tua petitio, & huius aquæ eſt ſitis tua. Prius ipſe Angelorum caſtitas aquam cœnoſam à muliere ſcorto petere incipis quam ipſa petat à te aquam gratiæ qua omnes animi ſordes abluat. Da mihi bibere, quia ſi ego prius à te non petiſſem, & alloquutus fuiſſem, ipſa à me aquam tibi neceſſariã non poſtulaſſes, nec verbũ eſſes locutus cũ Iudæi ſic gẽtiles & Samaritanos contẽnant: &, vt ipſa dicis: Iudei nõ coutantur Samaritanis. Deinde, es tã aſſueta hanc voluptatis aquã bibere & tã diu, vt nec in mentem tibi veniat aqua gratiæ ad deſiderãdam, & petendã illã: imo magis cœnoſam luxuriæ quam Dei amicitiæ aquã eſtimas quæris & diligis. Et etiam quia neſcis me talẽ gratiæ aquam dare poſſe, vnde opus eſt vt ipſe doceã petendo tuã fictã: vt ſic meã veram ſcias & illam optes: &, quia impoſsibile eſt aliquem peccatorẽ aquã gratiæ à me petere efficaciter & ad obtinendã illam quandiu in mortali delicto iacet, niſi prius ipſum fuerim allocutus gratia mea prẽueniente: tanquam illi dicẽs, da mihi bibere conſenſum tuũ ad bonũ & ad contritionẽ & peſsimę aquę deteſtationẽ ò homo, &

*Fol. 762.*

*Pſalm. 103.*

mo,& præbe mihi bonum vſum liberi arbitrij tui, peccatum odiendo,& virtutem ſequendo: vt ſic aquam gratiæ gratum facientis obtinere à me valeas.

Ideo prius ego aquam peto ab iſta muliere, quia nunquam ipſa prius ad ſalutem petijſſet: & vt aliquis ne impediat illius conuerſionem, præuenio ego illam vt dicat, miſericordia Dei
*Pſalm.58.* præuenit me. Heu quam innumeri peccatores ſunt hodie in voluptatis cœno defixi, qui nolunt à Deo aquam gratiæ petere, exiſtimantes ſtulti aquam voluptatis ſuæ putridam, aut alterius vitij ob conſuetudinem prauam & obſtinationem ſuam
*4.Reg.5.C.* meliorem eſſe quam gratiæ aquam: & dicentes cum Naaman leproſo, nunquid meliores non ſunt Abana & Pharphar fluuij Damaſci omnibus aquis Iſrael? Ideſt aquæ voluptatũ noſtratũ, non ſunt maioris valoris & dulcedinis quam amicitiæ Dei fons? Hoc facto & opere dicitis peccatores, cum maiori diligentia & deſiderio illas nociuas aquas quã viuam aquam gratię quęratis: vnde nec in mentẽ veniet multis peccatoribus, ob ſuam obſtinationẽ, benedicta gratiæ aqua: & ſic neceſſe eſt vt benignus Deus prius obuiã exeat illi dicẽs, da mihi bibere quod animæ tuæ nocet, vt petas à me quod illam decet & ſatiet. Da mihi cõſenſum tuum, vt ego dem auxilium meum, ſine quo impoſsibile eſt, vt peccati aquam deteſteris & odio habeas: ſine qua deteſtatione culpæ in adultis ego gratiam non confero: & tamen cum ſis infirmus & ego medicus, prius medicinam offero quam ipſe deſideres, necdũ petas, necdũ illa dignus ſis: quia video te valde negligentẽ in hoc: & quia ſi non offero prius ipſe nõ petes: & quia
*Luc.15.E.* nolim vt aliquis ſalutem tuam impediat. Ideo dico ego patrem filij prodigi obuiã illi veniſſe, antequam interceſſores filius diſſipator miſiſſet ad patrem, ne aliquo dicẽte, pater tuus iratus eſt contra te, iterum receſsiſſet, & ad porcorum cuſtodiam reuertiſſet: vt oſtendam me prius ad peccatorem mea miſericordia accedere, quam ipſe illa dignus ſit: & vt nemo eum terreat. Quis veſtrum auſus fuiſſet me alloqui prius, quando infenſum & ad iram concitatum me habetis: niſi gratia mea præueniens vos prius fuiſſet allocuta? Da mihi bibere anima vitio tradita.

Quid eſt hoc fons infinite de paradiſo eſſentiæ patris per ge-
*Apo.22.A* nerationem procedens ab æterno, imo de ſede patris & te agno fluuius paracliti procedit: quomodo fatigatus parum aquæ à

mulie-

muliere & tali petis, ſedens iuxta puteum. Torrente voluptatis tuæ Angelos recreas in cœlo, & potabis homines beatos (teſte Dauid) quoniam apud te eſt fons vitæ, ideſt eſſentia Dei eſt tibi communicata à patre, etiam ſi alia ſis perſona à patre, ideo dicit apud te, iuxta illud Ioannis, & verbum erat apud Deũ: ipſe fons vitalis es à quo omnis vita procedit, ſine quo omnes moriũtur: quare ergo fons vitæ cum ſis parum aquæ mortuæ & parui pretij à mortua in culpa & mortali muliere petis? Sum fons vitæ & ideo aquam mortuam peto, vt quilibet illam mihi contritione debita dando, obtineat à me aquam, vitã gratiædantẽ: & qui non dederit mihi aquam peccati nociuam per veram confeſsionem de torrente voluptatis meæ cœleſtis non potabit. Da mihi bibere, ò fluminum & maris creator, inuitaſti ipſe omnes homines dicens, venite & bibite vinum quod miſcui vobis: & modo parum aquæ inſipidæ petis à tali muliere? In Cãticis de te dicitur, fontem hortorum te eſſe, & puteum aquarum viuentiũ quæ fluũt impetu de Libano. Iſaias inuitat omnes fideles dicens, haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris, ideſt aquas donorũ & gratię de vulneribus tuis (vt ait D. Bernar.) quomodo fons aquam petit? Quomodo puteus viuus aquam mortuam à muliere poſtulat? Quare habens fontes petis bibere? Ipſe dixiſti, omnes ſitientes venite ad aquas donorum & gratiæ: & modo petis aquã ab iſta muliere miſera? Stabas in nouiſsimo die magno feſtiuitatis clamore dicens, ſiquis ſitit veniat ad me, & bibat & flumina aquæ viuæ promittebas, & modo parum aquæ petis? Vt quid ante cibum, potum aquæ frigidæ ſtomacho nociuũ petis?

Da mihi bibere mulier, primo quia ſitim certe habeo ex itineris labore calore, & ſudore: tamen magis peto vt homines in operibus charitatis exerceantur quibus valde delector: cum affirmẽ mihi feciſſe, omne opus quod minimo pauperi fecerint: & promittam dicens, quiſquis potum dederit cuilibet fideli calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Chriſti eſt, amen non perdet mercedẽ. Et in iudicio dicã venite benedicti, quia ſitiui in paupere, & dediſtis mihi bibere, quid ſi panem aut veſtem inopi dederis dicam? Recedite à me maledicti, quia ſitiui & non dediſtis mihi potum in paupere: vt omnes intelligant me multũ deſiderare opera charitatis erga proximos & quaſi mihi data reputare, ideo dico da mihi bibere. Omnia quæ portas mea ſunt: reſtis

P ſalm. 35.
Ioan. 1. A.
Prou. 9. E.
Canti. 4. D
Iſai. 12. A.
Ibi. 55. A.
Ioan. 7. F.
Matt. 25. F.
Mar. 9. F.
Matt. 25. D

ſtis qua aquã haurire debes mulier, mea eſt, & aqua ipſa, & amphora, & brachia quibus haurire neceſſe eſt: igitur quid mirum vt potum mihi præbeas? Panis meus eſt, tu ipſe homo totus meus es à me creatus & redemptus: quid mirum vt de mea ſubſtantia ipſe meus mihi in paupere exiſtenti eleemoſynam præbeas? Deinde ſecundo da mihi bibere potum fidei, quem in nomine Eccleſiæ primitiuę quã de gentibus eligã cito à te peto (vt ait gloſſa,) vt in me credas: & deinde potum rationis à natura tua peto: vt ſic bonitatem meam agnoſcens & ingratitudinem tuã erga me exercitam conſiderans: mihi lacrymarum potum porri
*Matt.5.A.* gas, quem certe valde à peccatoribus exopto. Beati qui lugent peccata ſua & aliena in hac lacrymarum valle: quoniam ipſi cõ ſolabũtur, in patria, vbi non eſt luctus aut dolor nec vę. Da mihi bibere anima gaudio vano tradita, parum aquæ lacrymarum ex corde vero & dolore peccatorum velut prelo preſſo: quia valde
*Luc.7.F.* refrigerat me Deum tuum talis potus ex corde procedens: vt in muliere quondam peccatrice eſt videre: vnde pro ſuis lacrymis aquam gratiæ viuam accepit: ſicut omnis peccator, qui vere mihi lacrymas vera contritione effuſas in potum dederit, accipiet.

Tamẽ da mihi bibere mulier, aquam voluptatis tuæ venenatam, & animam tuam faſcinatam habentem, & occiſam: reuera hunc potum ego peto, & talem potionem tibi amariſsimam & mihi dulciſsimam valde deſidero. Quia cum ieiunus ſim non ſic aqua elementari indigeo, ſed ſitio & valde ſitio aquam delicia rum tuarum, quibus Deũ offendiſti, & animam tuam occidiſti: nõ vt talibus delicijs vtar, ſed vt igne caloris mei & charitatis cõ ſumã & deſtruam illas, ne Deo patri meo iniuriam irrogent, & tibi mortem ſine fine. Nemo delicijs affluens torrẽte voluptatis meæ cœleſtis erit potatus: niſi prius in hac vita contritione & lacrymis ipſas voluptatũ aquas mihi in potũ dederit, per legitimã confeſsionẽ, in re vel in voto ſi ſacerdotis copia haberi non poſſit. Fons infinitus ſum, ſed tamen hortorum, & animorum bonũ virtutis & famæ odorem ex ſe emittentium: quod facere non poteſt homo, quandiu aquam voluptatis ſpurcam in anima retines: reijce talem fœtorem, ò anima, ſi es puteo aquarum viuẽtium bibere cupis: da mihi bibere aquam mortuam & fœtidam legitime confitendo, & in aquam gratiæ viuam & odoriferam conuertam illam: vt ſic hortus meus ſis. Si de fontibus vulnerum

meo-

meorum & flagellorũ, aquas donorum cũ gaudio haurire deſide
ras: prius aquam voluptatis mihi præbe, ob quam deſtruendam
flagella ſuſtinui: alias triſte gaudiũ ſuper te in morte veniet, quã
do de cauernis fœtidis inferni haurias tormenta delictis tuis digna. Veni ad aquas meas gratis datas cum nil petam à te, niſi potum aquæ putridæ nempe voluptatis: ſi gratiã meam ſitis & vis, da mihi potum quem ego non habeo, nẽpe deliciarũ caducarũ. Peto quod non habeo, promitto tibi id quo cares: da mihi quod habes, nẽpe culpam vere confeſſam, & accipe gratiã qua cares: ideo ante cibũ potũ peto: quia nullus poteſt cibũ corporis mei digne ſumere, niſi prius potum peccati ſui vere confeſsi deberit mihi: neq; quis poteſt meus cibus eſſe in cœlo, qui prius nõ deberit mihi potum peccati ſibi nociuũ contritione vera in terra.

Quis eſt homo qui vult vitam gratiæ, & diligit dies videre bo *Pſalm.33.*
nos in cœleſti patria ſine fame & ſiti perpetuo exiſtens? Veniat ad me fontem viuum altiſsimi filium, & det mihi bibere vitium ſuum & aquam peccati amarã illam deteſtando, odio habendo, plorando, & vere confitendo: & ego in dulcedinẽ gratiæ conuertam illam tali vere pœnitẽti. Da mihi bibere talem aquam ſatiſfaciendo integre, & quod magis deſidero vt amplius non bibas, imo nec guſtes tam execrandam peccati aquam: ne mireris anima fidelis, de hoc, quod tam grauiſsimus Angelorũ rex & omnium Dominus, petam à te tam vilẽ potũ & aquam amariſsimã vt eſt peccatum, nam ſi interrogas me, vt quid de cœlo deſcẽdiſti humanitatem accipiendo? Quare in medio hyemis natus frigori expoſitus fuiſti Domine? Vt à te obtinerem iſtum peccati potũ? Vt quid tot labores, & ſudores, infamias flagella & illuſiones perferre voluiſti? Vt des mihi bibere aquã vitij tibi nociuam perverã confeſsionẽ, ideo tantos tuli labores, quod oſtẽdo facto iſto: quando fatigatus famelicus, & ſitibundus potũ aquę ab iſta muliere peto: da mihi bibere. Solũ hoc peto, tantũ ſuccurrite ſiti meę: animas veſtras à veneno culpę liberãdo meo auxilio: date mihi potũ peccatorũ veſtrorũ in amaro contritionis calice, & in vaſe cõfeſsionis laborioſo: & reuera ego bibam illa delicta melę dere nõ valentia, & aquã gratię viuã in ſolutione reddam vobis. Quis talẽ mutuũ audiuit? Da mihi bibere & ideo dico da quia cũ omnia eſſe habentia mea ſint, prẽter peccatũ iuxta illud, ſine ip *Ioan.1. B.*
ſo factũ eſt nihil ideſt peccatũ, nihil exiſtẽs in natura, & omnia

habeam

habeam præter peccatum, da mihi quod non habeo & accipies
Luc. 12. E. à me omnia quæ possideo & super omnia bona mea constituã te: da culpam, quam habere non possum, confitendo illam vt dicet, & gratiam qua cœlum obtineas tibi conferam. Vidisti vnquam tam sacram mutationem, & solutionem tam cœlestem, cum pro re peccati vilissima, rem, scilicet gratiam præbeam, sic
Psalm. 55. preciosissimã? Hic verificatur illud Dauid, pro nihilo, ideſt peccato verè confesso, saluos facies peccatores Domine, illis gratiã tribuendo.

O artifex cœlestis Christe Domine, ò homines, vsque quo
Psalm. 4. graui corde & ad stercora & terrena procliui, vt quid diligitis vanitatem & mentis oculis carentes eritis? Non attenditis sapientiam simul & bonitatem diuini artificis Christi: qui scit & vult ex re deformi valde, nempe peccatore, pulchram nimis componere imaginem, & Dei similitudine insignitam? Et ex aqua vo-
Simile. luptatis aquam, gratiam nempe, componit. Quanta laude dignum iudicasses artificem ex paleis virgas argenteas & aureas fa-
Simile. bricantem? Quid de argẽtario dixisses ex pice nigra, multi valoris & pulchritudinis imaginem componente: quam in pilo suo rex grauissimus noster Philippus ponere gauderet? O diuinus artifex Christus Dominus: quid vilitas paleæ cum peccatorum fœditate? Et tamen dato sibi peccato vere in confessione: conflat ex illo virgas aureas charitatis. Quanto nigrior & deformior pice & cœno voluptas est? Tamen da illam in potum Domino tuo detestando illam, & integre & perfecte confitendo: & ipsam animam tuam Deus in imaginem tam pulchram & magni valoris conuertet, quod ipsemet in capite portare non dedignabitur. Da mihi bibere anima fidelis, amaritudinẽ peccati tui illam detestando, & in dulcedinem gratiæ tibi illam cõuertam:
Exod. 15. D. non legisti in scriptura, quomodo tulit Moses populum meum Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur, ambulauerunt que tribus diebus per solitudinẽ, & non inueniebant aquã, & venerũt in Mara, nec poterãt bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ: vnde Mara ideſt amaritudinem congrue loco nomen impositi: & murmurauit populus contra Mosem dicẽtes, quid bibemus? Et ipse clamauit ad me & ostendit ei lignũ: quod cum misisset in aquas, in dulcedinẽ versæ sunt & omnem amaritudinem recepit lignum in se? Audisti hæc? Modo saltim.

Anima

Anima fidelis,ego & non Moſes eduxite de tenebris peccatorum,& liberaui te de manu dæmonis Pharaone crudelioris, per ſanguinem meum rubrum te deducens: deſideraui multum ab omni peccandi occaſione te extrahere, & in ſolitudinem deducere:vidi te valde ſitientem voluptatum aquas,& ipſas mihi petiui à te in hoc quadragenario tempore: admonẽs te, vt ambules de virtute in virtutem tribus diebus,fide,ſpe,& charitate:contritione confeſsione &ſatisfactione:da mihi bibere hanc aquam, bibendo tu homo ipſam. O Domine, eſt valde amarum aliena reſtituere, de peccatis mihi gaudium afferentibus dolere: non poſſum tam amaram aquam bibere: non inuenio quomodo peccata relinquam: difficile eſt aſſueta relinquere. Da mihi bibere homo,quia pater meus oſtendit mihi lignum crucis amarum & ponderoſum, & iuſsit illud mecum clauis affixo in aquas tormentorum immitti,ex quibus clamaui, pater, ſaluum me fac quia ſuffocor in his tormentorum aquis. Fili, dūmodo pœnitentiæ amaritudinem in dulcedinem conuertas hominibus, & fel peccatorum ſuorum bibas, illud conſumendo, gaudeo te in ligno crucis natantẽ ſuper aquas videre. Da igitur ò homo, hãc peccati amaritudinẽ mihi ad bibendum,contritione neceſſaria, cum tanti mihi ſtet: & ego in dulcedinem gratiæ tibi illam conuertã. Omnia libenter paſſus ſum ob patris mei honorem,& vt amaritudinem culpæ & malitiæ abſinthium ab aquis voluptatum veſtrarum tollerem: vt amaritudinem pœnitentiæ æquo animo biberetis,& ſic peccata veſtra indulcedinem gratiæ ſint conuerſa gaudenter amaritudinem felliſ guſtaui, imo & mortis dolorem. Da igitur mihi fidelis,amaritudinem peccati tui pœnitentiam faciendo:& ſi ieiunium tibi amarum videtur, mitte lignum crucis meæ in illud in quo prius fel & ad nonam prope mortem primũ cibum acetum comedi & bibi, & ſic ieiunium tuum in dulcedinem erit conuerſum:& non erit tibi durum blaſphemias & periuria abhorrere, & honorem alienum reddere. O Domine, ſatis amarum mihi videtur me modo ſpoliare debere vt aliena male parta veris Dominis reddam: mitte lignum crucis meæ in talem amaritudinem, cogitando me in illo nudum & flagellatum pendere, & ſic magna dulcedo tibi erit aliena reſtituere & propria pauperibus dare, & voluptates venereas odire. Et ſi hoc facere dulceſcat mihi,tamen quis amaritudinem de inimicis parcendis

*Pſal. 68.*

Ad Heb. 5. bibere posſit? Qui miſerit lignum crucis in illam cogitando me omnium regem: cum clamore & lacrymis pro crucifixoribus orantem in crucis lecto, magno deſiderio obtinendi veniam.

Da mihi bibere amaritudinem peccati tui, bibendo ipſe pœnitentiæ dolorem: quia vna amaritudine contritionis, tollitur altera culpæ. Sit nobis in exemplum quod fecit Eliſeus: quando ciues Iericho dixerunt illi, habitatio huius ciuitatis optima eſt, vt ipſe perſpicis, ſed aquæ peſsimæ ſunt, & terra ſterilis. Ait Eliſeus, afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal, quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illud ſal, & ait: hæc dicit Dominus, ſanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque ſterilitas: ſanatæ ſunt ergo aquæ vſque in præſentem diem iuxta verbum Eliſei. Domine Ieſu Eliſee, ideſt, ſalus Dei mei & animarum, habitatio huius loci optima eſt, quia in eccleſia ſancta & vera: ſicut tu Domine, noſti eſſe ſanctam: ſed aquæ, voluptates nempe, quas mali homines bibunt peſsimæ ſunt & amaræ, vnde anima iſtorum peccatorum terrena facta, ſterilis eſt & ſine virtutum fructu: fac Domine, vt conferant tibi ſuauem gratiæ potum vitia deteſtando. Eia hominis (ait verus Eliſeus & noſtra ſalus) afferte mihi vas conſcientiæ nouum, & vitam nouam. Non poſſumus niſi Ad colo. 3. b ſpoliantes nos veterem hominem cum actibus ſuis, in quibus valde delectamur: quomodo amaritudinem pœnitentiæ bibere poterimus? Maiorem amaritudinem habet culpa & ſic vna alteram expelle peccator mittendo ſal in tales aquas. Amaritudinem culpæ quam habes aliena retinendo vis expellere ab anima? Mitte ſal alterius amaritudinis omnia integre veris Dominis reddendo, & ſic de alijs animi vitijs: & tunc confeſſarius in nomine Dei dicet dete: ſanaui aquas has voluptatum aut odiorum vel vſurarum amaras alia ſalis amaritudine nempe dolore pœnitentiæ & confeſsionis. Et non erit his aquis vltra mors ad animam occidendam neque ſterilitas ad non rectè operandum: & ſtatim ſanitatem accipies & potum ſuauem Domino tuo præbebis: caue à recidiuo, ſi vis ad fontē gloriæ peruenire: & nos etiam,

Amen.

HO-

# Homilia Quarta.

## ¶ Da mihi bibere.

Ter.

DA mihi bibere anima peccatrix, aquam tuæ voluptatis & vitij cœnum, da potum tibi satis nociuum mihi fatigato & supra fontem sedenti, & peccatum tuum valde sitienti: & si modo dare non vis dicens, iuxta fontem es hauri & bibe: considera me non supra fontē sedētē sed in cruce existentem & quinque sanguinis flumina à me emittentem: fatigatū flagellis, vulneratū spinis saturatum opprobrijs, & prope mortem existentem, & cum clamore & lacrymis potū aquę voluptatis tuæ & culpæ à te petentem, & dicentē. Sitio certe tuam salutem ò homo, da mihi amaram potionem culpæ tuæ vere confitendo & ego bibam illam, & consumam, & inde ipse sanus euades ab ægritudine graui delictorum tuorū: valde salutem tuā sitio, da mihi bibere aquam voluptatis tuæ quam in Dei iniuriam, & mei sanguinis & flagellorum vilipensionem, & in proximi scandalum, & animæ tuæ graue detrimentum semper bibere curas: & ego bibam sine mei damno, & tibi sanguinem meum quem in hoc crucis lecto abunde effundo in potum certe præbebo, & gratiam in salutem animæ tuæ: vide commutationem tibi vtilissimam: intellige lucrum, ne sis amplius durus & rebellis. Doleat iam cor tuum de tanto Domino in cruce tui amore & culpa tua sic pendente atque vitium tuū, ad illud destruendum, sitiēte, saltim tantam mihi porrige aquam lacrymarū pro tuis delictis quantum sanguinis effudi

Ioan. 19. B

Audite me sitientē duro corde & qui longe estis à iustitia, & à mei amore, & sic à dolore: & quis est tā crudelis Nero & auarus Nabal, qui videns regem sua causa fatigatum & sitientem illi parum aquę petenti magno dolore, non daret? Nemo tam ferus homo in natura inuentus est humana, qui hac crudelitate vsus esset: quia si non amore, saltim timore potum illi certe dedisset. Solus ipse peccator, in tuis perseuerās malis, & voluptatib⁹ tradi tus, es iste crudelissimus dæmon contra me Dominum tuum & angelorum regem: nam cum sim vena aquarum viuentium, & fons deliciarum cœlestium, veni lassus & ex itinere fatigatus

Simile.

quasi colonus non habens hospitium in ciuitatibus ad manendum ad hunc agrum: & sedi supra puteum istum: quasi omnes mundi delicias conculcans, docens in hoc omnem hominem mũdi gaudia contemnere, & voluptates conculcare & cœlestia, in pretio habere. Postea ad alium caluarianum campum deductus fui flagellatus & in cruce positus, vt ex me quinque cruoris fontes emanarent vnde peccarores biberent: tam in fonte quam in cruce existens peto à te ò peccator aquæ potum sitibundus dicens, sitio certe salutem tuam & valde illam desidero: da mihi bibere ò homo, aquam culpæ venenatam animam tuam occidentem, & Deum valde offendentem: da mihi illam per veram detestationem ipsius, contritionem & confessionem, & integram atque perfectam honoris & rerum alienarũ satisfactionem. Vis dare tale potum mihi regi regum tui amore fatigato, lasso & flagellato? Vis peccatum relinquere? Quis est qui dicat, nolo tanto regi potum dare? Quicũque vitia relinquere non vult, nec aliena restituere. Homo si amore, Christo Domino talem potum dare renuis: saltim timore tam venenatam aquam præbe dicenti da mihi bibere iudici omnium.

2. Re. 23. c Regi Dauid in bello contra Philistæos existenti, tanto sanguinis & vitæ periculo tres milites eius aquam de cisterna adduxerunt: & mihi regi angelorum bellum contra vitia in cruce gerenti & vitam morti exponenti, aquam fictam deliciarum mihi dare
Luc. 16. D non vultis? Quod illi epuloni diuiti non esset aquæ gutta concef
Ad Ro. 10. c sa est dolendum: tamen qui micas pauperi iusto negauit, aqua ad refrigerium vt careat dignum est: tamen mihi diuiti in omnes qui inuocant me, danti micas & panem corporis mei prius ligno crucis amore vestri, deinde in cibum sub sacramenti speciebus vobis præbenti, aquæ guttam voluptatis fictæ concedere non vultis? Date mihi illam cito per veram confessionem: quia si vobis ad horam mortis illam reseruatis, absque dubio ad ignem & sitim epulonis deducet nos: da mihi bibere homo. Iam tibi in cruce potũ dederunt Domine, quid conquereris? Verum est acetum mihi bibere dederunt (ait Ioannes) & vinum fel-
Ioan. 19. F le mixtum, teste Matthæo: vt daretur intelligi iam miser po-
Matt. 27. pulus Iudaicus me ab ipso tanquam aqua rosacea eductο, & ma-
D. tre mea: nil in se nisi fœces retinuisse & id quod deterius est ex sacrificijs suis. Ex animali quod offerebatur fel est peius, & ex fructibus

ctibus acetum,& id mihi dedit ad bibendum: quare conuerſa es mihi in amaritudinem & in prauum potum Ieruſalē olim vinea electa? Expectaui vt faceres vuas bonorum operum, ex quibus vinum mihi propinares, & tamen feciſti labruſcas peccatorum ex quibus fel & acetum mihi in potum dediſti: & ſic verū eſt quod mihi bibere dederunt: tamen, dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto, vt per Dauid conqueror, tamen fel draconum eſt iam vinum eorum & vua amariſsima cibus illorū in inferno: & venenū aſpidū inſanabile. Et illos omittamus, ſemel & à populo dura cerutce illud ſuſtinui: vt quid tamen ipſe fidelis, quotidie mihi petenti à te & dicenti, da mihi bibere vinum ſuaue deuotionis & humilitatis· Dicis, accipe domine, potum, ſed aceti peccati & odij in corde radicati: non vt conſumas, quia nolo dimittere illud, ſed vt iniuriam patiaris. Da mihi vuas bonorum operum ad comedendum. Accipe labruſcas vitiorum, & fel voluptatis quod propinat anima mea tibi. Et dederunt multi fideles in eſcā meam fel amaritudinis & peccati, manentes in illo: & inſiti mea potauerunt me aceto malitiæ ſuæ: tamen vua eorum fellis erit infernalis, & botrus amariſsimus.

*Ierem. 2. F.*
*Iſai. 5. B.*
*Pſal. 68.*
*Deu. 32. B*

Anima mihi potum præbens in tempore contritionis & deuotionis, in vltima ratione audiet, veni benedicta patris mei ad gaudia æterna & ad fontes cœleſtium bonorum vbi torrente voluptatis inebriata ſis & intres in gaudij flumen imo mare Dñi tui. Vt quid domine, tantum mihi prouenit bonum? Quia ſitiui & dediſti mihi bibere in paupere, & peccata tua lugendo: & præcipue quia aquam voluptatis tuæ mihi dediſti vere confitendo in potum dulcem. Et maledictæ animæ dicam, abi miſera excōmunicata & maledicta, ad ignem inferni terribilem ſitim cauſantem, venenum aſpidum ſit vinum tuæ ſiti reſeruatum. Vt quid tam crudelis ſententia procedit abore tuo contra me creaturam tuam rex? Quia ſitiui in paupere, & noluiſti calicem aquæ frigidæ mihi porrigere: & quia ſitiui potum lacrymarum ex te pro tuis delictis effuſum, & vana gaudia dilexiſti: & quia ſitiui delicias tuas, & noluiſti mihi illas ad bibendum & conſumendum dare, vere illas confitendo: ſed in eſcam meam fel periurij, & in ſiti mea acetum odij dediſti: abi ad ſitim æternam quia promiſſum eſt à me per Iſaiam & debet adimpleri: ecce ſerui mei bibent ex fontibus cœleſtibus quia dederunt mihi potū: & vos

*Matt 2. c. 5*
*Ibi. E.*
*Iſai. 65. C.*

vos inimici mei vt canes rabidi sitietis, quia noluistis mihi dare
Psal. 61. bibere: da mihi bibere. Per Dauid etiam de fideli conqueror de hoc, & de omnibus potum talem mihi negantibus, dicens: veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere, quod ego pro illorum salute dedi, nempe sanguinem meum illum vitijs conculcando: cucurri cursum vitę meę & mortis in siti magna fine hoc quod peccatores velint aquam voluptatis sibi nociuam mihi dare ad bibendum vere confitendo, & à futuris cauendo: vnde ore suo tanquam fideles bene dicebant mihi, tamen corde & operibus paganis similes maledicebant: caueant tamen qui huiusmodi sunt, maledictio æterna est super illos minans.

Text. ¶ Discipuli enim eius abierant in ciuitatē vt cibos emerent.

QVare Christus fons viuus petat à muliere ista aquam, ab entiā discipulorum assignat in rationem euāgelista: qua si dicat, alias non grauasset mulierem, quia nulli vnquam fuit molestus nec oneri, si adessent apostoli. Vt discas neminem grauare molestijs, aut importunis petitionibus nisi Deum ipsum gaudentem cum importunis oratoribus. Disce & aliud, quod Iesus arcana dicturus huic mulieri circa salutem animæ suæ, noluit adesse testes ne rubore perfusa esset: vt sciant omnes verbi declamatores taliter admonita salutis homines docere, vt in particulari nullum infamiā respergant: vnde culpa maior fit, odiū à peccatore conceptum contra sic concionantem, quam prima peccātis. Hoc Dominus dat exemplum prædicantibus ciuilitatis & mā suetudinis, quando peccatricem, & non vni prostitutæ pudicitiæ mulierem, adeo non dedignatur alloquio: vt etiam tali solitudine & discipulorum absentia, pudori illius consulat: non contē nas pauperes & peccatrices mulieres concionator: sed doce illas viam salutis, non tamen rubore illas perfundas coram alijs.

Text. ¶ Quomodo tu Iudæus cū sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

AGnosco certe ex habitu & lingua te Iudæum esse: nec sum ignara discordię & odij Iudæorum cōtra nos Samaritanos:

vnde

vnde cum ſitis cæremoniatici maxime commercium noſtrum abhorretis, & vobis prohibitum eſt eloquium nobiscum. Deml ror certe quomodo ipſe ſine timore legis tuæ ſtatuta veſtra fran gens audeas tam familiari & amico colloquio bibere à me petere muliere Samaritana & ab omni religione aliena. Rem illicitam facis, cum legem tuam violes: nobis non eſt interdictum colloquium vobiscum Iudæis, imo patius id deſideramus, vt patet in libris Eſdræ: vbi volebant noſtri Samaritani vobiscum ſimul tẽ plum ædificare & noluiſtis: & ſic indigna ſum quæ potum tibi præſtem, & ipſe non recte facis à me aquam poſtulando, cum facias contra tibi prohibitum: nam per me quid mihi eſt, vt potum tibi tribuam? De te doleo parum conſcientiam tuam cuſtodiente: cum Iudæi non coutantur, ideſt non habeant cõmercium, & mutuam vitæ conſuetudinem cum Samaritanis: non tamen ècõtra Si tamen ſcire diſsidium hoc inter Iudæos & Samaritanos vnde ſit ortum deſideras, lege Ioſephum in libro antiquitatum nono, capite decimo quinto: quia ſi nos omnia hic poneremus totus mundus hunc librum capere non poſſet: & ſic potius faſtidium quam vtilitatem præberemus, cum ſit granum ſine palea prolixitatẽ timemus. Erat enim homo Ieſus inſigne quid in ſuis actibus & ſermonibus gerẽs vt nemo niſi ſuperb⁹ & curioſus vt Herodes, aut inuidus & auarus vt ſacerdotes tẽpli & ſcribę ipſũ dedignarẽtur: proinde hæc mulier nõ aſpernata virum modeſtũ ſed anceps in petitione Iudęis prohibita, interrogat ipſũ verba noſtri textus. O cõfuſio fideliũ noſtri tẽporis, imo & multorũ ſacerdotũ & religioſorũ tã ſtricte tenentiũ ad vitia corrigẽdũ, & fraterna correctione & charitate plena peccatores arguendũ: & tñ iſta mulier peccatrix in iudicio coram Chriſto cõfundet illos. Quę cũ eſſet ſcortum vile corripit quod ſibi videbatur malum in Chriſto, totius bonitatis fonte qui peccare nõ poterat: & nos Dei miniſtri mala aperta & vitia cõtra Deũ coram nobis perpetrata, & verba execranda audita velut canes muti nõ corrigimus, nec peccatorẽ arguimus blaſphemantem, ac ſi omnes ex parte dæmonis contra Deum eſſemus coniurati, argue verboſum, increpa blaſphemum cum latrone, dicens.

1. Eſdr. 4. & 5. 3. G.

Ioſephus.

Luc. 23. B.

Matt. 18. &

Luc. 23. B.

Vere non times Deum, non iam in cruce exiſtentem, ſed ad dexteram patris ſedentem, cum ſic inhonores illum tuis dictis & factis: & in iuſta damnatione es ſi non reſipiſcis: iuſtus au-

autem Christus quid contra te fecit, vt sic infames illū tuis verbis, & facias vt nomen illius sanctum tua causa blasphemetur in
Ad. Ro. 2. b tergentes? Quid mirum vt talia verba dicas in Christi fauorem in cœlo regnantis & angelis circundati Iesum adorantibus quæ dixit ille latro in eius laudem pendentis in cruce, & à perfidis Iudæis vallati? Aut dic cum ista muliere omni peccanti, maledicenti, aut peieranti: aut ad malum inuitanti: cū Iudæus sis, ideſt,
Psal. 17. confitens Deum per fidem: cum Samaritanis & peruersis peccatoribus & cum suspectis mulieribus non times habere commercium, & cum vitijs? Absque dubio peruerteris & similis illis eris: & male facis, & legem Dei violas & statuta sanctorum frangis: nō enim licet fideli couti obstinatis peccatoribus. Prius tamen operanda vt ipse in omnibus immaculate viuas quam alios corrigas & arguas, præcipue si Dei minister aut cōcionator es. Alias dicet tibi Paulus, qui alteri dicis ne furtū facias, es fur famosus & vsu-
Rom. 2. C. rarius pestilens? Qui dicis fratri, ne fornicarius sis, es adulter obstinatus? Samaritana cum sis & impudica, iustum & innocētem corripere audes: Quantos hodie reperies peccatores inueteratos in vsuris aut adulterio, aut odio: qui tamen non habent verecundiam alios de venialium festucis corrigere imo & famam iustorum suis maledictis linguis auferre Samaritani effrontes, impudici senes Susannæ hypocritę ficti, considerate priustrabem odij
A. inueterati, & adulterij putridi in oculis vestris positā, & tolli te illā vere confitēdo: & tunc erit vobis facultas festucā venialium in bonis viris corrigendo aspicere: alias insania & audacia est.

Hinc videre licet malorum consortium quantum detrimenti bonis adferat: cum ista mulier, etsi mala, conuersationem filij Dei, credens sibi esse nociuam, vitare volebat, & Deū ipsum carpere audebat. Disce consortium nociuum fugere, si cœlum desideras ô homo, cum Deum per fidem confitearis: præcipue cum intelligas inde multa animæ tuæ incommoda subsequi. Discede inde à muliere ista, peccato peccatum non addere quæ cum adultera esset, nolebat confabulari cum Deo ipso, credens id non Christo licere: reuera perditorum hominum est dicere, quid ad me, vt sim vinctus pro mille quingentis: cum sim pro mille? Ne talia dicas ô fidelis necdum facias: facilius & citius
Simile. catenis vinctus in carcere mille quam mille quingentos soluit vt inde extrahatur. Quia etiā si verū est & ex fide, quod si vnicoes

vi

vinctꝰ peccato mortali, impossibile est vt ipse per te exeas à tã cru delicarcere nequeviribus ꝓprijs à tãdiris excussus catenis sis: quã to magis vt à multis peccatis per te euadas: quia indiges gratia Dei preueniẽte & auxilio suo ad contritionẽ te mouente. Tñ quã to magis peccatis peccata addis, tanto conuersionẽ tuã difficilio rẽ reddis: quia maius debitũ facis, & magis elõgaris à Deo, & irri tas amplius illũ qui contritionẽ tibi dare debet de peccatis: & pro priũ liberum arbitriũ quo vti debes ad recipiẽdã Dei motionem accumulatis peccatis magis prostras in terram, vt sic difficilius cõuertaris. Vñ audi qd spiritꝰ diuinus dicat tibi: peruersi difficile corrigũtur. Vides quã nociuũ sit, vno absurdo peccato aliud ap- *Eccles. 1. D.*
ponere, & quam periculose dicas in animę debitis, captus ob mil le sim ob mille quingẽtos? Attẽdis quomodo ab ista muliere disce re debes, si invitio voluptatis es, aliavia legẽ Dei nõ frãgere, sed ad implere: vt sic Deꝰ citius cor tuũ ad contritionẽ moueat, & doleat de te peccata aliavitante, & bona opera, & si nõ meritoria, operãte. Deinde si iuxta D. Greg. sententiã verã, peccatũ quod per pœni tẽtiam cito non deletur, suo pondere & malitia ad aliud inuitat, imo & trahit: tria peccata: fortius ad aliud peccatorem adducẽt: & centum ad quid inuitabunt? Et hoc magna cura euitare debes si in vno peccato es ne aliud & aliud effrẽnate perpetres: si Salo *Eccles. 5. B.*
mon dicebat, de propitiato peccato noli esse sine metu, quia for- san credis esse dimissum & nõ est: aut ne iterum ex incuria tua re uertatur ad animam tuam, quanto magis de nõ dimissa culpa ti- mere debes, vt ne adijcias peccatũ super peccatum: addis põderi pondus, & debitum debito: discе ab hac muliere.

Quod toto corde opto à mulieribus omnibus obtinere & fi- delibus vxoribus est, vt discant ab ista Samaritana adultera & gẽ tili talia dicere verba omni fideli ad malum illas inuitanti: præci pue sacerdoti, religioso, aut prelato, qualia ista dixit Christo Do mino, ad suam conuersionem prouocanti. Tu cum Iudęus sis pe tis à me bibere quę sum mulier Samaritana? Per viscera mi- *Luc. 1. D.*
sericordiæ filij Dei in quibus visitauit nos oriens exalto carnem assumẽdo, nascẽdo, prędicando, sanãdo & moriẽdo, deprecor te mulier quęcunque es quę à sacerdote aut religioso viro inuitatis ad voluptatem, & ad fractionem legis Dei & fidelitatis quã viro tuo et filijs debes, dicẽte, da mihi bibere mulier aquã deliciarũ: vt dolore cordis et virili animo et valde irata, nõ mollis, dicas illi si

cupis confundere ipsum. Tu cum sis homo, cum sis fidelis: & vltra cum sis Dei minister, de ore regis priuatus, & tu angelus exercituũ, & ex genere regali sacerdotum, & sal terræ & lux mundi,
*Mala. 2. B.* à domino sic appellatus. Non times petere aquam voluptatis ve
*Matt. 5. B.* neno & toxico plenam.

Reuera si talia verba corde perfecto & lingua Dei amore incensa, protulisses ministro Dei aquam nociuam tibi petenti, sicut fumus aere dispergitur, & talis sacerdos aut monachus confusus discederet. Maiorq; erit coram Deo, ista tua victoria, quam fuit illa Iudith pulchræ caput Holophernis abscindentis: quia caput
*Iudit. 13. A.B.* & initium peccati scindis, in magnum Dei honorem, & dæmonis dedecus & talis ministri & tui meritum. Heu tamen quam è contra factum est & quotidie fit à multis mulieribus, aquam voluptatis & ligna delictarum administrantibus & ignem miseris Christi ministris. Vnde misera & fragilis mulier Dei ministro fu
*Iudic. 4. D.* gienti de bello virtutum porrigis lac voluptatis loco aquæ, vt Iahel Siſaræ: & vno clauo culpæ malleo cõsensu animam vtriusq; in tetram tenebrosam & infernalem defigis.

## ¶ Si scires donum Dei.

O Mulier, si agnosceres donum, idest, gratiam Dei ac bene-
*Luc. 10. D.* ficium eius, quod tibi à me nunc adhuc ignaræ offertur, nẽpe quod tibi contigerit Christum ipsum audire, & videre quod tot reges desiderauerunt nec viderunt: & quod ille orbis saluator aduenerit. O si etiam scires, quod is qui loquitur tibi est filius Dei. O si sciremus & nos fideles donum multiplex nobis à Deo hucusq; collatum creationis & redemptionis, certe iam ab aqua voluptatis quiescceremus, & ad Christum fatigatũ pergeremus: illi nociua peccata nostra dando in vera confessione, vt daret nobis ipse gloriam. Amen.

# Homilia Quinta.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

Virgo sanctissima, quam magnum donum à patre luminum accepisti, quando virtute Spiritus sancti filiũ altissimi concepisti. Et plenam gratia Gabriel te voca
*Luc. 1. C.* uit: dicebas filio puteus diuinitatis tuæ altus est & profundus infinitam continens gratiam: & inde habes ipse aquam

viuam

vnũ tibi & mihi & omni fideli ad te fide & charitate accedenti. Certe filii mi, maior es patre meo Iacob, & magis fortis & diues. O mulier sancta, da nobis bibere talẽ aquã obtinẽdo illã à filio fonte sacro. O si scires donũ Dei, ides, gratiã & qualis sim ego cœli regina ad impetrãdã illã, forsan lacrymis & gemitib⁹ petisses illã à me. Virgo Iacob potẽtior, obtine mihi hanc aquã ad dicendũ digne verbũ Dei, & audientibus ad operandum, dicentibus, Aue.

## ¶ Si scires donum Dei.

O Quis mihi daret, vt tam sacrum verbum, omni acceptione dignum, ab ore sapientiæ patris prolatum huic mulieri, in cordibus omniũ hominum incessanter nocte & die terribiliter rẽ sonaret: ò homo, si scires donũ Dei, & quanta tibi contulit beneficia, & quam ingratus illi fueris, forsan iã tandem à lethali obliuionis somno ad virtutes & merita surrexisses. O vtinã sciant vere omnes homines donum & dona quæ à te acceperunt domine, cito & in tempore congruo: vt sapiant & intelligant, & nouissima prouideant bene operando, & gratias tibi reddendo possibiles etsi non debitas. O si scires donum Dei quod à domino tuo accepisti ô homo, tã naturale, quã supra naturale, forsan aliter esses gratus, vt hucusq; fuisti. O, si scirẽ ego tale donum Dei tibi collatum intimare, & cordi meo etiam vere cõmendare, vt ambo ad opus & gratitudinẽ statim surgeremus. Concede saluator & hoc donũ, vt mihi & omnibus hominibus vtiliter & ad magnã tui laudẽ sciã beneficia à te collata ostendere pro viribus & posse: vt sic donis conuicti & confusi ob nostrã erga te ingratitudinẽ, surgamus ad operanda magna virtutũ opera, cum magna sint dona quæ de tua largitate quotidie recipimus. Dicas igitur domine Iesu, ex ore meo vnicuiq; mundi fideli, & mihi primo, ô si scires donũ Dei altissimi, quo te hucusq; affecit ô homo fidelis, & quãta beneficia tibi cõtulit tã naturalia quã supernã & supra naturã alter forsan ab hac hora vitam tuam in bono ordinare disponeres.

*Text.*

*Deu. 32. C*

O si scires donũ Dei & quomodo ex nihilo creauit te, aut equã esse haberes ad donum petendũ fecit: nunquid non ipse sum pater tuus qui feci & creauit (vt ait Moses pro parte mea.) Hęccine reddis domino homo stulte & insipiẽs? Et quid retribues domino, pro omnib⁹ quæ sine meritis tuis retribuit tibi? Si scires donũ, quo te creauit dãdo esse, nõ tantũ vt lapidibus & elemẽtis, sed etiam

*Deu. 32. 4*

*Psal. 115.*

etiam vitam,& non vt plantis præbui,ſed etiam ſentire,& non ſolum hoc cum brutis commune,ſed etiam intelligere cum angelis,eſt ne poſsibile,quod fuiſſes mihi ſic ingratus? Attende etiam quo modo tibi corpus dedi miro artificio fabricatum: ita vt Dauid quanuis ſapientiſsimus, imo & Dei propheta, non attigerit hanc ſui corporis ſcientiam & compoſitionem:vnde dicebat,mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, ideſt, in compoſitione mea: confortata eſt & non potero ad eam intelligendam peruenire: quia artificio cæleſti cõpoſitus eſt homo, vt patet membra eius diſſecanti & interiora rimãti. O ſi ſcires tale donum vt ſciri oportebat,aliter illo eſſes vſus:& cum terra herbam opportunam gratitudinis Deo colenti te dares:& cum arboribus fructum bonorum operum,& cum ouibus manſuetudinem & multa vtilia proximo.Certe ſi ſolum dona,quæ corpus tuum à domino tuo accepit,attenderes poſt illius formationem,aliter fuiſſes gratus. Sine cęlo & ſole ſine igne & aqua,ſine cibo & potu,ſine domo & veſtimento,non conſiſtit corpus tuum: quæ omnia Deus tribuit inceſſanter, præter illa quæ corpori ad viuendum intrinſeca ſunt. Verum corpus ſine anima quid eſt? Minus certe quam brutum: quia brutum ſentit & mouetur,comedit & bibit & ſuas facit operationes:homo autem vbi animam expirauerit, neq; ſentit neq; motum facit,neq; aliquam operationem exercet,ſed mox putredo efficitur & fœtor,haud ſecus atq; bruti cadauer:imo & horrendius,cum nec triduum ſeruari queat,& tamen animalium carnes in annos ſubſiſtunt & ſecula,ſale litæ.

*Pſal. 138.*

*Gene. 2. B. 2. B.*

Igitur ſi ſcires donum Dei,in creatione animæ tuæ rationalis, ad ſuam imaginem & ſimilitudinem, quando inſpirauit in faciẽ tuam ſpiraculum vitæ, & in illius infuſiones ad corpus vnde viuificatur,& pulchrum ſit ſentit& viuit:& ſolus Deus,vt diximus deuinea animæ creat illam.Qui concedunt animam ex traduce eſſe, aberrant à veritate, &aliena pertractant à communi omniũ ſanctorum ſententia:imo & fidei contraria ſentiunt.Si ſcires inquam tam ſupremũ donũ,aliter corpore&anima tanto creatori quã hucuſq; ſeruitium feciſſes,qui vtroq; multoties magnam irrogaſti iniuriam.Pro eo,quod animam habes rationalẽ,& naturã ſortitus es,infinities meliorẽ,quã reliqua mũdi corpora inanimata vel animata:debes arctiſsime Deo te ipſum totũ, & omnes operationes tuas,cogitationes & locutiones,& omnẽ obediẽtiã.

Si ſcires

Si scires hoc graue donum vt scire te oportebat, quotiescunque videbas bestiarum brutalitatem, cæterorumque inanimatorum impotentiam, debebas & meritissime te ipsum huius tanti debiti memorem facere: recogitando tot vicibus debere te Deo: quod illa bruta antecedis proprietatibus. Imo herbæ te ad gratitudinē circa Dominum tuum deducere debebant: vt contigit cuidam rustico pastori, raro ob gregis custodiam ad ecclesiam & ad sermonem & ad sacrum missæ officium pergenti: semel tamen per transiens ciuitatem (vt est videre in promptuario exemplorum titulo deverbo Dei) intrauit ecclesiam, & audiuit concionatorē dicentem: quælibet creatura debet peccatum vitare, & Deum diligere: quibus verbis ædificatus homo, visis creaturis cogitauit de singulis, quomodo Deo seruiebant, quælibet suo modo possibili, & ipsi creatori obediebat. Videbat equas currētes & dicebat, ecce quomodo illæ seruiūt Deo, & ego nō curro viā mandatorū Dei? Aues cātando seruiūt Deo, & ego nō confitendo? Herbæ erigunt se ad Deum laudandum, & ego caput mentis ad cœlum nō attollo ad bene operandum? Et sic de alijs. Quadam die vidit bufonem siue rubetam fœtidam & immundam, & ait nunquid talem & huic bufoni similem, omnipotens me creare potuit: & tamen ad imaginem suam me condidit, quotidie illum peccatis offendentem vt ingratum suis beneficijs infinitis, & redemptū sua passione? Vnde conuersus ad Deum vere, à quodam sancto viro sufficienter informatus: de peccatore, vnica concione & beneficiorum Dei consideratione & brutorum gratitudine, factus est homo iustus & laudabiliter in Dei seruitio perseuerauit. *Exem. 3.*

Discite proterui, continuas conciones audientes similia facere, & considerate donum Dei: & quomodo super omnia bruta eleuauit vos, imo & inter vos estis multi animam rationalem habentes, non eandem virium & virtutum ac potentiarum supellectilem: sed multi homines posteriores remanent, in genere diuitijs & honore, scientia & dignitate: quod & poëta gentilis sentiebat dicens: dij immortales, homini homo quid præstat? Stulto intelligens quid interest? Igitur causa exempli, non est donum Dei quod maxime considerare debebas vt Deo valde gratus fuisses: quod tu prudens ac prouidus sis, multis existentibus fatuis? Tu neque cæcus es nec mutus, neque surdus: cum tamen passim videas complures his sensibus carentes? Ipse probe instituti-

ſtitutus ad officiū, & imbutus liberalibus diſciplinis, vt inter homines hominem agere didiceris (nā reuera potius ſemihominē quā hominem integrum illiteratum dixeris) alijs multis vel ad ſtiuam aratri, vel ad fodinas lapidum, aut beſtiarum perpetuam conſuetudinem in paſcuis, aut in aratro exercentem: acſi ad beſtias eſſent damnati, & ad bruta relegati, à conſortio hominum: inter ipſas feras quid homines audient, aut diſcent, vbi nilvnquā quod ingenij ſit reperiri poteſt.

Rurſum quod tu Theologe pie, operam nauas pijs diſciplinis, & inceſſanter ad virtutem & ad peccatorum contritionem inuitantibus, cum interim multi operam ludant, ſeu potius perdant in vanis ſcientijs, quæ potius inflant quā ædificant: falſa defendēdo vera deſtruendo: ita vt non ſolum alios ſed etiā cultores ſuos ſine fructu & fine optato relinquant. Deniq; quod tu diues ſis tantos inopia plenos videns. Tu nobilis tātos infamatos audiēs: te ornant byſſus & purpura, complures cernens nudos & frigori & fami expoſitos, quos vix veſtiunt ſaccus & cilicium, & paſcunt dura panis fruſta. An non ob illa tu obſtringeris Deo, multo magis quam illi qui eiſdem carent? Neſcis tale donum Dei conſiderare, & conſiderādo ſeruitia grata illi dare? Et quanto melior es, & Deo magis gratus, tanto abſq; vlla ſimilitudine teneris ad magis ac magis Deo ſeruiendum & illi gratiſsimum exiſtendū, vt augentur dona, creſcunt donorum rationes: quoniam quod tu non malus, vti illi multi, imo non tu peior quam illi, nequaquā ex te ipſo, ſed ex Dei habes beneficio, auxilio & gratia. Imo quod amplius eſt, te ipſum comparatione ad illos reprehende: quoniam ſi lenones ſcurræ & prædones deperditi, quam tu habes gratiam à Deo & auxilium accepiſſent: multo forſan te meliores eſſent, quia gratia accepta diligētius, maioriq; cū gratitudine vterentur, quam tu facis. Et ſi ipſe tentatione qua ipſi percuſſus eſſes, centies illis peior ac peſtilentior eſſes: in quo meditationis genere mirum in modum melliſluus Bernardus, & humilis Franciſcus fere ſemper ſe exercebant. O ſi ego inceſſanter talia cogitaſſem, aliter eſſet de me: aliter de humilitate mea, aliter de vita mea, Deus adiuua me.

D. Greg. Hom. 9.

O ſi ſcires donum Dei poſt creationis beneficium, defenſionis à tantis malis circundantibus te & inceſſanter te deglutire volētibus: & conſeruationis in bono per me metipſum tibi collatum,

& ab

& ab angelo tuæ cuſtodiæ, quomodo aliter mandata mea cuſtodiendo, animam tuam à malo cũlpę omni vigilantia ſeruaſſes. Si ſcires conſideratione debita, quomodo ipſo facto quod rationalis à me factus es, omnia bruta animantia & cætera inanimantia ſub pedibus tuis ſubiecta habebas, ſi ipſe homo, mihi debitã obedientiam præſtares, nonne magnum donum hoc erat tibi à mẽ datum? Nec ignis te combureret, nec aqua ſuffocaret, nec terra deglutiret, nec aer tibi deficeret, aut canis dilaceraret, ſed omnia ſub pedibus tuis ſubieci, vt ſi velles poſſes conculcare ſine tui dã no: dummodo ipſe ne Deum tuum vitijs ac peccatis audacter & effrenate conculcare auderes: in omnibus his conceptibus, intret Ieremias plorans, deſolatione deſolata eſt omnis terra, & anima terrenis data, eo quod nõ ſit, qui recogitet corde. Si iſta dona naturalia recenſita ſine alijs innumeris quæ ipſe ignoro & etiam ipſe qui accipis neſcis, ſufficiebant, ſi conſideraſſes illa, debita meditatione, te totum Dei obſequio & voluntati ipſius tradere: quanto magis ſi ſupra naturalia, quorum non eſt numerus, angeli tibi nota facerẽt? O ſi ſcires donũ ſpirituale, quo te ab omni pagano Turca & Lutherano differre diſpoſuit, nẽpe fidei: quo ad talẽ tãq; ſublimẽ ſtatũ attolleris, vt inuiſibilia videas, & rationi humanæ imperceptibilia (qa eleuatiora, nõ quia cõtra rationẽ ſint) credas & credita operãdo, ad viſionẽ beatificã peruenias. O ſi ſcires vt oportebat tale fidei donũ, quã aliter Deũ diligeres qui te ad tam arduũ & eleuatũ eduxit ſtatũ, & quã alio modo peccata caueres, viſibilia & terrena cõtẽneres, & credita ęterna bona deſiderares. Si ſcires Chriſtiane, baptiſmatis donũ quo tali nomine gaudes, & in eccleſiã Romanã es introductus, & in arcã Noe, extra quã nulli cõtingit ſalus, ſed omnes aquis errorũ ſuffocãtur, qui in tali ſacrata domo per fidẽ & charitatẽ nõ reperiuntur. Tali fidei dono & baptiſmatis munere filius Dei regeneratus es, & à macula originali ex Adę peccato cõtracta ablut⁹: dona ſpiritualia, fidei ſpei & charitatis quæ ibi recipis, & aliarũ ſpiritualiũ virtutũ quis numerare queat? O ſi tale ſcires donũ vere ruminãdo, imo & dona, quã aliter Deo grat⁹ vt hucuſq; fuiſti fuiſſes: quã alio timore & tremore tuã ſalutẽ operãdo, & tã ſacra dona virtutib⁹ cõſeruãdo, à vitijs tã ſuprema munera deſtruentibus velut à colubro & inferno fugiſſes: de donis in ſacro baptiſmatis fõte collatis: in admirabilis alcõſionis feſto, ipſo aſcendente dãte, aliqua forſan videbis.

Pſal. 8.

Ierẽ. 12. 6.

Si ſcires

Si scires homo tui oblite, donum ab hominibus non intellectum nec ab angelis satis admiratum & sacrum pœnitentiæ munus, quo sordes animi tui, dispendio sanguinis mei ex institutione mea per absolutionem debitam à legitimo sacerdote claue nõ errante collatam, abluuntur: ò si scires oratione lacrymis irrigata, quomodo in illa hora, quod ego non rapui neq; commisi, nõ argento & auro sed flagellis meis & clauis soluo, omne delictum impudenter à te perpetratum, pro quo non eras soluendo, etiam si te ipsum & omnes mundi res dares: quam aliter mihi esses gratus & velut infernalem ignem & magis, recidiuum fugeres. Si scires quanto pretio à me collato à carcere culpæ solutus es: etiam si manus tua nõ scinditur, neque sanguis à corde tuo effunditur: forsan non tam irrisoriè absolutionem reciperes, non sic Magdalena & Paulus, nec tam subito & leuiter eadem vulnera incurreres, quæ tam pretioso sanguinis mei lixiuio mundare ipse Deus curauit: & hoc in mei iniuriam & animæ tuæ damnum, cui fiunt posteriora prioribus peiora. Scito iam tam sacrum donũ, vt præterita mala lacrymis non fictis plangas, & delicta plangenda iterum cõmittere refugias, meditare hoc vere. O homo beneficiorum Dei immemor, si scires donum Dei, & gratiæ ipsius munus & amicitiæ, quale sit & quantum tale & tantum, quod ingratissimi peccatores, gratis quota hora illud in culpæ commutatione dantes, non intelligunt neque illud vere agnoscunt, vt tibi tuo malo non minimo contingit. O si intelligeres tam sacrum gratiæ donum, quo Dei amicus efficeris, & omnia bona opera tua in tali dono facta augmentum meriti accipiunt, & quomodo acceptatus es ad gloriã Dei, & beatus in spe, quandiu in tali Dei amicitia es: sine quo dono nil boni tibi euenire potest: cum sis Dei inimicus, & secundum præsentem iustitiam ad infernum modo damnatus. Nec proderit tibi Christi sanguis nec mors illius in morte tua si inuentus fueris sine isto gratiæ dono: ò si scires illud vt sancti, quanto labore illud quæreres, quanto sudore & bono opere conseruasses vt tandem in vltima ratione tua tali gratia ornatus esses inuentus, ob hoc donum seruandũ quanta passi sunt martyres, quanta ludibria & verba experti?

*Ad He. 11. 6.* O si donum gratiæ scires fidelis, quam vtile tibi sit, quanta solicitudine illud seruasses: & si intelligeres corde vero, quanti mihi Deo tuo redemptori tuo stet, forsitan ob hoc solum prius omnia

nia martyrum tormenta ſubire eligeres, quam vnicum mortale crimen huius gratiæ homicidam perpetraſſe: etiam ſi nil mali tibi euenisſet, ex talis doni amiſsione. Vis vnũ exemplum in ſcriptura notabile audire apertiſsime oſtendens crimen lethale non debere ab hominibus perpetrari etiã ſi nil mali illis ob hoc eueniret, ſolum ob pretium grauiſsimum quo donum gratiæ vobis fidelibus emi creator omnium cum ſim? Audi cordis aure & retine in mẽtis interioribus, vt abhinc terribiliter abhorreas ſcelus mortale quo gratiæ vitam, tam care à me emptam nõ times occidere. Erat Dauid in præſidio contra Philiſtæos, quorum ſtatio erat in Bethlehem, & eorum caſtra erant poſita in valle gigantum: & cum haberet Dauid vina ſuauiſsima (quis dubitat cũ eſſet rex diues & potentiſsimus?) Deſiderauit aquam de lacu, & ait, ò ſiquis mihi daret potum aquę de ciſterna quæ eſt in Bethlehem (forſitan quia ibi natus fuerat talem optabat aquam) iuxta portam. Audientes tale verbum regis, tres milites eius fortes ac robuſtiſsimi, quorũ Abiſai frater Ioab filius Saruiæ princeps erat, dixerunt forte, opprobrium noſtrum eſt regem aquam petere, & etiam vitæ diſpendio non adducere illam ſibi: & irruperunt caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid dicentes, bibe rex hunc aquæ potũ. Vnde attuliſtis illam? Ex ciſterna à te deſiderata. Expoſuiſtis vitam veſtram tanto periculo obiſtũ aquæ potũ? Nolo bibere, propitius ſit mihi Dominus ne faciã hoc: num ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt & animarum periculum bibam? Libabo eam Domino, non tamen potabo. *2. Reg. 23. B.*

O ſi ſcires homo donum Dei, & quanti valoris ſit gratia illius, & quanto ſudore & labore tibi comparauit illam: forſan tãleuiter & irriſoriè non illam deſtrueres ob aquam voluptatis cœnoſam ſitim animæ extinguere non valentem. Omnes nos in continuo bello ſumus contra milites infernales, caſtra ſua in valle gigantęo habentes, quia ipſi ſunt de genere gigantæo: & ſtatio illorum in Bethlehẽ ideſt in domo panis eſt, quia contra nos exiſtentes in Eccleſia, præcipue pugnant, & fontes ſacramentorum cum Holoferne, nobis impedire conantur: & quod magis dolendum eſt, à multis video hoc obtinuiſſe, cum ſemel in anno & tepide & ob conſuetudinem, & ex communionem & ob qua *Num. 13. G* *Iud. 7. B.*

tuor argenteorum metum ad ſacratiſsima pœnitentiæ & cõmu nionis ſacramenta accedant : quod quam graue detrimentum animabus eorum ſit, ſolus Deus nouit: & etiam ipſæ animæ famelicæ & vt canes rabidæ & ad vitia pronæ, aliquid de hoc ſen tiunt. O hominum infelicitas fidelium, qui cum ſint in tam terribili & continuo bello, contra tam ſtupendos hoſtes, & habeãt corpus domini ſui in cibum & ſanguinem in potum, & vinum gratiæ quo omnis ſitis extinguitur: cum hoc deſiderium bibendi de putrida voluptatis ciſterna admittunt, & quilibet illorum dicit, ô ſiquis mihi daret potum aquæ putridæ de ciſterna voluptatis, vindictæ aut furti. Miſer, habes vinum regium, ſanguinẽ nempe Domini tui regum regis quod appoſuit tibi in altaris mẽſa ſapientia, & vinum dulciſsimum gratiæ, & tam dira cupido cor tuum inuaſit vt adeo nociuum animæ tuæ potum deſi
*Prou. 9. A.* deres, in magnam creatoris tui iniuriam? Bene ſcio quod non de erunt tres contra animam tuam fortiſsimi, diabolus ſcilicet, mũdus & caro, milites infernales, qui cito omnia mundi caſtra & fortes mulieres inuadant, & aquam voluptatis tibi adducant: dicentes, accipe, bibe delicijs concupitis fruere.

Audi tamen Chriſtum Dominum, antequam aſſenſum peccandi præbeas & tam execrandam aquam bibendi, & tibi dolẽter dicentem: quid vis facere homo ad torrentem voluptatis cœleſtis create? Quid bibere ſatagis? Expecta pauliſper antequam conſenſum potioni iſtæ amariſsimæ præbeas: per viſcera miſericordiæ meæ in quibus oriens ex alto viſitaui te: & moriens in ligno crucis alto redemi te, vt ſcias donum ſupremum gratiæ quod deſtruere debes tali vitij potu quale ſit, & quanti mihi ſtet: & tunc ſi placuerit bibe. Quanti ſtat tibi Domine Ieſu. Nõ tres milites dedi periculo moriendi, nec tres angelos labori expoſui: ſed tres ſubſtantias meas diuinitatem, ſcilicet, animam & corpus cruci tradidi, & ſic irruperunt caſtra dæmonum & vitiorum vt ex fonte ſanguinis mei talem gratiæ aquam tibi reportaſſent: non exponendo ſe periculo ſanguinem effundẽdi aut moriendi, ſed certiſsime omnem ſanguinem dãdo, & vitam in cruce finiendo: & ſi diuinitas pati nõ potuit: anima triſtis vſque ad mortem facta eſt vſque à corpore meo exiuit: carnem animam & ſanguinẽ dedi: vide modo ſi placet tale donũ gratiæ à me tãto pretio tibi emptũ perdere, ob potũ aquę putridę voluptatis aut

alterius

alterius cuiuſcunq; vitij? Quis tã lapideo & obſtinato corde eſt inter fideles qui talia audiẽs abhinc nõ gemat, quoties maligni milites illi aquã vitij offerãt vt cõſenſu aut opere bibat, & qui non dicat cũ Dauid vere & ex corde: propitius ſit mihi Deus, auxilio ſuo, vt nõ faciã hoc? Peccato nullo modo cõſentiã: aquã voluptatis bibã, à tribus inferni militibus adductã, quæ ſtatim cõſenſu aut opere à me bibita deſtruit donũ gratiæ & aquã viuã amicitiæ Dei, quã diſpẽdio ſanguinis ſui Chriſtus Dñs mihi cõparauit. Nũ ſanguinẽ filij Dei bibã in hac voluptate, deſtruẽdo & conculcando illũ, & non tantũ periculum vitæ illius, ſed vitã datã certe pro me, debeo perdere? Non bibã, peccato non cõſentiam libabo Dño tentationẽ meam, vt auxilium mihi præbeat ad viriliter reſiſtendum vt tale donum gratiæ non amittam in æternum: ò fœlix qui talis eſt, infeliciſsimus, qui his non obſtãtibus bibit vitij aquam quoties offertur occaſio.

O ſi ſcires donũ Dei & gratia illius quanti valoris ſit, & quãti Deo humanato cõſtet non tãcito & leuiter periurio aut voluptate tam ſacrũ donũ dediſſes: vnde iniuriam grauẽ tanto domino irrogas vt tale donum D. Paul. non amitteret, quanta dicebat illum non poſſe à Chriſto ſeparare? Quid ipſe dixiſſes puero ſtulto nihilo pẽdenti lapidẽ pretioſum à patre ſuo magno ſudore acquiſitũ & ſibi traditũ & proijciẽti illũ in terrã, aut pro vno cõmutanti pomo, aut cõculcãti? Dixiſſem certe ò puer, ſi ſcires donũ non ſic conculcaſſes illud: ſi pater eius vidiſſet, quanto dolore dixiſſet illi in puteũ proijcienti margaritã, ò fili ſtulte ſi ſcires doni valorẽ & maieſtatẽ, & quanti mihi ſtat, forſan nõ ita te haberes cũ illa. O puer ſtulte maledicte ſenex, quinquaginta annorũ, cum videã te margaritã gratiæ à patre tuo Ieſu tãto ſanguine emptã vno & altero peccato à te proijcere, cõculcare, & voluptatis pomo amaro permutare, quare cordis lacrymis nõ dico tibi: ò ſi ſcires donũ gratiæ Dei, & quã vtile tibi erat, interne cogitares & quãti ſtet patri tuo Chriſto: nõ ita leuiter illã peccato deſtrueres vtinã pater noſter Ieſ⁹ mihi & tibi peccare volẽtibus dixiſſet qd vis facere? Donũ gratię in puteũ peccati vis ꝓijcere? O fili ſtulte ſi ſcires quãtũ eſt donũ, & quãti mihi ſtet. O ſi ſcires donũ beatitudinis ꝙ gratię dono obtinetur, quale ſit & q̃ ſuper nũ, forte nõ ſic gratiã amitteres vt tãti doni particeps fieres ęternus. O ſi ſcires q̃le gaudiũ erit Dei viſione frui, & diẽ prẽclarũ &

*Ad Roma. 8. G.*

*Simile.*

*Matt. 25. C.* pulchrum neſcientem noctem poſsidere: & vocem laudis & iocunditatis audire, intra in gaudium Domini tui: intra in gaudiũ ſine triſtitia continens omnem lætitiam: vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum: vbi erit quicquid voles, & non erit aliquid nolens. O gaudium ſuper omne gaudium extra quod quis gaudere audet? O ſecuritas non peccãdi ob quam inter alias res, poſt Dei viſionẽ, maxime in cœlo me videre deſidero. Vultis ſcire quam ſupremum donum ſit beatifica viſio? Attendite dona quæ pater æternus in filij ſui incarnatione, morte, & paſſione nobis contulit vt illo fruamur & inde donum gloriæ intelligetis aliquomodo quale ſit. Si optimus lapidarius mille aureos pro margarita præbet, non dices magni valoris eſſe? applica.

*Simile.*

O homo vſque quo vt piger dormies, non vigilans conſideratione vt ſcias intrinſece donum ſacrum à patre meo tibi datum in mea ſancta & admiranda incarnatione? O ſi ſcires vt decet quomodo dilexit te vt me filium ſuum vnigenitum tibi daret, vt interris eſſem & cum hominibus conuerſarem vt affirmat Baruch: de iſto incarnationis dono præcipue verbum meum intelligitur: acſi dixiſſem: ſi ſcires mulier donum Dei patris mundo & tibi in incarnatione mea collatum: patet cum addo, & quis eſt qui dicit tibi da mihi bibere, quia filius altiſsimi ſum & humanitate præcinctus, forſitan ipſa petiſſes à me aliam aquam gratiæ viuam. O donum ſanctæ incarnationis quis digne gratias Deo referre poterit ob illud? Donum quo pater filium nobis dedit, Deus Deum, lumen dat lucem, & omnia bona pariter cum illo, ſi tanto dono grati fuerimus. Quis ſi ſciret virtute & gratitudine ſicut fide tale donum: in ſtuporem non eſſet verſus, & ab omni via mala vere ad Deum non eſſet conuerſus? Si ſcires donũ Dei, ſi ſcires patrem dantem, ſi ſcires me donum tibi datum, & Spiritum ſanctum donum Dei altiſsimi cuius virtute cõceptus ſum: ſicut infinitus eſt Deus dans donum, ſic & infinitum eſt ipſum donum, quod proprie Spiritus ſanctus dicitur. Quomodo igitur iſta mulier ignorans & non ſatis honeſta ſciet donum tale, nempe teipſum, cum dicas ipſe nemo nouit filiũ niſi pater? Vt ſciat, illam inuito & vt deſideret tale donum per fidem agnoſcere & gratiam, vt poſtea me videat per gloriam iuxta merita ſua. Quia dignatus ſum de fœmina pro hominibus & mulieribus naſci: ſatago vt iſta mulier donũ incarnationis meæ ſciat, vt inde aquam

*Ioan. 3. D.*

*Baruc. 3. D.*

*Matt. 11. D*

gratiæ

gratiæ agnoſcat, qua cognita voluptatis cœnum abhorreat tanquam ſitim extinguere neſciens: & ſerioſe intendo in illam, & docere deſidero, quam ilico meam diſcipulam veram & Euangeliſtam fidelem fore agnoſco.

Si ſcires homo, tot dona tibi à me collata ex magno incarnationis meę dono prouenientia, eſt ne poſsibile quin tãtis cooperatus donis, ad vitiorum odium & virtutum amorem veloci gradu ſurrexiſſes? Si ſcires donum nouem menſium in quibus non exhorrui virginis vterum, aliter bona opera concepiſſes: ſi Natiuitatis meæ donum intelligeres iam per gratiam non eſſes natus? Frigori expoſitus fui vt charitatis calorem haberes, & nondum vt decet ſcis tale donum? Octauo die ſanguinem effudi vt ſordes animi tui abluerem, & ſemper maculatus incedis? Fami ſiti & labori & infamiæ per totam vitam expoſitus fui, vt fierem panis tuus & aqua ſalutaris gratiæ, & te à labore culpæ & inferni infamia liberarem, & nondum tale donum conſideras, neque bene operando gratus efficeris? O ſi ſcires donum Dei in contionibus meis tibi collatum, quam aliter eſſes operatus. O ſi ſcires donum Dei ſupra omnia dona eleuatum, quando eleuatis oculis in cœlum accepi panem & benedicens conſecraui verbis illis, hoceſt corpus meum, & me ipſum totum ſub ſacramentalibus ſpeciebus verum Deum & hominem ita potentem me tibi trado, vt in cœlis ad patris dexteram ſedeo: vt haberes vnde patri meo ſolueres debita, & memoriale eſſet paſſionis meæ, & gloriæ pignus & ipſius conſeruatio gratiæ: aliter ad me accederes, alia veneratione me coleres, alioqui timore & tremore filium Dei recepiſſes. Alio amore & charitate cum ſim homo verus & frater tuus: alia fraternitate & proximorum amicitia, cum ſim ſub ſpeciebus ex multis granis tritici & vuæ confectis: denique ſi ſcires tam ſacrum donum & qualis ſim ibi habitans, alia ſiti & deſiderio in virtutibus proficiendi & meritis accederes, cum ſim omniũ virtutum fons. O ſi ſcires mirabilia ibi abſcondita, & dona data digne communicãti, quantum timeres accedere indigne, vt iudicium non manducaſſes, ſed amore & gratia, vt in me maneres & ego in te: vt fons in riuo & ſol in radio.

*Matt. 26. C*

*1. Cor. 11. D.*

*Simile.*

O ſi ſcires homo domum Dei & quam magnum beneficiũ tibi in paſsione mea contuli, aliter me diligeres beatitudinem in magno pretio habẽdo & virtutibus illã inueſtigãdo & me hono

*Matt.26.D.* rando:& aliter peccatum fugeres vt infernum non videres:si tristitiam meã vere scires in nocte qua traditus sum ab anima mea habitam,de peccato non vere contristatus esses, & gaudia vana fugisses?Si scires vt oportebat agoniam mortis cum sudore sanguineo mistam,non te melius ad horam mortis præparares
*Luc.22.D.* abluendo sordes animi sanguine meo in sacramẽtis dato?Si scires ligationẽ meã,alapa & multiplici irrisione comitatam: non contenderes soluere peccatorum tuorũ vincula, me vltra non peccatis percutiendo,& animã tuã irridendo?Si scires oratione iugi,flagella dira pro tuis à me perpessa voluptatibus,est ne credibile quod semper adulter manere debebas,fornicator, & immũdus?Si scires & mente alta ruminares spinas caput meũ perforantes & clauos me cruci ligantes superbires terra & cinis, & iterum me crucifigere tuis delictis auderes? si scires ista dona mea & alia innumera quę dici non possunt, gratitudine debita corresponderes,& ego gloriæ aquã viuã darẽ: & mihi, Amen.

# Homilia Sexta.

*Text.* ¶ Et quis est qui dicit tibi,da mihi bibere, tu forsan petisses ab eo, & dedisset tibi aquã viuam.

SI scires donum Dei in misione filij sui ad mundum, & quis est qui loquitur tecũ & aquã à te petit,& quomodo est filius omnipotentis & fons donorum cœlestiũ de fonte paterno per generationem naturalem & legitimam emanans: & quomodo aquam fictam voluptatis à te peto, vt prebeam veram gratiæ, sitim animæ tollentem:forsan ipsa prius tanquam magis me indigens quam ego te:peteres à me aquam tibi necessariam. O si scires me verum esse Deum fide & charitate,certe aquam beatitudinis à me petisses & ego tibi dedissem:cum vita æterna cõ
*Ioan.17.A* stet in hoc,vt cognoscas me Deum verum esse,fide & opere & patrem qui misit me. O si scires me hic per gratiã, quomodo in cœlo visione beatifica me agnosceres,quæ amitti nõ potest: si scires qualis sim qui aquã à te peto & quo fine,forsitã tu à me peteres:certe peto vt tibi dẽ,quæro vt ipsa veniã delictorum in

ueniasːpulſo ad ianuas cordis tui, vt aperiam tibi viſcera pietatis meæːforſan petiſſes à me aquam qua diues fieres honeſta & Deo gratioſaːcū habeas coram te qui omnia iſta poteſt & vult libenter tibi conferre. Quare dominemi, ſubconditionali ponis mulieris petitionē dicens, ſi ſcires quis ego ſim forſitan petiſſes à me:& tamē ſine cōditione, & ſiue forſan affirmas te illi aquā viuā daturum? Eſt adeo liber & nobilis ex ſua creatione hominis ſpiritus, cum illum in ſua formatione in manu conſilij ſui reliquerim, & liberum ad ignem peccati, & ad aquam gratiæ, vt ad quod voluerit porrigat manum & operationē: quod etiā ſi bona æterna à me promiſſa oculis fidei videat, multoties à me petere non vult illa, neq; bonovſu liberi arbitrij promereri:ſed potius mala culpæ & contraria deſiderat & operatur. Et ſic cū ex ordinatione mea bona ſupra naturalia nō præbeā nolēti, ne ganti & renitenti, ſed petenti deſideranti & cōſentienti:ideo dico forſitan petiſſes vt libertatem creaturæ rationalis inſinuem, qua homo liber eſt ad petēdā gratiā, etiā præſente auxilio Dei, ſine quo petere nō poteſt efficaciter, ideo ſi ſcires forſā petiſſes. *Eccl.15.D*

Cū tamē ego liberalis Dās & magnificus valde ſim, omni petēti neceſſaria ad ſalutē ſibi, & perſeueranter & vt decet, cū alijs petitionis requiſitis omnis qui petit accipit, dixi, ſine forſan ſed certiſsime tribuā. O hominis hebetudo & faſcinatio, & Dei benignitas & magnificētia:in dubio petitionē tuā ponit Deus mē dice & pauper, cum abſq; dubio affirmet ſe tibi daturū petēti? Quis talia inter nos audiuit, vt ſit homo tā pecuniarū inimicus & parū auarus:cui ſi à magno & diuite rege libenter diceretur, ſi voluiſſes à me dona petere magna, & aureos multos, ſine dubio dediſſē ego:quin ſtatim petiſſet? Imo in dubio an dabit rex, multi petere, nō ceſsāt ab ipſo. O rex regū, qui abſq; vllo dubio affirmas te nobis neceſſaria daturū, & nos in dubio an peteremus ponis. Petita accipietis à me certe:tamē forte non poſtulabitis. O cœleſtium bonorum largitor, tu ſine forſan nobis vtilia præbes:& in dubio ponis an nos petere à te velimus? In dubio an dare nobis velles, nos petere certo debebamus, alias quid faciemus? Quanto magis audientes à te ſi forſitā petieritis à me, certo certius reciperetis:inceſſanter petere debebamus talem aquā, magis quā vitam nobis neceſſariā:quid ſine gratia vita corporalis nobis proderit, coram Chriſto iudicante. O mortalium ſini- *Mat.7. Luc.11.B. Simile.*

ſtra fors, & pernicioſa electio, Dæmoni dicenti forſan voluptatis aquam turbidam & vobis ſatis mortiferã dabo: ſi gratia Dei relicta mihi in omnibus ſeruire curabitis: incunctanter obediũt & petunt ab ipſo tam deteſtandam aquam: & de verbis Domini tui aquam gratiæ promittentis vere & competenter petenti, & minantis pœna æterna vitioſo & peccatori adultero, dubitas
Gene.3. C. an forſan dabit & an forte puniet peccantem? Didiciſti inſaniã hanc audaciæ coniũctam, à parente Eua in dubio ponẽte quod Deus certo minatus fuerat dicente, ne forte moriamur, cũ Deus ſine forte dixerit, in quacunque hora comederitis morte morie mini. Tamen ſtatim Dæmoni affirmanti, nequaquam moriemini fidem habuit, conſenſit & comedit, peccauit & morte culpæ animam occidit, corpus morti ſubiacendo. Sic multi miſeri filij Euæ mendacio Dæmonis ſtatim credunt conſentiunt, & illud eligunt, relicto Chriſti præcepto, & in dubio illud ponendo, an pœna cõtra frangentẽ executioni mandari debet: & inde proue nit quod de promiſsis Domini dubitamus, & Dominus dicat, tu forſitan petiſſes à me & ego ſine forte darem tibi aquam gratiæ, ſi ſcires fide & conſideratione quam magnificus ſim.

Vt quid Domine mi, gratiam tuam aquam viuam appellas? Quia ſine gratia impoſsibile eſt animam viuere, ideo viuã ideſt viuificantẽ voco talẽ aquã. Et quia nõ poteſt dari à beatis neq; ab Angelis, ſed à Deo viuo perſe aut virtute paſsionis & ſacra-
1. Ioan. 3. B. mentorũ eius. Dicitur aqua viua gratia ipſa quia quãdiu anima
Simile. illã habet mori nõ poteſt quantũ eſt ex parte gratiæ, Ioan. Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: ſed eſt acceptata ad vitam æternam, & habens illam inter viuos numeratur: & omnia his contratia miſer peccator habet. A qua viua dicitur illa quæ munda eſt & currit & manat à fonte puro, ſuauis & boni odoris exiſtẽs: fructuoſe herbas & olera & omnia quę obuiat irrigãs, donec ad mare ingrediatur, multũ vtilis omnibus exiſtens. O Dei gratia aqua viua à fonte diuino & viuo Deo emanãs munda es quãdoquidem animam ab omni macula tergis, & currere per bona opera meritoria te habẽtẽ facis, imo & pſallere vſq; in vitã ęternam. Vere aqua ſuauiſsima es Deo & te poſsidenti, & optimũ famæ odorẽ omnibus emittẽs: fructuoſe opera ex ſe bona irrigas, cũ meritoria viſionis Dei facias illa: omnibus vtilis es & proficua, donec fœlicẽ hoſpitem tuũ in mare diuinę eſſentię per beatitu-

titudinem introducis: vbi torrente voluptatis Dei potatus siti & fluminis diuinitatis impetus lætificet tam sanctã animæ ciuitatem, & sanctificat. Voluptatũ ac diuitiarum aqua, mortua est & stagnata existens, infructifera imo fructus virtutum suffocans, pessimum odorem omnibus præbens miserillam bibens: vnde Paulus vt stercora omnia mundi reputabat, etiam diuitias illius, & merito: quia etiam si stercus per hortum aut terrã sparsum fructificare facit: tamen in vno aceruo congregatum, infructiferum est & non bonum ex se reddit odorem. O aqua diuitiarum quæ quanuis vtilis sis & fructum meriti præbeas spargenti tam pauper es in charitate: sed congregata & coaceruata per auaritiam, malum ex te reddis odorem, & fructum nullum possidenti te, vsque dum perducas illum ad tormentorum mare & refrigerij guttam cum epulone non inueniat & merito. *Psalm.* 35. 45. *Phili.* 3. 8. *Simile.*

O homo, si scires qualẽ aquã viuã gratię tibi dedissem si à me petisses modo debito: & si scires quis ego sum fons viuus qui à te aquam voluptatis tuæ putridã indesinenter peto vt destruam illam in te, ne ipsa perdat animam tuã: tu vltro petisses à me, & dedissem tibi aquam viuificantem, puram, & fructificantem, non stagnatam, putridam, & infrugiferam vt est aqua tuæ voluptatis: Non putealem sed fontalem aquam præbuissem, hoc est ebullientem, & effluẽtem, audi apertius: dedissem certe tibi Spiritum sanctũ in te per gratiam viuificãtem omnia interiora tua, & pacifice in te habitantẽ. Vt enim fontalis & viua aqua ad extinguendam sitim semper scaturit: ita Spiritus sanctus animæ sitim extinguit & satiat: & cum hoc testimoniũ perhibet illi cõ iecturaliter, quod sit filia Dei (vt Paulus testatur ad Romanos) & post hãc vitam, in æternũ arut sitim bonorũ, dum illos batos, & omni bono plenos reddit. Aut forsan tu peteres à patre æterno & daret tibi aquã viuã, scilicet meipsum Iesum Christum filiũ suum per gratiam: quia per me iustificantur & saluantur omnes qui hucusque iustificati sunt & saluari debent post hac. Aut per aquam viuam intelligo vinum Euangelij verbum: quod in tantam altitudinem ebullit, vt illud operantem in vitam æternam introducat. *Luc.* 16. D. *Simile.* *Roma.* 8. C. *Text.*

¶ Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam?

QVid hoc eſt mulier, vt paulo ante duriuſcule eum Iudæum vocaſti, quaſi arguens illum, & ſine vlla honoris præfatione locuta es iſti peregrino fatigato ex itinere, & famelico ſine pane: modo vero iam Dñm illum vocas, aliquomodo illum honorans? Quid magnificum de illo concepiſti, qui ſedet ſudore madidus, ſine famulo & equo, ſine comitatu, & aquã? Dixit mihi, ſi ſcirem Dei donum: ergo aliquid commercij cum Deo habet: addidit ſi intelligeres me tibi loquentem, ergo magis eſt quam foris oſtendit: promittit mihi dare aquam viuam petẽti, mortem omnem fugantem: vt quid non patiar libenter audire ab ipſo fontem eſſe puteo Iacob præſtantiorem, & honore oris mei proſequar illum pro viribus, Dominum appellãdo, hominem qui tam magnificam orationẽ locutus eſt, etiam hoſpes cũ ſit, ignotus, & Iudæus? Admirabũda verbis oris eius audio, & valde cupiens ſcire finẽ quo verba eius de aqua viua conferenda tendant, ceu nouum præclarum & inauditum promiſſum huc vſque à nullo propoſitum audiens: vnde honoris gratia, & ne me vt indignam à tanto dono repellat, Dominum illum voco: etiam quia ſpecies eius & facies, digna eſt imperio pluſquam Priami, & reuera grauitas eius atque maieſtas non eſſe hominem ioco loquentem inſinuant, ſed ſerio & adfaciendum: certe præclaram de illo concepi opinionem. Reuera mulier, digniſſimus eſt iſte colonus fatigatus nomine Domini, magnifici & no-
Ioan. 13. 8. bilis: imo nomine Dei omnipotentis gaudet, & ſic iuſte eum Dominum vocas: eſt etenim, vt diſcipulis dixit in nocte poſt pedum lotione inqua traditus eſt: & diuina prouidentia elegit te ad conuincendam Iudæorum peruicaciam, qui tantum abeſt poſt tot conciones & beneficia ab iſto Ieſu collata illis, vt dociles ſe præbeant, & Dominum vocent: vt & doctrinam ſuam & bonum opus calumnientur, & Samaritanum & Dæmoniacum
Ioan. 8. 7. loco Domini appellent.

Reuera mulier, ipſa met cœleſtis prouidentia contra multos proteruos fideles elegitte, qui ex beneficijs diuinis crudeliores efficiuntur, & contra Dei miniſtros & concionatores veros, obſtinatione execranda inſurgunt: tantum abeſt vt illos honorent & Dominos vocent, quin omni infamiæ genere aſpergunt, & hypocritas & nouorum Dæmoniorum annuntiatores (vt Athenienſes vocabant Paulum) & ſeminiuerbios, & errorespotius ſemi-

seminare quam auferre vt cõtra Diuus Hieronymus, atq; peccatores esse affirmant. Cum tamen ista mulierc̃la vnico verbo Christi apta, ciuiliter & manſuete reſpondeat ad omnia: tantoq; ardore doceri geſtit, æſtuatq; veritatẽ ſcire, vt oblita aquę, cuius gratia venerat, tota ab ore eiuſpendebat, quem ignorabat, & de quo præclara non didicerat: vnde Dominum vocat vt benevolentiam à dignitate perſonæ captet, & plura velit ipſam docere, inde aquam ſalutarem gratiæ obtineat. O miſeria noſtri temporis, ſic ſe habent modo mulieres (quæ magis honoratæ reputantur) circa ſacras conciones, & erga miniſtros ſermonum: ſic & gigantes, ideſt homines viriles & ingenui & prælati: nil magis apud illorum corda obliuioni datum eſt, quam verbum Dei & concionator loquens calore & Dei zelo ad cor non ad aures. Domine, neq; in quo haurias habes aquam quomodo illam mihi dabis? Si de aqua voluptatis intelligis mulier, verum neſciens affirmas, quia nõ habet filius Dei in quo hauriat aquã mundanæ voluptatis, cum vti illa non poſsit. Quia peccare, etiã ex ea parte qua homo eſt, non valet, cum anima ſua beata fuerit ab inſtãti ei⁹ creationis: nec vult milites ſuos tali ſatiari aqua. Si intelligis de aqua iſta elementari decepta es: nam qui verbo ſua cuncta creauit & etiam aquam facilius poterit ex fonte ſine inſtrumento aliquo haurire. Tamen ne ſenſualiter capias aquã iſtam, quia hoc malum genus mortalium inuaſit & peſtis dira: vt cum homines ſenſibus & terrenis rebus dediti ſunt, omnia ad talia interpretãtur, neq; de ſpiritualibus aut cœleſtibus plus intelligunt, quam animantia bruta ratione carentia, quæ natura prona creauit: & ventri in omnibus obediẽtia: ſic iſta mulier intellexit, ſic & omnis homo ſenſibus traditus.

*Actu. 17. D*
*In prolo. Ioh.*

Acſi dixiſſet mulier (aquam viuam intelligens aquam canalem & viſibilem illam externam, effluentem & ſcaturientem) neq; in quo haurias habes, quia non habes vrnam aut amphorã neq; reſtim: ſed neq; hic fons viuus inuenitur qui inſtrumento ad hauriendũ non indiget, ſed puteus eſt altus & profundus, vnde ergo habes aquam viuã? Omnia bona quæ Chriſtus promiſit, caro putrida & homo vermis, in ſcandalum & ſtultitiam acceperunt: & ſic irriſorie omnia verba & facta illius interpretabantur: vt modo carnales faciunt: tamen vide mulier, & attente conſidera peregrinum ſedentem eſſe ciuem cœleſtem,

imo

imo Angelorũ vitam & fontem gratiæ infinitũ, & habet vas in quo hauriat tibi & omnibus, nempe, humanitatẽ ſuam, iſtã aquã viuam ſanguinem effundendo: & reſtim longam ſuæ miſericordiæ infinitæ: tantum ipſa & omnes vnam animę noſtræ diſpoſitam ad recipiendum fide & opere habeamus. Puteum altum eſſe fatetur iſta mulier, ſed omnis puteus (ait Diuus Aug. in Ioannem) fons, nõ omnis fons puteus: vbi enim de terra aqua manat & vſui præbetur haurientibus, fons dicitur: ſed ſi in promptu & ſuperficie ſit, fons tantum dicitur: ſi autem in alto & profundo ſit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen nõ amittat. Poterat dicere Ieſus huic mulieri, gaudeo equidem à te puteum vnde aquam voluptatum haurire nõ ceſſas audire eſſe altum & profundum, & quod non minimo brachiorum labore tam nociuam animæ tuæ aquam haurire te oporteat, iam incipis cõfiteri quanto labore & dolore delicias emas, vt ſaltim ex hoc illas ab horreas: quia velit nolit omnis voluptatis amator pluſquam Dei, magno labori ſubditus eſſe debet, quem laborem teſte cõſcientia verbo aut ſigno, gemitu aut ſuſpirio alijs oſtendere debet, dicẽs: vere altus eſt & profundus vitiorum puteus & magno labore obtinetur voluptas fugax cito diſparens: quid inſanior illam quærendo? Initium ſalutis eſt fateri labore & dolore tẽ vitium emiſſe.

*Tract. 15.*

Reuera etiam ſi ore impij non fateãtur labores quos in hac vita ferunt Deũ offendẽdo, quia tanquã vitia diligẽtes multa onera vt beſtiæ ferrẽ non timent, puteus altiſſimus eſt vnde ſuum fictum & deteſtandum gaudium haurire non dubitãt: & dolores ſui, bonorum ieiunia ſuperant, & omnes ſanctorũ labores. Sit in exẽplum nobis ille prodigi filius, quẽ non legimus nec minimũ laborem fuiſſe paſſum quãdiu ſub cura paterna manſit. Sed cũ primum patrem benignũ reliquit & peregre profectus eſt & vitijs ſe totaliter mancipauit: inopiam, infamiam, durum ſeruitiũ & famem & nuditatem incurrit, atque porcorum ſumulus effectus eſt, & illis infelicior, cùm non haberet ad libitũ glandes illorum contingent minora damna peccatori ingrato, nolenti filiũ Dei per gratiam eſſe: ſed Dæmonis ſerua vitijs paſcua præbẽs, patre diuino relicto, pedore & mali nominis fœtore circũdato? Impios perſapientiam confiteri fuiſſe laſſatos in via iniquitatis & perditionis qua iniqui & perditi facti ſunt, & ſe ambulaſſe vias peccatorũ difficiles & laborioſas: erat aliud dicere quã puteum

*Luc. 15.*

*Sap. 5. A.*

ex

ex quo mala ſua hauriebant eſſe altum & profundiſsimum, cum tanto labore ad minimam voluptatis guttam hauriendam indigerent: & cum hoc animam propriam in profundum inferni ſubmittebant? Fugit impius (ait Salomon) nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit. Fugit peccator etiam nemine mortalium illum perſequente, & timet: tamē perſequitur à vitio ſuo à Dæmone & praua conſcientia, imo à ſeipſo & à Deo, quia trepidauit timore vbi non erat timor, nēpe de pœna, & non tamen culpam & Dei offenſam exhorruit. Vt inique agerent mali (ait Ieremias) laborauerūt: ſatis amplius quā iuſti vt mandata Dei ſeruarent & beatitudinem obtinerent. *Pro.28.A.* *Pſalm.13.* *Iere.13.B.*

Vnde iſta mulier puteum eſſe altum dixit & non fontem, quia experientia conſtat multo maiori labore aquam ex puteo quam ex fonte hauriri: boni hauriunt aquam gratiæ & meritorum ex fonte virtutum & ex ipſo Deo infinito mari, & ſic paruo labore & guſtu non minimo talem aquam hauriunt. Scelerati vero & peccatores cum ex puteo malitiæ & culpæ putrido aquam toxicatam voluptatis aut vindictæ haurire non ceſſent: & ex infernali aluerca immunes à multiplici labore fieri non poſſunt. De quo Dominus per Ieremiam conquerebatur dicens: obſtupeſcite cœli & boni & iuſti, & contremiſcite terra ideſt terra miſeriæ & ſtupenda infernalis & Dæmones & peccatores de tam horrendo facto: me derelinquunt impij fontem aquæ viuæ: ex quo iuſti ſine labore fere, ad libitum aquam gratiæ & donorum hauriunt, & ipſi peccatores eligunt ciſternas diſsipatas putridas & dentibus effodiunt vt parum gaudij ficti hauriant, cum reuera aquas gaudij & gratiæ continere non valeant tales vitiorum ciſternæ, ſed diſsipant omnia bona. Ratio efficax mihi videtur, quare peccatores maiores patiantur labores aquas voluptatum hauriendo & ad inueniendum infernum, quam iuſti inieiunijs & pœnitentia continua, & ad beatitudinem obtinendam: quia cum peccator maneat gratia Dei deſtitutus, & per conſequens ab ipſo Deo alienus & odioſus, & relictus: ſolus & ſine auxilio manet miſer ad omnes illos labores contra Deum ſumptos perferendos: quia Deus non vult, & Dæmon non poteſt nec voluntatem habet illum aliquo vero ſolatio adiuuare: vnde vt magnos patiatur labores in hauriendā aqua de tam profundo & alto puteo neceſſe eſt: *Iere.2.C.*

quia

Eccle.4.C. quia ſolus & maledictioni derelictus. Væ ſoli & ſine Dei auxilio ad incommoda huius vitæ perferenda: qui cum cadat in culpam non habet aliquem aliquo ſolatio ſublevantem illum: & ſi dormierint duo ſomno laboris, iuſtus & Dei gratia cum illo: fouebuntur mutuo inuicem ſolatia dantes: vnus miſer, & peccator & Dei inimicus ſolus & in laboribus poſitus, quomodo caleſiet aliquo ſolatij calore? Iuſtus vero quomodo non libenter omnes labores & dolores paſſus erit, cum ſit gratia Dei munitus ab Angelis & ſanctis, ab Eccleſia & ſacramentis & ſuffragijs Matt.11.D. eius imo ab ipſo Deo adiutus? Ideo iugum vocauit onus mandatorum eius Chriſtus, quia ipſe adiuuat volentem illud recta impletione portare: puteus altus eſt malis vita ſua laborioſa: fons dulcis & ſuauis bonis eſt omnis eorum labor.

Cupis videre ò homo, quam altus & profundus ſit puteus ex quo haurire aquã ficti gaudij contendis, in Dei iniuriã & animę tuæ detrimentum: & quantos vt ſubeas labores infructuoſe imo Simile. damnoſe neceſſe eſt? Vidiſti mulierem debilem amphorã magnam in profundiſsimũ puteũ, reſti ſemifracta ligatã, immittentem, & magno brachiorum labore educentẽ: & quando cogitat illam venire aqua plenam paruo ictu aut reſtis fractione, in putei profundũ reuertitur confracta, & ipſa mulier nec aquæ guttã ad ſe portauit tanto expoſito labore? Quid deinde? Quid? Ipſe peccator fragilis iſta mulier debilis es, omni tẽtationi te ſubdẽs: quid amphora terrea niſi anima tua terrenis dedita es? Magna certe eſt, & ad magna præmia vocata & multũ peccato ponderoſa à te effecta: & cũ hoc audes miſerã audacia infernali in profundiſsimũ peccati puteũ immittere, reſti fragili & fractioni multum vicina, corpore nempe tuo, ligatam talem delendam animã ſubmittere, vt inde haurias guttam deteſtandam voluptatis caducæ. Heu quoties audientes me, talem inſaniam perpetraſtis, multo periculo tam nobilem animæ vrnam exponentes, & labori grauiſsimo vos ipſos exhibentes: quia etiamſi anima, ſpiritualis cum ſit ex ſua natura ſurſum tendat & in domum ſuam cœleſtem, ad quam creata eſt inceſſanter ex ſe anhelet: tamen onere peccati deteſtando trahitur ad ima & multum ponderoſa conſtituitur. Inde conſidera, quanto te ſubijcis labori, ſi animam culpæ onere depreſſam, ex inferni profundo, in quem peccando, quantum eſt in te, immittis, tanta grauedine onuſtam cogitas

gitas extrahere, & à tali cœno peccati liberare: impoſsibile tibi eſt ſine Dei auxilio inde illam educere. Tamen brachijs & totis viribus tuis, voluiſti in illa, voluptatis aquam haurire non minimo labore: & quando cogitaſti plenam videre illam & ſatiatã: vacuam, & ſine gaudij gutta, imo & ſine ipſa voluptate putrida inueniſti fractam & horrendam, miſeram & dolendam: quod ſine lacrymis cordis hoc dici non debet.

Time tamen audax laborator, & inanis peccator, ne toties vr nam miſeræ animæ tuæ reſti fragili corporis aut ſpei longioris vitæ ligatam in tam horrendum puteum peccati immittas, voluptatis aut ludi aut vindictæ ſiue alterius cuiuſcunque vitij: quia certe poſt tot labores poſt tot rerum diſcrimina, poſt innumeros timores diurnos pariter & nocturnos, externos & internos, vt adulter patitur, ſi maritus venit, ſi tegula ſupra caput cadit, ſi iuſtitia in furto inuenit ipſum: velis aut non poſt iſta omnia reſtis corporis tui frangi debet & plus cito quam volueris, & tunc impoſsibile eſt, iuxta decretum à Deo, quin anima tua in mortali inuenta fracta & miſera, & horrenda & ſine gaudij gutta cadat miſerabiliter, & ſine aliquo remedio extrahendi, (velut amphora confracta in minutas partes in profundiſsimum puteum cadens) in profundum inferni puteum: cum in inferno nulla ſit redemptio. Audi hoc ipſum prophetam dicentem: non dabit Deus, in æternum, fluctuationem iuſto etſi in tempore permiſerit: qui curam ſuam in illum iactauit, & noluit ex puteo peccati aquam gaudij ficti haurire: tu vero Deus meus miſeros homines non verentes animas ſuas, tanquam amphoras, in puteum delictorum immittere, ad aquã gaudij nociui hauriendam: quando in morte illorum reſtis corporis frangatur, deduces eos & præcipitabis ſine gutta gaudij aut diuitiarum, imo miſeros triſtes & confractos, in puteum interitus, ideſt in infernam mortis æternæ foueam, cum ipſi ſe dimiſerunt in puteum culpæ horrendum. Si dicis non erit hoc tã cito, non moriari ta ſubito, non frangetur reſtis corporis mei ita velociter. Non? Ait ibi Dauid: imo viri ſanguinum, & peccatis ſanguinolẽtis dediti, & doloſi, qui nõ ceſſant aquã voluptatũ contra Dñm educere & inique agendo laborare: non dimidiabunt dies ſuos, ſed in dimidio dierum ſuorum quando non ſperant, vadent ad portas inferi, & intrabunt in puteum interitus æter-

*Pſalm.* 54.

*Iſai.* 38. B.

æterni, vt timebat Ezechias, etiam si ille de purgatorio dicebat.

Puteus vitiorum altus & laboriosus est peccatoribus cum in de hauriant aquam vitij cœnosam, qua infirmati moriuntur per petuo: fons dulcis & fere sine dolore est virtus, ex quo iusti aquã meritorum hauriunt cuius ope viuunt. Esau venator venit de ve
*Gene.25.D.* natione & de agro lassus: tua culpa Esau, lassatus venis de venatione perdita, mane in domo cũ patre Isaac sancto & Rebecca benedicta & absque labore eris. Iam vides Iacob, quiete manere domi & omnia necessaria habet, neque famem expertus es vt ipse, qua primo genituram vendis. Peccator, vt quid nõ manes in Ecclesia per charitatem sicut es per fidem, cum patre tuo Christo & matre sancta Ecclesia, & virgine Maria? Esau pilose, vt quid laborare vis in vitiorum venatione, & in voluptatum aqua hauriendã? Certe sine labore panem Angelorum haberes, & cœli primogenituram possideres: & vnica vili & detestanda peccati refectione, omnia quæ pater tuus Isaac, Angelorũ risus Christus Deus noster, in crucis altari moriendo tibi lucratus est: non times vendere, dilapidare & perdere post tantum laborem? O Iacob fortis, & fidelis contra vitia viriliter pugnans, quanto minore labore in domo Ecclesiæ per fidem & charitatem manes, donaã patre tuo cœlesti accipiens, & consilia à matre Ecclesia, quibus cœlestem emas beatitudinem, & benedictionem æternam accipias: quam impij labore & dolore vendunt nolentes benedictionem & sic elongabitur ab eis, & maledictionem tan-
*Psalm.108.* quam vestimentum à planta pedis intus & foris induentes. Peccatores insani, ob hoc solum peccata relinquere debebatis, quia
*Psalm.13.* labores magnos vos ferre oportet: Audite Dauid dicentem: contritio & infelitas in vijs eorum, idest, in operibus peccatorum: contritio & conscientiæ remorsus erit omnibus malum operantibus hic in hac vita, etiam in ipsis voluptuosis operibus: quem fructum aut gaudium tunc in ipso opere nefando in his vitijs
*Roma.6.D.* in quibus nunc erubescitis (ait Paulus) habuistis Romani? Et in futuro Dauid, quid illis erit? Infelicitas, & damnatio, & maledictio: & quæ maior infelicitas quam Deo in æternum carere, & ab igne torqueri? O Dei misericordia qua motus pater cœlestis in ipsis peccatorum vijs & operibus & vitijs, labores atque dolores tanquam spinas ac tribulos seminare voluit, vt saltim amore proprio motus homo vitia abhorreat, ne contritionem talem laborem

borem æternum & infelicitatẽ miſer expertus ſit: etiam ſi amor Dei ne illum ad virtutem moueat. O infelix anima, quæ neque his laboribus, qui conſequuntur vitia, territa ad Deum conuertere te curas.

Quid ipſa anima peccatrix, iudicium faceres de muliere pulchra, delicata, nobili & ab hominibus honorata, quæ maritum ſuum ditiſsimum ſapientem, pulchrum & optimum illamque valde diligentem habens, & in domo ſuo gaudens & ſine labore ab omnibus famulatum acciperet: illum reliquiſſet ſine aliqua cauſa & iurgio domi habito, & pedeſter per vias duras & difficiles (coniuge optimo dolẽte relicto & infamia reſperſo) lenonem ſequeretur crudelem, pauperem & deformem, magnos patiendo labores, deformis ipſa nuda atque famelica, quid de illa ſentires? Quod deſtituta à ſenſibus eſſet: & ſupplicio magno digna, atque vt à viro amplius reciperetur indigna: & vt labor & infelicitas eſſent in omnibus vijs eius vſque ad mortem. Tuo ore te iudico anima audax & effrons, in peccatis exiſtens: quãdo in Dei gratia manebas, pulchra diues & honorata, nobilis delicata & virtutibus valde ornata eras: famulatum ab angelis accipiebas, quia Chriſtum dominum pulchrum & ſapientem, diuitem & patris bonitatem & dignitatem in ſponſum habebas valde te diligentem, & in domo ſua, ſcilicet eccleſia, te charam habẽtem. Nil tibi deerat, cum cibus ſanguinis Dei & corporis eius abundans tibi erat: quis te faſcinauit inſenſata, aut quæ dira inſania inuaſit te, vt vnico mortali crimine tã venerandum reliquiſſes coniugem infamatum & valde triſtem: ſi capax triſtitiæ eſſet: &, tãta quietudine relicta, lenonem infernalem, & peccatum eſſes ſecuta, laboribus plena pedeſter & deformis, nuda & inhonorata, dic anima infelix? Quo flagello digna es? Certe indigna, vt iterum reciperis ab ipſo es. *simile.*

Audiſti malitiam tuam, & laborem, quem potius quam gaudium elegiſti? Audi & ſponſi tui Chriſti benignitatem & amorem: quid omnes de bonitate viri ſuprapoſiti dixiſſent, ſi ſpinas & tribulos in via per quam itura erat mulier illa perdita & peccatrix, ſeminaſſet, & laborioſam maceriam (vt ſic non tranſiret, ſed ſaltim laborem abhorrens ad proprium reuerſa eſſet maritum, ipſam gaudenter recipiẽtem, & ſine aliqua exprobratione admittentẽ) cõpoſuiſſet? Diuina eſt ſimilitudo & in Amos à diui *simile.* *Amos. 2. A*

no ſpiritu compoſita, & reuera magna bonitate ſupra quam dici poſſet prædituſ eſſet talis vir. Deus meus & domine mi Ieſu, qui poſtquã ab anima peccatrice iniurioſe relictus es, vias illius
*Dani. 13. D.* ſpinis & laboribus reples, & cõſciẽtiæ remorſibus, & timoribus: vt ſic ſaltim anguſtijs vt Suſanna, circundata, dicat inſana, quid volui facere? Quãdo inuenta eſt ſic ſtulta mulier, quæ talem reliquiſſet maritum vt ego, vt crudelem dæmonem Radamanto crudeliorem ſequerer? Reuertar Dei auxilio ſaltim ne ſim tot ſpinis cruentata ad ſponſum ſanctum me libenter recepturum pro ſua benignitate, neque malitiam meam exprobraturum, vt ipſe per
*Iere. 3. A.* Ieremiam promiſit dicens: tu fornicata es cum amatoribus multis, tamẽ reuertere ad me, & ſine exprobratione recipiam te: alias certe puteus altus eſt vitiorum, & magno labore aquam hauries. Vnde habes aquam viuam fatigate peregrine? Ab eſſentia mea mihi à patre communicata ab æterno per generationem, aquam viuam gratiæ infinitæ habeo: & in quantum
*Ioãn. 1. B.* homo ſum plenitudinem gratiæ ad ſoluendum pro hominibus & illis gratiam dandam ab eſſentia collatam tenens: ideo meus dilectus plenũ gratiæ & veritatis me appellat certe ſeculum hoc nequam, protinus illa caret cum videatis omnes mori, non
*Actor. 4. B.* ſolum in corpore ſed etiam in anima, ſub cœlo neque in cœlo, ſi à ſurſum vſque deorſum gratiam perquiras non eſt niſi à me donetur: hinc Petrus non eſt aliud nomen viuam gratiam conferens, niſi Ieſus: ſi à ſurſum vſque deorſum illam inueſtiges, & cuncta inſpiciantur, impoſsibile eſt vt præter me inuenias illam, vide vnde aquam viuam habeam, ex me & in abundantia omnibus digne quærentibus illam cito & in tempore viuere deſiderantibus: vt in æternum illa adiuti fruantur ſempiterna gloria. Amen.

# Homilia Septima.

¶ Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius & pecora eius?

Acſi

Ac si dixisset mulier, si illi patres adeo graues vt Abraham Isaac & Iacob & filij sui aquam viuam mortem tollentem, & animi sitim extinguentem, in hac lacrymarum & miseriarum valle non potuerunt inuenire cũ mortui sint: tu qui meo videri maior illis nõ appares, vnde aquã viuam habes? Aut da illã, aut non sis tã audax vt quod prębere non vales promittas. O mulier prudẽs, quæ tot Christo obijcis inquirendo vnde aquam viuam habeat: vt saltim sic accipias ab ipso medicinã mortem tollẽtem. Iacob tanto labore puteũ istum nobis dedit: & ipse sedens poteris mihi aquã viuã, & fontalem sine aliquo dolore & labore conferre? Quis tu es? Certe maior sum Iacob, quanto maior est cœlestis meus pater, ipso Isaac patre Iacob: & in quantũ homo sum, valde illo excelsior in omnibus consisto, etiam si hic fatigatum & famelicum, sudore madidum & sitientem me vides colonum. Ille fugit Esau iram, ego Iudæorum rabiem non euadam, *Gene. 28. B.* & omnia libẽter patiar: dummodo animabus sitiẽtibus salutem suam & desiderãtibus, & omnibus modis quærentibus vitã spiritualem, relinquam istam aquã gratiæ viuã. Certe absq; vlla comparatione multo maiore labore hanc aquam hominibus comparabo, quam Iacob hũc puteum fodit: cum sanguinem meum & vitam effundam, dummodo sacramentorum fontem in Dei Ecclesia constituam, vnde fidelis verus gratiam haurire poterit.

Vnum tamen velim vt intelligas mulier, ex verbis tuis sumptum notabile, quomodo velis aut non ipsa fateris, ex eodem puteo & ex eadem aqua Iacob & filios eius bibere, sicut & pecora eorum. Quia reuera dolendum est de hominis nobilitate, & animæ grauitate, quæ cum sit spiritualis & ad imaginem Dei facta, & illius amicitiæ capax, imo & visionis beatificæ & spiritualia bona & dona sint eius cibus: veniat homo bruto similis & det illi in cibum & potum animalium irrationabilium aquam & herbas, nẽpe voluptates, & corporeas res & nociuas. Ob hoc solum detestari debebas ò homo fallaces delicias, quia tibi & asino communes, & vnde muli bibunt & ipse potare non erubescis, quia ex eadem voluptatum aqua & ex eodem potu quẽ pecora bibunt sic & ipse nobilis homo bibere audes. Ita vt sicut corporalem aquã habes cum bestijs communem: ita etiã & animæ tuæ, voluptates brutorum in potum præbes. Audi, quia in vase *Simile.*

argenteo ipſe aquam fontis bibas, & aſinus in canali ligneo: nun quid nõ eandem potas aquã? O anima, vas argenteũ & aureum puriſsimum ex natura tua: & cum hoc à malo homine inclinaris vt aquam voluptatis recipias, quã animal brutum in ſuo vaſe terreo & ſenſuali recipit: tamen eadem aqua voluptatis putrida
*Simile.* non eſt? Fons ſignatus, hominibus patet, & beſtijs negatur: ſic & gratiæ aquam ſi bibere vis eſto homo, viue vt talis, ratione vtens legem Dei ſeruans, & fons erit tibi patens: alias, quandiu ſimilis in vita fueris pecoribus, non licebit tibi ex tam ſacro gratiæ fonte bibere. Hoc ipſum inſinuat ſpiritus veritatis, quãdo in
*Can. 4. D.* Canticis dicit: hortus concluſus ſoror mea ſpõſa: hortus cõcluſus, fons ſignatus: ſoror mea eſt gratia, quia mediante illa animam facio ſororem meam: ſponſaque mea eſt, eadẽ de cauſa, quia animas quas mihi in fide deſponſaui, & iuſtitia & iudicio, vt dico
*Oſe. 2. D.* per Oſeam, maiori vinculo charitatis mihi iungo: eſt tamẽ hortus concluſus iſta ſoror mea gratia: quia hominibus viuentibus vt decet patet: & tamen porcis immũdis cœnum peccati potius eligentibus, quam virtutum flores clauſus eſt, & illis non patet ingreſſus, eſt etiam dupliciter concluſus talis gratiæ hortus: quia quibus hic non aperitur, impoſsibile eſt vt poſt hanc vitam illis non ſit cõcluſus, eſtque fons ſignatus gratia, quia datur hominibus & negatur brutis, & animabus eãdem voluptatum aquam cum pecoribus bibentibus.

¶ Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum.

O Chriſti humilitas (vt ait. D. Bonauen. in de vita Chriſti.) angelorum magiſter, ò multorum cõcionatorum ſuperbia, qui ſi ampulloſa verba ſua, virtute calore & ſpiritu carẽtia: inter paucos fundunt audientes, nedum cum vno, ea perdita reputant. Attendite declamatores elati, vos ipſos quærentes non quæ Ieſu Chriſti & animarum vtilitatem: conſiderate cœleſtem concionatorem, vnicam mulierem & gentilem, & peccatricem & in campo quartum fere Ioãnis caput & diuina verba docentem famelicum ſaltim hora ſexta ieiunum & ex itinere fatigatum & myſteria altiſsima atque recondita illi aperiẽtem: vt quid vos dedignamini loqui de Deo, vni vel duobus, & conciones facere, niſi adſit copioſa audientium turba? Ne dedignemini paucos & abiectos peccatores docere cœleſtes veritates per viſcera Chriſti,

omnes

omnes qui auſi eſtis tam ſublime & ſacratum prædicandi officium, & arguendi accipere: quia minimus hominum nõ minori pretio emptus à Chriſto fuit, quã Rex Philippus: neq; pro iſto plura flagella, quã pro illo paupere & abiecto pertulit, ſed eodẽ ſanguine redẽptus eſt pauper ac diues, & vnus vt omnes. O mulier (ac ſi dixiſſet benignus Doctor) omne quod mihi obijcis tua met reſpõſione confuto: quia aqua mea quã daturus verè & decenter petẽtibus promitto, nõ ex venis terræ procedit, ſed ex cæleſtibus meatibus, nõ ab homine puro, ſed à Deo vero & homine perfecto ſimul: nõ ex terrenis affectibus, ſed ex cæleſtiũ deſiderijs, ſimul cum operatione recta. Nõ iacet in profundis puteis aqua gratiæ, neque in vitiorũ ciſternis, ſed in fontibus cæli limpidiſsimis, & riuulis puriſsimis donorũ Dei. Nõ eſt ex illa aqua ſitim non tollẽte, ſed verè animæ deſiderium adimplente: non reperitur in aluercis rubetarum, aquas donorum Dei continere nõ valentibus, ſed omni odore peſsimo repletis ranis & conſcientiæ remorſibus. Reperitur tamen in fontibus ſacramentorum mundiſsimis, ſanguine meo purificatis, ab his qui puro corde & fide perfecta, & confeſsione legitima & peccatorum deteſtatione, & vitæ nouitate ad ipſos accedunt fontes. Non hauritur diuina iſta gratiæ aqua ſitula ferrea atque pecuniarum cupiditate nociua, neque amphora voluptatis immundæ, vt cogitant auari & carnales ſeipſos decipientes: ſed contritione debita delictorum, & vrna veræ confeſsionis atque ſatisfactionis, & aquis lachrymarum: ſic hauritur aqua gratiæ.

Corporis ore non ſumitur, ſed animi præparatione, & debita operatione: ſitim corpoream non extinguit, cũ ſpiritualis ſit; ſed animi deſiderium adimplet: non ad tempus vt aqua iſta elementaris, ſed ſi talis gratiæ aquam in animæ vrna Dei auxilio conſeruaueris, in æternum ſitim non eris expertus. Vnde cum author primarius & artifex cæleſtis huius aquæ, id eſt gratiæ, ſim ipſe fatigatus quem videslaſſum, & audis, da bibere mihi: non opus eſt mihi inſtrumento ad hauriendam talem aquam viuam quam promitto: nec iacet in puteis terræ altis, ſed in manu meæ voluntatis dandi illam cui voluero: neque eſt ſimilis iſtæ quam modo hauſiſti, aquã voluptatis fictæ ſignantem, & appetitũ magis ſitibundũ relinquentẽ quam ſatiantẽ: ſicut ipſa experientia ſcis, & ego ſcientia. Quæ cum pluries illã biberis, iterũ huc ſicut

cerua percuſſa ſitibunda veniſti, & ad voluptatẽ reuerſa es multoties: & nõ es ſola ipſa decepta, & tanto labore tam fictam aquã inueſtigans: multos & innumeros ſocios habes tam viuentes quã ſepultos iſtam aquam anhelantes. Væ mortuis in tali potu ſine vera confeſsione. Væ Herodi & Herodiadi & innumeris illorũ ſocijs, iam in flãmis edacibus venenum ſerpentũ bibentibus, & de illo in æternum non ſatiabuntur. Væ adhuc viuentibus adulteris, ſi cito tam toxicatam voluptatis aquam legitimè non dete ſtantur; & deteſtatam fugiunt magis quam infernum, ad locum Herodis inhoneſti ibunt. Bene dixiſti mulier, vnde in mũdo exi
*Num.22.C.* ſtens, habeã iſtam aquã viuam, etiam ſi non intelligas quæ affir mas: neſcia certè vt aſina Balæ veritatẽ fateris: totus mundus velut vnus eſt puteus altus ſatis (vt ipſa dixiſti) & abyſſus impenetrabilis, cuius aqua diuitiarum aut deliciarũ, affectibus nõ æquatur humanis, cum nihil ſit in hoc mundo quod ſatiare animas poſsit, cum ſint factæ ad Deum qui creauit illas: & ſic puteus altus & laborioſus eſt, vnde aquam voluptatum homines haurire ſatagunt, ſitim extinguere non valentem: quia nõ adæquat animæ capacitatem aliqua mundi res, nec dum damnoſa atque perueꝛſa voluptas. Iſta Chriſti ſententia eſt valdè acceptione digna, & animabus vtiliſsima, ſi debita attẽtione amplectatur: qua maxima mortalium deceptio & magis nociua fallacia tollitur, cum tali concluſione veriſsima ipſa ſumma veritas apertiſsimè oſtendat: res terrenas, voluptates, honores, atque diuitias ſiue dignitates, aut cuiuſcũque alterius generis delicias, impoſsibile eſſe animam ſatiare, atque eius ſitim totaliter extinguere, neque eius capacitatem adimplere.

Ratio huius aſſertionis veriſsimæ talis eſt: creauit Deus animã tuam rationalem ô homo, tantę capacitatis, vt ipſum Creatorem per gratiam diligat, & eius amicitiam valeat poſsidere: deinde ſi in tali Dei amicitia à corpore egreditur, lumine gloriæ adiuta viſionis beatificæ ipſius Dei efficitur capax, ita vt apertè videat Deum ſicuti eſt (vt ait Ioannes) ſimilis illi quodammodo eſſendo, & diuinam naturam (vt ait Petrus) participando, & eius con-
1.*Ioan.*3.*A* ſors effecta. Anima igitur tua cum ipſius eſſentiæ diuinæ capaci-
2.*Petr.*1.A tatem apprehendere valeat, Dei auxilio, etiam ſi nõ comprehen-
*Matt.* 11.*D.* dere (cum nemo noſcat Patrem, id eſt cõprehendat, niſi Filius & Spiritus ſanctus, & Filium Pater) quomodo igitur fieri poteſt,

vt

vt voluptatibus aut diuitijs caducis & nullius ſaturitatis, ipſa ſaturari & adimpleri poſsit? Impoſsibile eſt vt minus quam Deus & gratia ipſius cõfirmata, animæ capacitatem adimpleat. Quod ſcite D. Auguſt. vt omnia, ſic oſtendit: feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec perueniamus ad te: ac ſi dixiſſet ſanctus vir, feciſti nos Domine ad te fruendum, & videndum, & ad tam ſupremum ſtatum capacitatem animabus noſtris dediſti: quomodo fieri poterit vt aliqua alia re creata noſter animæ appetitus ſatiari poſsit & ſedari? Impoſsibile eſt, & ſic inquietum eſt cor noſtrum nulla alia re contentum, nec ſatisfactum, donec perueniamus ad te fruẽdum, videndum & laudandum. Omnis qui bibit ex aqua huius vitæ ſi non eſt gratiæ, velit aut non ſitiet iterum: & omnis ſine vlla exceptione, Epiſcopi & Prælati, Reges & Imperatores, agricolæ & ruſtici paſtores: denique omnis homo & mulier, ſenes aut iuuenis non ſatiabitur aqua voluptatis, aut diuitiarũ, aut alterius rei corporalis aut ſpiritualis huius vitæ inuentæ ab hominibus. Videt medicus infirmũ febre ardentem & magnã ſitim patiẽtem, & cum hoc os aqua abluentem & manus, cogitãtem ob hoc ſitim extinguere: & ait illi vt prudens, & in arte medica expertus: frater mi, noli talia facere, quia ſic non tollis ſitim, quin potius in augmentum illam deducis: quia cum ſitis procedat à febre, & malo humore humidum radicalem extinguere conante, ſuam ſedem præcipuè in ſtomacho habentem, ſi illuc non peruenitur potatio, quomodo ſitis extincta erit? Imò cum calor, contrariũ frigus fugere contendat, ab ore abluto tendit in ſtomachum & ſitim adauget verè. *simile.* *simile.*

Ego medicus cæleſtis video te peccator, ſitim magnam in animæ ſtomacho habentem; velis aut non, ad Deum viuum fontẽ, tibi eſt eundum, quia nullus præter illum extinguere valet talem ſitim: & cum hoc tibi ſuades abluendo os aliqua voluptatis aqua aut manus aliquo ludo lauando, talem poſſe extinguere ſitim? Falleris certè & febre damnoſa laboras, & inſana atque pernicioſa: & magis ſitim excitãs es, quoties ſic abluẽdo os voluptati vãcas, cũ calorem fictũ tentationi addas, & humiditate gratiæ careas, & occaſionẽ augeas, & ſic extinguere ſitim animæ & capacitatem eius adimplere impoſsibile eſt: ego veritas ſumma dico, & ita erit, ſities iterum certè voluptati dedite. Etiam ſi infirmus in exemplo poſitus aquam ad ſaturitatem bibat, & potione *simile.*

interiora recreet: ſtatim malus humor febrẽ cauſans, in ſe talem potum conuertit, & calorem maiorem accendit, & ſic augetur ſitis: ſi cupis infirme ſitim tollere, expelle humorem nociuum à ſtomacho tuo febrem cauſantem, & hoc eſt primum & præcipuum remediũ ſitim tollendi. Luſiſti ſatis, comediſti, atque voluptati vſque ad vomitum vacaſti, ſufficit iam præteritum tempus, ait D. Petrus: vnde tali potione interiora, tuo iudicio recreaſti: nunquid ſitim iterum auide peccandi extinxiſti? Febrem concupiſcentiæ tuliſti tali voluptatis potu? Minime, ſed multũ in modum auxiſti: quia peſsimus humor concupiſcentiæ calorem tentationis cauſans, tali potu luxuriæ perpetratæ vires acquiſiuit: in ſe conuertens & in ſuo malo & peſtifero humore talem aquã, vnde neceſſario factus eſt maior: & per conſequens calorem tentationis ad iterum bibendum augere debet, & ſitim augmentare nec dum extingere: vtinam multi nõ eſſent audientes, talia experientia ſcientes.

1. Pet. 4. A

Cupis aliquo modo tam rabidam tollere ſitim? Tolle pro viribus & poſſe humorem nociuum concupiſcẽtiæ illi cibum & potum voluptatis non præbendo & calore gratiæ conſumendo: vt febrem tentationis non ſic incendat, & paulatim ſuperes tam deteſtãdum humorem, vt ſic aqua gratiæ animam tuam irriges & quodam modo ſitim extinguas. Etiam ſi in hac vita totaliter extingui non poteſt: vt dicebat Dauid etiã Dei amicus exiſtẽs: ſatiabor, non regno, neq; diuitijs, quanto magis voluptate putrida: imo neq; totaliter in hac vita, etiam in gratia Dei exiſtẽs. Sed quando Dauid? Satiabor dñe, quia non ſatior etiã gratia tua: ſed cum apparuerit gloria tua & viſio beatifica, antea non ero ſatur, ne ſine ſiti. Certe ſtomachatus ſum domine cõtra peccatores, & defectio tenet me, pro derelinquentibus legem tuã, & aquam gratiæ tuæ contemnentibus: ſi gratia tua hic totaliter non ſatiat, quomodo iſti ſcelerati homines delicijs animæ ſitim extinguẽt damnoſis? Dñe, à paucis de terra ait Dauid, diuide eos in vita eorũ: ideſt, perde eos de terra quã inhabitãt, & diuide eos ſimul peccãtes per orbẽ terrarũ, confundẽdo linguas eorũ vt ædificãtium turrim Babel: in iſta vita ante mortẽ ne pereant: Quia ſolã ſuam vitam, hanc putant, qui æternam non quærũt. Aut diuide eos à paucis, id eſt, electis, qui pauci ſunt reſpectu damnatorum multi vocati pauci electi hic, in vita, vt non ſint bonis ſcandalum, nam poſtea

Pſalm. 16.

Pſalm. 118.

Pſalm. 16.

Gene. 11. B

Matt. 20. B.

poſtea certe in vitæ termino illos ſe iunges: & hoc merito peto contra tales homines fœlicitatem in hac ſua vita conſtituentes.

Quia de abſconditis tuis adimpletus eſt vẽter eorũ. Tam grue delictũ eſt hoc Dauid, vt mali de abſconditis terræ, ventrem ſuum impleant? Et non eſt grauiſsimum, ſi de diuitijs male partis, aut de abſcõditis tuis, id eſt, de peccatis quæ tibi abſcondita ſunt, non quo ad cognitionem, ſed quo ad approbationem: venter eorũ, id eſt, capacitas, & appetitus carnalis & ſenſus brutalis eorũ adimpletus ſit? Heu tamen dñe, quia magnum ſcelus eſt quod perpetrant, quia relinquũt virtutum cibaria, & vini gratiæ potũ in menſa tua poſitũ: & animam adimplere de ſiliquis porcorũ, vitijs & voluptatibus, & diuitijs, à te abſcõditis in terræ mineralibus, tãquam ſtercore, vt gladio abſcondito pueris: ſatagunt inordinate, contra legẽ tuam: ſed fruſtra cum ſitim caduca iſta tollere non valeant, ſed adaugere, vt ipſi experientia cognoſcũt. Quid de regis potẽtiſsimi cõuiuis iudicaſſes, ſi relictis regalibus cibarijs quæ dignitas regia parare iuſſerat, & corã ipſis apponere, miro artificio condita, ſalubria & guſtui apta, ſurgerent à menſa, & in turpem coquinam pergerẽt & folia raphanorum aut fines fœtidos ceparũ aut alliorũ caudas, ibi ob regis honorẽ & conuiuarum guſtum abſcõditas & proiectas comederent, ſe dentes in terra, fœtentes & infames: in regis conuiuantis & aliorum ex ore regis non minimum dedecus, & honoris illorum iacturã? Dixiſſes certe, ò indignitanti regis cõuiuæ, cum tam pretioſa relinquatis cibaria vobis appoſita regis imperio, & ſtomachos veſtros tã abiectis & pernicioſis impleatis cibis. De hoc conqueritur Rex Dauid dicens: Dñe à paucis de terra diuide peccatores ingratos, & tuos ſceleratos conuiuas, quotidie ſimilitudinẽ poſitam adimplentes. *ſimile.*

Paraſti dñe, diſpẽdio tuo, non argẽti & auri, ſed ſanguinis tui & ſalutis, menſam virtutũ & ſacramẽtorum in cõſpectu omniũ fideliũ tuorum quos peculiariter cũ tantis beatis, ad cõuiuia iſta & cœleſtia inuitaſti: & tamẽ noluerũt comedere tam ſacra & veneranda cibaria, neq; tam ſuaue gratiæ vinũ bibere: ſed ſurgentes à virtutũ menſa, in magnam tui iniuriam & cœleſtiũ conuiuarum dedecus, & non minimũ illorum damnum, pergunt ad mũdi turpẽ coquinam, & de ſtercore vitiorum, & metallis terræ quæ ipſe abſcõdiſti in minis, tãquam ſtercus & rem vilẽ, adim- *Pſalm. 22. B*

plent ventres eorum in terrenis ſedentes infames; famelici, & ſitibundi, animas acre corrupto vitiorum replentes, & ſacramenta contemnentes. De abſconditis tuis tanquam rebus nullius valoris, adimpletus eſt venter & conſcientia eorum. Si Rex pretioſa vaſa aurea & argentea, cum quibus honoratur, poneret coram te vt eligeres tibi quæ voluiſſes, & ipſe peteres ollas nigras & fœtidas, in abſcondito domus incluſas: quis non iudicaſſet te à ſenſibus alienatum eſſe? O Rex regum, qui habes in eccleſia tua magna dona argentea, & merita aurea quæ hominibus præponis: & volunt multi potius res mundi abiectas, vitia nempè, & fallaces diuitias eligere? De abſconditis tuis adimplent ventres illorum, & ſic impoſsibile eſt vt anima ſitim extinguat. Omnis nemine dempto, qui biberit ex aqua voluptatis, aut alterius cuiuſcunque vitij, ſitiet iterum velit, aut non: imò maiorem excitabit ſitim in ſeipſo, ſicut de infirmo abluēte ore dictum eſt. Heu quã miſerabile piorum oculis ſpectaculum eſt, multos videre fideles aquas voluptatum putridas potantes, & cogitantes illarum potu ſitim animæ extinguere: cũligati pertrahantur ad tartara, vbi guttam aquæ perpetuò nõ inueniant qua flammam pœnarum extinguant. Quanto diſcrimine boni à malis, iuſti à peccatoribus diſcernũtur: boni guſtantes & videtes aliquid de diuina boni tate, accẽdũtur ad maiora, & plorãt atque gemunt ſitientes Deũ fontem firmiſsimi ſolatij, & opere bono anhelãtes ipſum iã videre: etiã ſi omnis ſuauitas Dei in creaturis, nõ ſit niſi velut aſperſio aquę benedictæ hyſſopo facta, & odor pertenuis quaſi roſæ; velociter tranſeũtis: tñ multũ inuitat hoc ad maiora deſiderãda.

*simile.*

*simile.*

*simile.*

Sicut valdè ſitiens non eſt contentus aquæ aſperſione, quam contẽdit habere, bibere, & poſsidere: nec cibi odore famelicus ſatiatur: neque venator, imò & canis deſiderium ſatiat veſtigio feræ quam cupit & captare quærit, donec poſsideat ipſam, & alius aquam bibat, & famelicus cibum edat: ſic omnis Dei amator verus ſublimiter & ſpiritualiter cæleſtia eſuriens & ſitiens, velut canis ſuprema odorans, non ſatiatur his caducis, nec delectatur in potu ciſternæ mundanæ: ſed velut nobilis venator nobiliſsimã diuinitatis prędam anhelans, totis animi deſiderijs, ſuſpirijs ac gemitibus inueſtigat illam: virtutibus & iugi meditatione inſectatur ipſam, donec per beatificam viſionem videat illã: & tunc quieſcit cũ ſponſa dicente: tenui prędam optatam, nec dimittã il-

*Cant. 3. B*

lam

lam iam amplius, cũ peccare non posim in gloria confirmatus. De tali verò diuinæ prædę venatore, nolente aquã huius vitæ sitim nõ extinguentẽ, sed velut cane odorem diuinę bonitatis sem per insequẽte donec apprehendet illã, dicit Salomon: O beatus talis vir qui in sapientia & gratia, & amore filij Dei sapientię increatæ morabitur non peccando, sed tendit de virtute in virtutẽ illam quærendo, & vadens post illam quasi inuestigator: væ tamen cani peccatori quotidie ad delictorum vomitum reuertenti, de quo cum alijs Dei inimicis per Dauid dicitur: & inimici eius terram lingent: hi sunt peruersi fideles qui spreto diuinæ suauitatis fonte, & aqua gratiæ viua, & sitim animæ tollẽte: fonte inquã claro copiosissimo ac omniũ donorum redundantissimo reiecto atq; contempto: terrã voluptatis lingunt, vt canes ius aut brodiũ immũdum super terram proiectum, & vitia damnosa in quibus immerguntur, & inebriãtur, ebrietate qua insaniunt, insania qua fiunt obstinati furiosi, donec vt tales in domo tetra amentiũ infernalium, & ergastulo furiosorum recludantur, & gabijs. *Eccli. 14. C.* *Psal. 71.*

Mirabilis est, imò potius miserabilis tot fideliũ dementia te meritati iuncta; imò immersio & captio dementissima, in vna gutta suauitatis mũdanæ & voluptatis pestiferæ facta est in multitudine magna hominum visionis diuinæ capacitatem habentium, & cogitantium sitim tantarũ animarum posse extingui, in tã paruo vili & detestãdo cœno auaritiæ aut voluptatis, vindictæ aut periurij. Stupẽda insania est, guttã sic nociuam paruã & maledictã: sitim nõ valentẽ catuli extinguere, sed augere incessãter; præferri ab hominibus, & Christianis, & sacerdotibus, & monachis, & prælatis (non ab omnibus nec singulis generũ dictorum, tamen à multis) abysso fontali vel fonti abyssali diuinæ gratiæ aquæ viuæ, & puteo suauitatis cælestis, & diuinæ essentiæ: cum verissimũ sit, imò de fide cum Scriptura sacra testetur, omnis orbis, & quicquid in illo est voluptatis, gaudij & honoris, tã quam momentum stateræ est respectu deliciarum tuarum Domine Deus, & tanquam gutta roris antelucani corã te fons omnium bonorum, sunt omnia dulcia mundi: & cum hoc inimici tui per culpam effecti, terram & terrena, & voluptatis aquã lingent vt canes rabidi, panem gratiæ tuæ contemnentes, & vinum sanguinis tui conculcantes. *Sap. 11. D.*

Aliud est comedere, aliud verò lingere, amatores temporaliũ rerum

*simile.* rerum lingere dicuntur momentanea, quia non inueniunt in eis vnde ſatientur: lingendo etiã panem, potes famem tuam ſatiare homo? Et terrena lingendo cogitas animæ capacitatem adimplere, & famem illius caninã tollere? Deliras certe, & turpiſsimum
*simile.* eſt ac fœdiſsimum, incuruare te animal rationale & nobile, ad oſſa aſini mortui lingẽdum in turpem locum proiecta, ſine hoc quod nec ſitim extinguas nec famem tollas: interim dorſum vertere ad epulas delicate paratas tibi à rege, & vina guſtu dulciſſima contemnere. O brutalis homo, Dei iniuriator & animæ tuæ prophanator: ſunt tibi diuinæ ſacramentorum eſcæ ab ipſo Chriſto conditæ atque paratæ, & vina gratiæ & meritorum ſuauiſsima reſeruata tibi, volenti illis vti vt decet, & dorſum vertis ad tam ſacra conuiuia cœleſtia & terreſtria à domino tibi parata: & animam tuam curuas ad vitiorum oſſa, & voluptatis cœnum in turpem malitiæ locum proiectum, ſine hoc quod ſitim extin-
*Iſai. 55. A.* guas, aut famem animæ tollas? Omnes ſitientes venite ad gratiæ viuas aquas (dicebat dominus per Iſaiam) & qui non habetis argentum habete deſiderium illarum & delectorum contritionem veram (meo auxilio) & certe obtinebitis illas & ſitim tollent. Quare miſeri appenditis argentum facultatum veſtrarum, imo honoris & ſalutis, & non in panibus virtutis & gratiæ animam ſaturantibus? Vt quid tanta bona fortunæ deſtruitis & tantos patimini labores, & non in ſaturitate animi, & ſatietate ſitis?
*simile.* Reſponde te ſi quia iuſtum habetis. Quid mihi reſponderet curialis, ſi argentum quod habebat ad panem emendum, contra famem magnam quam habebat: plumam pictam ad ponendam in pilo emiſſet & fame deficientem his Iſaiæ verbis interrogaſſem, quare appendiſti argentum in re leui & nullius momenti, & non in pane, quo famem vrgentem miteſceres? Eſt quod reſpõdeas? Obmuteſces nec habebis os ad reſpõdendum peccator voluptuoſe, Chriſto domino interroganti in tua ratione vltima atque dicenti: quare ò homo, omnia bona tua dediſti & conſumpſiſti honorem & vitam, & non in pane gratiæ, ſed voluptatis cœno & laboraſti valde & nõ ad ſaturitatem animæ? Quid reſpõdebis? Non ſatiat aqua mundana, velis aut non iterum ſities.

Anima tua rationalis ſpiritualis cum ſit, rebus corporeis in-
*simile.* tumeſcere poteſt, ſatiari vero minime: quid ipſe iudicaſſes de

homine,

homine bouem carne & leonem paleis saturare conãte? Siniſtro ordine procedis, paleas boui, & carnes leoni præbe, alias ambo fame deficiẽt. Quid omne corporale quod in mundo eſt, ad cibum animæ niſi palea? Quid omnis voluptas niſi caro putrida? Boſci to morietur carne alitus, leo viuere non poſſet palearum cibo: & cogitas miſerande homo, animam tuam voraciſsimam & Dei capacem, paleis argenteis, & carne deliciarum ſatiatam reddere? Abſq; dubio ſi cibum non mutas, & virtutes illi ad comedendũ non præbes, fame deficiet, & conſumpta erit: quia nõ eſt leo qui tam vorax ſit vt anima tua famelica: quam Deus ſolus illius famem tollere valet, & ipſe paleis alere curas? Quid de Noe dixiſ- *Gene. 6. D.*
ſes, ſi quando Deus dixit illi, tolles tecum ex omnibus eſcis quæ mandi poſſunt, & erunt tam tibi quam animalibus quæ in arcam introduces, in eſcam & cibum: ſi leoni fœnũ & camelo carnes in eſcam ſumpſiſſet? Quid ſi ipſimet herbã repoſuiſſet? Non ita fecit iuſtus & prouidus Noe, ſed vnicuiq; iuxta genus ſuum, & qualitatem cibũ ſumpſit. Omnes nos in arca Eccleſiæ ſumus fideles, vt à mundi & inferni & peccati diluuio liberemur, adiutorio ciborũ qui per ſacramenta conferuntur nobis: audite quid dominus dicat vnicuiq; noſtrum: tolle tecum ex omnibus eſcis conuenientibus quæ mandi poſſunt, & elige corpori animali ne ceſſaria illi, & animæ rationali præbe conducibilia: vnicuiq; illorum iuxta genus & capacitatem ſuam: corpori da panem & carnem, animæ virtutes & bona opera in cibũ, gratiam & orationis dulcedinem in potum, & ſic viues vt homo iuſtus, & facies vt Noe, & liber à maledicto diluuio aquarum multarũ & tormentorum eris in morte, & ad conuiuium cæleſte vocatus.

O ſiniſtra ſors, & inſania puniẽda: in arca Eccleſiæ, & inter tot malorũ procellas, corpori tuo omnia gaudia ficta quæ inuenire potes: & cibos cõtra Eccleſiæ ieiunia inceſſanter præbes: & vora ci animæ tuæ Dei viſionis capaci voluptatum ſtercora, diuitiarũ paleas in cibũ reponis, & diuitiarũ cœnum in potum? O electio miſeranda, quid reſpondebis iudici Chriſto iubẽti, iuxta genus ſuum corpori tuo dare cibos & in tempore, non cõtra ieiunia & Eccleſiæ prohibitionem, & animæ tuæ virtutes & bona opera præbere? Relinque brutis paleas, tibi autem cibos virtutum qui nõ pereũt, ſed animã ſatiant & ducũt in vitam æternã. Cum non ſis tã ſtultus vt corpori tuo paleã præbeas in cibũ, & ſi dares ſta-

tim

tim deficeret & animam conſeruare non poſſet, vt quid omni amente es amentior, vt nobili animæ tuæ voluptatis cœnum, & deliciarũ paleas dare non dubites, cum certo certius ſtatim deficere à virtute & eius viribus debeat, & gratiam impoſsibile eſt tali cibo cõſeruare? O miſera anima, vilius æſtimata quam corpus ipſum, cum tibi dentur cibi, auri & argenti, qui corpori non dantur: quomodo famẽ tolles? Quo facto apertius potuit filius Dei oſtendere nil huius vitæ præter virtutem & gratiam animam ſa-
*Luc.15.E.* tiare poſſe, quã velle ſitibũdum mori? Imple ſtomachũ tuũ prodige infelix, ſiliquis porcorum & vitijs animalium: quia certe & ſubito anima tua fame torta, iterum gruniet ipſa vitia petẽdo, & velut porcus ſemper famelica erit à te reperta: omne quod mundus dare poteſt in cibum animę tuæ fœnũ eſt & quod animæ ſaturitatem præbere non valet, etiam ſi locum habeat ſpacioſum.
*Gene.24.C.* Quod optime pinxit honeſta Rebecca, quando ſeruo Abrahæ dixit, palearum & fœni plurimũ eſt apud nos, & locus ſpacioſus ad manendum: quia etſi mundus latus eſt & ſpacioſus, & mare magnum: re vera non habet niſi reptilia, & paleas diuitiarum & fœnum voluptatum, quo animæ non ſatiantur, ſed deficiunt & cruciantur, imo quod magis dolendum eſt & damnantur.

Sities iterum velis aut non ſi aquam fictam huius mundi bibe ris, quia ego veritas æterna dico, & ipſe experientia noſti: argumẽtum maioris efficaciæ apud oẽs philoſophos imò & internos fideles (omitto in his quæ ſunt fidei) & inter oẽs metaphyſicos, medicos & legiſperitos experientiæ certe eſt: & hoc argumento ſcripſerũt omne quod ex natura animaliũ auium & aliarũ rerũ naturaliũ homines ſcripſerunt. Igitur cũ experientia tibi cõſtet per multos mẽſes & annos aquã voluptatis aut alterius cuiuſcũq; vitij in Dei iniuriã bibiſſe, & animam tuam famelicam & ſitibundam, maledictam & Dei inimicam atq; rabidam manſiſſe: quare contra tam fortiſsimum argumentum iterum ad fallacem & deficientem aquam reuerteris? Quot annis adulterio vſus es? Per triginta talem aquam bibo. Es ſatiatus? Maiori modo ſiti voluptatis torqueor quam ante aquæ huius primam potationem. Ego credo, quia malo humori (vt diximus) materiam addidiſti, & ſic extinguere ſitim non potuiſti. Idem mihi dices de nummis à te male acquiſitis, quos experientia noſti ſitim animæ tuæ nõ tollere ſed augere: ſicut de vindicta, ſicut de noci-

ua

ua iurandi aut maledicendi consuetudine.

Quare ergo, ò homo rationalis, cœli capax & Dei visionis, tali experientiæ argumento conuictus tales cibos vitiorum animę nociuos & sitim eius extinguere nolẽtes non abhorres: & victũ & potũ sanũ & salubrẽ virtutũ & meritorũ, non quæris illi omni solicitudine? Si equus senex & parui valoris aut asinus rudis, in aliquo prato herbã pasceret qua per decem aut quindecim dies famem non extingueret, & de riuo biberet sitim non tollente: esset tam stolidus, vt pratum non mutaret, & aquam aliam non quæreret? Certe experientia rerum mater doceret hoc ipsum facere. Non decet certè vt homo ad imaginẽ Dei factus, & baptismate ablutus, & sanguine Dei redemptus, & ad visionem beatificam vocatus, asino sit stolidior, equo sit irrationabilior: ita vt argumento experientiæ conuictus, omnia mũdi vitia animam non saturare, nec famem illius tollere, & hoc videns tot annis, vt non mutet prata, virtutum herbam eligendo, & aquam gratiæ satiantem omni cura inuestigando: alias vellet anima tua, si est damnanda, esse magis asini quam corporis tui, vt cibos mutaret nociuos. Pretio magno dignus est locus Pauli ad Romanos in quo vnumquemq; hanc aquam voluptatis per tempus bibẽtem lõgum interrogat, an satur sit & quid fructus solatij aut saturitatis habuit in ipsamet potatione dicens: humanum dico & nõ im possibile, propter infirmitatẽ carnis vestræ: ero contentus si exhibueritis diebus vitæ vestræ restantibus membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, sicut hucusq; exhibuistis illa seruire immũditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem: vultis? Alias dicite mihi, quem fructum aut saturitatem habuistis tunc, tunc dico in ipsomet actu peruerso & in illis rebus in quibus nũc quantũuis effrontes sitis debetis erubescere? Quid erit coram Christo dño si sanguine suo cito tales non abluitis sordes: nam finis illorũ mors est æterna. Si in actu non satiant, neq; fructum præbent, sed eru bescentiam in iudicio, & mortem æternam causant talia vitia ò homines, & ista erit infelix illorũ solutio, vt quid iam tandem in vos non reuertimini, vt illa pluſquã ignem inferni fugiatis? Scia mus iam donũ Dei, & qualis est Christus illud promittẽs: intelligamus puteum vitiorũ esse altum & laboriosum & animã non satiantem, vt quæramus Dei auxilio aquam gratiæ viuam, qua in secula seculorum per gloriam in cœlo viuamus. Amen.

*Simile.*

*Rom. 6. 2*

Homilia

# Homilia Octaua.

## SALVTATIO AD VIRGINEM.

*Can.4.D.* FOns signatus & hortus conclusus vere tu es virgo benedicta, quæ omnes beatitudinis delicias in vtero habuisti, quando angelorum gaudium concepisti: & fontem omnium bonorum quem cœli capere nõ possunt tuo gremio contulisti, peperisti, nutriuisti, seruasti: & mundo, vt ex illo tanquã ex infinito fonte necessaria hausissent, exposuisti. O mulier sancta, quæ nũquam guttam ficti gaudij & mundanæ lętitiæ bibisti, quia fontem viuum gratiæ saliẽtem in te habuisti: & nondum erant abyssi quando iam cõcepta eras
*Prou.8.C.* in mente Dei, cui dixisti, da mihi domine hanc gratiæ aquam, vt in cõceptione mea non sitiam peccato originali æstuata, neq; hauriam aquam mundi. O mulier ex omni parte beata, fiat tibi sicut vis: quia multos vocabis ad me tuo exemplo Samaritanos, & innumeros peccatores tuis precibus ad me adduces: obtinẽdo à me vt illis auxilium præbeam ad terram suam peccati veterem relinquendam, & virtutem sequendam. Mulier sanctissima, filius tuus promisit aquam gratiæ sitim animæ tollẽtem: ecce hic sumus multi qui aquam fictam per multum tempus bibere non sumus veriti contra filij tui mandata, & magis sitientes modo sumus: obtine à filio auxilium nobis & dic cum ista muliere: Fili, da his hominibus istam gratiæ aquã, vt non amplius sitiant aquam mũdi fictam: & facvt non reuertantur iterum ad hauriendum ex cisternis vitiorum. Vt digne talem aquam recipiamus salutationem angelicam aqua lacrymarum flexis genibus cordis, sanctissimæ virgini offeramus. Aue.

Text. ¶ Qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.

EXamus in expositione illius verbi dñi qui biberit ex aqua mundanæ voluptatis, gaudij ficti, siue diuitiarum: velit aut nonsitiet iterum: verbum expositione dignum, acceptione dignius, reseruatione cordis dignissimum, cum audias ex ore Dei, omnia, præter eius gratiã, animam tuã satiare non posse. Quære & inueni omnia quæ volueris, si amicus Dei non es: famelicus,

sitibun-

sitibundus, vt canis rabidus, infamis, pauper, cæcus, & mendicus es. Quis non magna cura aquam gratiæ viuam quærit vsque dum inueniat, & inuentam Dei auxilio, potius millies vitam martyrio tradit quam illam: cum ipsa sola animam satiet & capacitatem eius adimpleat? Quis post quam hoc Christi verbum audierit, non contemnet omnia quæ in mũdo sunt: cum potius sitim quam animæ saturitatem conferant? Reuera verbum est vtilissimum, ideo ne moleste feras si supra illa quæ diximus ad huc plura audias. Diximus experientiæ argumentum esse fortissimum, quo bruta animantia prata non famem tollẽtia deserent: & homo tali argumento conuictus non vult suavitia animam non saturantia relinquere & abhorrere. Si rex grauis & sapiens dixisset tibi multum sitienti, & de fonte quodam bibere volenti, ne bibas, quia omnis qui ex illo bibit hucusque sitim suam non extinxit, & ego per decem annos bibi & sitis mea non solum nõ cessabat sed maior fiebat, & dolorem auget potio ista, & periculum mortis causat. Esses ne tam contumax, vt tanto regi, fidem non haberes? Et his auditis bibere talem aquam auderes? Audi regem Salomonem, si experientiæ propriæ non credis, tibi voluptates sitienti dicentem atque fallaciam illarum ostendentem, & magnum defectum illarum. *simile.*

Ego rex Salomon dixi, vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis, an possim animam meam satiare, ædificaui domos, plantaui vineas feci hortos & pomaria, extruxi mihi piscinas, coacernaui mihi argentum & aurum: feci mihi cantores & cantatrices: & omnia quæ desyderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meũ quin omni voluptate frueretur. Et extinxisti animæ sitim tanta voluptatũ aqua rex Salomon? Imo vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nil permanere sub sole: & maiorem sitim omnia mũdi causare animæ vitijs se tradenti. *Eccl. 2. A.*

Credamus igitur ei (ait D. Chrys. in quodã sermone de vanitate vitæ) qui rerum hunc modi experientiam consecutus est, atq; horem obtemperemus illi: & talem aquam fictam fugientes experientia tanti regis discamus amare cœlestia, & illas res in quibus nihil est inane. Inter alia quæ Ieremias in lamentis plorat, de anima peccatrice, hoc est præcipuum, quod cum esset filia populi Christiani, erat crudelis quasi struthio in deserto, & adhæsit lingua eius lactentis ad palatum eius in siti. Quia bibit aquam *To. 5. fo. 831.* *Thr. 4. A.*

voluptatis ſitim non tollentis ideo adhæſit lingua eius tãquam pueri lactentis & lac ſugentis ad palatum eius, non cito vtiliter que, delicta ſua confitendo.

*Iudi. 7. B. C.* Vidēs populus Bethuliæ aquæductũ fontis quo vtebãtur in ciſum ab hoſte crudeliſsimo Holoferne, & ſe ſiti deficere, ita vt nõ eſſet in tota ciuitate aqua vnde ſatiarentur vel vna die: factus eſt fletus & vlulatus magnus in eccleſia ab omnibus, & per multas horas dicẽtibus, ſit finis noſter in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate ſitis: domine, peccauimus cum patribus noſtris in iuſte egimus, iniquitatẽ fecimus: ac ſi dixiſſent minus malum eſt, ſubito gladio mortẽ ſubire, quã prolixã & longã ſitis cauſa. Audacter dico ò fidelis, cui dæmon aquæductũ gratiæ præcidit & ſacramenta tulit, quia illis vti non vis, & cum hoc obſtinatus in delicijs nociuis manes ſine cogitatione pœnitẽdi, vnde miſera anima tua ſitim magnã patitur: quod debebas fletibus magnis & vlulatibus à Deo petere dicens: domine, ſi hanc ſitim ſemper habere debeo, ſit finis meus breuis in ore gladij, caput meũ præſcindatur, aut ſica occiſus ſim: vt ne mors mea tam culpæ quam pœnæ fiat longior & maior in ariditate ſitis, quã patior in vitijs. Non ſolum vt potius eſſes occiſus debebas petere, quam aquam voluptatis ſitim animæ nõ tollẽtem bibere: ſed ſi pœnitere non debebas, vt cito mortuus eſſes, ne peccato aliud addendo lõgior eſſet mors culpæ tuæ, & per conſequens pœnæ & damnationis. Væ talia verba dicentibus damnatis vlulatu magno: ſit finis noſter breuis in ore gladij, colles, operite nos ne appareamus, montes cadite ſuper nos & cõminuite nos & eſſe noſtrũ tollite de no-

*Luc. 23. D.* *Apoc. 6. D.* bis dixit iſta Dominus, in amaritudinis via. Ne tã crudelis mors tam longa fiat nobis & perpetua in tam crudeli ſiccitate, cum ſimus cruciati tali flamma? Merito deſiderabitis mortem & quẽre-

*Apoc. 9. B.* *Iob. 3. D.* tis eam, & teſte Ioãne, Fugiet à vobis danati, cum illis miſeris de quibus Iob: qui expectãt mortem, & non venit: quia in vita, culpam pluſquam gratiã dilexiſtis: iuſtè ſiti perpetua cruciati eritis: quia voluptatis potum ſitim non tollentem, pluſquam aquam viuam, bibere voluiſtis.

*Ierem. 48. C.* Iuſsit Deus, & ſic factum eſt, animam peccatricem, dicens: deſcende de gloria, & ſede in ſiti habitatio filiæ Dibon: quoniam vaſtator Moab aſcẽdet ad te, diſsipabit munitiones tuas. Deſcende ab honore quẽ in gratia habebas anima in culpã cadẽs, deſcẽ-

de

de à satietate aquę viuę & sede in siti & in voluptatibus sitim animæ non tollētibus: etiam si quota hora aquam talem bibas, quia non est in totis mūdi ciuitatibus (vt dicebamus ex Iudith) aqua deliciarum, quæ valeat vno die homines satiare: sede in siti anima misera, fontē viuum deserens habitatio filiæ Dibon. Dibon (vt D. Hiero. in epistola ad Fabiolam de quadraginta duobus mansionibus) interpretatur fortiter intellecta tentatio: & sic anima fortiter tentata voluptatis vitio, tentatione satis intellecta & aperta, & cū hoc vult illā aquam bibere contra Dei præceptum: merito sedebit in siti inferni canina inhabitatione filiæ Dibō, & in tētatione pœnæ satis intellecta. Vel vt idē de nominibus Hebraicis de Ieremia dicit: Dibon satis intelligens interpretatur: quia anima fidelis satis intelligit fide, & concione & ecclesiæ ad monitione, quid facere, quid ve fugere debeat: & cū hoc aquam nociuam deliciarum potare non timet, ideo merito in siti perpetua erit, satis intelligens & videns tormenta præsentia, & minantia. Quicunque hanc nociuam & sitientem aquam biberit, velit aut non, iterū atque iterū sitiet, & anima sua ex tali aquæ potu nil succi aut satietatis bonę retinebit, etiam si non paruus sumptibus ipsam obtinuerit, sed statim à se proijciet. Vidisti aliquādo aucupem girisalconem pretij non minimi, ad miluum aut coruum capiendum à manu sua proijcere, in periculo tā precioſam perdendi auem? Et tamē post clamorē, & laborem iam miluum habes aut coruum auceps, quid vis de illo facere? Vis comedere ipsum? Non sunt carnes eius ad comedendum aptæ. Quid igitur de illo facies? In stercus aut in viam proijciam illum. Certe iudicasses illum frustra tēpus consumere, & facultates suas & vitam: ob coruum aut picam dilapidare frustra.

*Mathæ. 39. To. 3. fol. 52.*

*Simile.*

Quid girisalco magni pretij, cū anima tua non auro aut argento à Christo dño redēpta, sed teste Petro, sanguine suo immaculato, & amicitiæ Dei capace, & visionis Dei? Et tamen cum hoc non es veritus illam tāquam miserū accipitrem post miluum voluptatis & gaudij mūdani picā proijcere: nō in periculo morien di sed certo certius, mortua & sine gratia manet, & amissa in æternum, si Deus sua misericordia sanguine suo illam non viuificat, & recuperat. Ob quid istam animam tanti valoris proiecisti, perdidisti, & occidisti? Ob miseram auem nigerrimam vitij. Comede illam. Statim quod ad manus venit &

*1. Pe. 1. C.*

operationem proieci illam tanquam ſtercus: quia non eſt cibus aptus animæ meæ nec ſitim eius tollere valet: & ſic conſcientiæ remorſu & dolore & peccati vulnere manet anima percuſſa & ocioſa & ſine fructu & ſaturitate. Sities certe iterũ etiam ſi multoties talem aquam fictam bibas ò peccator, imo quanto magis homines ex tali voluptatis aqua bibunt, magis ſitiunt, & velut canes rabidi contra omnes inſurgentes maiori conatu bibere cu-
*Exo.17.A.* rant. Sit de hoc nobis in exẽplum populus ille duræ cernicis ab AEgypto eductus: & à ſancta Romana Eccleſia hodie nobis propoſitus: qui cum ſitim habuiſſet ex aquæ penuria, murmurauit
*Num.20.A* contra Moſem dicens: vtinam periſſemus inter fratres noſtros coram domino. Clamauitq; Moſes ad dominum dicens, quid faciam populo huic? Adhuc paululum & lapidabit me: & ipſe & Aaron corruerunt proni in terram, clamantes ad dominum & dicentes: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ viuæ, vi ſatiati ceſſet murmuratio eorum. Et dixit dominus, tolle virgam, percutieſq; petram, & illa dabit aquas, bibetq; omnis multitudo, & iumẽta eius. Et dixit Moſes, audite rebelles & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Et percutiens virga ſilicem bis, quod Deus non iuſſerat bis, & forſan ideo dixit illis, quia non credidiſtis non introducetis populos hos in terrã quam dabo eis: egreſſę
*Ibi in Num. c.* ſunt aquæ largiſsimæ, ita vt populus biberet & iumenta.

Omiſſo tam duro populo Iudaico, velamine terribili cordis cæco, & memoria retinentes quam rigide puniat Deus leuia in amicis, væ inimicis, veniamus ad vos fideles, quotidie voluptatis aquam & aliorum vitiorum bibentes, & nullo modo animi ſitim extinguentes, ſed indies maiorem ſitim habentes: & velut canes rabidi murmurantes contra me & omnes concionatores Eccleſiæ, deliciarum veſtrarum cœnum damnãtes, & ad aquam gratiæ viuæ vos deſiderio non minimo inuitantes. Et dicitis modo ſitiẽtes pluſquam à principio, & contra aquam veſtrã nociuã, cõcionẽ audictes: antea in AEgypto perijſſemus & in tenebris peccati ſatiati delitijs, quã in deterto pœnitẽtię talẽ ſitim vitiorũ pati. O deteſtandi homines, & quod maius malum vobis cõtingere poterat, quã mori in tenebris peccatorũ: vnde ſtatim migrare ad tenebroſas cauernas vos oportebat? O vtinã aliquid mãſuetudinis & zeli erga Deũ in Moſe repertũ mihi accidiſſet, & illa

ſua

ſua cum Deo familiaritas, & aliqua ſcintilla ignis Eliæ & Pauli feruoris: vt videns vos quotidie ex tam immũdis vitiorum palu dibus bibentes, & maiori modo ſiti laborantes: & tam execrandam aquam petentes, & contra illam prohibentes murmurantes, dixiſſem. Domine, cordis lacrymis venio ad te vt doceas me quid faciam populo huic fideli tã auide & pertinaciter aquam voluptatis petenti, bibenti: & modo magis illam ſitienti, & cœnum rerum pereuntium de nouo cupienti? Quomodo me, cum illo habebo, quia ſi talem aquã illi nõ veto & deteſtor, væ mihi & illi erit: ſi autem contradico, adhuc paululum & lapidabunt me: ſi non opere ore, quia nolunt aliena reddere neque fornicationes relinquere: lapidabunt me detractione talem aquam prohibentem, & verbis tuis admonentem. Videte miſeri quod non ſatiat iſta aqua: velim à cathedra iſta corruere in terram humilita te magna dicendo: domine Deus, audi clamorem populi huius, & da pluuiam congruentem ſatis ſuis & ſeminibus, vt habeant neceſſaria ad tibi ſeruiẽdum: & fac vt aquam voluptatum ſitim animæ non valentem tollere deteſtentur, vt ita aperias eis theſaurum tuum fontem aquæ viuæ, ſcilicet gratiæ & donorum cœleſtium: vt ſic ſatiati ceſſet murmuratio eorũ contra te & me: alias audi populeſtulte, quandiu vas cœno plenum habes, potes in illo recipere aquam ſuauem aut vinum regis cor lætificans? Effunde cœnum & vinum recipies, Eccli. 48. A Simle.

O anima miſeranda cœno voluptatis plena ſed non ſatiata, quomodo aquam gratiæ viuam animam ſatiantem, & Dei amicam conſtituentem, & gloriæ aptam recipies, & vinum gloriæ à rege Chriſto, niſi effundas tam nociuum cœnum contritione debita, & cõfeſsione legitima? Quis non facit hoc? Ipſe peccator fornicationibus, per multum tempus deditus. Quid faciam domine, vt iſti homines animã ſuam vera aqua ſatient? Adhuc paululum & lapidabunt me linguis, ſi non prouides aquam ſatiantem. Tolle virgam crucis opere ſequendo me, ipſe prius talem aquam deliciarum deteſtãdo: vt cum Paulo veredicas: nõ audeo aliquid loqui quod per me nõ efficiat Chriſtus, verbo & factis. Ita vt neque veſtigium amoris erga illam reperiatur in te intus nec foris: percute petram filium ſcilicet meum Ieſum: petra autem Chriſtus eſt, & tali virga iam fuit in paſsione & morte percuſſus. Tamẽ voca populum iſtum, & veni ad filium meum Ad Rom. 15 C. 1. Cor. 10. A

in ſacramento latentem, & dic virgam crucis in manu habendo. Audite rebelles Deo, & increduli verbis & concionibus eius, audite proterui ſ tibundi, & aquam nociuam & non ſatiantem anhelantes: & aquam viuam odio habentes, & contra toxicatam prohibentem cõcionatorẽ murmurãtes, & ſecundam conſulentem deteſtantes. Num de petra hac, Chriſto nempe domino: virga iſta crucis percuſſa, ideſt merito paſsionis eius; & virtute ſacramẽtorum: aquam gratiæ ſitim tollentis, poteri mus Dei ſacerdotes ex ipſius Chriſti inſtitutione vobis ſitientibus vana eijcere, ſi aquam nociuam deteſtamini, & vere confitemini? Certe poſſumus, autoritate illius verbi quorum remiſeritis peccata, certe virtute ſanguinis Dei remittentur. Ecce Chriſtum, quondam in cruce pendentem petram viuam, vis vt percutiam illum ſanguinẽ ſuũ tibi applicãdo verbo ſacramẽti, quo abluas ſordes animi & eius ſitim extinguas? Nil magis velim. Et ceſſabit murmuratio, & amplius ſitim fictã nõ quæres? Hoc ipſum deſidero.

*Ioãn. 20. D.*

Vbi vis vt percutiam ipſum? Percute in pedibus vt exeat ſanguis, quo ſitim ambulandi vias prauas meas & difficiles extinguam, & ad templa libenter pergam. Audi rebellis & ineredule, num de pedibus iſtius venerandæ petræ clauis trabalibus non fuit effuſus ſanguis eius vt ſitis tua, ambulandi ad nociua extingueretur? Velim ego ait alius, vt ſcapulas eius percutias vt aqua rubra exeat inde, qua ſitim voluptatum mearum extinguam: quia crucior in tam deteſtanda flamma. Audi rebellis & duro corde voluptuoſe immunde, num de petra iſta caſtiſsima quinque millia flagella non effuderunt ſanguinis riuulos vſque in terram: quibus ſatis ſuperque ſitim hanc brutorum tollere poſſes, & aquam gratiæ obtinere? velim vt in latere petræ percuſsiſſes vt ſanguis & aqua exeat, quibus ſitim magnam odij & vindictæ me cruciantem grauiter, extinguam omnino. Audi rebellis & lites generans, num de petræ latere lanceæ ictu vnus militum, non effudit ſanguinem & aquam, vt quid omnes non diligis vt Deus imperat tibi? Sic de manibus contra luſorũ & raptorum & auarorum ſitim ſanguis eductus fuit: ſic de capite cõtra ſuperbiam: eia rebelles: eſt ne ſatis percuſſa petra? Vultis vt amplius percutiatur? Non tangatur. Iam ſatis eſt. Iam aquæ rubræ à Chriſto largiſsimæ effuſæ ſunt, quia infiniti valoris, & mũdum omnem tangẽtes, & omnes ſordes mũdantes & liberaliter, ideo ſunt

*Ioãn. 19. F.*

ideo sunt largissimæ: & abũde, quia gutta sanguinis post lanceæ ictum in corpore eius nõ remansit: & omnibus illum, ad ipsum Christum accedentibus fide & charitate, indiscriminatim communicauit Iudæo Gentili & Græco, imo ex tali sacrata aqua non solum populus bibit & homo ratione vt decet vtens, sed etiam iumenta, idest peccatores brutales, si conuertantur ad dominum, & aquam vitiorum non satiantem & prata deliciarum sitim non tollentia cito & vere detestentur. Percute me sacerdos (ait Christus) verbo sacramentali & certe dabo aquam gratiæ viuam, omnem animi sitim tollentem à peccatore vere pœnitente. Vt quid bibitis aquam fictam culpæ non satiantem?

Cupis agnoscere aperte quomodo aqua mundani gaudij aut vitij sitim animæ tollere non valet, & aliter sentiens quã delirus es atque insanus, talia tibi suadens pertinacia nociua? Quare credis panẽ materialem triticeum famẽ tuã tollere? Certe quia bene dictionem & virtutem accepit à domino ad hunc effectum: alias ipse panis nõ amplius satiasset te quam agri fœnũ imples omne animal benedictione: non dixit pane, sed benedictione dñi, illi apposita dicit Dauid. O mortaliũ insania simul & pernicies magna, panis famem non tolleret nisi virtutem & benedictionem à Deo acciperet ad hoc, neq; corpus satiaret: & tam fascinatus homo & fidelis, & sacerdos, imo & religioni dicatus, vt suadeas sibi aquam putridã voluptatis, & cœnũ vitij execrãdum, animam rationalem tuã & gratiæ capacem & gloriæ satiare posse: cũ sit maledicta à Deo talis aqua, & sanctis mandatis suis prohibita, ablatrix gratiæ & animã ad infernum mittens? Non est stultitia inaudita? Omnis qui biberit ex tali aqua, stat firmissima Christi sententia, certe iterum velit aut nõ sitiet: & quãdiu in anima tua tam execranda & defectuosa fuerit vitij aqua, impossibile est vt aquam gratiæ viuam in potum habeas. Deus populo suo dilecto, manna desiderabat præbere: tamen quandiu farina AEgypti duranit nõ legitur dedisse panẽ de cœlo. Cupis mã na de cœlo? Vis Dei gratiam satiãtem vere, & aquã viuam sitim tollentem? Non reperiatur iam in anima tua farina AEgypti, nec cibus voluptatis vetitus, nec aqua deliciarum: elige quod tibi magis vtile erit. Econtra tamen, statim quod filij Israel cæperunt vesci fructibus terræ, defecit mãna illis de cœlo allatum. Et cum primum relicto gratiæ cibo, cibis terrenis vitiorum vti

*Psal. 144.*

*Exo. 16. D.*

volueris fidelis & aquam nociuam bibere: ſtatim deficiet ſolatium cæleſte, & aqua viua vere ſatians animam. Hoc affirmat
*Ioſue. 5. C.* Ioſue dicens, defecit manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec vſi ſunt vltra cibo illo filij Iſrael, ſed comederũt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan: infelix & ſiniſtra electio, quãdo homo fruges terræ Chanaan & huius mũdi vitia, mannæ gratiæ præponit.

*Simile.* Mater iam lac præbere non vult puero, alia cibaria, præcipue ruſtica & groſſa comedenti. Vt Deus lac & aquã gratiæ viuam conferat tibi, præparas animi ſtomachũ ruſtice fidelis, cibarijs fœtidis vitiorum, & groſsis voluptatum? Ne iſta comedas, & certe: cum pia mater ſit: lac gratiæ tibi libenter præſtabit. Alias au-
*Pſalm. 130.* di Dauid: domine, non eſt exaltatum cor meum, cogitans ſe aliquid eſſe, neque elati ſunt oculi mei interiores: alias ſicut ablacta tus eſt puer à matre ſua nolente illi lac præbere, ita eſſet retributio animæ meæ à te, cui non dares lac conſolationis, & gratiæ
*1. Reg. 5. A.* aquam, ſuperbæ exiſtenti, aut immundæ. Arca Dei ſimul cum Dagon eſſe noluit, ſed iſte iacebat pronus in terrã turpiter quandiu arca ibi ſtabat: & altera die caput eius & duæ palmæ manuũ eius abſciſſæ erant ſuper limen: quid faciemus dixerũt philiſtim vt Dagon maneat in templo quem valde diligimus, & pluſquã arcam? Reſponderunt ſatrapæ, abijciamus arcam de templo noſtro, quod & fecerunt: vnde quia non retinebant arcam apud ſe virtutis amore, maxime fuerunt puniti à Deo, & tandem illa priuati. Dagon quid aliud quam peccatũ eſt & voluptatis aqua aut alterius vitij quam peccatores colunt & adorant? Arca domini gratia eſt, per quam in anima tua Deus inhabitat: elige quoduis homo fidelis, tecum habere, quia impoſsibile eſt quin cadat Dagon, id eſt, peccatum ab anima tua, ſi arcam Dei & gratiam illius in templo animæ tuæ collocare Dei auxilio volueris. Heu quam ſiniſtra ſors & dira peſtis inuaſit mortales & fideles, & Dei miniſtros non paucos, dicẽtes cum Philiſtęis Azotijs: non maneat arca Dei Iſrael apud nos neq; gratia illius: quoniã dura eſt manus eius ſuper nos obligans nos ad ieiunia & pœnitentiam: & ſuper Dagon Deum noſtrũ deſtruẽs illum, id eſt, peccatũ quod nos diligimus & adoramus. Regnet Dagon in anima noſtra, expellatur arca Dei, quã retinuimus apud nos nõ amore ſed timore. Certe valde puniti eritis à Deo tam ſiniſtram electionem facientes.

Veritas

Veritas æterna non dixit, quis colligit de ſpinis peccatorum vuas gaudij & ſatietatis? Et de tribulis quis ficus dulcedinis veræ? Ipſe peccator hoc fieri credis, quando de ſpinis voluptatum (ſic à Chriſto in parabola ſeminis vocatis) cogitas vuas gaudij veri, & ſatietatis animæ tuæ colligere, vnde animam potius cruentatam reddis: & ex tribulis odij & auaritiæ, ficus dulcedinis & quietudinis pacificæ elicere cogitas. Falleris certe, nam citius oleum de petra educes, quam de culpis aquam ſatiantem animam. Eſt ne anima tua Chamæleonti ſimilis, de quo communiter dicitur vento ali (etiam ſi veritas ſit, nullum animal poſſe vni co elemento viuere, cum ex quatuor conſtet) vt poſsit vanitatis vento, & vitij aere ſatiari? Alias diceremus de illa, vt Oſeas de Ephraim, quod paſcit ventum: cum rebus inanibus cogitet ſe ſatiatam reddere, & ſequi æſtum concupiſcentiæ, vnde tota die vitæ mendacium & vaſtitatem multiplicat. Quia res mendaces quærit vnde vaſtata erit: & cum ſaturitatem promittat vitium, id tamen deſtruit illã, infame & ſiti. Venit rex grauis & in molli cera ſigillum ſuum regale imprimit: impoſsibile eſt alio quocunque ſigillo epiſtolarum vacua illius ſigni adimplere: imo ſi conatus id facere fueris, delebis regale ſigillũ. Deus rex Regum ceram animæ tuæ ſigillauit ſimilitudine ſua, quando te creauit ad ſimilitudinem eius. Et ſpirauit in animæ tuæ faciem ſpiraculum vitæ. Fecit in te tam grandia vacua, vt impoſsibile ſit alio quocunque ſigillo illa adimplere, niſi Dei per gratiam eius aut gloriam impreſſo: quid fruſtra contendis miſer, ſigillo infami & turpi voluptatis aut alterius vitij, tam magnifica vacua implere cum fruſtra ſit, & Dei ſigillum in te deleas? Sigillum ſanctiſsimæ Trinitatis imaginem poſuit in te, ipſo debes ſatiari, & imaginem gratiæ conſeruare: ſi aliud cuiuſcunque peccati ſigillum applicare animæ tuæ volueris: imaginem illius recipiet delendo gratiam, non tamen vacua animæ tuæ adimplebit: vnde quodammodo in te imaginem ſanctiſsimæ Trinitatis delere conaris.

*Matt. 7. C.* *Luc. 6. G.* *Luc. 8. B.* *simile.* *Oſe. 12. A* *Simile notandum.* *Gene. 1. C. 2. B.*

Taurus exagitatus in foro & vulneribus plenus, multoties ad ianuã qua in plateã intrauit reuertitur, nec quieſcit donec iterũ per illã ingreditur: alias maxime vſq; ad mortẽ fatigatur. O homo, tauro inſenſibilior: prima ianua tui eſſe per quam in huius mundi laborioſi forum intraſti nõ eſt Deus qui de nihilo animã

*simile.*

tuam creauit? Quomodo vales in tali foro? V. lde agitatus ſum vndiq; tentationum & perſequutionum fuſtibus, & peccatorũ
*Eccleſ. 51. B.* ſagittis. Inueniſti aliquod ſolatium in creaturis? Dicam, cum Ieſu filio Sirach in oratione ſua confitebor tibi domine rex, circun dederunt me vndiq; & non erat qui adiuuaret: reſpiciens eram ad adiutoriũ hominum, & non erat in aliquo illorum auxilium mihi. Auxilium tuum erit à ſolo domino, ſi agitatus ad illũ confugis tanquam domum refugij, à quo egreſſus es: quoniam ipſe
*Pſal. 102.* eruit ſuſtinentes illum atq; liberat de omni anguſtia, & propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris, & replet in bonis deſiderium noſtrum: perge ad illum taure agitate, alias in mundi foro abſq;
*Simile.* dubio peribis. Omnis res mũdi, præter aquam viuam, præcipue voluptas, eſt condimento ſimilis (quod vulgo dicitur ſalſa) non
*Simile.* ſatians ſed potius appetitum excitãs, & famem augens. Qui voluiſſet ſitim extinguere ſalem comedẽdo aut aquam ſalſam bibendo, quid mirũ vt magis ſitiat? Quo plus ſunt potæ plus ſitiũtur aquæ ſalſæ. Sic intellexiſti per experientiam de aquis volu
*Aggæ. 1. B.* ptatum ſalſis, & diuitijs male partis: vnde Aggæus propheta dicit, comediſtis, ſcilicet, vitia, & non eſtis ſatiati, bibiſtis, voluptates nempe, & non eſtis inebriati ſitim tollẽdo, alias ſatis ebrij mã ſiſtis: operuiſtis vos diuitijs & nõ eſtis calefacti in corde, imo qui
*Simile.* mercedes & merita congregabat ex vobis bona opera faciendo antea, miſit eas in ſaccũlũ pertuſum: quia vnica voluptas contra Deum cõmiſſa non ſolum animam non ſatiauit, ſed ab ipſa omnia merita cadere fecit vt ex vrna confracta.

Omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam & vtilitatem
*Ad Roma. 15. A.* ſcripta ſunt (ait Paulus) quare igitur credis ſcriptum eſſe Deum non requieuiſſe poſtquam terram creauerat, & omnes beſtias illius, mare & omnia quæ in eo ſunt: neq; poſtquã cœlos ſtellas,
*Gene. 2. A.* lunã & ſolem formauit, & tamen creato homine ad imaginem ſuam legimus requieuiſſe ab vniuerſo opere quod patrarat? Saluo Eccleſiæ iudicio, etiam ſi ad literam tunc quieuit, quia hominem creauit in vltimo loco tanquam dominum omnium rerum quas prius fecerat: & prius illi fabricauit domum mũdi & omne ornatum illius quam ipſum formauerat: vide quam gratus illi fuit: tamen certe ſubſignificare voluit dominus in hoc, quod quietudinem & ſatietatem animæ tuæ verã, neq; in terra & omnibus quæ in ea ſunt, neq; in aqua, neq; in aere, imo neq; in cœ-

lorum

lorũ luna ſtellis & ſoli eſſe, & quod magis eſt neq; in beatis & angelis, niſi in ipſomet Deo qui creauit te, hic per gratiam dilecto, & ibi per gloriam poſſeſſo. Vnde ſicut Deus poſt nulla alia à ſe creata quieſcere voluit, niſi poſt tuam creationem ò homo: ſic & ipſe non potes niſi in Deo quietudinem inuenire, neq; in terra, neque in cœlo, vnde Dauid ſatis aperte hoc dicebat: quid enim mihi eſt in cœlo quod ſatiet me à te, ideſt, præter te, domine? Et ſi in cœlo ſine te non eſſem ſatiatus, à te & ſine te, quid volui ſuper terram miſeram, quando olim cogitaui animam meam voluptate alienæ vxoris ſatiare, & ſanguine mariti ſui? Defecit cor meũ fame tabeſcens, & caro mea tali cibo & potu, Deus cordis mei cibus verus, Deus pars mea in æternum ſatians. Benedic anima mea, talem dominum, & omnia quæ intra me ſunt & extra, qui ſic propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: & deniq; qui ſolus replet deſiderium tuum in bonis, non regnum & ſceptrum, nec diuitiæ, quanto magis culpabiles deliciæ. *Pſal.72.* *2.Reg.11.A C.*

Conqueritur Eccleſia per lamẽta Ieremiæ de omni fideli, præcipue ſacerdote & ſene, anhelãte talem cibũ & potum animam ſatiare non valẽtem, dicẽs: vocaui amicos meos, ſcilicet fideles, ad fidem creditam operandam, & ipſi deceperũt me, imo potius irriſerunt ſibi, vocati & illos ad dignitatẽ ſacerdotalem (vtinã multi illorum non veniſſent contra Eccleſiæ voluntatem ad talem dignitatem ſolum vt labores fugiant & otio vacent: vnde vt canes corpus dominicum dilacerant, & ludis & voluptatibus vacant, vnde ſequitur) ſacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt, quia quæſierũt cibũ ſibi voluptatis & vitij nõ ſatiãtem animas, ſed tãtum vt refocillarẽt illas. Vide dñe Ieſu ſponſe mi, quoniã ex hoc valde tribulor, & amaritudine plena ſum: quia foris interficit me gladius hęreticorũ, & domi & inter fideles meos mors culpæ ſimilis eſt, vnde eſt in pace fideliũ, amaritudo mea amariſsima, cum quærant nociua, ſitim non tollentia. Aut foris inter laicos gladius eſt culpæ illos interficiẽs, & in ſacerdotibus, qui ſunt domeſtici mei, mors ſe & alios vt domeſtica eſt occidens ſuo exemplo. Eſt ægrotus valde ſiti laborans à febre ardente procedente, & mutat lectos, & vniuerſum ſtratum verſat in ſua infirmitate: caput ponit vbi pedes, & è contra. Dic infirme, ideo quieſcis, aut ſitim tollis, vel febris ardorem? Minime, ſed cum vim patiar quæro viciſſitudines an aliquid mihi proſint. *Thre.1. C.* *Iſai.38.D.* *ſimile.* *Pſal.40.*

Eia

Eia infirme adulter, igne concupiſcentiæ valde febricitans, ſitim caninam patiens, verte lectos & iam in ludis & iocis, ſtatim vero in voluptatis lecto quieſcere cura: verte caput, ſpiritum nempe tuum vbi pedes, per terrena deſideria reptantem, & pedes ſcilicet affectus carnales in capite, honorando illos: tamen quieuiſti? Sitim tuam extinxiſti? Minime, febris adhuc durat & malo igne crucior. Ego credo, quia talis aqua ſitim non extinguit vt dominus hic ait: & Salomon, iuſtus comedit, & replet animam ſuam, quia virtutes comedit: venter autem impiorũ inſaturabilis, quia vitiorum paleis repletur, ſities iterum.

*Pro.13. D.*

*Lib.10.cap. 75.§.11. Simile. Pſal.94.*

Ouis nunquam ſatiatur in paſcuis (ſi Berchorio fidem habemus) & ideo in domo auidius comedit quã in agris: & hoc quia habet duos ventriculos, & in paſcuis implet primum, poſtea ruminans domi ſecundum implet ventrem, & tunc perfecte ſatiatur. Omnes oues paſcuæ Dei ſumus & populus eius: duos ventriculos habes Dei ouis vnum burſæ & alium conſcientiæ: primum bene potes in paſcuis huius miſeriæ diuitijs & argenteis replere, tamen ſecundum minime: cum animæ capacitatem temporalia attingere nequeant nec dum replere: tamen comminue hic temporalia eleemoſynam pauperibus dando, & in alia domo cæleſti, ſecundus ventriculus & animæ capacitas repleta erit per gloriam. Amen.

# Homilia Nona.

Text. ¶Qui autem biberit ex aqua, quã ego dabo ei, non ſitiet in æternũ. Sed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

O ſiſcires donum quod darem tibi petenti, & qualis eſt aqua tibi à me promiſſa, certe magno deſiderio capacitatem in anima tua illam recipiendi feciſſes: quia talis aqua quam tibi volenti illam bibere dediſſem & cuicunq; ſpiritui recte diſpoſito, ſitim totaliter aufert, & non eſt de iſto puteo aut alio fonte terreno hauriendã, ſed de fonte procedet æterno. Quia gratia Dei talis aqua eſt, & ego fontalis

fontalis vita tradens me omni desideranti me bibere & debite se disponēti: infunditur talis aqua non hauritur, ore in cælum verso bibitur, & ad cœlestia non ad terrena conuerso, ore cordis non corporis: non potatur in vase luteo auaritiæ, aut voluptatis polluto, sed in ipso fonte viuo & vero: quia apud Deū ipsum est fons vitæ & gratiæ & gloriæ ait Dauid: vnde serui mei bibent (vt per Isaiam promisi) & impij sitient semper. Domine Deus iustus es si disputem tecum, tamen iustam quæstionem tibi proponam: Dauid & multi sancti ex aqua ista gratiæ quam promittis absq; dubio biberunt: & tamen sitim postea passi sunt peccantes & talem aquam gratiæ amittentes, vt est videre in Petro & alijs apostolis te derelinquētibus in nocte qua traditus es: igitur multi biberunt talem aquam & postea sitim peccando passi sunt. Si intelligis de bibente illam, quandiu in gratia est non habere sitim: illam habebat Dauid quādo dicebat, sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quemadmodum ceruus ad fontes aquarum. Paulus in gratia confirmatus erat & tamen dissolui, & esse tecum cupiebat, quia nondum satiatus erat. Si tamen intelligis per istam aquam, gratiam consummatam in cœlo inuentam: ipse non dixisti per Salomonem qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me adhuc sitient? Quomodo ergo stat hoc, cum non sitiet in æternum?

*Psal.* 35. *Isai.* 65. C. *Psal.* 41. *Ad. Phil.* 1. D. *Eccle.* 24. C.

Ista omnia vera sunt, sed iterum dico, quod homo qui biberit ex aqua gratiæ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: quia si illam dedi illi tāquam à me æternaliter ad beatitudinem electo, & si ad tempus sitiat peccādo non tamen in æternum: quia meo auxilio ad recuperandam talem gratiæ aquam resurget: & hoc est quod de ouibus dixi non peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea, ad semper, etiam si ad horam extraxerit culpa: vt latius infra in hoc loco videbis: & sic primæ obiectioni respōsum est, si de prædestinatis intelligatur illam bibentibus. Si tamen iusti sitiunt beatitudinem, nec mirum, quia aqua gratiæ stat saliens semper ad vitam æternam anhelās illam: non tamen sitim voluptatum causabit talis aqua gratiæ vlli illam habenti, ex se, cum satiet appetitum: si tamen homo illa relicta vult potius aquam nociuam, quid gratia Dei faciet? Non est hoc ex defectu illius. Iustis autem in cœlo existentibus de fonte viuo per visionem beatificam bibentibus, & cum hoc sitiētibus, non causat dolorem

*Ioan.* 10. E.

ſat dolorem iſta ſitis: ſed idem eſt ac ſi dixiſſet, adhuc ſitiunt, nō habent faſtidium: non quod ſatiati non ſint vt exponit D. Auguſt. in quodam Pſalmo: aut qui biberit aquam meam, hoc eſt, omnis qui crediderit operādo & accipit Spiritum ſanctum finaliter per gratiam, nunquam poſtea ſiti periclitabitur: is exaturabitur iuſtitia, ſalute, vita, & omni cœleſti gaudio. Qui habuiſſet in viſceribus eius fontem continuo ſcaturientem, ſitim pati potuiſſet? Multominus ſitire valet aliquid temporale, qui ſpiritū veritatis fontem omniū bonorum habet: cum diuitem eſſe oporteat bonorum omnium, & in omnibus habere conſolationem, ſi in gratia manet.

*Pſal 85. Ver ſu vlt.*

*Simile.*

Non ſolum manet gratiæ aqua vt in ſtagno, ſed etiam ſcaturit: quia magna operatur anima vbi illa eſt, & ſic multiplicatur per merita & fit fons magnus ſcaturiens in vitā æternam: id eſt, qui vitam æternam ſuppeditat: donat enim cognoſcere Deum, eiuſq; iugiter & in æternum frui bonitate: & alios inuitat ad vitam ſimilem. & hoc eſt ſalire, inuitare ſe habentem ad cœlum & alios: vnde patet magna Ieſu benignitas, vt doceat talem aquam neſcientes, & non petētibus offerat illā: & ſaliens aqua iſta quærit omnes ad vitam. Vidiſti fontem vberrimum ex ſe ingens flumen producentem, & ſtagnum valde profundum, in multos diuiſum riuos puriſsimos, hortos campos prata atq; ſata quærentē in quæ diffundatur, & in terras arentes vt irriget illas, & fœcundet: & homines & iumenta petit vt ſatiet & inebriet, & ſitim tollat, & ſordes abluat? Quis fons iſte ſignatus & puteus aquarum viuētium, tam ingens quod ſit infinitus? Pater cœleſtis & Deus totius conſolationis, à quo per æternam generationem tam magnus fluuius procedit vt ipſe eſt fons, namæqualis patri ſecundum diuinitatem. Et audi D. Ioannem. & oſtēdit mihi fluuium aquæ viuæ, de ſede Dei & Agni, Pater & filius per amorem ſtagnum Spiritum nempe ſanctum producunt: non minoris potentiæ, virtutis, magnitudinis, immenſitatis, bonitatis quam fons & fluuius, cum ſint tres perſonæ & vnica eſſentia, & vnus Deus. A quo ſpiritu diuino, multi, abſque numero, riui donorum & gratiarum perfluunt, quærentes omnimodo in quas animas effluantur, & hortos conſcientiarum campos & prata ſpirituum in quos diffundantur ad flores virtutum producendum. Deinde ſaliunt quærentes terram aridam & animam

*Simile.*

*Apoc. 22. A*

*Simile.*

fine

ſine gratia ſiccam vt irrigent illam & fructus bonorum operum reddat: & animam operantem, vt maiora faciat & magis merito digna. Deinde ſalit, & vltro homines quærit & vt ratione præditos viuentes, & talem aquam multum ſitientes, vt ſatiet illos imbribus ſalutaribus: ſalit inde & iumenta petens & homines more brutorum vtentes, vt faciat talis diuinus ſpiritus aquam ſitim non extinguentem abhorrere, & diligant tam dulcem & vtilem gratiæ aquam, qua potata ſaliant in cœlum.

O aqua gratiæ ſalientis in vitam æternam, ô aqua viua Chriſti, quæ partem ſuperiorem hominis irrigas ſpiritum nempe, & ideo ſalis in vitam æternam: quid prodeſt tibi homo, irriguum inferius voluptatis aut diuitiarum habere: ſi ſuperius irriguum gratiæ ſalientis in gloriam non habes? Axa filia Caleb admonita à viro ſuo Othoniele vt peteret agrum à patre ſuo quem accepit ſine irriguo inferiori, ſuſpirauit ſedens in aſino: cui patet Caleb dixit, quid habes Axa? At illa reſpondit, da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi, da & irriguum aquis. Dedit ergo ei irriguum ſuperius & irriguum inferius. Quid eſt Axa, quæ, iuxta Hieronymi ſententiam, claudicans ſiue iraſcens interpretatur, niſi anima fidelis ſemper in duas partes claudicans fidei pedem plane ponendo & charitatis pede claudicando? Vnde, cum non ſit pax impijs non poteſt non eſſe irata contra ſe & omnes. Quis Athanael (vt legit Hieronym. & tempus meum Dei iuxta ipſum ſonans) niſi filius Dei qui in tempore miſſus fuit à patre, vt tale tempus eſſet noſtrum, vt talem animam ſibi in vxorem deſponſaret in fide & baptiſmate? Quid dixit animæ? Pete agrum cœleſtem à patre æterno ſedens ſuper aſinum corporis tui terrena conculcans, ad cœleſtia ſuſpirans deſiderio & opere, & te in tali ſede eſſe cogita. Alias anima eris ſicut terra ſine aqua, ſi gratia Dei cares: vnde anima Chriſto obediens, ſtatim ſuſpiria emittit pro gratia, & pater miſericordiarum dicit illi, Quid habes Axa? Quid tenes claudicans & iraſcens? Ad quid ſuſpiria tua tendunt? O Domine, bene ipſe noſti quid deſideret cor meum: da mihi benedictionem cœleſtem, quã ſine aqua gratiæ nõ præbes: quia Adam terram arentem dedit mihi, id eſt naturam originali maculatam & omni gratiæ ſucco carentem: da & irriguum aquis ſupernis

*Iudi. 1. D.*

*Iſai. 48. D.*

*Pſalm. 142*

& donis

& donis cœlestibus abundantem. Et absq; dubio dabit spiritum bonum recte petentibus se, fide & opere suspirijs & gemitibus: & irriguum inferius gratiæ contra irriguum voluptatum & peccati, & irriguum superius gloriæ, cum gratia saliat in cœlum.

Aqua gratiæ salit in vitam æternã ex hoc, quia ex gratia Dei opera nostra sunt vita æterna digna, non merito operantis ex se: salit etiam aqua gratiæ à Christo donata, quoniam sursum dirigunt animam dona eius, non ad ima demergunt homines & inclinant. Quia (vt ait Iacobus) omne datum optimum, & omne *Iaco. 1. C.* donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum: vt sursum reuocet nos accipientes illud, & à vita tẽporali ad æternam transmutet, à mortali ad immortalem, à parte ad totum: à terrenis ad cœlestia, à caducis ad perpetua, ab hominibus ad angelos à creaturis ad creatorem omnium & à cœno huius vitæ ad *Simile.* fontem vitalem & perennem: & cum aqua tantum ascendat vt descendit, dona ista diuina ex se habent animam illa possidẽtem vehere ad cœlestia regna vnde venerunt, & ad patrem à quo processerũt. Quare domine, non dicis generari fluuium aut riuum, in accipiente istam gratiæ aquam, sed fontem? Quia flumen & riuus ex natura sua semper ad ima & inferiora labuntur, & ad terrena & mare turbulentum: gratia tamen & dona à me data, sunt vt fons sursum saliens & scaturiens, animam ad superiora inuitans & perducens supra naturæ vsum sciẽtiam atque potentiam. Aqua voluptatis animam ad ima trahit, & in mare tormentorũ demergit per terrena deducens illam: gratia possidentem in alta & superiora quota hora inclinat, non per humanam artem, vt aqua quæ semper arte coangustatur, vt in altum ascendat: sed supra omnem intellectum, naturã, rationem, & artem, imo super humanum meritum Dei bonitate & Christi meritis, in superna suum pronehit potatorem & possidentem, vt æterna consequatur. O benedictus saltus, ô benedicta aqua gratiæ hominem ad superna inuitans: tamen sit super omnia benedictus filius promittens, pater cõcedens, & Spiritus sanctus præbens talem aquam salientem in vitam æternam.

O aqua sancta, quæ sitim tollis animæ ex Christi sententia, aqua stagnata mundi, nõ potest hoc facere: nam cum ista sit materialis & carnalis neque perpetua, neque perpetuam causam habens, sed deficientem, oportet vt effectus eius cessent: vnde

necesse

neceſſe eſt vt illam bibens iterum ſitiat, iuxta illud, tranſierunt omnia iſta velut vmbra. Aqua vero ſpiritualis & gratioſa cauſam perpetuam habet, nempe ſpiritum ſanctum, fontem vitæ nunquam deficientem: & ideo qui ex ea bibit, & non amittit illam, non ſitiet in æternum. Et ſine alijs multis, iſta etiam differentia inter tales aquas notanda reperitur, quod licet vterque generet ſitim, tamen temporalis cauſat illam non ſui ipſius ſed alterius rei: ſpiritualis vero tollit ſitim aliarum rerum, & ſui ipſius cauſat illam. Cuius ratio eſt, quia res tẽporalis ante quam habeatur deſideratur, quia æſtimatur magno pretio, & tanquã ſufficiens ad ſitim tollendam, ſed cum bibitur & voluptas exercetur, aut quodlibet aliud vitium exercitum ad ſitim tollendam: quia defectuoſa inuenitur, nec ſufficiens ad tollendam animi ſitim, imo de nouo cauſans illam & animam interficiens: ſic non ſatiat deſiderium, quin ad aliud & aliud habendum moueatur. Res tamen ſpiritualis & aqua gratiæ, non cognoſcitur neque virtus eius intelligitur niſi quando poſſidetur: quia nemo ſcit nomen nouum gratiæ, niſi qui illud accipit: & ſic nõ habita, deſiderium non mouet, ſed cũ habetur & cognoſcitur, tũc delectat affectum & mouet deſiderium, non quidem ad aliud habendum (cum nil in hac vita pretioſius inueniri poteſt quã Dei amicitia) ſed quia imperfecte percipitur ob recipiẽtis imperfectionẽ, & amitti poteſt per culpam, & augeri per bona opera, & conſummata fieri per gloriæ adeptionem, ideo ipſamet mouet animam ad deſiderandum vt perfecte habeatur. Et hoc eſt forſan qui bibunt me & fruuntur in patria adhuc ſitiunt, quia adhuc perfectius poſſent me poſſidere: quod abſque dubio omnes beati ſine pœna deſiderant, & ſine dolore ſitiunt: quanto magis verificari poteſt de in via illam poſſidentibus imperfecte & cum timore, & in magno amittendi periculo, & dum poteſt augeri?

*Sapi. 5. B.*

*Apo. 2. D.*

*Eccle. 24. C.*

Hinc aperte colliges vt quid maiori deſiderio trahamur ad temporalia non poſſeſſa, quam ad ſpiritualia, & eſt doctrina D. Grego. in homilia quadam ſuper Euangelia, dicentis: hoc diſtat fratres inter delicias corporis & cordis, quod corporales deliciæ cum non habentur graue deſiderium in ſe accendunt, cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpirituales deliciæ, cum non habentur in faſtidio ſunt, cum vero habentur in deſiderio: tantoque à come-

*Homi. 36.*

dente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comedunturꝰ. In illis appetitus placet experientia displicet: in istis appetitus vilis est, & experientia magis placet: in illis appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit, in istis autẽ appetitus saturitatem, saturitas appetitum generat: augent enim spiritualeꝭ deliciæ desiderium in mente dum satiant. Quia quãto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur in ipsis valor qui auidius ametur: & idcirco non habitæ amari non possunt, cum eorum saporignoretur, quis amabit quod ignorat? Gustate
*Psal.33.* (dicebat Dauid) de domino & donis eius, & sic suauitatem eius videbitis, alias quid mirum vt spiritualia non diligatis neque ali
*1.Pe. 2.A.* quo medio illa quæratis? D. Petrus estote quasi modo geniti infantes sine dolo, si tamen gustastis quoniam dulcis est dominus.
*Gene. 1.A.* Diuisit Deus aquas quæ erant sub firmamẽto, ab his quæ erant super firmamentum: vt nos doceret aquas voluptatum, quæ ad abyssum infernalem ducunt animas, à nobis diuidere, & separare ab illis gratiarum aquis cœlestiũ quas animabus incorporare
*Homi. 1. in gene.* debemus: in loco isto Genesis Origenes dicit: studeat vnusquisque nostrum diuisor aquæ noxiæ & salutaris existere, & eius quæ est supra, virtutis scilicet & gratiæ, & quę est subtus, culpæ & voluptatis. Si particeps fueris aquæ super firmamẽtum existẽtis, nempe gratiæ procedentis à Deo super omnes cœlos regnante: factus erit in te fons aquæ saliẽtis in vitã æternam, & flumina aquę viuæ: væ tamen tibi non deerit, si non fueris segregatus & separatus, ab illa cœnosa aqua subtus existente in Paludibus huius periculosæ vitæ, scilicet à voluptate, aut alio quocũq; vitio. Reuera si sic est, neq; ab aqua pœnali abyssi in qua tenebræ esse dicuntur, non eris disiunctus, sed in ipsis eris perpetuo tenebris, in quibus princeps mundi huius, & aduersarius draco & angeli eius suam horrendam habent habitationem: illa priori aqua, supra cœlestis effectus eris, ista abyssmalis, vide quid eligas.

O aqua gratiæ saluentis in vitam æternam, quia facis te possidentem vt omnia quæ fecerit referat ad vitam æternam, & amore illius operetur: & quia recipiens spiritũ sanctum per gratiam, nunquam deficiet, quantum est ex parte gratiæ & Spiritus sancti habitantis in illo, sed semper ad meliora proficit: donec ad vitam perueniat mortis nescientem dolorem, si semel gratiã Dei accepisti, & cum hoc ab ipsa defecisti, & sic in malo & periculoso statu

ſo ſtatu es ô homo, tibi imputa contra gratiæ virtutem, & Spiritus ſancti bonitatem operanti, vnde perditionem tuam inueniſti. D. Bonauen. de ſeptem itineribus, in fine ſecundi: iſta aqua è fonte vitæ oritur, cum apud Deum ſit fons vitæ, cum dicat in vitam æternam ſalire: & non ad temporalia & caduca, imo potius illa extinguit gratiæ aqua, ſicut ignem, & viuificat omnes animi potentias, vnde dicitur viua: & quia animam quam poſſidet viuam reddit Deo, & ſic facit vt ſaliat ad cœleſtia operando hic bene, & deſiderando illis frui: curſus autem aquæ materialis & voluptatis mũdanæ, deorſum tendit, & ſic nõ tollit ſitim, ſed bibentem deorſum mittit in pœnas non inde euaſurum. D. Bonauen.

¶ Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire. Tex.

VTinam omnes deſiderio & virtute neceſſaria, hanc petitionem Samaritanæ, quota hora ad dominum mitteremus, dicentes: domine Ieſu da nobis fidelibus tuis hanc gratiæ aquam vt anima mea ſaliat vſq; in vitam æternam, & hic animæ ſitim extinguat: & omnes labores quos patitur mundanus in hauriendo voluptatis aqua, ex puteo alto & laborioſo vitiorum, tollat, & alia innumera bona nobis conferat. Affectemus & magno deſiderio petamus à Chriſto domino talem aquã inuiſibilem, non materialem, quæ non eſt vnum de quatuor elementis, ſed ſuper omnia elementa tranſcendens: non eſt vna ſtellarum, ſed ſuper omnia cœli aſtra ducit poſidentem, non eſt pars aquæ cœli cryſtallini: ſed aqua talis virtutis quæ illam habentem ſuper cœlum empyreum conſtituit, vt torrentem voluptatis diuinæ potet, & inebrietur ab vbertate domus Dei, & vltra non ſitiat aliquam rem ſibi nociuam. Intelligamus igitur talem aquam à Chriſto edoctam, petamus cordis voce & animi opere iuſto, vt accipiamus oblatam nobis ab ipſo: noſtra incuria & ſocordia tam ſacrũ non amittamus donũ: ſed bibamus illam cordis ore, vaſe fidei & charitatis, nobis illã operibus incorporãdo, vt ſalire nos faciat in vitam æternam, nõ amittamus illam aquæ nociuæ amore attracti, cum ad tam ſuperna dona deducat. Pſal. 36.

Domine Ieſu, da mihi gratis hãc aquam ſalutarem: apta petitio conformis liberalitati & voluntati Dei donantis. Iam es oblita mulier, aquæ ad quam hauriendam huc veneras? Quid mirum, cũ delectata valde ſalubritate aquæ viuæ quã promittis, & mihi ſine meritis & labore offers gratis: nolo iam hãc voluptatis aquã putridam & valde laborioſam, & cum hoc multum in modum animæ nociuam illamque ad ima tartarea deducentem: & tãto dolore in morte relinquendam, & in vita ſitim non extinguentem. Sed da mihi aquam iſtam quam promittis, quia vileſcunt cuncta terrena & quaſi obliuioni traduntur, quando cœleſtium virtus oſtenditur, atque pretium illorum demonſtratur, & animus guſtum in ipſis recipit, & illi placet auditus, & ad ipſa erigitur deſiderio.

Da mihi etiam peccatori, domine, hãc gratiæ aquam, ſaltim vt tollam ſitim animæ meæ caninam, quam per tot annos vitæ meæ extinguere omni voluptatis aqua nõ valui: imo maiori ſiti modo crucior in flamma concupiſcentiæ combuſtus, quã à principio doloris mei culpæ & voluptatis. Et etiam vt tantos tamque graues labores reſcindam, quibus fatigatus fruſtra & ſine aliqua vtilitate in dies magis exiſto. Iſta duo mala & non minima inter alia peccatum nobis comparauit, ſitim rabidã à nulla huius vitæ re extinguẽdam: & laborem ſudori adiunctum nulla quiete tollendum in iſto exilio. Certe etſi non eſſet beatitudo cœleſtis vt eſt, & viſio Dei, & gaudia indicibilia quæ gratiæ aquã obtinentur: ſaltim ad iſta duo mala tollenda ab anima noſtra, verbis & cordis lacrymis, & iuſtis operibus aquam iſtam inceſſanter & improbe à Chriſto efflagitare dedebamus, ſcilicet vt ſitis animæ extingueretur & labor culpæ & pœnæ ceſſaret à nobis: & vt ne amplius terrena ſitiremus, & vt tantis laboribus & infamijs atque ſumptibus & terroribus quibus aquã voluptatis hauritur non frueremur: & poſtea æternis ſubiacere cruciatibus: ſed vt tali gratiæ aqua anima ſaliret in vitam æternam.

Tex. ¶ Vade, voca virum tuum, & veni huc.

IAm ſcis, nihil ignorans Chriſte, hanc mulierem non habere virum, vt quid ipſam iubes illum vocare? Non ſine cauſa ſatis neceſſaria, nam quod magis deſidero in hac muliere, imo & in omni ho-

omni homine, est ad ipsius cognitionem veram deducere: vnde contritus delicta sua confiteatur, & me iustum & se peccatorem intelligat: & sic satago ad talem agnitionẽ ipsam deducere, quæ paulatim debuit erudiri, vt in me aliquid insigne cognosceret, & plusquam hominem esse. Voca virum tuum, remouere ab affectione carnali in qua nunc est constituta, vnde non potes intelligere quæ loquor: & voca virum tuum, spiritum nempe tuũ qui est animæ quasi maritus: quia animalem affectionem tanquam coniugem regit: reuoca igitur illum in te existentem, & extra te per varia desideria migrantem, & à sensualitate ad vilissima exulem constitutũ, & ad exteriora nociua euagantem. Reduc illum ad te, & ad interiora, & ad verã sui ipsius cognitionem & dignitatis & perfectionis notitiam: vt sic cœlestia intelligat mysteria & ipsa pro viribus quærat, eõfusus & rubore perfusus, quia foris inter exteriora & caduca infamatus & perditus euagare nõ erubuit, cum ad superna creatus sit.

Voca ipsum spiritum ò peccator, quem foris in rebus imper tinẽtibus imo & pernicioſis pollutum & ignorantem cœlestia arcana vides, & ipse illum eiecisti vt coruum ab arca gratiæ & cognitionis suæ: vnde super cadauera mortuorum & opera carnalia miser carnifex immundus & infamis, sine regressionis cogitatione ad gratiam, cruentatus perambulat, caput ad ima inclinatum habens. Reduc illum ad te terrore & cœlestium amore, & pœnarum timore, ne in aquis diluuij, & delictorum suorum suffocatus perpetuo maneat, vbi nulla sit spes euadendi: reduc illum contritione & dolore tantæ audaciæ, vt intentus Dei monitis sit & illi in omnibus subiacẽs: vt sic intelligat quæ spiritualiter dicũtur & desinat foris euagari. Cum diaboli error, & voluptas lege Dei vetita, in anima dominantur, tanquam spiritu absente & foras à domo existẽte: tunc adulter est talis spiritus & carnalis non percipiens quæ Dei sunt tanquam animalis homo: Vnde sicut marito absente fornicatur mala mulier: sic anima cum Dæmone carnalia exercet opera & terrena, spiritu ad exteriora vagante. Voca illum, vt sic dæmon fugiat, & anima vitia relinquat, & in meliorem mentem redeat: vt sic spiritualia intelligere valeas, & abhorrere carnalia, & aquam gratiæ obtineas, quæ non datur vaganti ad exteriora, nec animæ carnali & adulteræ marito suo Christo dolum perpetranti, & spiritum

*Gene. 8. B.*

*simile.*

*1. Cor. 2. D.*

*simile.*

ad nociua mittenti foras.

Vnum notatu dignum velim vt omnes coniugatæ mulieres hinc ex Christi verbis eliciant, scilicet vt nil faciant quantumuis bonum sit, sine hoc quod vocent virum suum, & adsit ad opus. Etiam si ego Deus sum & res quam petis mulier adeo honesta, nolo illam tibi præbere donec virum tuum voces: vt discat omnis mulier coniugem habens, nil facere sine mariti voluntate, quantumuis bonum sit: quia sine voluntate & consensu capitis, nil manus aut pes facere potest, nec debet: quanto magis mulier cuius caput est vir (ex sententia Pauli) nil facere debet sine capitis sui & mariti consilio? Voca virum tuum mulier, ad omnia à te facienda si iusta sunt, si non sunt honesta, neque cum illo aut sine illo quicquam facias. Mecum patris bonitate, confabulatur ista mulier, & cum hoc dico illi voca virum tuum, adsit ipse præsens nostræ confabulationi vt sciat esse honestam: & ipsa bona mulier, non abhorres consortia hominum perditorum contra Dei præceptum, & mariti honorem & animæ tuæ perditionem? Voca virum tuum infelix. Verba & facta tua sint talia, vt gaudeas non solum maritum illis adesse, sed Deum. Hinc colligitur temeritas mulierum largas & prodigas eleemosynas sine prudentia & maritorum consilio facientium: cum interim maritus miser, cui onera matrimonij manēt ponderosa: nocte & die gelu & æstu vt alter Iacob, atque non minimo labore prematur, & cum hoc familiam suam alere non potest. Et tales non sunt eleemosynæ, quia raro pauperibus præbet talis mulier, sed quibus ipsa contra Deum & maritum vult pro suo beneplacito, quia hoc placet illi & suo appetitui carnali. Grauem re vera iniuriam coniugi tuo irrogas stulta mulier, & tenentur ad restitutionem accipiētes, & Deum offendis: voca virum tuum, & iuxta tuum statum consensu illius præbe debitas eleemosynas ordine charitatis dispositas & amore Dei, & bene tibi erit: prius videas familiam tuam esse alendam: voca virum tuum.

*Ad Ephe. 5. E.*

*Genes. 31. F.*

Bene video raras esse mulieres largas contra viri voluntatem præbentes eleemosynas cum sint animal auarum: imo è contra viros duro corde nunquam panem pauperi dantes quotidie cerno, illi Nabal similes cuius cor factum fuit quasi lapis. Vnde non possum non consulere mulieribus vt iuxta statum suum

*1. Reg. 25. F.*

aliquas

aliquas moderatas indigentibus conferant eleemosynas, & quia tacite mariti consentire videntur, cum ipsis mulieribus hoc officium cõmittant. Si tamen mulier intelligit virum suum omnino abhorrere eleemosynam si potest aliquas dare sine hoc quod ipse sciat moderatas & iustas, præcipue si maritus iuxta suũ statum ad hoc tenetur, faciat in nomine domini: vt prudens Abigail eleemosyna placauit iram Dauid, cadẽtem iam iam contra virum suum & domum: non vtcumq; fuit sed ducenti panes, duo vtres vini quinque arietes cocti quinque sata polentæ centum ligaturæ vuæ passæ & ducentæ massæ caricarum: vide si est parua eleemosyna? Et sic forsan ipsa deuota mulier, ira Dei tuo marito debitam, bonis operibus tolles. Hoc autem magna prudentia, & silentio facere debes, ne maritus sciat, neq; familiæ alimentum tollas, nec pacem domi auferas, quo multũ Deus offenditur. Nec possum ferre concionatores aut confessarios omnino ligantes coniugum manus, præcipue in tempore tam sine charitate, ne sine mariti consensu aliquas paruas iustas & debitas possint cõferre eleemosynas, Dominus à mulierum eleemosynis alebatur. Si dicas erant liberæ. Etiam erat Iohanna vxor Chusæ procuratoris Herodis: & Susanna erat forte vxorata. Ibi in Luca videbis. In omnibus tamẽ pacem domi cõmendo illis.

1. Reg. 25. D.E.

Luc. 8. Ad.

Voca virum tuum mulier ad omnia quæ factura es, neque sine illius cõsensu aliquid facias: quam fortunatæ essent modo multæ coniugatæ in cœlo, quæ edacibus dilacerantur flãmis cũ Herodiade in inferno, si nil sine mariti cõsilio feciissent in hac vita: seruassent certe fidelitatem maritis maxime ad salutem illarum necessariam, ob cuius fractionem quis numerare poterit coniuges ad pœnas damnatas. Caput tuum (vt diximus ex Paulo) vir tuus est mulier, si acephala non es voca in omnibus caput à quo regenda es: sicut corpus sine capite sic pro maiori parte, mulier sine viro est: bene scio multas mulieres prudentiores & meliores viris suis fuisse, & modo esse: tamen voca virum, quia si acephala & sine capite es, diuina dona & superna consilia non sunt tibi committenda, nec Deus voluit huic mulieri dicere.

Vis agnoscere mulier, quam verum sit Deum velle à te exigere, vt sine mariti consensu & contra voluntatem illius nil, facias,

non ſolum adulteria & furta, alias nõ eſſent tam infelices homines ob malitiam mulierum infamati vt hodie reperiuntur, non audẽtes inter homines loqui cum boni ſint. Sint & prudẽtes ob inhoneſtas illorum mulieres, ne opprobrio tam odioſum dedecus detur: omitto aliquos infames maritos, ſuarum coniugum internuntios: quorum ſupplicium à iudice contra illos datum, non adimplet cor meum: vt vidi Conchenſis: re vera flagitium eſt omni flagello dignũ, vt futuro in iudicio videbitur. Verum etiam in rebus bonis & licitis debes mulier mariti conſenſum vocare: ita quod ſi vir tuus dixiſſet tibi (quia iuſtam ſuſpicionem de te habet non recto ambulare pede in via qua ad tẽplum pergis, aut quia dæmoniacus effectus eſt falſe de te iudicans) nolo vt ſacrum audias quotidie, imo etſi feſtum Reſurrectionis Dominicæ dixiſſet mane domi, nolo vt templum petas: teneris illi obedire, ne pacem frangere in cauſam ſis, valde à Deo inter coniuges deſideratam, & quia eſt prius præceptum & naturale quam de Miſſa audienda, concordiæ coniugum. Mane in angulo domi ex meo conſilio, plorans & ad dominum orans dicens: tu Domine qui corda noſti, ſcis quam libenter tibi & Eccleſiæ tuæ obedientiam hodie darem in ſacro audiendo officio: tamen diligis ſupra modum pacem & concordiam inter coniu-
*Ad Eph. 5. E* gatos, & iubes per Paulum mulierem, ſicut & Chriſto filio tuo, ſic marito obedire: ideo ne magis offenſus ſis & pax domine rũpatur, maneo in iſto angulo plorans: da meritum quod eſſem lucrata in ſacro audiendo, parce marito de me iniuſte male cogitanti & culpam quam impediendo committit: tolle ab illo dæmonem & falſam de me ſuſpicionem, vt libere me tibi ſeruire ſinat. Abſque dubio Deus in hoc prouidebit, quia vocaſti virum etiam omittendo minus bonum propter maius, quod eſt pacem inter coniuges ſeruandam, & virum à dæmone liberabit vt Deo ſeruire te ſinat. Quid dicam de muliere in nulla re licita marito obediente: ſed ſuam voluntatem imo voluptatem, peruerſam in omnibus adimplente, virum ſub pedibus habente irata, maledica, inhoneſta? Iam damnata eſt talis.

Voca virum tuum mulier, quia cum ſim bonitas æterna & Deus tuus, nolo amplius loqui tecum ſine teſte & ſine ſuſpicione, veniat vir tuus voca illum: vt ſi poſſem tam execrandas confabulationes ſuſpicione mala non carentes, ab homine cum

muliere

muliere aliena effugare, præcipue ab altaris miniſtris oēs laicos, ſuſpicione & ſcandalo perturbātibus, quibus proximus ſcādalo cadit in iudicium temerariū, & frequēter tales confabulātes cecidiſſe reperi. Audite hæc Dei obliti, & animarum veſtrarum hoſtes, & conſcientiarum aliorum carnifices: qui abſque vllo diſcrimine non veremini cum qualibet muliere in quocunque loco ſine arbitris confabulare & ridere animas veſtras maculando, & fratres ſcandalizando. Et gaudebitis coram iudice vos, vt veſtro confabulationis ficto gaudio, occidatis proximorum animas ob quas redimendas ipſemet iudex Chriſtus crucifixus eſt? Voca teſtes mulier, ne ſola cum ſolo audeas loqui: ne ſit ſuſpicioſus teſtis: caue ne ſit internuntia, voca virum, vt confabulationi tuæ aſsiſtat, aut altera interueniat honorata perſona inde ſancti religionum fundatores binos vt Chriſtus fratres mittunt: cum filius Dei iubeat vocare maritum. Si bona loqueris, quid ad te vt coram omni mundo dicantur, cum dicas illa coram Deo & omni curia cœleſti? Adſit maritus. Si mala ſunt mala mulier, ne illa dicas. Voca etiam virum tuum liberum nempe arbitrium quo indigeo (cum ſim Deus) ex ordinatione mea, ad præbendam tibi gratiæ aquam: vt ait Diuus Bernard. de ſcala Clauſtralium circa finem: hunc aſſenſum exigo à te Samaritana dicendo voca virum, hoc eſt volo tibi infundere gratiam, tu applica liberum arbitrium: & non reijcias auxilium tibi promiſſum, ſed aſſentire illi, delicta confitendo & vere pœnitendo cum firmiſsimo cauendi propoſito in futurum, quod magis opto.

*Ad Rom. 14 C.*

*Luc. 10. A.*

## ¶Non habeo virum. Tex.

MVliebri pudore cupiens diſsimulare turpitudinem ſuam, inficians matrimonium, diſsimulat ſtuprum: tamen non eſt aſtutia prudentia cōſilium neq; fallacia contra domini ſcientiam. Re vera non habet virum homo qui ſpiritum ſuum ad exteriora & nociua vagantem patitur, nil de cœleſtibus cogitantem: vnde illius anima adultera eſt dæmoni & vitijs ſe ſocians, Deum optimum derelinquens: nec valet nec vult ſpiritualia bona intelligere ne bene faciat, & cogatur deſerere voluptates dilectas, & pœnitere de his quæ toto corde amplectitur. Et mulier quæ virum contemnit conculcat & pro nihilo ducit, nō poterit

*Pro. 21. D.*

*Pſalm. 5. A*

vere dicere non habeo virum? Ego ſum vir cum imperem domi & maritus ſeruiat: ego loquor ille tacet, ego facio quicquid volo ſiue bonum ſiue malum ipſo vidente, & tacente, & loqui non audente, igitur virum non habeo. Samaritana es mulier, quæcunq; talis es, & dæmoniaca, ſi vir tuus ſine cerebro non eſt, & ipſa tam prudens & bona vt familia tua conſilio tuo indigeat, & deſtruatur viri tui imperitia: & ſi hoc eſt, humiliter & cum timore domum rege, honora virum tuum in omnibus, & ſic impera vt videatur exire à viro. Alias ſi ipſe prudens eſt & bonus & cũ hoc vis ipſa ſtulta & inſana imperare: Samaritana es, & caput ſub pedibus habere nõ times. Quid pueri de te iudicaſſent ſi velles domum ædificare: & tegulas pro cemento ponere iuſſiſſes & è contra? Quod eram ebria. Hoc ipſum iudico de te contra Dei præceptum & Pauli mandatum, capiti bono ideſt viro imperante, contemnente atque conculcante: fœlix mulier Saræ ſic viro obedienti & illum dominum vocanti ſimilis, ad gloriam ibis. Amen.

*Simile.*

*1.Pe.3.A.*

# Homilia Decima.

Text. ¶ Benedixiſti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuiſti & nunc quem habes non eſt tuus vir, hoc vere dixiſti.

BEnedixiſti, etiam ſi male feciſti quinque viros poſſidendo ad libidinem, & nullum legitimum: è malo minus dicere verum etiam ſi malum feceris: imo nil mali & culpæ manet in anima peccatrice valde, quãdo delicta ſua vere & legitime Dei miniſtro per confeſsionẽ dicit: & ſic Deus dicit illi benedixiſti hoc delictum cõfitendo vere & ad tui vtilitatem, dixiſti quia peccatum deteſtando veritatem confeſſa es ſicut os quod mentitur, negando in confeſsione delictum occidit animam: è contra confitens verum. Et magis mihi placet tuum dictum in confeſsione vt decet prolatum, quã diſplicuit factum nefandum contra me à te perpetratum: benedixiſti. Quia me benedixiſti, & animam tuam, ſacramenti mei auxilio à morte ſpirituali & ab infamia liberaſti & à me benedicendam conſtituiſti, quando vere confitendo non es prætextus

*Sapi.1.D*

falſitatem

falsitatem ò homo, neque negasti veritatem, ideo bene dixisti, & si in bono perseueras benedicta erit anima tua. O benedicta confessio peccatorum legitima, qualis es & quãta, talis & tanta, quam proterui impœnitentes agnoscere nolunt: cum beatam facias animam delicto vulneratam, maledictam & execrandam, & merito damnandam sine te sancta confessio, & miseram factam, quia miseros facit populos peccatum: & audiet vere confi- Prou. 14. B.
tens ab ipso Deo, benedixisti, ego ore sacerdotis te absoluo, nec dicit fecisti male, exprobrando te, sed laudat confitentem. O benedicta sacramentalis confessio. Non te laudo mulier, quia non habes virum sed adulterũ, quia bonitas suprema malitiam non laudat, imo odio sunt illi peccatum & peccator: tamen quia veritatem fateris qua desideras remedium in hoc laudo te. Sic & ani- Sapi. 14. A
ma peccatrix, laudo te quia vere confessa es & omnem culpam detestata: in hoc autem non laudo te quia me virum tuum sanctissimum peccato amisisti, & culpa à te expulsisti: quia in hoc vituperio dignissima eras & confusione æterna. Gaudeo quia confessa es mulier, nam ad hoc verbum extrahendum à corde tuo per veram confessionem, passus sum omnia, famem sitim & fatigationem: & ob hoc dulcedine verba plena protuli: sitis mea ad hanc tendebat aquam, vt voluptatem tuam per cõfessionem mihi dares: vnde sitim meam tali potu abstulisti, vnde dico bene dixisti.

O sacra peccatorum legitima confessio, ò fons omni dulcedine scatens, ò panis benedicte, ò vinum suaue, quod non solum sitim & famem à misera famelica & sitibunda anima peccatrice tollis & culpam & Dei amicam fœlicem, & satiatam omni bono reddis: sed insuper ab ipsomet Christo famem & sitim quam habet nostra delicta bibendi & consumendi extinguis, & tollis, vnde ipse dicit gaudens, bene dixisti anima confitendo. quia sitim & omnem laborem meum tulisti. Cupis confessionis fructum scire? Omne quod ab vtero matris meæ vsque ad crucis lectum passus sum, fuit, vt legitimam confessionem tuorum delictorum extraherem & à te obtinerem. Vnde si vis vt flagellorum meorum & aliorum dolorum non sim recordatus ad illos tibi obijciendum duriter in ratione tua vltima: confitere cito & vere peccata tua, & non plus peccare dispone, & certe dicam tibi coram patre meo & angelis, bene dixisti.

Quia

Quia confeſsionem ſceleris ab iſta muliere tacite exquirebam: quia volui inſtituere, vt antequam diuina beneficia largirentur, confeſsio criminum fiat, & ante abſolutionem fiat peccatorum deteſtatio vocalis. Et tu mulier adultera, marito infida & Deo inobediẽs, non audis aliquando Chriſtũ interne tibi dicẽtem: ò meretrix impudica, ò peſsima, quem habes in corde amore, deteſtando modo, non eſt tuus vir, ſed leno infernalis: Quid dicis?

Agnoui & bene ſciebam ante confeſsionem tuam te mulierem fornicariam & peſtilentem eſſe, & inuerecundam: quia cum eſſes talis non timebas aquam gratiæ ſine confeſsione delicti à me petere, vnde nolui, ſed dixi voca virum ſi habes: rationem, & virum nempe Deum vt veniat ad animam per gratiam: vt ſic compuncta agnoſceres tria mala quæ in quolibet delicto perpetraſti, Deum expellendo & dæmonem lenonem introducendo, & animam occidendo: vnde digna eras Deum non videre in æternum in gloria ſua, ſed in dæmonis conſortio mortua & à conſcientia torta manere. Tamen benedixiſti confitendo vnde omnia iſta mala in bonum conuerſa ſunt, cum Deum recepe ris per gratiam, & dæmonem reieceris & anima vitam ſuam recipiat. Confitemini adulteri, confitemini domino, quoniam bonus pellices mulieres, & ſacerdoti vicem Dei habenti: & fugite peccandi occaſiones, ſi vultis Chriſtum habere in virum. Quinque viros habuiſti, ideſt quinque ſenſus corporis tui (ait Auguſt. in Ioãnem) te rexerũt & ad libitum quo volebant te duxe runt: & modo non eſt tuus vir, ideſt, intellectus ſapientiæ qui te docet, ſed adulter, ideſt, error, & ſic carnaliter accipis quæ dico: ideo voca virum vt ſpiritualiter intelligas, voca intellectum rectum, à voluntate recte affecta iuſſum ſcire veritatem, & tunc neceſſaria docebo te, alias quid proderit?

Text. ¶ Dñe, video quia propheta es tu, patres noſtri in mõte hoc adorauerũt, & vos dicitis quia Ieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet.

EX dictis patet cum ſecreta ſcias, te prophetam eſſe, non erit ab re quæſtionem ſatis obſcuram à te interrogare. Iudæi & Samaritani vnum Deum & verum adoramus (vt ipſe ſcis) Iudæi dicitis Deum nuſquam adorandum niſi Ieroſolymis in templo

templo, quasi Deus alibi non audiat vota precantium, cum sit vbiq; : è contra nos Samaritani simili, sed diuersa superstitione negamus Deum vsquam adorãdum, nisi in mõte isto Garizim; quia is locus à Mose decretus est, vbi Patriarchæ benedicerẽt populo seruanti Dei præcepta: ipse qui prophetæ es, & cordis arcana nosti, quid indicas tenẽdum in hoc? Et quis vtriusq; nationis, sanctior est cultus tuo videri? A Estimo te adeo verũ & iudicem rectum, quem in talem eligere non dubitõ, etiam si ex natione nostræ contraria es: sequar certe quod dixeris esse melius. *Deut. 27. B.*

¶ Mulier, crede mihi quia veniet hora, quando neq; in monte hoc neq; in Ierosolymis adorabitis patrem. Text.

CRede mihi mulier, quia pronior es mendacio quam veritati ad credendum, serpenti quam Deo, vt Eua, lenoni quam marito, ideo crede mihi dico. Vos Samaritani, nõ sentitis de Deo in bonitate vt oportet, sed quendam dæmonem vt præcipuum creditis, & tali cultui dæmonum admiscitis Dei cultum: velut confundentes honorem Dei: nos autem Iudæi verum Deum scimus & talem adoramus, etiam si talis Iudæorum religio hucusq; crassa fuerit & carnalis. Post hac tamen Deus plenius cognitus erit per Filium & Spiritum sanctum, non solum in Iudæa notus (vt canit Dauid) & in Israel magnum nomen eius: sed toto terrarum orbe colẽdus erit, idq; in sacratioribus templis quam est Ierosolymitanum, nempe in Ecclesijs vbi maiestas mea sacramentaliter aderit. Et præcipue in puris hominum animis, quos ipsemet Deus suo spiritu mundabit parabit atq; consecrabit: vt sic in spiritu mundo adorent illum fide & opere verbo & veritate colant: hoc est, quod lingua in Dei laudem pronuntiet in spiritu & opere vere habebit verus adorator, ad sit Dauid in testem, qui loquitur veritatem in corde suo: ore cordi respondente. Quia vt ait Viguerius: veritas dicitur relatio conformitatis cordis ad opus exterius: & sic qui adorant Deum, oportet eum in spiritu, hoc est interius, & in veritate, hoc est actu exteriori Deum conformi adorare: quia si esset difformis, haberet locum illud Isaiæ, populus hic labijs me honorat & spiritu in honorat, cum cor eius longe sit à me & à veritate. Filius ille qui ore, imo & corde, cum vo- *Gene. 3. A* *Psal. 75.* *Psalm. 14. cap. 15. §. 2. vers. 5.* *Isai. 29. D.* *Matt. 21. C.*

ces

voces sint notæ earum quæ sunt in anima passionum, dixit se facturum voluntatem patris, non tamen fecit, non impleuit voluntatem illius: sed qui opus exterius adhibuit, vnde actus exteriores cadunt sub præcepto.

Text. ¶Scio quia Messias venit qui dicitur Christus, cum venerit ille annuntiabit nobis omnia.

IAm Messias venit iuxta prophetarum vaticinia & in ianuis adest, iuxta populi rumorem præcipue Iudæorum, ipse quæstioni meæ satisfaciet, cum tu non plene satisfeceris. Hoc Iesu sermone tantum profecit simplex & patiēs mulieris etsi peccatricis credulitas: vt quem prius Iudæū, & non benefacientem, quia cum illa loquētem vocauerat, mox dominū deinde prophetam appellarat: atq; nunc ipsum Messiam suspicatur: nam & Samaritani, ex Mosi promissis, prophetam illum eximium expectabant ex Iudæis oriturum. Scio Messiam venturum quem Iudæi expectant affirmantes iam tempus sui aduentus venisse: & dico ista dubitans an ipse sis, quia certe prudēter & plusquam humanum loqui mihi videris. Vere fateor Deum cum spiritus sit, pura mente colendum esse, quod sensit & alter cœli stultus, mū di sapiens dicens, si Deus est animus nobis vt carmina dicūt, hic tibi præcipue sit pura mente colendus. Quinq; libros Mosi nos Samaritani recipimus, vnde ista mulier didicerat Messiam vētu rum, dicit venit, aut quia iam tanquam si vidisset illum dicebat venit ob certitudinem aduentus, simul & breuitatem, aut venit pro veniet, quod Græci nonnunquam vsurpant.

Text. ¶Ego sum qui loquor tecum.

*Matt. 11. D.* COnfiteor tibi atq; laudo te corde vero Iesu pater cœli & terræ domine, vt ipsi pater cōfessus est aliquando & ob ipsam rationem: quia abscōdisti hæc à sapientibus pharisæis superbis, & à sacerdotibus legis tumentibus aere & scientia, & non virtute & patientia. Et interrogantibus, si tu es Christus dic nobis palam, negasti mysterium sacratum incarnationis tuæ, & te Messiam esse, & reuelasti parvulis humilibus gētilibus idiotis & nil de lege scientibus, sicut huic mulieri manifestasti peccatrici & stultæ, sed scire veritatem desideranti, & humilitate animæ capacitatem

*Iohann. 10. F.*

pacitatem facienti. Vnde videns Iesus mulieris docilitatem, & ardens cognoscendæ veritatis desiderium, quale non inuenerat in suis Rabinis Iudæis neq; in templi ministris: dignatur illi aperire secretorum secretũ, & arcanum magis supernum quod nunquam aures humanas vsq; ad illam horam attigerat. Ac si dixisset magister cœlestis mulieri peccatrici, sed iam virtutem desideranti: tu expectas Messiam vẽturum, tamen quia magna est efficacia & fidei potentia in his qui Deo seruire desiderant sanis operibus: volo ostendere rem magni ponderis tibi credenti & operari cupienti: scito me esse Messiam, & sic, non est cur alium expectes: Iudæis incredulis non credo meipsum vt dixi per Ioannem, vbi vero libenter. *Ioan. 2. B.*

¶ Continuo venerunt discipuli eius: & mirabantur quia cũ muliere loquebatur: nemo tamen dixit ei quid quæris, aut quid loqueris cũ ea? Tex.

DIscipuli de Christo Domino mirantur, quia solus cum muliere loquebatur, non quia quicquam mali de illo quem scire debebant esse Deum, suspicari poterant, sed quia nunquam ipsum cum muliere sola loquentem viderant: & mirari ipse & irascaris contra mirantes, te non sanctum & iustum, sed conscientiæ ruptæ & dissutæ millies in suspectam domum intrantem, & cum muliere non multum sancta, solum nocte & die confabulare, etiam si cœlestia tractes vt Christus cum Samaritana? Suspicionosus cum tali, imo vitiosus cum muliere leui loqui audes in silentio & publice: & molestè fers, vt homines imo & angeli mirentur, & timeant, ne aliquid mali tua suspecta confabulatio pariat? Heu quãtæ Dei iniuriæ ex cõfabulatione solitaria hominis & mulieris, etiã bonorũ ortæ sunt. Mirabantur (ait Beda) quia quærebat ouẽ perditã, qui venerat quærere quod perierat: bonũ autẽ mirabãtur, aliquid mali nõ suspicabãtur: vt ipse malitia & dolo plene, qui cũ primũ sacerdotẽ aut monachũ loquentẽ, etiã necessaria ad salutẽ & in domo Dei, cũ muliere maxime cõsilio suo indigẽtẽ, oculo tuo sinistro & peruerso cernis: statim cordis iudicio, tales Dei ministros, dire ad infamiã & inhonestatem *Luc. 15. A.*

tem iudicare non times, & in anima tua illos flagellas: & vtinam inter te & Deum iudices temere solum, & non alijs tuum venenum infundas. O homo audax Doeg, Christos domini tua lingua non times interficere? Caue ne angelos Dei & corpus eius consecrantes iudices: cauete ministri altaris, ne ansam siniſtri iudicij, vestris leuibus confabulationibus, laicis præbeatis: quia grauissime peccant male de vobis iudicando, & hoc ipsum peccatum vos perpetratis, quoties scandalum illis præbetis, & grauius.

1. Reg. 22. D

Text. ¶ Reliquit hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem.

IAm aquæ sitis excideratgustata aqua, quam promiserat Christus, vnde properat in ciuitatem ad alios inuitandos: quia iam saliebat aqua gratiæ in illa, vt alios ad bonum inuitaret: & sic ex Samaritana peccatrice subito apostolata facta est & Christi concionatrix. Reliquit hydriam non portans aquam, sed de aqua gratiæ quam acceperat in alios refundere satagebat: optimum signum dilectionis Christi & quod aquam voluptatis abhorruisti, si non solum peccata reliquisti, sed etiam alios in dilectionem domini trahere curas: saltim calore quo antea fideles in perditionem trahebas. Hydria fortasse (ait Beda) amorem seculi huius significat, id est, cupiditatem, qua sibi homines de tenebrosa profunditate, cuius imaginem puteus gerit, hoc est de terrena cõuersatione voluptatẽ hauriunt. Igitur qui ad Christum accedis charitate, relinque hydriã, cupiditatem nempe secularem, vt aquã gratiæ haurias, & alijs consilio communices, vt mulier ista. Discant euangelizantes verbum Dei, prius hydriam cupiditatis suæ & lucrosi ab occasionis ansa relinquere, quam temere concionandi officio se tradant.

Luc. 21. [illegible]

¶ Per ansam hydriæ, occasionem peccandi probabilem, intelligo, quam mulier ista reliquit: non cõtenta aquam voluptatis detestari, & hydriã, id est, conscientiam malam, qua hauriebat illã, à se proijcere: sed insuper & ansam occasionis abhorrere. Hoc facere debet quicunq; vere confiteri, & saluus fieri desiderat: peccata nequam maledictam, quam à se peruersam detestationem & legitimam

legitimam confeſsionem reijcere: hydriam alienæ rei aut honoris vero domino per ſatisfactionem reddere, & inſuper: quod valde in me & deinde in omnibus fidelibus, præcipue altaris miniſtris religioſis & concionatoribus opto: peccatum ex anſa occaſionis relinquere: alias ſi hydriã culpæ confeſſæ ex occaſionis anſa ſemper portas, velis aut non ad hauriendam voluptatis aquam reuerſus eris & cito: experientia infelici, hoc magis patet quàm ſcientia. Quid profuit tibi bona mulier, aquam voluptatis ad horam per confeſſionem deteſtari, & lacrymis abluere: ſi cum Bethſabee retines anſam occaſionis & confabulationis cum viro maledicto ad malum te inuitante? Cito, vt illa cum Dauid, ad lenonem reuerſa eris, ad laborioſum & execrandum opus voluptatis hauriendi, tolle occaſionem. 2. Reg. 11. D.

¶ Interrogabant eum diſcipuli dicentes, Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis, ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebãt ergo diſcipuli ad inuicem, nunquid aliquis attulit ei mãducare? Dicit eis Ieſus: meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, & perficiam opus eius. Tex.

MAnduca domine, quia famelicus es, & iam hora comedẽdi tranſiuit. Nolo comedere. Bibe magiſter, quia ſitibundus huc acceſsiſti. Nolo bibere: alterũ cibum ego habeo manducare quem vos non intelligitis, & alium potum quem neſcitis. Dicebant forſan diſcipuli, quis homo aut angelus cibum attulit illi? Venit forſan coruus aliquis & tulit illi panem & carnes vt Eliæ prophetæ? Vel venit alter Habachuc prandium meſſorum ſuorum illi adducens, vt Danieli in lacu leonum exiſtenti? Aut pater eius manna de cœlo miſit, aut mater angelorum miniſterio cibos à ſe conditos, mundos ſed pauperculos, ad agrum deduxit? Aut quomodo pane aut aqua non eget, qui antequam nos ad emẽdos cibos pergeremus vtroque indigebat, & aliquãtulum ſumus remorati? Quid inter vos agitis, vnde & qua via fames mea adempta ſit & ablata quæritis? Necdum intelligitis meũ cibum 3. Reg. 17. A Dani. 14. I.

non ſic eſſe corpori meo panem, vt animæ meæ facere patris voluntatem: & vnam rationalem ouiculam per varia voluptatis prata errantem, ad patrem meum per gratiam reducere, & ad caulas beatorum lucratam reportare? Magis æſtimo peccatricem Samaritanam patri meo in cibum bene cõditam per gratiam tradidiſſe: quam omnes cœleſtes & guſtui aptos cibos. O quam magna animarum ſitis eſt in te Chriſte domine, & quam inenarrabile obſequium Deo fit in reductione animarum ad ipſum, certe (vt
*Dionyſ.* dicebat Dionyſius inde cœleſti Hierarchia) omniũ diuinorum diuiniſsimum eſt, Deo perfecto & ſuperſubſtantiali cooperari in animarum deductione & conuerſione ad talem Deum, concionibus aptis, & ſanis conſilijs: cum audiam te patris ſapientia affirmantem tuum cibum & potum eſſe vnam mulierem perditam conuertere, & hanc eſſe voluntatem patris qui miſit te, vt
*Luc. 6. B.* non perdas quicquam ex his quæ tradidit tibi. Diſcite concionatores à Chriſto domino magno deſiderio calorẽ & exemplo, ieiunijs lectionibus, lacrymis & oratione, animas ad creatorẽ ſuum conuertere qui talia à Chriſto auditis. Si cibus ipſius Dei laſsi & famelici, fatigati & ſitientis: erat vnicam fœminam & ſcortum ad viam veritatis & gratiæ reducere: quid dicitis declamatores regis cœleſtis, qui tanta deſidia & tepiditate tam graue Dei negotium agitis? Vt quid omnibus modis fame & ieiunio labore & diſciplina, errantes & peccatrices animas in viã rectam virtutum qua itur ad patrem cœleſtem dirigere non contenditis: & à malis culparũ propoſſe retrahere? Vt quid non facitis voluntatem eius qui miſit vos ad concionandum Deus: cum ſit, vt nullum, quantum eſt in vobis, ne perdatis, ſed omnes ipſi Deo lucretis?

℣. Me, inquit Chriſtus, leuiſsime mouet cibus corporũ: eſt alter cibus qui mihi præcipue curę eſt, nimirum vt perficiam id, cuius gratia me in mũdũ pater meus cœleſtis miſit: hæc mea fames iſta mea ſitis hoc meum magnum deſiderium: vt impleam quod mihi pater in ſalutem aliorum mandauit. Non eſt iſta terribilis hominum confuſio, cum illorum fames canina ſit facere contra voluntatem creatoris & eius iuſtum mandatum: in illius non minimam iniuriam & animarum ſuarum perniciem, & aliorum perditionem: Tales non eritis filij Patris cœleſtis qui miſit vos, neq; Chriſti Ieſu fratres ſic patris voluntatem adimplentis: vt etiam famelicus comedere renuat, nec ſitibundus bibere, dummodo pa-

rem

trem conuertendo animas honoraret, & mulieris peccatricis salu ti consuleret, & Samaritanos ad vitam expectaret. Meus cibus & mihi satis placidus, est voluntatem patris perficere in animarum conuersione. Satis rationabilem habet causam redemptor meus: *Simile.* quia sicut corporalis cibus hominem, quo ad partem inferiorem & terrestrem, sustentat atq; ipsum perficit: sic spiritualis erit ani mæ & creaturæ rationali, quoad portionem superiorem, quo sustentatur & perficitur spiritus. Hoc autem perfecte fieri non valet, nisi quando coniungitur homo suo fini, Deo nempe, per gratiam & amicitiam illius, & sequitur regulam veram & superiorem: igitur nō est mirum vt Christus domini cibus esset, animas *Psal. 72.* cibo spirituali nutrire suo fini vero per gratiam vniendo, & faciendo vt talis homo dicere posset cum Dauid: Mihi autem adhærere Deo per amicitiam illius bonum est, cum ipse sit animæ meæ cibus, & facere voluntatem eius.

¶ Homo, Salutis tuæ & Dei volūtatis im memor, audisti dictū creatoris tui & seruatoris Iesu, dicentis suum cibum esse vocare homines ad fidem, vt inde operādo necessaria victum suum beatitudinis consequantur: insuper & opera passionis eius & mortis perficere, dummodo animam tuam perficiat esse panem suum? Vt quid ipsum te decipis credens sola fide in cœlum pergere sine operibus, & animam tuam perficere: sine hoc quod facias voluntatem domini in legitima mandatorum eius obseruatione? O temeritas punienda, ò desidia flagellanda, imo ò abiurata & execrata maledicti Martini infernalis sententia: vis perfectus esse? Crede, & credēdo opus perfice bene operando ad quod misit te in mundum pater tuus cœlestis, vt cohæres sis Christo. Fili Dei, cum tua sint facta omnia opera, quod etiam si Moses *Deut. 32.* non dixisset nobis experientia constat: vt quid modo affirmas vt perficiam opus patris? Nunquid pater aliquod imperfectum opus facere potest? Minime, tamen aliquod opus eius imperfectum est: nō ex parte patris mei creantis per me filium suum, sed ex parte ipsius creaturæ. Est ne tale sine perfectione opus, terra ipsa domine? Non. Est aer? Minime, neque aliquod elementum aut creatura irrationalis leo vel serpens: quāto magis corpora cœlestia: vidi cūcta quæ feci, & erant valde bona. Est tamen homo, qui inter cæteras creaturas inferiores, Dei opus speciale est: quia ad imaginem & similitudinem Dei factus: & tamen quia non in

Psal.48. tellexit perfectionem qua Deus creauit illum, & honorem: comparatus est brutis & sua culpa infectus perfectionē amisit. Deus fecit illum rectum, & suo malo comparauit se iumentis, manens sine fræno iustitiæ originalis, suis desiderijs, vt brutum animal,
Eccli.7.D. traditus: & inde morti subditus, quia implicuit se & immiscuit mille negotijs vanis & quæstionibus friuolis.

¶ Vnde per tale peccatnū perfectioem sibi datam à Deo amisit, & à rectitudine recessit: & sic vt tale opus patris mei ab ipso perfectè creatum & à peccatore imperfectioni traditum, perfectioni & rectitudini ego Dei filius restituam, soluendo pro illo in Cruce & veritatem docendo, & cibum suum verū, nempè gratiam & virtutem illi ostendendo: & sic non dubito talem cibum omni alij præferre & anteponere. Vnde per me reparatum est ta
Rom.5.D. le opus vt Paulus affirmat ad Romanos: sicut enim per vnius hominis inobedientiam, & opus prauum quod Adam perpetrauit, peccatores & imperfecti cōstituti sunt multi: imo omnes peccauerunt & egent gratia Dei (nullum verbum, cum de peccato loquor, de humanitate Christi & Virgine sanctissima ab omni peccato immuni loqui audēs) ita per iustitiam meam & obedientiam, multi homines in iustificationem vitæ & perfectionem venient: & sic perficiam opus patris, exequendo officium ab ipso mihi iniunctum, incorporando animas ipsi, per gratiam.

Tex. ¶ Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt & messis venit?

SI vos qui rei corporum studetis, nostis instare metendi tempus postquam à sementefacta quatuor menses præterierint: quanto magis oportet me ob cibum corporeum non negligere spiritualis meæ messis tempus, vnde vtiliorem mihi cibum & patri honoratiorem facillime parabo? Sicut seges iam flauescens falSimile. cem & messorum opus laborem & industriam quasi flagitat: ita si oculos leuatis & obseruatis humanarum mentium segetem, etiam Samaritanorum & gentium properantium ad Euangelicam doctrinam: intelligetis regiones vndiq; velut albescere & dispositas esse vt verbi Dei falce errores & vitia ab ipsis resecētur. Ideo discipuli mei & omnes concionatores, manus ad opus applicate: & videte tā graue opus labore nostro maxime indigere, ita vt fere nec māducare aut bibere tempus nobis superet. Quod,

si fructus

si fructus spes facile prouocat messorem ad opus, quanto magis nos oportet alacres esse ad Dei timorẽ & talem animarum messem omni labore infamia atque dolore posthabitis? Cum omni metenti præmium in cœlis amplissimum paratum est: & ideo colliget non triticum in horrea, sed animas hominũ in vitam æternam: leuate oculos mentis quia (vt ait D. Hier. in Ezechielem) de carnalibus sensibus, facimus spirituales vt hic: & alibi, qui habet aures audiendi audiat. *Simile.* *In Ezc. 40.* *Lib. 12.* *Luc. 8. B.*

¶ Plus sudoris est & laboris, in semente quam in messe: in semente proscindenda est tellus, rastro sarculoq; comminuendæ glebæ gelu frigus & imber, & alia multa sunt patiẽda: non sic vbi iam seges maturauit, non magno negotio metitur, & paratus fructus lenit laboris tædium. Sic prophetæ seminauerunt & suis laboribus arua parauerunt cordium, & mundum adhuc tractabilem sua doctrina præpararunt homines Euangelio: & vos nunc in laborem eorum succeditis: vt iuxta vulgi prouerbium: ad aliũ deuenit fructus messis, quam ad eũ qui sementem fecit. In mundi negotio gaudet metens & diseruciatur seminator: non tamen in Ecclesiæ facto & verbi Euangelici dissemination sic: simul gaudet & qui sementem fecit propheta, & qui messem colligit cõcionator, neuter enim caret fructu suo: euntes ibant & flebant Prophetæ mittentes magno labore semina verbis Dei fere sine fructu: sed venientes & fructum videntes veniẽt cum exultatione portantes & ipsi manipulos suos cum apostolis & Dei concionatoribus. Multi crediderunt in Christo propter verbum mulieris: sed magis ob verbum verbi: vnde dicebant, iam non ob tuam loquelam credimus, sed nos audiuimus illum & scimus esse verum mũdi saluatorem. Vtinam à vobis obtinuissem, vt ad Christum per veram confessionem veniretis & talia verba mihi diceretis, Iam non ob tuam concionem tãtum Deo seruire volumus, sed quia ipse dixit interne maiora. Rogemus Christũ vt maneat nobiscum non duos dies tantum: vt apud multos: sed diem vitæ per gratiam & diem æternitatis eius per gloriam, quam nobis donet. Fiat. Regi immortali & Christi humanitati & Virginis integritati laus sempiterna: quia huius Quagedrasimalis partis finem vidimus. *Simile.* *Psal. 125.*

Amen.

¶ Finis Primæ Quadragesimæ Partis.

# ERRATA.

Pag. 6. Verſ. *lique* Pro *delinꝫ* Lege *deliniuit* pag. 10. verſ. *quam* pro *blaſſplemis* lege *blaſphemijs* pag. 14. verſ. *nerſi* pro *nerſionem quia* lege *nerſionem, deinde quia inuito peccatores ad conuerſionem, quia* pag. 15. verſ. *Quod* pro *Vſquam* lege *Vſque* pag. 15. verſ. *ſtam* pro *Vſquam* lege *Vſque*. pagina. 22. verſiculo. *ſenti.* pro *Vel non* lege lege *Vel potius non*. pag. 22. verſ. *nec* pro *conquerite* lege *cõquerimini* pag. 22. verſ. *ſire* pro *materiam* lege *macerians* pag. 26. verſ. *rñ.* pro *conuertere* lege *conuerti* pag. 26. verſ. *diem* pro *annorum* lege *annos* pag. 30. verſ. *Conuer* pro *miſſus* legi *niſus* pag. 33. verſ. *Vermis* pro *meretur* lege *morietur* p. 38. verſ. *ritur* pro *maneti* lege *manet* pag. 42. verſ. *&* pro *reſpicias* lege *reſpnas* pag. 44. verſ. *digna* pro *ſaluaret* lege *ſaluari* p. 48. verſ. *in margine* pro *Cap. 7. 3.* lege *Cap. 7. §. 3.* pag. 53. verſ. *liſſe* pro *leiunis* lege *ieiunijs* pag. 54. verſ. *tus* pro *ludus* lege *ludos* pag. 62. verſ. *red* pro *dicit* lege *dixit* pag. 63. verſ. *in margine* pro *To. 2. hom. 6.* lege *Tom. 2. hom. 9.* pag. 66. verſ. *fuiſ* pro *inuentens* lege *inuenies* pag. 67. verſ. *populo* pro *deuictus* lege *deuinctus* pag. 69. verſ. *mam* pro *triſtitia* lege *triſtitiam* pag. 71. verſ. *dine* pro *nituitur* lege *intuetur* pag. 73. verſ. *tiꝫ* pro *ſpecta* lege *expecta*. pag. 74 verſ. *tuum* pro *amiſſis* lege *amittis* p. 77 verſ. *da* pro *Videantur* lege *Videatur* pag. 81 verſ. *ma* pro *Voluptate* lege *Voluptati* pag. 82 verſ. *tua* pro *ſecerdos* lege *ſacerdos* pa. 84 verſ. *iciuni* pro *multes* lege *multis* pag. 85 verſ. *ſi* pro *mertuũ in tibi* lege *mertuũ tibi* pag. 92 verſ. *meant* pro *ſecurim* lege *ſecuris* pag. 99 verſ. *colo* pro *apparebit* lege *apparebas* pag. 100 verſ. *Para* pro *paraum* lege *paratum* pag. 107 verſ. *eis* pro *filiam* lege *filium* pag. 117 verſ. *cens* pro *Vtimur* lege *Vtamur* pag. 121 verſ. *lem* pro *operante* lege *operantem* pag. 121 verſ. *dixi* pro *conqueris* lege *conquereris* pag. 126 verſ. *magis* pro *ſentiri* lege *ſentire* pag. 135 verſ. *tua* pro *abſcendas* lege *abſconſas* pag. 137 verſ. *tes* pro *inteficere* lege *interficere* pag. 141 verſ. *ciſt.* pro *proiectionem* lege *proiectione* pag. 143 verſ. *cet* pro *odiente* lege *odientem* pag. 151 verſ. *cito* pro *Hortolamus* lege *Hortolanus* pag. 155 verſ. *cio* pro *aſſignanbo* lege *aſſignabo* pag. 158 verſ. *nen* pro *in mundum* lege *immundum* pag. 162 verſ. *ſeq* pro *lachymis* lege *lachrymis*. pag. 164 verſ. *nat* pro *inriam* lege *iniuriam* pag. 164 verſ. *ex* pro *reconciliari* lege *reconciliari* pag. 172 verſ. *bilia* pro *audiens* lege *audens* pag. 174 verſ. *ad* pro *nubis* lege *nubes* pag. 181 verſ. *qui* pro *aſtrinxeram* lege *aſtrinxerant* pag. 201 verſ. *ple* pro *ſentiti* lege *ſentienti*

*ſentienti* pag. 201 verſ. *cum* pro *tibam* lege *tuba* pag. 221 verſ. *Bene* pro *tubam* lege *tuba* pag. 209 verſ. *nũ* pro *vri* lege *vti* pag. 212 verſ. *petu* pro *recipãt* lege *recipiant* pag. 213 verſ. *nã* pro *filys* lege *filij* pag. 219 verſ. *in margine* pro *ti. cap* lege *ti. 15. cap.* pag. 229 verſ. *inſa* pro *nuſquam* lege *nunquam* pag. 261 verſ. *non* pro *viti* lege *vitij* pag. 277 verſ. *mecũ* pro *nunq́ue* lege *nunquam* pag. 279 verſ. *ne* pro *regijs* lege *regis* pag. 282 verſ. *vbi* pro *eſt cibus* lege *eſt & cibus* pag. 282 verſ. *ſus* pro *mliagnus* lege *malignus* pag. 288 verſ. *age* pro *diuiciam* lege *duritiam* pag. 289 verſ. *nis* pro *beneficos* lege *veneficos* pag. 305 verſ. *præ* pro *aſſunte* lege *aſſentem* pag. 306 verſ. *into* pro *gratia* lege *gratia* pag. 307 verſ. *dæmõ* pro *facius* lege *facilius* pag. 312 verſ. *ſu,* pro *perg ſtis* lege *pergitis* pa. 316 verſ. *prã* pro *dares* lege *daret* pag. 318 verſ. *illi* pro *promum* lege *pomum* pag. 318 verſ. *dium* pro *promum* lege *pomum* pag. 323 verſ. *phetæ* pro *contingit* lege *contigit* pag. 325 verſ. *volu* pro *voluptatibus* lege *voluptatis* pag. 325 verſ. *vite* pro *vitent* lege *vitem* pag. 328 verſ. *tam* pro *multitis* lege *multi* pag. 330 verſ. *fir* pro *contempta* lege *contenta* pag. 339 verſ. *tore* pro *lenonibs u* lege *lenonibus* pag. 241 verſ. *gely* pro *ſonnum* lege *ſonum* pag. 342 verſ. *pro* pro *prædicauit* lege *non pradicauit* pag. 346 verſ. ℂ *sig* pro *habitur* lege *dabitur* pag. 346 verſ. *ſed* pro *quibus* lege *quibus* pag. 347 verſ. *dire* pro *vocis* lege *vobis:* pag. 355 verſ. *mu* pro *leorum* lege *leonum* pag. 355 verſ. *Si* pro *extenderat* lege *extendebat* pag. 377 verſ. *ſeri* pro *eſt* lege *es* pag. 379 verſ. *fir* pro *in multa* lege *multa* pag. 379 verſ. *ad* pro *ſerminantur* lege *terminantur* pag. 392 verſ. *mi* pro *Dei* lege *Deo* pag. 396 verſ. *ver* pro *peccantur* lege *peccantium* pag. 403 verſ. *bus* pro *vteris* lege *vteri* pag. 409 verſ. *tre* pro *tremes* lege *tremis* pag. 413 verſ. *Quid* pro *fluui* lege *fluuij* pag. 419 verſ. *homi* pro *regere* lege *reſurgere* pag. 419 verſ. *inſeu* pro *vulneratũ* lege *vulneratus* *ibid.* verſ. *ad* pro *exultat* lege *exultat* *Ibid.* pro *magit* lege *magis* *Ibid* verſ. *filius* pro *cunticis* lege *canticis* pag. 424 verſ. *&* pro *veſtumentum* lege *veſtimentum* pag. 430 verſ. *Dei* pro *qua* lege *quo* pag. 633 verſ. *ce* pro *indicio* lege *indico* pag. 1093 verſ. *macu* pro *iſta tria litera* lege *iſtas tres literas* pag. 1137 verſ. *ad mi* pro *in Amos* lege *in Oſea* pag. 1014 verſ. *lein* pro *dominium* lege *dominum* pag. 1131 verſ. *ſcmi* pro *Diuus Hieronymus* lege *Diuum Hieronymum* *Ibid.* verſ. *chri* pro *apta* lege *capta* *Ibid.* verſ. *ſua* pro *ſua* lege *ſuo*

# INEEX LOCORVM vtriusque teſtamenti, qui in hac Pri ma Quadrageſimali parte, non vtcũq; & obiter ſed ex profeſſo & accurate, ab autore expo nuntur.

## Ex Geneſi.

Cap. 1.


Faciamus hominem ad imaginẽ. Pagina. 1116. 1161. 1127.

Spiritus domini ferebatur ſuper aquas. pag. 192.

In principio creauit Deus cœlum et terram. pag. 311.

¶Cap. 2. Requieuit ab vniuerſo opere. pag. 450. 1162.

Adam ſolitarius non peccauit. pag. 221.

Spirauit in faciem eius. p. 1116. 1161.

De ligno ſcientiæ boni & mali, ne comedas. p. 54. 1063.

¶Cap. 3. Serpẽs de cœpit me. p. 860.

Nequaquam moriemini. pag. 210. 1181.

Cur præcepit vobis. p. 968.

Deditq; viro ſuo & comedit. p. 215.

Ne forte moriamur. p. 263.

Videns quod bonum eſſet lignum aduеſcendum. pag. 867.

Eritis ſicut Dij. p. 300.

Abſcondi me eo quod nudus eſſem pag. 943.

Veſtiuit eum Zona pellicea. p. 92.

Ad auram poſt meridiem. p. 1096.

Mulier quam dediſti mihi. p. 658.

Maledictus eris inter omnia animãtia terræ. p. 875. 475. 169.

Super pectus tuum gradieris. pag. 890.

Ipſa conteret caput tuum. pag. 895.

Inimicicias ponam. p. 271.

In ſudore vultus tui. p. 89. 90. 594. 764.

Terram comedes. pag. 104.

¶Cap. 4. Veni egrediamur in agrũ pag. 315. 825. 832. 822.

Sub te erit appetitus tuus. p. 226.

Cain odio habebat Abel. p. 809.

Sanguis fratris clamat ad me. pagina. 371.

Signum Cain impoſitum quale. pagina. 352.

Cap. 6. Erunt dies hominis centum viginti annorum. pag. 26.

Tolles tecum ex omnibus eſcis. pa. 1146.

Tactus dolore cordis. p. 727.

¶Cap. 8. Dimiſit coruum. pa. 1173. 63.

Reuerſa eſt ad eum in arcam. pag. 25.

Cap. 9. Noe plantauit vineam. pag. 774.

Signum fœderis. p 352.
Chan factus est seruus. p.92. 1046.
12 Et faciam te in gentem magnam pag.564.
15 Ego merces tua magna nimis. pagina.7.456.
Clamor Sodomorum. p.129.
19 Pluit super Sodomam. pag.182.
Conceperunt duæ filiæ. pag. 468. 565.
Respiciens vxor eius post se. p. 956.
In montem saluum te fac. pag.595.
21 In ablactatione Isaac factum est conuiuium. p. 567.
22 Tentauit Deus Abraham. pagina.226.
Tulit ligna & imposuit super Isaac p.1019.814.
24 Palearum & fœni plurimum est p.1150.
Erat virgo pulcherrima. p.515.
25 Da mihi decoctione rufa. pa.62. 1136.
29 Iacob seruiuit Labam pro Rachele & dedit Liam. p. 322.
30 Iuxta virgarum color. pagina. 270.
31 Scrutare quicquid tuorum. p.80
34 Tristem deliniuit blanditijs. p.6. 754.325.
36 Anã inuenit aquas calidas. pag. 222.
37 Ioseph cum sedecim stet annorum. vide totum caput à pag.808 vsque.840.
39 Relicto pallio fugit. pag.986.571 555.
40 Ego vidi somnium. p.820.724.
45 Ne irascamini in via. p.192.
49 Asser pinguis est panis. p. 641.
Beniamin lupus rapax. p.1017.
Collectis pedibus super lectum. pa. 142.

## De Exodo.

¶ Cap.1. Paleas dabat Pharao. pagina.324.
2 Moses sumptus ex aquis. p.1092. occidit AEgyptium. p. 216.
Moses in deserto vidit rubum. pagina.215.222.
Vidi afflictionem populi mei. pag. 496.
4 Indurabo cor Pharaonis. p. 491.
Apprehende caudam eius. pa.148.
Manus Mosi extra sinum leprosa. p.196.
5 Vacatis ocio, ne dentur vobis paleæ. p.325.954.
7 Fecerunt similiter malefeci. pag. 338.911.754.
Virga Aaron deuorauit serpentes. p.911.
8 Digitus Dei est hic. pag.910.
Voluerunt facere scyniphes. Scinphes. p. 911.
Cras orate dominum. p.620.
10 Tenebræ fuerunt in AEgypto. p.183.
Pharao iussit vocari Mosem. p.682.
Nec vngula manebit in AEgypto. p.568.
12 Angelus occidit primogenitos. p.169.77.

14 Quid

14 Quid clamas ad me? pag. 577.
Pharao perſequitur filios Iſrael. pa. 7.213.645.
15 Miſit lignum in aquas. p.1104.
16 Murmurauit populus obcœpas pag. 263.
17 Datur manna quando deficit farina AEgypti. p.1159
Amalech pugnabat. p.213.
20 Non habebis Deos alienos. pag. 994.
Non aſſumes nomẽ Dei in vanum. p.996
Honora patrem & matrem. p.1038.
Perterriti ac pauore concuſſi. p.990. 991.
Non facies omne opus in eo. p.534.
23 Si occurreris boui. p.124.
24 Ieiunauit Moſes. p.224.61.
27 Facies mihi altare non ſolidum. p.62.
Sedit populus manducare. pag.61.
Dele me de libro vitæ. p. 373.
Signa faciam quæ nunquam viſa ſunt. p.356.
4 Et gloria domini impleuit illud. pag. 862.

## Ex Leuitico.

¶Cap. 19. Non periurabis in nomine meo. p.996.
Non oderis fratrem tuum. p.122.
24 Qui blaſphemauerit nomen domini. p.1005.
Blaſphemus fuit lapidatas. p. 1005.
Oculum pro oculo. p. 119.

## Ex Numeris.

¶Cap. 10. Fac tibi duas tubas Moſes. p.120.
11 Cur afflixiſti ſeruum tuum? pagina 744.
Anima noſtra arida eſt. p. 481. 263.
Congrega mihi ſeptuaginta viros. pag. 969.
15 Obruat eum lapidibus. p. 287.
13 Botrus terræ promiſsionis. pag. 758.
16 Scietis quod blaſphemauerint dominum. p. 1004.
20 Audite rebelles & increduli. pagina. 1156.
21 Serpentes igniti miſsi à Deo. pagina. 313. 355.
22 Quid feci tibi? ait aſina. pag. 557. 916.
Peruerſa eſt via tua mihiq; contraria. pag. 966.

## Ex Deutero.

¶Cap. 14. Neque enim eſt alia natio tam grandis. pag. 266.
6 Diliges dominum Deum tuum. pag. 994.
7 Non poteris nationes iſtas delere pariter. pag. 134.
13 Propheta ille interficietur. pagina. 329.
21 Si genuerit homo filium contumacem. p. 1046.
22 Non indueris veſtimento ex lana linoq;. p. 340.

Ambulans per viam Si in arbore, p. 681
25 Pro mensura peccati, & plagarũ modus, p.993
28 Vt facias omnia mandata eius, p.990
Domum ædifices & non habites in ea, p.627
32 Generatio praua, p.339.797
Sicut aquila prouocans, p.178
Mea est vltio, p.166
Si arripuerit iudicium manus mea, p.601
Vtinam saperent & intelligerent, p.1115

## Ex Iosue.

¶ Cap.5. Defecit manna cum comederint de frugibus terræ, p.1160
6 Muri Iherico corruerunt tali modo, p.119
Tulit Acham de anathemate, p.168 lapidatus.288.
10 Sol sta contra Gabaon, p.353.659
15 Iebusæum nõ potuerunt filij Iuda delere, p.134

## Ex libro Iudicum.

¶ Cap.4. Sisara à Iael occisus, pag. 567.1114
6 Vellus rore plenum, deinde siccum, p.335
14 De comedente exiuit cibus, p. 359
16 Et clausum in carcere molere fecerunt, p.736
Tradidit Deus noster aduersarium nostrum, p.706
Moriatur anima mea cũ Philistijn, p.267
Eruerunt oculos eus, p.468.469
Raserunt septem crines Samson, p. 571.

## Ex primo Regum.

Cap. 1. Labia tantum Annæ mouebantur, p.210
Peperit filium ieiunio, p.62
2 Impij in tenebris conticescent, p. 1004
Nõ erit senex in domo tua, quia nõ arguisti filios, p.2035.1036
10 Ille verò simulabat se audire, p. 756
5 Dagon corruit coram arca, p.1160
10 Saul altior fuit vniuerso populo, 746
12 Cœperunt mugire tonitrua, p. 355
14 Non est Domino difficilè saluare in paucis, p.991
Fac omnia quæ placent animo tuo, p.752
Morte morieris Ionatha, p.67
16 Spiritus Domini malus, p.265
Dauid percutiebat cytharã & Saul refocillabatur, p.597
17 Domum eius faciam absque tributo, p.140
Dauid pugnat cum Goliath, p.253. 254
Goliath suo gladio perijt, p.459
20 Signũ Ionathæ de sagittis, p.450
21 Surrexit Dauid & abijt ad Achimelech. p.451.

22 Abia-

22 Abiathar fugiens euasit, p.561
25 Benedicta tu, quæ prohibuisti me, p.165.1175
27 Aliquando incidam in manus Saul, p.963
20 Dauid AEgyptio inimico dedit panem, p.175
31 Saul irruit super gladium suum, 271.459

## Ex secundo Regum.

¶Cap.1. Quasi nõ esset vnct' oleo, p.78
Filiæ Israel super Saul flete, p.86. 718.719
4 Ostiaria domus dormiuit, pag. 987.
5 Non ingredieris nisi abstuleris cæcos, p.477
10 Dauid misit nuncios ad Hanon, p.798
11 Dauid tulit vxorem & vitam illius viri, p.220.472.736.737
Misit Dauid nuncios ad Ioab contra Vriam, p.714.
Et ego dormiam cum vxore mea? p.714.715
12 Quare contempsisti verbũ meũ? p.975
13 Amnon exosam habuit Thamar, p.305.306
Percutite Amnon & interficite, p. 283.
Serua me Rex, p.697.730.731
Tondebat Absalon capillos, p.571
Reuoca puerum Absalõ, p.163.162.
35 In fatua Domine consilium Achitophel, p.162.160
16 Dimitte Semei vt male dicat mihi, p.128.160.602
18 Absalon suspensus capillis suis, p.571.1043
Seruate mihi Absalon, p.162
Fili mi Absalon, p.160
23 Hauserunt aquam de cisterna, p.1108
Num sanguinem istorum bibam? p.1121

## Ex tertio Regum.

¶Cap.2. Pete mater mea (ait Salomon, p.1048
6 Malleus aut securis non sunt audita, p.687
11 Deprauatum est cor Salomonis, p.468.552
13 Exaruit manus Regis Ieroboam, p.799
17 Senes fuit in causam vt occideretur vir Dei, p.272.323
Non erit ros nec pluuia, p.207. corui pascebant Eliam, p.243
18 Vsq; quo claudicatis? p.475.477
19 Iuit Elias in fortitudine cibi, p. 66.
20 Percute me, p.81.82
Custodi virum istum, p.745
Hoc est iudicium quod ipse decreuisti, p.848
21 Lapidatur Naboth ob Iezabel, p.272.287.834
Nonne vidisti humiliatum Achab? p.95
Benedixit Deum & Regem, p.583

22 Quis decipiet Achab? p.345

## Ex quarto Regum.

¶ Cap.1. De lectulo super quem ascendisti,p.312.605
2 Ascende calue,p.706
Egressi sunt duo vrsi de saltu,p.733. 804.
Postula quod vis,p.750
Fiat in me duplex spiritus,p.750
Afferte vas nouum, p.419.1106
Raptus est Elias à curru igneo,p.812
4 Vidua clausis ianuis infudit oleū, p.202.202
Mors in olla vir Dei,p.652.132
5 Lepra Naaman adhærebit tibi, p. 176.
Nū quidnō meliores sunt Abana? p. 1100.
6 Plures sunt nobiscum,p.333
Pone panem & aquam coram eis, p.175
13 Cum tetigisset ossa Eliseireuixit homo,p.241
18 Baal, Baal exaudi nos,p.210
19 Angelus Dñi percussit.185000. p.1009
20 Sol reuersus est decem lineis,p. 354.

## Ex secundo Paralipomenon.

Manasses in oratione, Domine cæli & terræ,p.484

## Ex Tobia.

¶ Cap.1. Ab infantia timere eū docuit,p.1026.1031
2 Ex nido hirundinis, stercora inciderunt,p.471
3 Nunquam cum ludētibus miscui me,p.572
Et dæmonium occiderat eos, p.931
4 Ex substancia tua fac eleemosynam,p.202
Caue ne aliquando peccato consentias,p.262
5 Quale gaudium mihi erit? p.471. 793.
Apprehende brāchiam eius, p.836. 837,939.940
6 Non esset pecunia,p.471.793
9 Numerat pater meus dies, p.27
12 Bona es oratio cum ieiunio, p. 62.
Quando orabas cum lachrymis,p. 208.966
14 Propè erit interitus Niniue, p. 543.

## Ex Iudith.

¶ Cap.1. Iurauit quod defenderet se,p.167
5 Ait Achior ista gens habet Deum propicium,p.266
7 Interdixit aquæ ductum,p.2
8 Ieiunabat Iudith,p.253
13 Holofernes suo pugione interijt, p.459
Eratque sola Iudith in cubiculo,p. 878.

## Ex Esther.


¶Cap.1. Iusta est regis indignatio, 731.
3 Literæ signatæ annulo, p.74
4 Planctus erat apud Iudæos, p.84
Nisi Rex virgam ad eum tetenderit, p.355
7 Suspensus est Aman in patibulo quod parauerat, p.459
15 Ipsa roseo colore vultum perfusa, p.726


## Ex Iob.


¶Cap.1. Ne fortè filij mei peccauerint, p.83.1032
Circuiui terram, p.4.104.145
Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt, p.265.329
Repente ventus vehemens irruit, p. 747.
Cum comederēt in domo fratris primogeniti, p.268
2 Benedic Deo & morere, p.583
3 Pereat dies in qua natꝰ sum, p.861
3 Qui expectat mortem & non venit, p.1154
5 Ad aliquem sanctorum conuerte re, p.620
6 Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, p.560
Quis det mihi vt veniat petitio mea p.482
7 Militia est vita hominis super terram, p.4.933
Memento mei Deus, quia vētus est vita mea, p.90
9 Quis poterit dicere, cur ita facis? p.619
10 Si peccaui & ad horā pepercisti mihi, p.461
12 Interroga iumenta, p.95
Vt plangam paululum dolorem meum, p.487
13 Si occideris me sperabo in te, p. 635.
14 Cunctis diebus quibus nunc milito, p.482
16 Ego ille quondam opulentus, p.1088.
Si locutus fuero non quiescet dolor meus, p.891
19 Quis mihi tribuat vt scribantur, p.289
22 Nec nostra considerat, p.789
Quid prodest Deo si iustus fueris? p.111
26 Ecce gigantes gemuerunt, p.743
28 Non inuenitur in terra suauiter viuentium. p.221.
Terra de qua oriebatur panis igni subuersa est. p. 292.
30 Quasi rupto muro. p.778.785.
Eleuasti me & elisisti. p. 304.
31 Ignis vsque ad consumptionem deuorās. p.85.470.593.
Si vidi solem cum fulgeret. p.198.
36 Saluabit te de ore angusto latissimo p.421.
40 Ossa illius velut fistulæ æris. pagina. 874.
Sub vmbra dormit in secreto calami. pa.435. à pag.942. vsq; 945. 947.
Habet fiduciam quod influat Iordanis.

danis.p.413.
Aut armilla perforabis maxillam eius?p.417.
an extrahere poteris Leuiathan hamo?p.331.
41 Est rex super omnes filios superbiæ.p.7.
Non est potestas in terra.pag.161.& 253.
Halitus Leuiathan prunas ardere facit.p.569.

## Ex Psalmis.

¶Cap.1.Et erit tãquam lignum. pagina.713.
2 Postula à me & dabo tibi gentes. pag.628.
Tunc loquetur ad eos in ira sua.619.
Qui habitat in cœlis irridebit eos. p.958.
3 Domine, quid multiplacati sunt qui tribulant me? p.131.
4 Filij hominum vsquequo graui corde? p.285.
Irascimini & nolite peccare. p.159.
Vt quid diligitis vanitatem? p.943.
5 Odisti omnes qui operantur iniquitatem.p.123.
Dirige domine Deus meus in conspectu tuo. p.531.
6 Anima mea turbata est valde.pagina.519.
Lauabo per singulas noctes.p.66.
7 Scrutans corda & renes Deus. pagina.891.
Si reddidi retribuentibus mihi mala.pa.167.
8 Quid est homo quod memores eius? pag.695.
10 Pluet super peccatores laqueos. pag.756.
11 Propter miseriam inopum. pag. 597.
12 Illumina oculos meos. pa.472.
13 Illic trepidauerunt timore. pag. 1133.
Omnes declinauerunt. p.462.
Venenum aspidum sub labijs. pag. 648.
14 Quis requiescet in monte sancto tuo? p.669.
Qui loquitur veritatẽ in corde suo. pag. 1181.
15 Quoniam bonorũ meorum non eges.pag.801.13.
16 Satiabor cum apparuerit. pag. 1144.
De absconditis tuis. pag.735.1144. 1145.
17 Posuit tenebras latibulũ suum. pag.790.
Cum sancto sanctus eris. pag.574. 1112.
18 Tanquam sponsus procedens.pagina. 183.
Dies diei eructat verbum. p.183.
Si mei non fuerint dominati. pagina. 262.
In omnem terram exiuit sonus. pa. 769.
21 Ego sum vermis, & non homo. pag.695.
Circundederunt me canes multi.pagina.656.

Aruit tanquam testa virtus mea. pa gina. 481.
Dinumerauerunt ossa mea. p. 667.
22 Parasti in conspectu meo mensam. p. 1145.
Ipsa me consolata sunt. p. 876. 128.
23 Quis stabit in loco sancto eius? pagina. 669.
26 Expecta dñm viriliter age. p. 482
27 Qui retribuunt mala. p. 544.
27 Et castigatio mea in Matutinis. pag. 709.
30 Erubescāt impij muta fiant labia. pag. 868. 1004. 1005.
Obliuioni datus sum tanquam mortuus. p. 959.
Quoniam defecit in dolore anima mea. 681.
31 Beati quorum remissæ sunt iniquitates. p. 676.
Multa flagella peccatoris. p. 708.
Quoniam tacui inueterauerunt. pa. 488. 870.
32 Ipse dixit & facta sunt. p. 276.
35 Gustate & videte. p. 1170.
Quis est homo qui vult vitam? pag. 1103.
34 Humiliabā in ieiunio animam. p. 64.
Captio quam abscondit apprehendat eum. pag. 1017.
35 Noluit intelligere vt bene. p. 1177
Apud te est fons vitæ. 1101.
36 Et exaltabit te vt hæreditate capias terram. p. 482.
37 Putruerunt & corruptæ sunt. pa. 462. 958. 758.
Rugiebā à gemitu cordis mei. p. 84.
Miser factus sum. p. 579. 480.
38 Thesaurizat & ignorat. pa. 103.
41 Rugiebā à gemitu cordis. p. 472.
Quemadmodum desiderat ceruus. pag. 117.
44 Audi filia & vide. p. 565.
Astitit regina. p. 737.
Speciosus forma. p. 236.
47 Ibi dolores vt parturientis. p. 182
48 Comparatus est iumentis. p. 90. 1188.
49 Quare tu enarras iustitias meas? pag. 879. 222.
Si videbas furem. p. 1093.
50 Miserere mei Deus.
Quoniam si voluisses sacrificiū. pa. 454.
Secūdum magnam misericordiam tuam. p. 961.
Cor contritum & humiliatū. p. 95.
Libera me de sanguinibus. pagina. 911.
52 Qui hominibus placent confusi sunt. pag. 194.
54 Viri sanguinum & dolosi. p. 26.
55 Pro nihilo saluos facies illos. pa. 1114.
56 Paratum cor meum Deus. p. 101.
57 Priusquam intelligerent spinæ. p. 324.
Supercecidit ignis & non viderunt solem. p. 470.
58 Misericordia eius præueniet me. p. 1100.
Famem patientur vt canes. pa. 654. 27. 657.
59 Commouisti terram & conturbasti. p. 519.

61 Cucurri in ſiti. p. 1110.
Quouſq; irruitis in hominem? p.24
Semel loquutus eſt Deus. p.578.
62 In terra deſerta & in via. pa. 219.
67 Lingua canum tuorum. p.650.
Exurgat Deus & diſsipentur inimici eius. p.799.
68 Saluum me fac Deus. p.941.
Dederunt in eſcam meam fel. p.668
Fiat menſa eorũ in laqueum. p.576
Raucæ factæ ſunt. p.31.
Fiat habitatio eorum deſerta. p.707
72 Quid mihi eſt in cœlo? p.1163.
73 Tu confirmaſti in virtute tua mare. p.877.
Vt quid auertis manuum tuam de ſinu? p.196.
74 Dixi iniquis nolite inique agere. p.1010.
75 Notus in Iudæa Deus. p. 1181.
Vouete & reddite Dño. p.958.
Factus eſt in pace locus eius. p.900.
76 Vox tonitrui tui, in rota. p.154. 898.
Deum exquiſiui. p. 202.
Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet? p.597.
77 Tentauerunt & exaceruauerũt. p. 958.
Adhuc eſcę eorum. p.59.
79 Manifeſtare qui ſedes ſuper cherubim. p.309.
Extendit palmites ſuos. p.767.769.
Vt quid deſtruxiſti maceriam eius? Ibi.
Deus virtutum conuerte nos. p.771
80 Dimiſi eum ſecundum deſideria cordis. p.488.
82 Hæreditate poſsideamus ſanctuarium. p.757.
83 Beatus vir cuius eſt auxiliũ abſte p.684.
Quam dilecta tabernacula tua. pa. 1089.
Reſpice in faciem Chriſti tui. pagina. 771.
84 Laborabit in æternum. p.1010.
85 Fac mecũ ſignum in bonũ. p.635
86 Operui in ieiunio animã meam. pag.236.
87 Pauper ſum ego & in laboribus. p.239.1087.
88 Memorare quæ mea ſubſtantia. pag.111.
90 Super aſpidem & baſiliſcum. pagina. 568.
Qui habitat in adiuuorio altiſsimi. pag.777.
Ab incurſu & dæmonio meridiano. p.875.
Cadent à latere tuo mille. p. 918.
Liberabit me de laqueo venãtium. pag.1094.
Angelis ſuis mandauit de te. p.306. 307. 308.
93. Non videbit dominus. pag.763. 704.
Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis? pag.692.
Dominus ſcit cogitationes hominum. pag.891.
94 Quadraginta annis proximus fui. p.233.766.
101 Ne auertas faciem tuam à me. pag.203.
102 Sicut miſeretur pater filiorum.

pagina.761.
Qui replet in bonis desiderium. pagina.1162.
105 Aperta est terra & deglutiuit Dathan. p.804.
Commixti sunt inter gentes. p.570
Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. p.58.
106 Omnis iniquitas opilabit os suum.pa.1004.
108 Constitue super eum peccatorem.p.170.
Induit maledictionem. p.1136.
Et expugnauerunt me gratis. p.809
Genua mea infirmata sunt à ieiunio. p.237.
109 Dixit dñs domino meo. p.737.
De torrente in via bibet.p.254.
111 Peccator videbit & irascetur.pa 608.
Gloria & diuitiæ in domo eiº.p.114
112 Laudate pueri dñm. p.1004.
113 Os habent & non loquentur. pag.868.
Non nobis dñe, non nobis. p.202.
115 Quid retribuam domino?p.749
Omnis homo mendax.p.999.
118 Beati immaculati in via. p.993.
Tempus faciendi domine. pa.776. 808.913.1032.
Pax multa diligẽtibus nomen tuũ. pag.1072.
Maledicti qui declinant, à mandatis tuis. pag.990.
Erraui sicut ouis quæ perijt.p.1080.
Tu mandasti mandata tua custodiri. p.989.
In corde meo abscondi eloquia tua. pag.985.
Quam dulcia faucibus meis. p.195.
In toto corde meo exquisiui te.p.39
Exitus aquarum. p.85.
Latum mandatum tuum. p.692.
Particeps sum timentium te.p.480.
Concupiuit anima mea desiderare. pag.578.
119 Cum carbonibus desolatorijs. pag.97.
123 Benedictus dominus qui non dedit nos.p.276.
124 Non relinquet dominus virgã. pag.698.
126 Surgite postquã sederitis. p.651
127 Labores manuũ tuarũ. p. 1014.
128 Priusquam euellatur exaruit. pag.709.
Supra dorsum.p.228.708.
130 Domine non est exaltatum cor meum.p.563.
Sicut ablactatus est. p.568.1160.
132 Ecce quam bonum & iucundũ. pag.485.
135 Torrente voluptatis tuæ potabis eos.p.114.
136 Quomodo cantabimus canticum.pag.256.
In salicibus in medio eius.p.948.
Beatus qui allidet paruulos ad petram.p.260.
138 Mirabilis facta est scientia tua ex me.p.43.1116.
Quo ibo à spiritu tuo?30.376.
Mihi autem nimis honorati sunt. pag.620.
140 Singulariter sum ego. pagina. 240.

Ad excusandas excusationes.p.918
141 Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. p.79.
Perijt fuga à me. p. 1091.513.
Educ de custodia animam meam. pag.724.
Portio mea, in terra viuentiũ.pa.111
143 Promptuaria eorum plena. pa. 688.
144 Oculi omnium in te sperãt domine. p.656.236.
Imples omne animal benedictione pag.1159.
147 Quoniam confortauit seras.pa gina. 163.
Emittet verbum suum. p.185.
Qui posuit fines tuos pacem.p.168.
149 Gladij ancipites manibus eorũ pag. 153.

## Ex Prouerbijs.

¶Cap.1. Vsquequo paruuli diligitis infantiam? p. 1032.
Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. p. 511.
2 Infames sunt gressus tui. p.1093.
6 Commorari cũ leone magis quã cum muliere nequam.p.551.
Potest homo abscondere ignem.pa gina.566.
7 Garrula vaga.p.588.
Quasi bos ductus ad victimam.pa. 553.
9 Venite & bibite vinum. pa.1101.
10 Filius sapiens lętificat patrem.pa gina. 1027.
11 Alij diuidunt propria & ditiores fiunt.p.111.
Qui abscondit frumenta, maledicetur.p.109.
Qui confidit in diuitijs corruet. pa. 475.
12 Lingua sapiẽtium sanitas est. pa gina.660.
13 Iustus comedit & replet animam suam.p.1168.
Qui parcit virgæ, odit filium.pagi. 1033.
14 Miseros facit populos peccatũ. p.10.579.
15 Responsio mollis frangit iram. p.892.
Oculi Domini contemplantur bonos & malos.p.531.
16 Spirituum ponderator est Deus pag.1076.
18 Impius cum in profundum malorum.p.492.
20 Suauis est homini panis mendacij, pag.651.
21 Ipse clamabit, & nõ exaudietur. p.1041.
Non est prudentia contra Dominũ pa.1177.
24 Si dixeris vires nõ suppetũt.p.59
26 Homo iracundus suscitat rixas. pag.78.
Labijs suis intelligitur inimicus? pa. 957.
28 Fugit impius nemine persequẽte.1133.
Qui abscondit scelera sua non dirigetur. p. 109.
Qui subtrahit aliqd à patre. p.1041.

29 Qui

29 Qui delicate nutrit seruum. pag. 1033.
30 Oculum qui subsannat patrem. pag. 1046.
31 Mulierem fortem quis inueniet? pag. 556.
Et operata est cõsilio manuum suarum. pag. 1022.

## Ex Ecclesiaste.

¶ Cap. 1. Oritur sol & occidit. p. 184
Omnia flumina intrant in mare. pa. 898.
Peruersi difficile corrigũtur. p. 1113.
Stultorum infinitus est numerus. pagina. 459. 1027.
2 Habiturus hæredem. p. 105. 1083.
Fruar bonis & hæc & alia feci & vanitas. p. 1153.
3 Qui amat periculũ peribit. p. 561.
Vnus est interitus hominis & iumẽtorum. pag. 1029.
4 Væ soli qui cum ceciderit. p. 254. 1134.
7 Nemo potest corrigere quẽ Deus despexit. p. 489.
Cor sapiens vbi tristitia. p. 69.
Inueni amariorem morte mulierem pag. 552. 553.
Ipse infinitis se miscuit quæstionibus. p. 1188.
8 Quasi facta iustorum habeant. p. 379.
Filij hominum absque timore perpetrant mala. p. 112.
9 Nullus deinceps recordatus est hominis pauperis. p. 959.
10 Muscæ morientes, perdunt suauitatem. p. 262. 886.
Qui dissipat sepem mordebit eum coluber. p. 776.
11 Si ceciderit lignum, siue ad austrum. p. 520.
Meminisse debet homo tenebrosi temporis. p. 456.
12 Deum time & mandata eius obserua. p. 987. 988.

## Ex Canticis.

¶ Cap. 2. Assimilare capræ dilecte mi. pag. 815.
3 Tenui eum nec dimittam. p. 458. 1146.
4 Tota pulchra es amica mea. p. 929
Fons hortorum, p. 16.
Hortus conclusus, fons signatus. pagina. 1140.
5 Manus meæ stillauerũt myrrham pagina. 120.

## Ex Sapientia.

¶ Cap. 1. Et in simplicitate cordis quærite illum. pag. 919.
In animam malignolam non introibit sapientia. p. 982. 645.
Os quod mentitur occidit animam, pag. 1178.
Inuenitur ab his qui non tentant illum. p. 313. 314.
Nec habitabit in corpore subdito peccatis. pag. 919.

2 Coronemus nos roſis. p.685.
Hæc eſt pars noſtra. pa.111.
Morte turpiſsima condemnemus eum.p.701.
Contumelia & tormento interroge mus eum.p.806.
3 In tempore erit reſpectus illorum. p.227.495.
Tanquam aurum in fornace.p.227.
4 Ex iniquis filij teſtes. p.1037.
5 Lumen iuſtitiæ non illuxit nobis. p.943.
Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. p.308.309.
Laſſati ſumus in via iniquitatis. p. 17.968.1082
Ambulauimus vias difficiles. p. 378.1093.
Sol iuſtitiæ nō illuxit nobis.p.184. 470.
Iuſtitiæ lumen nō illuxit nobis. p. 943.
Armabit omnem creaturam. pagina.153.
Tanquam nauis & nuntius. pagina 400.
Armabit omnem creaturam. pagina.799.
6 Iudicium duriſsimum in his qui præſunt.p.271.967.
Cito & horrende apparebit. p.706. 790.
Præoccupat eos qui ſe cōcupiſcūt. p.538.
Pontentes potenter tormēta patientur. p.967.
Dilectio cuſtodia legum. p.987.
7 Sine inuidia communico.p.111.
9 Corpus quod corrumpitur.p.695
10 Hæc illum qui primo formatus eſt.p.765.
11 Immiſiſti illis domine, multitudinem animalium. p.458.459.
Tanquam gutta roris antelucani. p.1147.
14 Odio ſunt Deo impius & impietas eius.p.124.810.1179.

## Ex Eccleſiaſtico.

¶ Cap.1. Ne acceſſeris ad illū duplici corde. p. 38.
2 Sta in iuſticia & timore. p.6.213. 258.516.
Quid facient cum inſpicere cœperit Deus? p.664.
Væ duplici corde.pa.38.
Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam.p.666.
3 Cor durum male habebit in nouiſsimo. p.102.113.285.
Qui amat periculum peribit in illo. p.561.
Benedictio patris firmat domos filiorum.p.586.
4 Noli eſſe ſicut leo in domo tua. p.78.
5 Ne tardes conuerti ad dominum. p.25.455.
Altiſsimus eſt patiens redditor. p. 113.
7 Filij tibi ſunt? curua illos.p.1034.
Filiæ tibi ſunt? Ne oſtendas faciem hilarem ad illas.p.588.1034.
Memento quoniam niſi per illos

natus non fuiſſes. p. 1038.
Memorare nouiſsima tua. pag. 96.
10 Languor prolixior grauat medicum. p. 489.
Acceſsiſti maligne ad dñm. p. 965.
Quid ſuperbis terra & cinis? p. 91.
11 A ſcintilla vna augetur ignis. p. 566.
13 Qui tetigerit picem inquinabitur, p. 81. 569
Quæ communicatio homini ſancto ad canem? p. 37. 275
15 Coram illo poſuit ignem & aquam, p. 499
18 Qui viuit in æternũ creauit omnia ſimul, p. 762
19 Qui ſpernit modica, paulatim decidet, p. 260
20 Sapientia abſcõſa & theſaurus inuiſus, p. 110
21 Tanquam à facie colubri fuge peccatum, p. 10
22 In lapide luteo lapidatus eſt piger, p. 115
23 Iurationi nõ aſſueſcat os tuum, p. 1001
Vir multum iurans implebitur iniquitate, p. ibi.
24 Requieuit in tabernaculo meo, p. 1010
25 Commorari leoni placebit, quã habitare cũ muliere nequã. p. 551
Breuis omnis malitia, ſuper maliciam mulieris, p. ibi.
27 Loquela multum iurans, horripilationẽ capiti ſtatuet, p. 1008.
28 Homo homini reſeruat iram? p. 139.
Sepi aures tuas ſpinis, p. 776
Memorare timorem Dei, p. 892
30 Qui docet filium ſuum laudabitur in illo, p. 1028
Miſerere animæ tuæ, placens Deo, p. 240
34 Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, p. 202
Quid prodeſt lauatio illius? p. 570.
35 Oratio humiliantis ſe, nubes penetrat. p. 208.
37 Vir ſapiens plebem ſuam erudit. pa. 1027.
41 O mors, quam amara eſt memoria tua. p. 405.
47 Dediſti maculam in gloria tua. pag. 81.
48 Surrexit Elias tanquam ignis. pag. 372.

## Exlſaia.

¶Cap. 1. Væ genti peccatrici. pag. 462. 463.
Niſi dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen. p. 233.
Quieſcite agere peruerſẽ. p. 119.
Cum multiplicaueritis orationem. pag. 23.
Laboraui ſubſtinens. p. 235.
Quomodo facta eſt meretrix ciuitas. p. 339.
Heu cõſolabor de hoſtibus meis? pagina, 803.
5 Cantabo dilecto meo cãticum. pagina. 766.
Torcular extruxit in ea. p. 778.
Et ſepiuit eam. p. 775.
Vinea dñi exercituũ. p. 765. 794.

Auſe-

Auferã ſepem eius. p.698.785.767.
AEdificauit turrim. p.781.
Nubibus mandabo ne pluãt ſuper illam. pa.786.
Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem. p.233.
Nobiles interierunt fame, ideo multitudo ſiti exaruit. p.270.
9 Aggrauata eſt via maris. pa. 916.
Lætabuntur coram te. p.928.
10 Nunquid gloriabitur ſecuris? pagina.698.
Tranſierunt curſim gaba. pa.903.
Væ Aſſur virga furoris mei. pa.602.
11 Delectabitur infans ad hubere ſe paratus. p.568.
Habitabit lupus cum agno. pa.274.
Et requieuit ſuper eum ſpiritus domini. p.956.
12 Hauritis aquas in gaudio. pag. 1101.
14 Aſcendam in cælum. p.248.860
Quomodo cecidiſti Lucifer? p.1008
15 Mœrore in vobis ipſis contabeſcite. p.528.
20 Quis cõſiliarius eius fuit? p.790.
21 Cuſtos quid de nocte? p.27.
Si quæritis quærite. p.121.
24 Et erit ſicut populus ſic ſacerdos pag.270.
Secretum meum mihi. p.585.
A finibus terræ laudes audiuimus. p.677.
28 Coangulatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat p.39.
28 Audite verbum domini viri illuſores. p.704.
29 Populus hic, labijs me hon orat. pagina. 1181.
30 A voce domini pauebit Aſſur. pagina. 876.
Scribe omne verbum ſuper buxum pag. 290.
35 Confortate manus diſſolutas. pa. 473.
37 Angelus dñi percuſsit. 185000. ob blaſphemiam. p.1009.
38 Sicut pullus hirundinis ſic clamabo. p.90.91.
Memento Domine, quomodo ambulauerim. p. 81.
Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. p.769.
Meditabor vt columba. p.786.
Sol reuerſus eſt decem lineis. p.354.
39 In vacuum laboraui. p. 1083.
40 Conſolamini conſolamini populo meus. p.799.
Omnis caro fœnum. p. 569.
42 Tacui ſemper ſilui, patiens fui. p. 1004. 1005.
Quaſi parturiens loquar. p. 799.
Gloriam meam alteri non dabo. p. 196.
43 Seruire me feciſti in peccatis tuis pag.235.
46 Vſque ad ſenectã ipſe ego portabo. p.15.
48 Neruus ferreus ceruix tua. pag. 805. 1018.
49 Nunquid tolletur à forti præda? pag.928.
Et ſi illa oblita fuerit, ego non. p.31.
Vt ſis in ſalutem vſq; ad extremum terræ. p.550.
50 Ponã flumina in ſiccum. p.940.
51 Rele-

Eleuare quæ bibisti de manu domini.p.756.
Posuisti vt terram corpus tuum. p.915.
Attendite ad petram vnde excisi estis.p.97.
Nomen meum tota die blasphematur.p.1009.236.
53 Vere languores nostros ipse tulit.p.254.
Posuit dominus in eo iniquitatē omnium.p.699.
Pro eo quod tradidit in mortem animam suam.p.ibi.
55 Omnes sitientes venite.pagi. 497.611.1101.
Quærite dominum dum inueniri potest.p.121.
Quare appenditis argentum non in panibus?p.1148.
Verbum quod egredietur de ore meo.p.610.
56 ¶Canes muti non valentes latrare.p.652.1017.
57 Cor impij quasi mare feruēs. pag.378.
58 Clama ne cesses,quasi tuba.pagin.119.120.
Carnem tuam ne despexeris.pagin.1014.
Nolite ieiunare sicut vsq; ad hāc diem.p.68.
59 Iniquitates vestrę diuiserunt. p.23.402.
Non est abbreuiata manus Domini.p.23.
60 Qui sunt isti qui vt nubes volant.p.786.
63 Quare rubrum est indumentum tuum.p.779.
64 A seculo non audierunt, oculus non vidit.p.456.
65 Antequam clamēt, ego exaudiam.p.485.
66 Vermis eorum non morietur. pa.33.

## Ex Ieremia.

¶Cap.2.Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis.pagin. 20.
Ego te plantaui.p.773.
Obstupescite cęli.p.16.1133.
Arguet te malitia tua.p.24.
Recessimus a te,non veniemus vltra ad te.p.487.
Scito & vide quam amarum est te reliquisse dominum.pagin. 496.
A seculo confregisti iugum.pagin.763.
Recordatus sum tui in deserto. pag.220.
Quid vultis mecū iudicio contēdere.p.463.
3 Vulgo dicitur,tamen reuerteris ad me.p.34.1138.
Tu fornicata es cum amatoribus multis.p.339.363.
4 Laua à malitia cor tuum Ierusalem.p.81.
Si reuerteris ad me Israel ad me reuertere.p.29.
5 Me non timebitis,qui posui are

nam terminum mari.p.389.
Noluerunt ad me reuerti.p.21.
Vnuſquiſq; ad vxorem. p.493.
6 Luctum vnigeniti fac tibi.p.83
Sicut frigidā facit ciſterna aquā. p.185.
Omnes auaritiæ ſtudent. pagi. 314.1021.
Ne obſiſtas mihi quia non exaudiam te.p.23.
8 Nunquid reſina non eſt in Galaad.p.440.461.922.
9 Quis dabit capiti meo aquam pag.465.
Omnes ſunt adulteri.p.896.
Mors intrauit per feneſtras. pagin.6.959.
De malo ad malum egreſsi ſunt. p.29.
10. Filij colligunt ligna mulieres adipem.1020.
12 Reliqui domum meā.p.1088.
Deſolatione deſolata eſt omnis terra.p.363.1119.
13 Vt iniquè agerent laborauerunt.p.1133
Si mutare poteſt Æthiops pellē. p.490.
14 Quare futurus es, velut colonus.p.1086.
15 Si ſteterint Moſes & Samuel. pag.620.
Viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies.p.650.
Si ſeparaueris precioſū à vili quaſi os meum eris.p.642.
Solus ſedebam quoniam comminatione repleſti me.p.489.
Væ mihi mater meā quare me genuiſti.pag.9.374.409.
Conuertentur ad te, tu non ad eos.p.33.
Quare factus eſt dolor meus perpetuus?p.490.
16 Seruies dijs alienis qui non dabunt requiem.p.449.
17 Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo.p.289.
Nolite portare pondera in ſabbatho.p.448.
Perdix fouit quæ non peperit. pag.31.
Prauum eſt cor hominis. p.891.
20 Miſit Ieremiam in neruum.p.1018.
22 Terra terra terra, audi ſermonem Domini.p.96.
23 Ego Deus de vicino ſum. pa.788.
Loquere vniuerſos ſermones. p.805.
29 Ego cogito cogitationes pacis.p.810.
30 Inſanabilis eſt fractura tua. p.489.
32 Super hubera plangite. p.86.
33 Clama ad me & exaudiam te. p.577.
37 Non remittas me in domum Ionathan.p.523.
41 Interfecit eos Iſmahel. pag. 106.107.
46 Fruſtra multiplicas medicamina.p.922.
48 Sede inſiti habitatio filiæ Dibon.p.1154.

50 Quomodo confractus est malleus.p.1034.
51 Curauimus Babylonem & nō est ſanata.p.493.962.

## Ex Threnis.

¶Cap. 1. Lacrymæ eius in maxillis eius.p.82.
Omnes amici eius ſpreuerunt eā pag.916.
Sacerdotes eius gementes p.407
Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius.p.81.269.
O vos omnes qui trāſitis per viā. p.364.
Dederūt precioſa pro cibo.p.58.
Viderunt eam hoſtes & deriſerunt ſabbatha eius.p.446.
Quæſierunt cibum ſibi vt refocillarent animam.p.1163.
Torcular calcauit Dominus.pag. 779.
Foris interficit gladius.p.1163.
2 Aperiēt ſuper te os ſuū. p. 917.
Obliuioni tradidit feſtiuitatem & ſabbathum.p.1011.
Vbi eſt triticum & vinum.p.292
3 Scrutemur vias noſtras. pagi. 617.
Inebriauit me abſinthio. p. 504.
Tetendit arcum & poſuit me vt ſignum.p.365.
Poſuiſti nubem tibi.p.23.
Iniquitates diuiſerunt inter vos & Deum.p.23.
Ideo tu inexorabilis es.p.208.
Sedebit ſolitarius & tacebit. pagin.94.
Fregi dentes meos.p.110.
4 Quomodo obſcuratum eſt aurum.p.99.
Paruuli petierunt panem.pagin. 1153.
Adhæſit lingua lactentis. pagin. 297.
Quiveſcebantur voluptuoſe. pagin.17.
Sed & Lamiæ nudauerunt mammas.p.292.1012.
denigrata eſt ſuper carbones facies.p.71.72.99.
5 Recordare domine quid acciderit nobis.p.21.
Reſpice opprobriū noſtrum.pagin.772.
Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos.p.ibi.
Conuerte nos domine, ad te. pagin.32.

## Ex Baruch.

¶Cap.3. In auibus, cæli ludunt. pag.720.
Poſt hæc in terris viſus eſt. pag. 1124.

## Ex Ezechiele.

¶Cap. 1. Nec reuertebantur cum ambularent. pagina. 963.
Aſpectus eorum quaſi carbonū ignis,p.97.

2 Cum ſcorpionibus tu habitas. pag. 215.
3 Sanguinem eius de manu tua requiram p. 1072.
Speculatorem dedi te. p. 782.
Si autē tu dixeris impiō. pa. 745.
9 Signa eos ſigno Tau. p. 168.
11 Auferam cor lapideum. pagin. 285.
15 Quid fiet de lignovitis. p. 769.
16 Et requieſcet indignatio mea. pag. 464.
Multis amatoribus ſe copulauerat. p. 339.
Videſte cruentatā ſanguine tuo. p. 362.
Hæc fuit iniquitas ſororis, ſaturitas panis. p. 230.
Non recordabor amplius. pagin. 455.
Pater non portabit iniquitatem filij p. 1035.
Nolo mortem peccatoris. p. 12.
22 Coniuratio prophetarum in medio eius. p. 451.
A ſabbathis meis auerterunt oculos. p. 452.
Auferetur zelus meus à te. p. 464
Quæſiui de eis virum. p. 621.
Sabbatha mea polluiſtis. p. 1011
23 Quorum carnes ſunt vt aſinorum. p. 493.
28 Tu cherub extentus. p. 252.
34 Vos autem greges mei, homines eſtis p. 493. 629. 633.
Væ paſtoribus Iſrael p. 632.
37 Oſſa arida, audite verbū Dei. pag. 481.
40 Calamus erat ſex cubitorum & palmi. p. 253.

## Ex Daniele.

¶Cap. 1. Poſt dies decem apparuerunt vultus eorum meliores. pag. 63. 64.
2 Statua Nabuchodonoſor. pagin. 92. 93.
Pro eccleſia interpretata. p. 99.
3 Magiſtratus adorauerunt ſtatuam. p. 268.
Quaſi ventum roris flantem. pagin. 263.
A me poſitum ſit hoc decretum contra blaſphemos. p. 1008.
4 Repēte contriſtatus ſum. p. 103
5 Flatum tuum quem habet in manu ſua. p. 783. 790.
Diuiſum eſt regnū tuum. p. 900.
Inuentus es minus habens. pag. 103. 196.
7 Cum ſit antiquus dierum. pag. 808.
9 Tibi iuſtitiam, nobis confuſio. p. 200.
13 Parentes Suſannæ erudierunt illam. p. 1028.
Egreſſa eſt iniquitas de Babylone. p. 966.
Nemo nos videt. p. 471.
De malitia iſtorum. p. 563. 564.
Melius eſt mihi incidere in manus veſtras. p. 471. 726.
Tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium. p. 927.

Portabant Susannam vt lapidaretur.p.287.
Angustiæ sunt mihi.p.1138.
14 Habacuc portatur ab angelo inuisibiliter.p.1315.
Daniel Bel destruxit.p.515.
Daniel serue Dei, tolle prandiū. pag.515.

## Ex Osea.

¶Cap. 2. Sepiam viam tuam spinis.p.1137.
Desponsaui te mihi in fide. pagin.1140.
4 Vitis frondosa Israel.p.785.
Fornicati sunt, nec cessauerunt. p.81.
Non visitabo filias vestras. pagin.464.
7 Fur ingressus est spolians. pagin.873.
Omnes adulterantes quasi cliba nus.p.470.
8 Argentum & aurum fecerunt sibi idola.p.476.
9 Non erit fuga eis, fugient. pagin.377.
10 Diuisum est cor eius, nunc interibunt.p.38.
Vitis frondosa Israel.p.785.
11 In funiculis Adam traham eos.p.181.
Ego nutritius Ephraim ibi.
12 Ephraim pascit ventum. pagina.1161.
13 Perditio tua ex te.p.383.

## Ex Ioel.

¶Cap. 1. Plange quasi virgo. pagin.85.
Plangite sacerdotes.p.87.
Exiccati sunt fontes aquarum. pag.470.
Speciosa deserti iam ignis comedit.p.ibi.&.217.
Comput ruerunt iumenta in sterco re suo.493.

## Ex Amos.

¶Cap. 5. Quærite me & viuetis. pag.121.
Auser à me tumultum carminū tuorum.p.599.
8 Occidet sol in meridie, p.184.
Emittam famem non panis sed verbi Dei.p.291.

## Ex Iona.

¶Cap. 1. Historia Ionæ à p.370. vsq; 432.
2 Et erat Ionas in ventre piscis. p.552.
3 Quis scit si cōuertat Deus. 36.
Et prædicauerunt ieiunium. pagin.661.
4 Tu doles super hederā. p.1085

## Ex Michæa.

¶Cap. 1. Faciam planctum, velut draconum.p.83.84.

5 Egreſſus eius ab initio æternitatis.p.546.
7 Iram domini portabo quoniã peccaui ei.p.529.
Perit ſanctus de terra.p.1089.
Inimici hominis domeſtici eius. p.228.

## Ex Nahum.

¶Cap.3.Reuelabo pudenda tua. pag.469.
Vaſtata eſt Niniue.p.542.

## Ex Habacuc.

¶Cap.1.Incraſſata eſt pars eius & cibus electus.p.879.
Vſquequo domine clamabo? pagin.23.635.
3 Ingrediatur putredo in oſsibus meis.p.444.

## Ex Sophonia.

¶Cap.1.Viſitabo ſuper viros defixos in fœcibus. p.938.

## Ex Aggæo.

¶Cap.1.Comediſtis & non eſtis ſatiati.p.1162.
2 Quis in nobis vidit domũ iſtã. pag.99.

## Ex Zachaiia.

¶Cap.1.Conuertimini ad me & conuertar ad vos.pag.32.
2 Qui tetigerit vos,tangit pupillam oculi mei.p.153.797.
O,o,fugite de medio Babylonis. pag.555.

## Ex Malachia.

¶Cap.1. Offertis ſuper altare meum panem pollutum. pagin.451.974.
2 Ad vos oſacerdotes ſunt ſermones mei.1070.
Labia ſacerdotum cuſtodiũt ſciẽtiam p.484.939.
Angelus domini exercituũ eſt. pag.1071.1113.
Dabo vos contemptibiles omni populo.p.109.

## Ex libro Machabæorum primo.

¶Cap.4.Reædificauit templum planctu magno. p.94.
6 Eleazar Elephantem occidit. p.194.

## Ex ſecundo Macha.

¶Cap.5.Non propter locum gẽtem.p.967.
7 Parati ſumus mori antequam patrias Dei leges præuaricari. p.683.1063.

## Sacri & noui teſtamẽti loca.

Ex

## Ex Matthęo.

¶Cap.1.Hæc illo cogitāte, ecce angelus Domini.p.287.
3 Iam ſecutis ad radicem arboris poſita eſt.p.92.
Hic eſt filius meus dilectus. pagin.454.
Parate viam Domino.p.914.
4 Da mihi bibere.p.674.
5 Beati pauperes ſpiritu. p. 578.
Beati qui lugent.p.1102.
Beati qui perſecutionem patiuntur.p.749.
Beati mundo corde.p.670.
Sic luceat lux veſtra.p.193. 203.
Vos eſtis ſal terræ.p.1114.
Sed ſuper candelabrum.pa.672. 1082.
Non iurare omnino.p.996.
Eſto conſentiens aduerſario tuo. p.181.975.
Non veni ſoluere legem. p.232.
Qui ſolem facit oriri ſuperbonos & malos.p.1023.
Ne forte tradat te aduerſario. pagin.976.
Quoniam merces veſtra multa. pag.56.
6 Dimitte nobis debita noſtra. pag.139.
Ne nos inducas in tentationē.pa. 227.
Intra in cubiculum tuum.p.578.
7 Qui veniunt ad vos in veſtimētis ouium.p.1017.
Bona arbor bonos fructus facit. pag.1031.
Quis colligit de ſpinis vuas? pagin.1161.
Tolle prius trabem de oculo tuo p.1112.
Nolite ſanctū dare canib⁹.p.642
Cauete à falſis prophetis.p.949.
8 Domine ſi vis potes me mundare.p.668.
Multi ab oriente & occidente recumbent.p.558.
Quid nobis & tibi fili Dei?p.932
Mitte nos in gregem porcorum. p.265.611.862.863.
9 Tunc ieiunabunt,& plangent. pag.85.
Non veni vocare iuſtos. p. 184. 597.629.
Non eſt opus medico valētibus. p.642.
Venite poſt me.p.611.
10 Dedit eis poteſtatem ſpirituū immundorum.937.
Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.p.682.884.
Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine.p.674.
Qui perſeuerauerit vſque in finē. p.494.
Qui me confeſſus fuerit coram hominibus.p.544.798.
Non veni pacem mittere in terram.p.167.
Inimici hominis domeſtici eius. p.228.
Videbam Sathanam ſicut fulgur.p.861.
Venite ad me omnes qui laboratis.p.1079.

Regnum

Regnum cœlorum vim patitur. pag.681.
Arundinem vento agitatam. pagin.944
Qui abſcondiſti hæc à ſapientibus.p.1182.
Nemo novit filium niſi pater. pagin.1124.1142.
Homo vorax & potator vini. pagin.218.
Iugũ meum ſuaue eſt. pagi.692. 984.1134.
12 Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.p.786.
Hic non ejicit dæmones niſi in Beelzebub.p.809.882.
De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines. pa.674.
Diſcipuli eſurientes cæperũt vellere ſpicas.p.974.
Generatio mala & adultera. pagin.890.
Ambulat per loca arida.pa.939.
Qui fecerit voluntatem patris mei.p.989.
13 Sinite vtraq; creſcere vſque ad meſſem.p.259.
15 De corde exeunt cogitationes malæ.p.38.
Non quod intrat per os coinquinat p.931.
16 Scandalum es mihi. p.1064.
Tu es Petrus & ſuper hanc Petrã. p.768.
Non ſapis quæ Dei ſunt. p.161.
Quid prodeſt homini.p.700.931
17 Ipſum audite.p.222.
Et reſplenduit facies eius.p.236.
18 Niſi conuerſi fueritis & efficiamini.p.30.
Serue nequam nonne debitum dimiſi.p.139.
Si oculus tuus ſcandalizat te. pagin.160.685.
Sic pater meus faciet vobis. pagin.163.
Corripe illum inter te & ipſum. pag.191.1111.
Væ illi per quem ſcandalum venit.p.1063.1068.1072.
19 Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.p.913.981.
Iudicantes duodecim tribus. pagin.908.
20 Tunc acceſsit ad eum mater filiorum Zebedęi.p.726.
21 Publicani & meretrices præcedent vos.p.550.
Eo domine, & non iuit.pa.1055. 1181.
Auferetur à vobis regnum Dei p.788.
Nuſquam ex te naſcatur fructus p.791.
22 Ibi erit fletus & ſtridor.p.780.
Non habens veſtem nuptialem. pag.809.
Multi ſunt vocati.p.497.
Obmutuit p.1004.
Hoc eſt maximum & primum mandatum p.994.
Mittite in tenebras exteriores. pag.30.
23 Dicunt & non faciunt. pagin. 120.188.
Alligant onera grauia.p.680.

Digito

Digito nolunt tangere.pag.973. 979.
Væ vobis qui reliquiſtis grauio ra legis.p.976.
Vę vobis qui mundatis quod de foris eſt.p.ibi.953.
Genimina viperarum.p.1018.
Camelum autem deglutientes.p. 953.
Væ vobis ſcribæ & Phariſæi.pagin.976.
Hieruſalem quæ occidis prophetas.p.796.
24 Multi Pſeudoprophetæ ſurgent.p.673.
Qui perſeuerauerit vſque in finē. p.494.
Abundabit iniquitas.p.943.
Sol obſcurabitur.p.267.
25 Ite potius ad vendentes. pagin.74.
Neſcio vos.p.81.
Clauſa eſt ianua.p.168.
Quod vni ex minimis meis feciſtis.p.78.142.196.244.
Sitiui & dediſtis mihi potum.pa. 1101.1109.
Statuet hœdos à ſiniſtris.p.733. 1041.
Intra in gaudium Domini tui. p. 1124.
Venite benedicti.p.1022.
Domine,quando te vidi eſurientem?p.619.
Euge ſerue bone & fidelis.pagin. 729.
Diſcedite à me maledicti. p.799.
26 Quid vultis mihi dare.p.700.
Bonum erat illi ſi natus non fuiſſet.p.670.
Omnes vos ſcandalum patiemini in me.p.675.
Pater mi,ſi poſsibile eſt.pag.749 755.
Aue Rabbi.p.271.
Scidit veſtimenta ſua.p.102.
27 Et ſpuentes in eum.p.945.
Et dederunt ei vinum bibere.pagin.753.
Et genu flexo ante eum.p.704.
Vah qui deſtruis templum Dei. p.707.
Mouentes capita ſua.p.237.
Et monumenta aperta ſunt. pagin.667.
Et petræ ſciſſæ ſunt.p.ibi.
28.Ecce ego vobiscum ſum. pagin.477.768.

## Ex Marco.

¶Cap. 1. Eratq; cum beſtijs. pagin.214.
3 Et ſcribę qui àIeroſolymis deſcenderant.p.882.
4 Erat dormiēs ſuper ceruical. p. 238.
5 Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei. p.932.
6 Cum placuiſſet Herodi ſaltatio filiæ.p.734.
Caput IoannisBaptiſtæ.pag.53. 552.
7 Phariſæi niſi crebro lauerint.p. 973.

Neminem voluit ſcire.p.546.
Exijt dæmoniũ à filia tua.p. 663.
Erat mulier Syropheniſſa.p.547.
9 Ire in gehennam, vbi vermis nõ morietur.p.35.
Et frequenter in ignem mittit.p. 604.
O generatio incredula, quandiu apud vos ero?p.662.
Hoc genus dæmoniorum nõ ejicitur.p. 64.878.
Ego præcipio tibi exi ab eo. pag. 938.
10 Non adulterabis.p.594.
Abijt triſtis adoleſcens.p.104.
12 Adhuc vnum filium habens chariſsimum.p.806.
14 Et oſculatus eſt eum. p. 965.
15 Tradidit Ieſum flagellis cæſum.p.700.
Et dabant ei bibere myrrhatum vinum.p.753.
16 Prædicate euangelium. pag. 598.

## Ex Luca.

¶Cap. 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.p.894.
Et turbata eſt in ſermone eius.p. 476.
Eſurientes impleuit bonis.pagi. 497.
Et beata quæ credidiſti.p.758.
Salutem ex inimicis noſtris.pag. 136.
Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.pag.706.
2 Anna non diſcedebat à templo.p.53.62.
Inuenerunt infantem.p.220.
Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.725.
Quia viderunt oculi mei.p. 706.
Maria conſeruabat omnia verba, in corde.p.929.
Et erat ſubditus illis.p.375.1049.
Et videamus hoc verbum.pagin. 290.
4 Eamus vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni.p.291.
Tentationem dæmonis quomodo narret Lucas.p.297.
Ieſus tranſiens per medium illorum ibat.p.315.
Mihi tradita ſunt & cui volo do illa.p.318.
6 Erat pernoctans in oratione.p. 59.240.1088.
Dimittite & dimittemini. pagin. 136.
Væ vobis qui ſaturati eſtis. pag. 233.
Ex abundantia cordis.p.585.
7 Lacrymis cœpit rigare pedes. p.80.185.877.
Remittuntur tibi peccata tua.pa. 663.1102.
8 Et voluptatibus vt ſpinis ſuffocatur verbum. pag. 19.324. 875.
Quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.1087.1175.
Volucres cęli comederunt illud. pag.256.

De qua ieciecerat ſeptem dæmonia.p.877.
Quis me tetigit?p.732.
10 Deſcendebat in Ierico.p.215.
Miſit illos binos & binos.p.1177
Multi reges voluerũt videre quę videtis.p.1114.
Porro vnum eſt neceſſarium.p.987.
Abierunt ſemiuiuo relicto.pag.305.
Videbam Sathanam vt fulgur cadentem.p.276.763.919.
Etiam dæmonia ſubijciuntur nobis.p.907.
Quivos audit,me audit.pag.797.
Dignus eſt operarius mercede ſua.p.649.
11 Quærite & inuenietis.p.610.
Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.p.197.
Quis patrem petit panem, & dat lapidem?p.277.
12 Baptiſmo habeo baptizari.p.496.677.
Quęrite primum regnum Dei.p.441.450.
Omnis qui ſe exaltat humiliabitur.p.931.
Ignem veni mittere in terram.pagin.890.
Qui ſcit voluntatem Domini ſui.p.423.
Super omnia bona ſua cõſtituet.p.1104.
Stulte,hac nocte repetent animã p.26.31.93.
13 Niſi pœnitentiam egeritis, peribitis.p.362.
Ecce anni tres ſunt veniens quærens fructum.p.26.801.
Pilatus miſcuit ſanguinem cum ſacrificijs.p.193.
14 Qui nõ tollit crucem ſuam & ſequitur me.p.359.
Rogat ea quæ pacis ſunt.p.13.
Qui ſe exaltat humiliabit.p.658.
15 Vadit ad quærendam ouem.p.254.813.1081.
Et ſuper humeros impoſuit.pag.661.
Da mihi portionem.p.111.750.
Et cupiebat implere ventrem de ſiliquis.p.378.1150.
Adhuc cum à longe eſſet.p.14.1100.
Non exprobrauit illum. p.221.
Si perdiderit drachmãvnã.p.1081
Gaudium eſt in cęlo ſuper vno peccatore.p.455.
Diſsipauit bona ſua.p.1043.
16 Mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno.p.26.66.93.289
Facite vobis amicos de mammona.p.627.
Canes lingebant vulnera.p.650.
Pater Abraham miſerere mei. p.686.750.
Crucior in hac flamma.p.459.
17 Memores eſtote vxoris Lot.p.375.956.
18 Oportet ſemper orare.p.207.
Publicanus à longe ſtans.p.299.661.
Non audebat oculos ad cęlum leuare.p.509.

19 De ore tuo te iudico ſerue piger & nequam.p.791.
Fleuit ſuper illam.p.355.
20 Quid faciam? mittam filium meum dilectum?p.803.
Erunt ſigna in Sole & Luna.pag. 465.
21 In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras.p.494.
22 Erant oculi eorum grauati. p. 380.
Hæc eſt hora veſtra.p.368.
Et factus eſt ſudor eius.p.102.
Factus in agonia.p.1091.
Et viri qui tenebant illum illudebant ei.p.703.
Et cum tetigiſſet auriculam ſanauit eum.p.148.
Fleuit amare.p.145.
23 Spreuit illum Herodes. pag. 704.1111.
Sperabat aliquod ſignum videri ab eo.p.286.
At ipſe nihil reſpondebat Herodi.p 286.360.
Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus.p.694.
Neque tu times Deum.p.1111.
Hodie mecum eris in paradiſo. p.661.
Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me.p.712.
Pater ignoſce illis.pag.142.148. 599.
Montes,cadite ſuper nos. pagin. 1154.
24 Nonne oportuit pati Chriſtum?p.681.

## Ex Ioanne:

¶Cap.1. In principio erat Verbum.p.610.
Et Verbum erat apud Deum.pa. 1101.
Omnia per ipſum facta ſunt. pa. 276.
Sine ipſo factum eſt nihil.p.1103
Verbum caro factum eſt.p.301.
2 Non credebat ſemetipſum eis. p.1183.
Aquam vidit vinum factam. pa. 286.
Ipſe ſciebat quid eſſet in homine pag.891.710.
3 Sic Deus dilexit mundum.pag. 876.1093.1124.
Sicut Moſes exaltauit ſerpentem.p.356.710.
4. Salientis in vitam æternam.pagin.16.
Spiritus eſt Deus & in ſpiritu & veritate debet adorari.p.670.
Deſcende priuſquam moriatur filius meus.p.662.
Vis ſanus fieri?p.611.
Pater meus vſq; modo operatur pag.613.
Dedit ei iudicium facere quia filius hominis eſt.p.637.
6 Nemo poteſt venire ad me. p. 34.403.
Vt autem impleti ſunt.p.286.
Cum cognouiſſet vt facerent eũ regem.p.738.
Omne quod dat mihi pater.pag. 610.

Im-

Impleuerunt duodecim cophinos.p.286.
7 Si quis ſitit veniat ad me. pag. 611.497.1101.
Quiâ bonus eſt, non ſed ſeducit turbas.p.477.
Ex principibus aliquis credidit in eum?p.884.
Quæretis me & non inuenietis. p.220.
8 Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.p.421.10.
Qui ſine peccato eſt.p.287.
Samaritanus es.p.339.
Deſideria patris veſtri vultis perficere.p.251.590.
Quis ex vobis arguet me de peccato.p.80.
Nemo rapiet eam de manibus meis.p.657.
Ingredietur & egredietur.p.752.
Poteſtatem habeo ponendi animam.p.678.
Dæmonium habet & inſanit. p. 218.
Ego & pater vnum ſumus.p.360
Opera quæ ego facio in nomine patris.p.702.909.
Mercenarius autem fugit.p.904.
Quid eum auditis?p.809.
11 Lazare veni foras.p.360.
Vbi poſuiſtis eum.p.732.
Erat pontifex anni illius,p.269.
Vt filios diſperſos congregaret. p.930.933.
Hic homo multa ſigna facit.pag. 357.vſq;360.
12 Niſi granum frumenti cadēs. pag.690.
Mandatū patris vita æterna eſt. p.981.
Si quis mihi miniſtrauerit honorificabit eum pater meus.pag. 620.
Qui amat animam ſuam.pa.289. 322.931.
Nunc princeps huius mundi eijcietur.p.885.
13 In hoc cognoſcent quod diſcipuli mei eſtis.p.140.
Mandatum nouum do vobis.pa. 178.
Scitis quid fecerim vobis.p.363.
Vos vocatis me magiſtrum.pag. 682.
Poſt buccellam introiuit in eũSathanas.p.646.
In finem dilexit eos.p.813.
14 Non turbetur cor veſtrum.p. 721.
Surgite eamus hinc.p.679.
Venit princeps mundi.p.251.
In domo patris mei manſiones multę ſunt.p.993.
Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit.p.993.
Si me perſecuti ſunt,& vos.pag. 124.
Tollet eum & in ignem mittet. p.160.769.
Hæc mando vobis vt diligatis.p. 142.
Hoc eſt præceptum meum. pag. 171.
Vos amici mei eſtis ſi feceritis.p. 988.

Si opera non feciſſem quæ nemo alius fecit.p.360.
Ego ſum vitis vera, & pater agricola,p.774.
16 Sed non poteſtis portare modo.p.971.
18 proceſsit& dixit eis quem quę ritis?1091.
Mitte gladium tuum.p.161.
Ego palam locutus ſum mundo. p.671.
Dedit alapam Ieſu.p.144.
Si male locutus ſum.p.633.
Ne contaminarentur ſed vt manducarent paſcha.977.979.
Ceciderunt retrorſum.p.679.
Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi.p.900.
19 Apprehēdit Pilatus Ieſum & flagellauit.p.709.
Aue Rabbi.p.284.
Non haberes poteſtatem aduerſum me.p.698.
Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius.p.353.
Sitio.p.1107.
Illi autem ſpongiam plenam aceto.p.941.
Cum vidiſſet Ieſus matrem. pag. 1049.
Conſummatum eſt.p.966.
Vnus militum lancea aperuit latus.p.357.
Cōtinuo exiuit ſanguis & aqua. p.780.
20 Quorum remiſeritis peccata. p.405.511.1158.
21 Domine hic autē quid.p.530.
Sunt alia multa quæ nō ſunt ſcripta in libro hoc.p.972.

## Ex Actis Apoſtolorū.

¶Cap.1.Cępit Ieſus facere & docere.p.241.
Et nubes ſuſcepit eum.p.812.
Et diffuſa ſunt omnia viſcera eius. p.700.
Epiſcopatum eius accipiat alter. p.757.
2 Diſpertitæ linguæ tanquam ignis.p.592.
Quid faciemus viri fratres. pag. 456.712.
3 Protinus conſolidatæ ſunt baſes eius.p.474
4 In nomine Ieſu iſte ſtat ſanus. p.711.
Non eſt aliud nomen ſub cœlo. p.861.1138.
5 Per manus Apoſtolorum fiebant prodigia.p.621.
7 Lapidabant Stephanū. p.287.
Ne ſtatuas illis hoc peccatum. p. 172.
9 Saule quid me perſequęris? pagin.612.
Apertis oculis nihil videbat. pagin.472.
10 Quod Deus ſanctificauit, tu ne commune dixeris.pa.157. 1063.
12 Occidit Herodes Iacobū gladio.p.684.
Percuſſo quelatere Petri.p.395.

13 Vobis

13 Vobis oportebat primum loqui verbum Dei.p.549.550.
Inueni virum ſecundum cor meum.p.220.
14 Per multas tribulationes oportet.p.697.
17 Atheniēſes ad nihil aliud vacāt niſi aliquid noui audire.p.954
20 In quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere eccleſiam Dei. p.632.
Beatius eſt dare, quam accipere. p.972.
27 Alleuiabant nauem.p.60.

## Ad Romanos.

¶Cap.1.Ex ſemine Dauid ſecundum carnem.p.596.
Non ſolum ſunt digni morte peccantes,ſed cōſentiētes.p.576.
Detractores Deo odibiles.p.1095
2 An diuitias bonitatis Dei contemnis?p.28.112.113.802.
Theſaurizas tibi irā.ibi.&.p.760
Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.p.423.
Propter vos nomen Dei blaſphematur inter gētes.p.1000.1112
Qui dicis non furandum furaris? p.1112.
3 Non ſunt faciēda mala.p.1065
Sepulchrum patens eſt guttur eorum.p.648.
4 Cōtra ſpē in ſpē credidit.p.509
6 Vbi abundauit delictum. pag. 453.737.
6 Mors illi vltra non dominabitur.p.703.
Serui eſtis cui obeditis.p.10.
Quem fructum habuiſtis tunc?p. 470.1136.1151.
Stipendium peccati mors.p.132
7 Video aliam legem repugnantem.p.228.761.
8 De peccato damnauit peccatū. p.255.
Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.211.
Si filij,& hæredes Dei p.180.
Non ſunt cōdignæ paſsiones huius temporis p.227.
Qui proprio filio non pepercit. p.698.
Quis nos ſeparabit à charitate Dei?344.699.1123.
Qui & interpellat pro nobis.p. 450.
10 Iuſtitię Dei non eſt ſubiectus. p.638.
Corde creditur ad iuſtitiā p.872
Pulchri pedes euangelizantium pacem.650.
11 Si radix ſancta & rami.p.270. 1031.
Si ex operibus iam non eſt gratia p.483.
Si Deus naturalibus ramis non pepercit.p.340.
Quis conſiliarius eius fuit?p.790.
12 Rationabile obſequiū veſtrū. p.245.
Date locum iræ.p.1077.
Nulli malum pro malo reddentes.p.166.
Mihi vindictam & ego retribuā. p.167.

Carbones congeres ſuper caput eius.p.174.
Si eſurierit inimicus ciba illum.p. 175.
13 Eſt Deus verax,omnis homo mendax.p.1000.
14 Tu quis es,qui alienum ſeruũ iudicas? p.301.1076.
Noli cibo perdere illum,pro quo Chriſtus mortuis eſt.p.
15 Non audeo aliquid loqui,quę per me non efficit Chriſtus.p. 1557.

## Ex prima ad Corinthios.

Cap.1.Nos prædicamus Chriſtũ crucifixum.p.675.
Iudæi ſigna petunt.p.352.
Vt ipſum dicatis omnes.p.896.
2 Deſpondi vos vni viro.p.85.
Nemo nouit quæ ſunt hominis. p.891.
Nec oculus vidit quæ præparauit Deus.p.456.
3 Ergo neque qui plantat aut rigat eſt aliquid ſed Deus. pag. 639.1063.
4 Non in ſermone eſt regnũ Dei. pag.55.
Qui autem iudicat me Dominus eſt.p.909.
5 Tradidi eum Sathanæ.pagin. 167.
6 Templa ſunt Spiritus ſancti. p.862.
Fugite fornicationem.p.555.
7 Auari,fornicarij, regnum Dei non poſsidebunt.p.289.
Tempus enim breue eſt p.26.
9 Væ mihi ſi non euangelizauero.p.374.
Caſtigo corpus meum.p.55.
Qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.p.231.
10 Neque tentemus Deum ſicut quidam illorum.pa.216.313.
Omnia in figura contingebant illis.p.972.
11 Alius quidem eſurijt.p.66.
Iudicium manducat & bibit. pa. 252.452.
14 Nolite pueri effici ſenſibus.p. 105.
15 Ad beſtias pugnaui Epheſi. p.119.
Stella ab ſtella claritate differt. p.993.
Primus Adam de terra terrenus. p.276.

## Ex ſecunda ad Corinthios.

¶Cap.1.Gloria noſtra eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ p.81.
3 Non ſumus ſufficientes cogitare.p.638.
4 Adulterantes verbum Dei.pa. 649.
5 Pro Chriſto legatione fũgimur reconciliamini Deo.p.13.144

Ego dico non dominus. p. 432.
Gaudeo quia cõtristati estis, ad pœnitentiam. p. 69
9 Hilarem datorem diligit Dominus. p. 202
11 Quis infirmatur & ego non? pa. 1079.
In labore & ærumna. p. 680
10 In quos fines seculorum deuenerunt. p. 705
12 Parentes debent filijs thesaurizare. 1025

## Ad Galatas.

Cap. 1. AEmulator paternarum traditionum. p. 969
Si Angelus euangelizauerit aliud euangelium. p. 345
2 In fide viuo filij Dei. p. 699
3 Quis vos fascinauit? p. 344
Cauete ne cum spiritu cœperitis. p. 551. 949
Ante oculos Iesus proscriptus est. pagina. 345
Filioli quos iterum parturio. p. 801.
5 Fides quæ per charitatẽ operatur. pag. 344.
Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt. p. 749.
6 Si præoccupatus fuerit homo in delicto. p. 529.
Vnusquisque onus suum portabit. p. 113.
Deus non irridetur. p. 351. 704.

## Ad Ephesios.

Cap. 2. Estis ciues sanctorum & domestici Dei. p. 1088
4 Vna fides vnum baptisma. p. 127
Nolite contristare Spiritum sanctũ. pag. 959.
5 Sicut Christus dilexit Ecclesiam. pag. 699.
Christus caput est Ecclesiæ. pagina 479.
Vir caput mulieris. p. 1174.
Mulieres viris subditæ sint sicut domino, & sicut Ecclesia Christo pag. 1176.
Auaritia idolorum seruitus. p. 475.
6 Non est nobis colluctatio. p. 255.

## Ad Philippenses.

Cap. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo. p. 117. 678. 1165.
Cupio vos habere in viscerib⁹ Christi. p. 801.
2 Factus obediens vsq; ad mortem. pag. 375. 710.
Exinaniuit semetipsum. p. 354. 366
Omnes quæ sua sunt quærunt. pa. 727.
3 Videte canes, malos operarios. pa. 654.
Inimicos Crucis Christi. p. 28. 443.
Omnia arbitror vt stercora. pa. 115.
Quæ quidem retro sunt obliuiscẽs. pag. 199.

## Ad Colossenses.

Cap. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ. p. 114.
In Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis. p. 808
3 Spoliantes vos veterem hominem p. 1106.

## Ad Theſſalo. Secunda.

Cap. 1 Tenete traditiões quas didici ſtis. p. 971.

## Primæ ad Timothæum.

Cap. 1 Finis præcepti charitas. p. 988
Regi autem immortali. p. 196.
2 Vult omnes ſaluos fieri. p. 186.
Ne in iudiciũ incidat Diaboli. p. 316
4 Nihil reijciendum, quod gratiarum actione percipitur. p. 1074.
Corporalis exercitatio ad modicũ vtilis. p. 246.
5 Si quis domeſticorum curam non habet. p. 1014.
6 Lucem inhabitans inacceſsibilem p. 964.

## Secundæ ad Timo.

Cap. 2 Quæſtiones vanas deuita. p. 538.
Labora ſicut bonus miles. p. 680.
Et reſipiſcant à laqueis Diaboli. pa. 863.
Si ſuſtinebimus, & conregnabimus pag. 749.
3 Voluptatũ amatores magis quàm Dei. p. 708. 936.
Captiuas ducunt mulierculas. p. 11.
Scriptura, vtilis ad docendũ, arguendum. p. 288.
Speciem pietatis habentes, virtutem eius abnegantes p. 968.
4 Argue obſecra increpa. p. 281.

## Ad Titum.

Cap. 1 Increpa eos dure. p. 281.
Apparuit gratia ſaluatoris, vt ſobrie iuſte & pie viuamus. p. 358.
Vt abnegantes impietatem. p. 942.

## Ad Hebræos.

Cap. 1 Locutus eſt nobis in filio. p. 913.
Quem conſtituit hæredem. p. 816.
Omnes angeli ſunt miniſtratores. p. 333.
2 Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo. p. 216. 330.
4 Sicut iuraui in ira mea, ſi introibũt in requiem. p. 216.
Tentatus per omnia. p. 224. 1079.
5 Cum clamore valido & lachrymis p. 142. 159. 392.
Ad huc lacte indigetis. p. 984.
6 Rurſus crucifigentes filium Dei. p. 137. 701.
7 Tranſlato ſacerdotio. p. 996.
8 Quod antiquatur prope interitum eſt. p. 982.
9 Virgam etiam in arca cũ Manna fuiſſe. p. 685.
Statutũ eſt hominibus ſemel mori. p. 321. 400.
10 Horrendũ eſt incidere in manus Dei viuentis. p. 137. 401. 646.
11 Sãcti ludibria & verbera experti. p. 443. 683.
In montibus errantes. p. 1087.
12 Quem diligit Deus caſtigat. pa. 129. 708.
Nequa radix amaritudinis. p. 190.
Territus ſum et tremebundus. p. 61. 991.
Eſau non inuenit locum pœnitentiæ. p. 158.
Deus eſt ignis conſumens omnia.

pagi-

pagina.452.

## Ex epistola Iacobi.

Cap.1.Beatus vir qui suffert tẽtationem. pag.226.
Omne datum optimum procedit à patre luminum.p.453.1164.
Peccatum cum consummatum fuerit.p. 38.
Nemo cum tẽtatur dicat, quoniam à Deo tentatur.p.227.
2 Qui in vno offenderit factus est omnium reus.p.992.
Fides sine operibus mortua est. pa. 1168.
3 Plena veneno mortifero lingua. p.648.
Null⁹ hominũ illã põt domare.p.94
4 Resistite Diabolo & fugiet. pag. 274.888.
Vita est vapor ad modicum parens. p.729.981.
5 Ante omnia, nolite iurare.p. 453.

## Ex prima Petri.

Cap.1 Qui regenerauit nos in spem viuam, & hæreditatem. p.226.
In quem desiderant angeli prospicere.p.678.
Sed pretioso sanguine redempti. p.1026.1155.
2 Obsecro vos tanq̃ aduenas.p.942.
Vocauit in admirabile lumẽ.p.774
Portauit peccata nostra in corpore suo.p.182.
3 Nõ reddẽtes malũ pro malo.p.167
4 Christo in carne passo. p.256.
Si iustus vix saluabitur.p.991.
Si exprobramini in nomine Christi, beati.p.798.
5 Tanquam leo rugiens.p.124.295.

## Ex secunda Petri.

C.2. Tradidit illos cruciãdos.p.479
Genus regale gens sancta.p.405.
A quo quis superatus est.p.10.
In volutabro luti sus lota. p.630.653.

## Ex prima Ioannis.

Cap. 2 Omne quod est in mundo concupiscentia carnis. p.468.
Filioli, nouissima hora est. p.705.
3 Quoniam mandata eius custodimus.p.990.
Vt dissoluat opera diaboli. p.860. 890.
Qui seruat mandata Dei, in ipso manet. p.994.
Et clauserit viscera sua ab eo.p.1041
4 Deus charitas est.p.988.

## Ex secunda.

Cap.1 Et os ad os loqui.p.971.

## Ex epistola Iudæ.

Cap.1 Nubes sine aqua. p.71.

## Ex Apocalypsi.

Ca.2 Memẽto vnde excideris.p.97.
Nemo scit nisi qui accipit. p.1169.
3 Nomen habes quo viuas, & mortuus es. p. 197.
Sto ad ostium & pulso.p.362.365.
6 Ecce equus pallid⁹.p.197.491.905
Vsquequo Dñe non vindicas sanguinem nostrum? p.514.515.
Montes cadite super nos. p.1154.
8 Data sunt ei incensa multa.p.207
9 Et mors fugiet ab eis. p.1154.

12 Ve terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos. p. 223. 263. 995.
Factum eſt prælium in cœlo p. 763.
14 Tormentorum fumus aſcēdet. p. 33.
16 Blaſphemauerunt Deum. p. 869 1007.
18 Cecidit Babylon & facta eſt habitatio dæmoniorum. p. 435. 865.
Quantum glorificauit ſe in deliciis. pag. 739.
20 Apprehendit draconem & ligauit eum. p. 885.
21 Et habebat murū altum & magnum. p. 72.
Abſterget Deus omnem lachrymam. p. 686.
Nihil coinquinatum intrabit. pag. 1074.
22 Fluuius procedēs de ſede & agno. pa. 1100.
Ecce venio cito. Amen. p. 79.
Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas. p. 346.

Finis vtriuſque teſtamenti Indicis.

# TABVLA SIVE Index ſententiarum, quæ in hac pri ma Quadrageſimali parte adnotantur.


A

Brenũtiaſti dæmoni in baptiſmate, & dormis? Pag. 257.

Abuſio iurandi, magna in noſtro tempore. p. 999.

Accedere ad Deum malignè, quid. p. 251. 252. 547. 965.

Accedit dæmon ad bonos, & intrat malos. p. 258. 259

Adulterium perpetrare electos, vt quid Deus permiſit. p. 418. 419.

Aduocatus eſt filij Dei: ne ſiculnea infructuoſa ſuccidatur cito. p. 26.

Agar fugiens à Sara, anima ab Eccleſia per inobedientiam, quomodo fugiat. p. 401. 402.

Andreas Apoſtolus, quo deſiderio tẽdebat ad Crucem, & quare. pagina. 117.

Anima quare non ſatiatur alia re, quàm Deo. à p. 1142. vſq; 1150.

Anima qualis in gratia, & qualis ſine illa. p. 297.

Angeli deſeruiunt vincenti dæmonem. p. 333.

Amici dilectio, an magis meritoria, quàm inimici ſit. p. 187. 188.

Apes in abſcõdito mirificè operantur. p. 195. ſi nõ eſt diuiſio p. 899.

Aquilę proprietas, erga pullos ſuos. p. 29. 178. 179. 1123.

Aranea à medio reparat telã. p. 39.

Auaritia quomodo dicatur à Paulo idololatria. p. 475.

Auarus coruo, cani & pueris ſimilis. p. 105.

D. Auguſt. commendatur. p. 444.

B

BAſilius abſtinẽtiſsimus, & valde laudans ieiunium. p. 52.

Beelzebub, quid & à quo ſic dictus. p. 884.

D. Bernard. commendatur. p. 1118.

Blaſphemię grauiſsimę, in domo ludentiũ dicuntur. p. 575. 576. 868.

Blaſphemiæ quinque, in Hiſpania damnatæ. p. 1006.

Baſpheme, ſi in inferno debes tibi ſternere lectum: temporis copia æterna manet tibi diſcendi officium. p. 1007.

Baſphemi Sirij in cinerem redacti, & merito. p. 1009.

Baſphemos pragmatica regalia coercent. p. 1006.

Blaſphemos iudex nõ puniens iuxta pragmatica: ipſe à iudice cœleſti torquebitur. p. 1009.

Blaſphemos S. Ludouic⁹ rex, quomodo puniebat. p. 1007.
Blaſphemos ſic puniebat D. Ludouicus: poſtea frater minoritanus. p. 1008.
Blaſphemos, ſic iuſſit puniri Nabuchodoſor. p. 1008.

C

CHani peccator ſimilis, non recipiat ſacram buccelam. 642.
Canũ differẽtia. p. 649. Canes quales, cõcionatores veri. p. 605. 651. adulterãtes verbum Dei. ibi. Canis ad vomitum. p. 652. 653.
Cananeæ veſtigia, debet peccator ſequi. p. 658.
Catharina S. Alexandrina, ſpõſum pulchrum eligebat: peccator deformem. p. 19.
Cœtus quis & quam magnus ſit. p. 414. 419.
Chriſti labor, ex iciunio. p. 235. 236. 237.
Ex deſerto & ſolitudine. p. 238. 239.
Ex itinere & fatigatione. pa. 1087. 188. 189.
Chriſti cibus erat vnam animam ad patrem conuertere. pag. 1186.
Chriſtus in Crucis cathedra quam utilia nos docuit. p. 356. 357.
Chriſtus ad mortẽ voluntarie oblatus eſt. p. 679.
Chriſtus quibus armis pugnauit cõtra Dæmonem. p. 254.
Et in Cruce. pag. 256. 257. Ex D. Thoma.
Cygnus incapite percuſſus, ſtatim moritur. p. 269.
Citharam ſeptem verborum, pulſatit Ieſus in Cruce. à. pag. 599. vſque. 602.
Cithara ſonat, quia concaua. p. 61.
Cogitatio ſancta naſcatur ex te, ne peccato conſentias. p. 825. 826
Confeſsione ſcinditur cor durũ. pa. 100. 101. Laudatur, vt ſacramentum valde animæ neceſſarium. pa. 1178. 1179 1180.
Frequens vtiliſsima. p. 871.
Confeſsionem audiens hæc facere tenetur. p. 466.
Arguens in cõfeſsionis initio pœnitentem: ſtultus carnifex. p. 525.
Irriſor iam pœnitentiã iniungens. p. 527.
Confeſſarius nõ abſoluat pœnitentem ſine vera facultatis & honoris ſatisfactione: alias occiſus erit ab illo. p. 925. 926. 927.
Neq; peccati probabilẽ occaſionem non tollentem. p. 571. 572.
Coniugum deſtructio, diuiſio vt apum. p. 899.
Comedere poſt culpam gaudenter, impudentiſsimi Iudæ eſt. p. 842. 843. 844.
Conſciẽtia ſi ardet, aqua lachrymarum extinguitur, vt domus. pa. 85. Per faciem intelligitur. p. 80.
Quam durus peccatori ſeruus. p. 81. 87. Polluitur tribus. p. 81.
Conſiderationis defectu: mala omnia fere veniunt. p. 363.
Cõcionator debet vt tuba clamare. p. 119. 120.
Concionator, plura operetur & diſcat

ſcat ſecreto quam prædicetur. p. 222.
Concionator prius doceat ſeipſum. p. 240. 241.
Concionator caueat ne verbo Dei vtatur vt gladio contra audientes ad ſui vindictam. p. 307. 308. 1110
Cõcionator taliter laudet ſanctum quem prædicat, vt alios ne vituperet. p. 1076.
Concionator peragat officiũ ſuum, vt diſpenſator Ioſeph. p. 386.
Concionator quatuor alta mente recogitet, antequam munus adeo ſublime tangat. p. 371.
Concionatoris detractor, quam peſtilens: & puniendus erit, à pag. 796. vſque. 799.
Cor adeo paruum da totum Deo. p. 37. 38. 39
Cor in ſtercore eſt, dum eſt in peccato. p. 115.
Cornicis in pullos charitas. p. 1024.
Corui aſtutia, non ſibi. p. 105.

D.

DAmnatus ad mortem, quomodo dormit? p. 380.
Quare gaudebit? p. 725.
Damnati differunt in pœnis, vt beati in gloria. p. 725.
Defendere ſe in ſcriptura, pro vindicare. p. 167.
Defunctus conqueritur de hæredibus, à. p. 514. vſque. 517.
Defunctorum concionem vide, à. p. 89. vſque. 100.
Deſertum & ſolitudinẽ diligat perfectus. à. pag. 214. vſque 222. vide occaſio.
Deũ eſſe perfectiſsimũ oportet. pagina. 191.
Vitam animæ. p. 983.
Dæmon eijcitur in tentatione, vt canis: baculo Crucis, aqua lachrymarum ealida: ſed melius nil illi dando. p. 878.
Dæmonis nomina vide. p. 886.
Diabolus parum pugnat contra ſibi ſubditum in omnibus. pa. 5. 6. dicit, quid dabit, non quid auferet. p. 326.
Diabolus cum anima, vt Sichem cũ Dina. p. 6.
Diaboli poteſtas. p. 7.
Vexillum, arma, milites præmiũ. pag. 8.
Fallacia illius contra homines. à pag. 319. vſque. 325.
Diabolus habet poteſtatem contra Dei præcepta frangentem. pagina. 983.
Diabolus ſtatim à tentatione deſiſtit, ſi contraria virtute illi reſiſtitur. pag. 261.
Eſt latro diuites meritorum inſidiãs. pag. 270.
Diabolus ſortius tenet recidiuãtem. pag. 963.
Et ingreſsio eius quomodo fit in hominem. p. 863. 864.
Diaboli viſio quam horribilis ſit. pag. 584. 585.
Diabolus habitat in anima peccatoris. pa. 865. 866.
Diabolus membris caret peccator illi præbet. p. 863. cũ ſimilitudine.

Diem

Diem, quomodo diuidebant Iudæi. p. 1095.
Dignitates ambitione anhelare, quàm periculosum à. pa. 738. vsque. 748.
Disputatio inter dæmones, an Christus esset Deus. p. 247. 248. 249.
Doctrina angularis nolens in publico apparere: suspecta execranda. p. 671. 672. 673. vbique loqui de Deo & honorē eius defendere iustorum est. ibi, &. p. 674.
D. Dominicus, Hispanus noster, appositus fuit à Virgine Deipara, ad iram filij sui temperādam. p. 600. 601.
Dominicus dies ob multa cōmendatur. p. 450.
Dona magna à Deo homini collata à p. 1115. vsque. 1125
Dormire in peccato, quis audet? pa. 381. 391. 392.
Diuisio hominum & dissensio, est totalis eorum destructio. pa. 895. peiores in hoc dæmonibus. p. 896.
Dæmon ob hoc subduntur. p. 897.
Non perueniunt ob hoc, ad diuinæ essentiæ mare, vt fluuius diuisus. 898. brutis in hoc, irrationabiliores. p. 900.

E

Ecclesia plangitur merito. p. 98. 99. Qualis autea, & modo. ibidem, & p. 431.
Ecclesia sancta quas lectiones nobis legat p. 348. 349. 350.
Ecclesiæ traditiones venerandæ, à p. 969. vsque. 972
Ecclesia sancta, magna patitur incommoda, ob confessariorum imperitiam. p. 925.
Electiones hominum præposteras & execrandas, vide. p. 17. 18. 19.
Eleemosynæ efficaciam vide. p. 201 202. 203.
Elephas ebur frangit vt nō capiatur. p. 110. timet porcum. p. 555. nō potest flectere membra. p. 479.
Episcopus dicitur angelus, & quare p. 97.
Eremita à Diabolo territus petente cor illius Deo enigmatice. pa. 44.
Esau, quare tāta mala incurrit. p. 58.
Exemplum parcentis inimico, cui crucifixus ter caput inclinauit. p. 169. & de alio amplexato ab ipso. p. 171.
Exemplum D. Gregorio cōtingens de non parcente inimico. p. 170.
Exēplum rustici discentis ab omni re Deo seruire. p. 1117.
Exemplum terribile lusoris, Deipara blasphemantis. p. 1002.
Exemplum blasphemi mixti, in scriptura lapidati. p. 1005.
Exemplum S. Ludouici regis, contra blasphemum. p. 1007.
Exemplum horrendum in scriptura, ob vnicam blasphemiam. p. 1009.
Exempla tria de maledictione executioni mandata. p. 586.
Experientiæ argumentum fortissimum, & illo voluptuosi non corriguntur. p. 1153.
Exprobrare peccatorem pœnitentem,

tem, non est Deo in vsu. p. 12. 13 421.
Extrema in ieiunio fugienda. pag. 246.

F.

FAcies conscientiam signat, & quare. p. 80.
Faciei fuscus ab Hispania fere relegatus. p. 80.
Familiaritas suspecta hominum & mulierum, serpentibus nocentior. p. 214. 215. 216.
Familia Iesu commendatur, ex doctrinæ institutione circa pueros. p. 1027.
Festorum fractores puniuntur. pa. 446. quinque exempla vide contra illos. p. 448. 449.
Fideles multi, excolantes culicem. à p. 976. vsque 979.
Fidelis tenetur scire quatuor explicitè, à quatuordecimo anno. pa. 995.
Fidelis cogitãs absque labore & pœnitenia cœlũ petere, deceptus est à seipso. à p. 681. vsque. 693.
Figura Iudith. p. 2. & Sichem cum Dina. p. 6. & alias quamplures videre tibi licebit figuras.
Filij parentes malos accusabunt coram Christo, & filij matres desides. p. 1036. 1037.
Filij quid erga parentes teneantur. à p. 1038. vsque. 1049.
Filius in extrema necessitate, prius patri quam filio debet subuenire p. 1039.
Filius quomodo consilio parentum debet statum accipere: & quomodo parentes dare. p. 1045
D. Fraciscus humilissimus, oratio illius, quis tu, quis ego. p. 208. 209. 362. 911. 1118.

G

GEnus sine virtute, quid prodest? à p. 91. vsque. 96. & 340.
Germania infelix ob suas voluptates: vnde pestifero hæretico tradita est. p. 342. 343.
Gratia vnde proueniat & à quo. pa. 1141. salit in vitam æternã, quomodo. p. 1170.

H

HAEretici Lutherani merito dãnantur ob multa, & quia Ecclesiæ Romanæ traditiones sanctas, frustra abolere contendunt. p. 970.
Hæreticorum nostri temporis totalis destructio, post luxum: aliud signũ & Euangelij interpretationem quærere, quam sancta Romana ecclesia docet. p. 343. 344. 346.
Hilarionis abstinentia. p. 56.
Hispania laudatur circa ecclesiæ traditiones. p. 969. sed nõ in iuramẽtorum abusione. pa. 1006.
Hispania commendatur circa fidelitatem ad ecclesiam, & maximũ Romanum Pontificem. p. 344. 550. 936.
Historia Ionæ vtilis valde. à p. 370 vsque. 426.
Homo, vnde superbit? p. 97.
Homo, propriam iniuriam liben-

328.329.
Homo nequam ſuæ conſcientiæ ore ſe iudicabit. p.847.848.850.
Homo, ob diuiſionem cum proximo, feris crudelior & quibus cõparetur illarum. p.901.
Homo inermis naſcitur, & quare, cum omne animal vltionis inſtrumentum acceperit. p.161.
Hoſpes ingratus dæmonem recipiens, & Ieſum expellens. pa.37.
Hypocrita, mimo & pictori ſimilis. p.69.
Hortulano immatura colligẽti. pa. 70. Idolo Bel. ibi. Cygno. 71.
Argento falſo, aſpidis ouis, ſtãno, nubi. ibi.
Hiſtrioni, à p.72. vſq; 75. & à. 192. vſque. 205.

I.

Ieiunium morale, pœnitentiæ, & eccleſiæ. p.48.
Ieiunium in decretis poſitum. p.47 diſcrimen inter quadrageſimale & vigiliarum. ibi. de antiquitate illius. ibi. & p.48.
Ieiunium non frangitur ob potum, & parua eletuaria. pag.49.
Ieiunium quos non obliget. p.50.
Ieiuninm præcipuum, abſtinere à vitijs. p.67.68.125.234.
Ieiunium nimium capitur. p.68.
Ieiunium Moſi, quale. pa.234. & Eliæ. 235.
Ieruſalẽ dicebatur ſancta ciuitas, & quare. p.296.
Ignatius, ſcripſit ad Deiparã. p. 48.
Imago crucifixi docet nos neceſſaria ad ſalutem. p.358.
Ingratus filius, qua pœna dignus. pag.1041.1042.
Ingratitudo animæ erga Chriiſtum pulſantẽ ad cor. p.362 vſque 365.
Ingratitudinem recidiuantis aduerte & time. p.961
Infirmorum viſitatio commendatur. p.443. verba conſolatoria ad illos. ibi. & 444.445.
Inanis gloria carpitur, à. p. 69. vſque 75. & à 192. vſque. 205.
Ingratus punitur à Deo. p. 962. eſt obliuioſus veniæ. pag 959.
Inimicum diligens, multas obtinet vtilitates. pag. 127. 128. 129. & ob multas ſimilitudines ad ipſum debet diligere illum. p. 126. 127.
Inimicus eſt virga in manu Dei, ad ignẽ ſi non cõuertitur p. 129. 130. & calix à Deo datus, vt munus. p. 161. quid teneamur illi dimittere, quid ab illo repetere poſsimus pag. 163.
Inimicum non ſalutans in via abſolutione indignus. pag. 189. 190.
Inimico tenetur reconciliari, iniuriã paſſus: ex decretis. p. 164.
Inter nuntia ſiue pronuba, quanta damna Chriſtianæ Reipublicæ inferat. à. p. 587. vſque 596. quam maledicta à Deo. 595.
Ioſeph hiſtoriam vtiliſsimam. à pa. 808. vſque 829.
Iudex, iuſte punit furem. pag. 168.
Iurare Deum quid, & falſo quã grue ſit delictum. p. 999. 1000.
Iuramentum quanto timore & ſolemnitate, & raro olim fiebat, quia

quia homines erãt veraces. p. 998. 999.
Iurans aſsidue, à periurio non erit liber. p. 1001.
Iurantem audiens & non arguens, carpitur. pag. 161.
Iuſtificatio peccatoris, à quibus fiat pag. 500. 501. & à 636. vſque. 639.

L.

LAmiæ proprietas'. pag. 1013.
Lapides pœnitẽtiæ & pauperta tis, multi in luxum conuertetunt pa. 278. 279.
Laudatus ab altero quid bebeat me ditari. p. 200. 204. 205
Leo pontifex, ſanctiſsime, ter acclamatus. pag. 136.
Leonis bona & mala proprietas. pa. 57.
Lutherus magis peſtifer hæreticus, hucuſque viſus. pa. 343.
Lutherus alter diabolus, ſpiritus mendax factus in ore omniũ falſorum cõcionatorũ germaniæ. ibi
Luſores fere ſemper blaſphemi. pa. 1002.
Luſorum receptores, quam grauiter delinquant, & qua pœna digni. pag. 575. 576.

M.

MAiores à dæmone capti, minores quid facient? pa. 266. vſque 271.
Maledictionis execrandus abuſus. pag. 582.
Maledicos & blaſphemos capit dæmon ſine eſca. ibi.
Maledictio multiplex. pag. ibi. & 583. 584. 585. 586. & ibi. terrentia exempla.
Mandata Dei in comuni, à pa. 980. vſque 994.
Mandatum primum quid, & quæ illo iubentur: & quare dicitur eſſe diligere Deũ p. 994. 995. 996.
Mandatum ſecundum. pag. 996.
Contra illud frangentes. à pag. 998. vſque. 1010.
Mãdatum tertiũ. à p. 440. 452. exempla contra illud frangentes. pag. 449. & pag. 1010.
Mandatum quartum. à pag. 1011. vuſque 1038.
Maria ſanctiſsima magis fortis quã Iudith. p. 2. quid de filio fatigato ſentiret. pag. 1084. filius non vult ferre iniuriam illius. pag. 1002.
Medicus medicamina applicans, in firmo ſacramenta prius non recipienti: qua pœna dignus. p. 542.
Miles Chriſtianus quam grauiter delinquat, in auerſione à Deo per mortale. à pag. 8. vſque. 20.
Miles cõtra turcam coram rege valde pugnaret. pag. 225.
Miracula Chriſti ſufficienter oſtendiunt ipſum eſſe Deum. pag. 360
Miſericordia Dei oſtenditur, in peccatoris vocatione. pag. 12.
Miſericodiam Dei expectemus, ne ſimus vt Cain & Iudas. pa. 995.
Miſericordiã Dei fugiens cũ Iona, inueniet illius irã. p. 376. 377.
Monialium contentio inter ſanctos carpitur. pag. 1076.
Mortis memoria valde vtilis. à ter, tamen Dei moleſte ferat. pag.

p. 89. vſque. 97. & p. 215.
Moſes vt quid non introduxit populũ in terrã promiſſam. pa. 1156
Mulier animal vindictæ cupidum, cum exemplo. p. 164.
Mulier dæmonis arcus, ſi mala, & quanta homini inferat damna. à p. 551. vſque. 557.
Mulieri, tam conuenit ieiunare, quã reſpirare. p. 53. 54.
Muſcas, hoc eſt, homines debiles & immundos capit Dæmon. pag. 886. 887.

N

NAbuchodonoſor an ſit ſaluus. pag. 1008.
Niſi proprietas. p. 30.

O

OBedientia maxime commendatur: obillam Chriſtum mori. pag. 375
Time vxoris Loth exemplũ. ibi.
Obſtinatus difficulter conuertitur. à pag. 487. vſq; 494. & à p. 961. vſque. 963.
Occaſio peccãdi quam periculoſa. à p. 564. vſque. 574.
Occaſio peccati tollenda, neceſſariſsime concionatur. p. 559. Non tollens illam, abſolutione iudignus. 561. & vſq; 570. etiam ſi non peccetur, honor maculatur. 560. Fuga illius neceſſaria. in verbo deſertum.
Odij vulnus periculoſum. pag. 156. Præcipue morienti. ibi. Deſtruxit Cain. 158. Odium habẽti, nũ libi patet cœlum. p. 168.
Officium ſanctũ & à cœlo datum, commendatur. p. 744. 673.
Cui in omnibus me ſubmitto. Ibidem. p. 1006.
Quid contra talia dicẽtes feciſſet. p. 993.
Opera neceſſaria ad ſalutem & gratiæ Dei adiuncta, magni eſſe valoris. p. 502.
Orandi modum optimè docet Chananea. p. 578.
Oratio vim magnam habet. p. 207. Penetrat cœlos. 208. Extinguit concupiſcentiæ ignem. Ibi Peccatum impedit. Ibid. Iuſti multum valet. 207. Et à ieiunio multum adiuuatur. 233.
Oratio, ſit perſeuerans, aliàs eſt parum roris. p. 209. & alias ſimilitudines. Ibid.
Oſifragę, erga alienos pullos pietas. pag. 1024.
Ouis mira proprietas in agnoſcendo agnum, & è contra. p. 1025.

P.

PAcem habenti, vndecunq; patet cœlum. p. 168.
Particularia in concionibus magis quam vniuerſalia, mouent. p. 994
Parentes ad quãta & qualia teneantur erga filios. à pag. 1011. vſque 1038.
Paſsio Ieſu, quam valde vtilis pœnitere cupienti. pa. 666. 667. 668.
Pater quanta patiatur pro filijs. pagina. 1088.
Parentes optimi, peſsimos ſortiti ſunt filios, & è contra. p. 1031.

Paſtor animarum, quid teneatur docere illas. p. 1026.
Paterfamilias quid debeat filios docere. 1027.
Paterfamilias ſine Dei timore: familiam deſtruit à p. 266. vſq; 271.
Pauonis circulus, quid. p. 93.
Peccator, portat dæmonis imaginẽ contra Deum & coram illo. p. 11. Cõtemnit Dei bonitatẽ, cito non ſe conuertendo. p. 112. 113.
Peccator abijt à Deo, & perſe nõ poteſt reuertere. p. 14. & conuertens non exprobratur, vt prodigus. pagina. 13.
Peccator in ſua iuſtificatione quid operetur, ex Cõci. Trid. p. 22. 32. 500. 501. 636. 637. Perhorreſcat videns quantis indigeat ad ſuam ſalutem. Ibi.
Peccator in dæmonis ſtomacho eſt. p. 415. Quomodo euomat ipſũ. p. 416. 417.
Peccator non deſperet, ſi pœnitentiam agere vult. p. 418. 660. 661.
Peccator obſtinatus, vbi erit percuſſus? p. 463, & non relinquens peccatum: p. 464. Illius ſtatus pertuloſus. à p. 487. vſq; 494. 499.
Peccator valde audax, cum audeat coram Deo peccare. p. 1097.
Peccator quãto labore acquirat infernum. p. 1132. 1133.
Peccatori remedia, optime à Deo dantur. à pag. 383. vſque. 412.
Peccatoris mala, in obediẽtia. p. 376. à miſericordia Dei fugere. 377. Sumptus pati et labores. 378. Deſcendit, & dormit. 379. 380.
Peccatoris conuerſionem magis deſiderat Deus, vt qui maiora tulit. p. 34. Neceſſe eſt potentia infinita. pag. 35.
Peccati malitiam oſtendere, maxime in opere hoc deſidero. p. 10. Quã miſerũ faciat hominẽ. Ibid. Quantam malitiam & auerſionẽ à Deo includat. 15. 16. 17. Pœnam triplicem. 33.
Peccati malitiam intrinſece intelligentis ſcinderetur cor. p. 101. 102.
Peccato ne addas peccatum. p. 1112.
Peccatum qua audacia ad aliud inuitat? p. 379.
Pœnitentia qualis iniungenda, cuilibet delicto. p. 458.
Pœnitentia Niniuitarum damnat nos. p. 424. 425. 427. 428.
Pelicani proprietas, erga filios gratos & ingraros. p. 1042.
Perdicis proprietas ex Ieremia. pa. 31. & eius filiorum inſtinctus. pagina. 96.
Periurus reſponſione caret, coram Deo. p. 1003.
Plinius de aranea. pa. 39.
Perſonam agere ad horam, & permanentia amittere, ſtultum eſt. pagina. 71.
Prælati Eccleſiaſtici & religioſi Hiſpani, laudantur. p. 99.
Prælatus diſſolutus, ruina ſubditorum. à pag. 266. vſque. 271.
Prelatus ad maiora & perfectiora tenetur, quàm ſubditi. p. 425. Si malus exiſtit, væ corpori. pa. 465.

Qua-

Q.

QVadragenarius numerus obſeruandus. p. 232.232.
Quadrageſimam, ieiunium præcipue conſtituit. p.233.

R.

REcidiuãs quam ingratus Deo, quanta damna ſibi acquirat. p.540.541.942. Suam conuerſionem difficiliorẽ reddit. pag. 961. 962.963.
Redemptio noſtra ante quam creatio præcipue obijcitur nobis. pagina. 30.
Rem diuinam quotidie audire, magnares. p.441. Exemplum liberi à morte ob hoc. 442.
Reſurrectio Saluatoris, quomodo intelligatur tertia die fuiſſe. p.367. 368.
Roſſenſis Dei martyr, quid de Eccleſiæ traditionibus dicat. p.971.
Roma, mundi caput. p.550.

S.

SAbbathum ieiuna in honorem Deiparæ, ex conſilio S. Apollonij. p.245,
Sacerdos officium ſacrum peragẽs, & eodem die culpa interemptus. p.17. obſtinatus, vt Iudas accedit. p.844.
Sacerdos aut monachus inobediẽs, ex quo populo es. pag. 406.
Sacerdotes quotidie peccãtes, & occaſiones delinquendi nõ fugientes, & cum hoc inuicem ſe abſoluentes: irridentes, & Suſannæ ſenibus ſimiles exiſtentes. p.563. 362.646,
Salmãtica, omnium vniuerſitatum limpidiſsima: tam in ſcientijs quã in doctoribus. p.190.
Samaritana, Eccleſiã degentibus, vt Chananea, ſignabat. p.623.1096
Sacramentis obſtaculũ, quando vt modo poſitum? p.2.
Sapiens in ſacro eloquio pro iuſto, ſicut ſtultus pro peccatore. p.1027.
Satisfactio pœnæ, quam iuſte pœnitenti imponatur. p.523.524.
Satisfactionis, honoris, aut facultatis, defectu: dãnantur multi. p.754.
Secretũ ſecretorũ, Deum crucifixi, & hominem reſurgere. p.677.
Serpens pellẽ ante quam vitam, deponit: ſic obſtinatus. p.170.
Sexta dies, aut hora, ſecreta in ſacro eloquio continet. pag.1095.
Signa dilectionis cõmunia, teneris inimico oſtendere. p.163.
Simiæ mala proprietas. p.197.
Similitudo recidiuantis, ad carnem bobinam comedentem. p.961. ad fugientem de carcere, & iterum captum. p.963.
Similitudinũ numerũ, huius partis, deficiet tempus enarrandi.
Singularem eſſe, mala innumera ſequuntur. p.341.342.
Sol ad immunda ſtercora mittit radios. p.185. tria inter alia radios illius tollunt. p.186.
Struthionis natura. p.1012.
Stultus merito dicitur peccator. p.1027.
Suffragia Sãctorum, in magno pretio

tio sunt habenda à. p. 620. vsque. 622.
Superbia ex nobilitate nata. pag. 91.

T

Tentatio triplex ex D. Thom. p. 224 Quomodo prodest repulsa. 259. quãdo veniale, vel mortale. p. 260. contrariã virtutem operari, magnum præmium. p. 261.
Theologia scholastica, necessaria ad concionandum. p. 800.
Thesaurizat peccator iram Dei. p. 113. 114.
S. Thomas Cantuariensis occiditur ob Ecclesiam. p. 83.
D. Tho. quintus Ecclesiæ Doctor, baculus noster in omnibus. p. 49. Dignus D. Pauli interpres. 112. dux mihi. 125. & à me dilectus cõmendatur. p. 187. argumentorum suorum solutiones sanctas & acutas impugnent aduersarij. p. 840.
Traditiones sanctæ ab Ecclesia receptę, valde venerandæ à. p. 969. vsq; 972.
Traditus Dominus à quibus. pagina. 699. 700.

V

Venialia vitãda, & si omnia nõ possumus, & quare. p. 260.
Victoria Naualis quandò & à quibus & quam necessaria. p. 9.
Vindictam de hoste tuo, relinque Deo melius vindicanti, p. 166.
Vinea multiplex à Domino plantata à. p. 762. vsq; 775.
Verbi Dei defectu, multa mala in populis. p. 291. efficacia illius ibi, & in mente Dei scriptum. 329. 330. contemptor illius, dæmone peior. 331. 374. inueniet te etiam fugientem. p. 244.
Voluptas dicitur panis mendacij. p. 280. homines cæcos reddit à, p. 468. vsq;. 472. homini & bruto cõmunis. 1139.
Voluptati deditus animam preciosam pro re vili proijcit, cum similitudine. p. 1155.
Vxor sine mariti cõsensu nil faciat. p. 1174. cum eleemosynis quomodo se habeat. 1175. 1176.

Finis Sententiarum Indicis, & sine fine Christus laudetur. Amen.

IN DEI Filio sibi dilectis Domino Reuerendo, in sacra Theologia Doctori Gudisalvo Lopez, Frater Seraphynus Cavalli Brixien. Sacræ Theologiæ professor, ac totius ordinis prædicatorum humilis Generalis Magister & seruus salutem, & perfectam sanctorum communionem. Vestræ deuotionis affectus quem ad nostrum ordinem vos habere percepimus merito requirit, vt spiritualia beneficia nostro ordini a Deo collata vobis gratiosius impertiamur: quare de omnipotentis Dei gratia, misericordia & liberalitate deque Intemeratæ & Sacratissimæ Virginis & Matris Dei Mariæ, diui Dominici patris nostri, ac Sanctorum Petri martyris, Antonini, Thomæ, Vincenty, Catharinæ cæterorumq; Beatorum, qui nunc in cœlis fœliciter cum Christo regnant gloriosis meritis atque intercessione confisi, omnium Missarum, ac sacrificiorum, prædicationum, orationum, ieiuniorum, abstinentiarum, vigiliarum, peregrinationum, cæterorumq; bonorum, quæ per fratres & sorores nostri ordinis diuina bonitas in mundo fieri dederit vniuersos, participationem, & communionem vobis concedimus, vosq; ad eiusdem ordinis vniuersa & singula beneficia & suffragia recipimus & admittimus in vita pariter & in morte, vt multiplici sanctorum suffragiorum præsidio adiuti hic augmentū gratiæ & in futuro æternæ vitæ gaudia consequamini, certiores etiam vos facientes qualiter semel, in vita, & semel in morte plenariam indulgentiam vobis donauit sancta Sedes Apostolica, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. In cuius concessionis testimonium his sigillum nostri officy maius apponi iussimus. Datis in nostro conuentu Sanctæ Crucis de Villescusa, nona die Julij. 1577.

F. Seraphynus Generalis supremus manu propria.

F. Ludouicus Vgocinus Ariminen.
Prouincialis terræ Sanctæ.

1.195

Dñ DE LOPEZ. 1.ª P